BIBLIOTECA NAZIONALE DI TORINO
L,
V, 14

Digitized by Google

I·V-41

Digitized by Google

LUCÆ HOLSTENII
VATICANÆ BASILICÆ CANONICI
ET
BIBLIOTHECÆ PRÆFECTI

CODEX REGULARUM
MONASTICARUM ET CANONICARUM

Quas
SS. Patres Monachis, Canonicis & Virginibus Sanctimonialibus
ſervandas præſcripſerunt.
Collectus olim à S. BENEDICTO Anianenſi Abbate:
Nunc autem
Auctus, amplificatus & in ſex Tomos diviſus.

TOMUS SECUNDUS

Varias Regulas ac Statuta, monaſtica & canonica,
omnium fere religioſorum Ordinum, qui in Eccleſia
Chriſti floruerunt, & etiamnum florent,
usque ad Sæculum XII. incluſive,

ADDITAMENTIS XXI.

(quorum Elenchus infra in Præfatione N.° VIII. habetur)
comprehenſa
exhibens;
Obſervationibus critico - hiſtoricis
A

P. R. P. MARIANO BROCKIE

S. T. D. Priore ac Seniore Monaſterii S. Jacobi Scotorum Ratisbonæ
illuſtratus:
Eoque pie defuncto
Ab alio ejusdem Cœnobii, Nationis & Inſtituti Aſceta
Præfatione & Indice neceſſario
inſtructus.

AUGUSTÆ VINDELICORUM
Sumptibus IGNATII ADAMI & FRANCISCI ANTONII VEITH Bibliopolarum.
ANNO MDCCLIX.

Digitized by Google

PRÆFATIO
Ad benevolum Lectorem.

I.

QUemadmodum Clariſſimus Holſtenius Codici Regularum per ſanctum Benedictum Anianenſem olim conſcripto, plurima monumenta Eccleſiaſtica ſuperaddere voluit, fidei quidem Manuſcripti Colonienſis innixus; ſic etiam & nos huic antiquiſſimi Codicis novæ Editioni multa documenta monaſtica, & canonica ipſi Codici adjicere conſultum duximus: tum ut volumen illud *antiquarum Regularum* ad juſtam molem perduceretur, tum etiam ut quandam ſtatûs monaſtici Hiſtoriam earundemque Regularum propagationem conficeremus. Sciendum enim eſt S. Benedictum Anianenſem ſolummodo illas Regulas in unum Codicem collegiſſe, quæ ante ſæculum nonum promulgata erant, adeoque Regulas ſolitariorum duas, unam à B. *Grimlaico* pro viris, alteram à S. *Ælredo* pro fœminis ſcriptam, ipſi Codici Anianenſi aſſutas fuiſſe, cum prima circa medium ſæculi noni, altera vero ante medium ſæculi duodecimi exarata fuerit, prout ex præviis obſervationibus ad ipſas Regulas pag. 291. & pag. 419. apparet.

II.

Fatendum ſimiliter eſt, non omnes antiquas Regulas ante ſæculum nonum promulgatas in hoc *Codice Holſteniano* contentas eſſe, prout in prima Præfatione numero 37. prænotavimus. Nam præter Regulam *S. Joannis Abbatis Biclarenſis* nunc omnino perditam S. Anianenſis Abbas neque in hoc Codice, vel in Concordia Regularum de *Sancti Chrodogangi* Regula memoriam facit, aliamque Regulam antiquam hic pag. 71. relatam omiſit. Quamvis enim Regulæ *S. Caſſiani* mentio inveniatur, in Codice tamen nullum ei locum dedit S. Collector, ideoque pretium operæ eſſe duximus, eandem S. Caſſiani Regulam libris 4. Inſtitutionum monaſticarum comprehenſam, aliaque monumenta monaſtica vetera in ipſo Codice omiſſa ſuperaddere, priusquam ad novas Regu-

las adducendas progrederemur. De quibus omnibus jam ab exordio præfati ſumus, exiſtimantes per obſervationes prævias cuilibet additamento præmiſſas ſatis ſuperque quodlibet monumentum poſſe explicari, ita ut inane foret plura impræſentiarum deſuper præfari.

III.

Omnibus notum eſt labente ſæculo octavo & nono florente nullum novum Ordinem monaſticum peculiari Regula donatum apud occidentales populos exortum fuiſſe, quamvis Clerus Eccleſiaſticus exemplo Monachorum excitatus piiſſimas vivendi Regulas condere cœperit vitamque communem Regulariter ordinatam introducere conatus ſit. Sic *S. Chrodogangus Metenſis Epiſcopus* circa medium ſæculi octavi primus fuit, qui Clerum ſuum ad vitam communem amplectendam invitavit, & in hunc finem præſcripta eximia Regula vitæ Regularis exordium ſacro Ordini Canonicorum Regularium dedit. Neminem doctum latet, piiſſimum Imperatorem *Ludovicum* ineunte ſæculo nono Aquisgrani convocaſſe Patrum Eccleſiæ Congreſſum, ex quo prodiit celebris illa *Aquisgranenſis Regula* pro omnibus Canonicis vitam communem & Regularem ducere volentibus data. Ad cujus Regulæ exemplum ſurrexerunt & aliæ Congregationes Eccleſiaſticæ ordine canonico reformando, ita ut duobus ſequentibus ſæculis gradatim diverſarum Eccleſiarum Prælati Canonicos ſuos in unam communitatem canonicalem congregantes anſam præbuerint erigendi celeberrimi Ordinis *Canonicorum Regularium*, quem poſtea ante medium ſæculi XII. Summus Pontifex Romanus Gelaſius II. confirmavit, & ſub Patrocinio magni Doctoris Eccleſiæ S. Auguſtini Epiſcopi erexit; cujus proin Alumni appellari cœperunt *Canonici Regulares Auguſtiniani.*

IV.

Unde in hoc ſecundo Tomo *Codicis Holſteniani* poſt quædam monumenta vetera monaſtica ab Anianenſi Abbate omiſſa, immediatè collocavimus Regulam S. Chrodogangi pro ſuis Canonicis Metenſibus conſcriptam: cui ſubjunximus & aliam vitæ Regularis normam pro *Canonicis Regularibus* compoſitam, ſed poſt *S. Chrodogangi* & *Aquisgranenſis* tempora, quam tamen ante ſæculum decimum promulgatam, & forſan ab *Amalario* Eccleſiæ Metenſis Diacono conſcriptam exiſtimamus, prout in obſervatione prævia animadvertimus. Deinde tres Regulas S Auguſtino imputatas, ſed pro norma vitæ Regularis à Canonicis Auguſtinianis olim uſitatas hic exhibemus, etiamſi Clariſſimus Holſtenius eaſdem ſub alio titulo in ſuo Codice collocaverit. Et denique, ut nihil omittatur, quod ad exordium, & propagationem celeberrimi Ordinis Canonicorum Regularium pertinere poteſt, duos eximios tractatus adjicimus, quorum primus continet antiquas conſuetudines ab ipſis primævis ſacri Ordinis Canonici Patribus uſitatas; alter verò complectitur Regulam *P. Petri de Honeſtis*, quæ in uſum *Eccleſiæ Portuenſis* præſcripta ad alias Canonias pervenit, & tanquam præcipua vitæ canonicæ Regula obſervabatur.

V. Cum

V.

Cùm verò in producendis his antiquis *Canonicorum Regularium* monumentis quodammodo filum Hiſtoriæ monaſticæ interrumpere coacti ſimus, tamen conſultius duximus talia documenta, licet diverſis ſæculis condita ſub uno obtutu ponere, quam aliis monaſticis Regulis & Statutis immiſcere, etſi enim labente ſæculo octavo, & tribus ſequentibus, multi ſacri Ordines Religioſi ſint exorti, nullam tamen Regulam novam ante ſæculum duodecimum conditam reperimus. Sed omnes illi Ordines monaſtici pro primaria vitæ monaſticæ norma ſecuti ſunt *Regulam S. Benedicti Monachorum Patriarchæ*. Sic celeberrima *Congregatio Cluniacenſis* anno DCCCCX. inchoata longe ante *Canonicos Regulares hodierni Inſtituti* floruit, quibus primum anno MCXIX. Summus Pontifex *Gelaſius II.* Regulam communem S. Auguſtini obſervandam præſcripſit, & poſtea Innocentius XI. confirmavit. Idem quoque ſentiendum eſt de *Camaldulenſibus*, *Grandimontenſibus*, *Carthuſianis*, *Ciſtercienſibus*, aliiſque ſacris Ordinibus monaſticis ſæculo X. & ſequenti exortis, & pro primaria vitæ norma *Regulam Benedictinam* profitentibus.

VI.

Sicut olim apud orientales populos antiquæ Regulæ monaſticæ à SS. Antonio, Macario, Pachomio &c. conditæ tandem in deſuetudinem venerant, ita, ut ſola S. Baſilii Magni Regula ab illarum Regionum Monachis pro vitæ monaſticæ communi norma ſuſcepta fuerit, ita etiam in occidente omnes Regulas monaſticas à Benedictina facile abſorptas novimus, præſertim, poſtquam *Hyenſes Monachi Scoti* & *Columbaniana Monaſteria* in hodierna Scotia ſuos peculiares mores reliquerant, ac Catholicum Paſcha ſimul ac tonſuram coronalem cum Benedictina diſciplina circa annum DCCXXIII. ſuſceperunt teſte Ven. Beda Hiſt. Eccl. Lib. V. cap. 2d. poſt ea tempora labente ſæculo nono apud *Gallos*, *Italos*, *Hiſpanos*, *Germanos*, & *Britannos* raro Regularum S. Cæſarii, S. Aureliani, S. Iſidori, imo S. Columbani, aliarumque in Codice Holſteniano adductarum memoria invenitur, ita ut ſola Benedictina Regula à S. Gregorio Magno deprædicata, tanquam perfectiſſima, ac *diſcretione præcipua*, & *ſermone luculenta*. Dial. lib. 11. cap. 36. apud Monachos occidentales, primarium locum obtinuerit. Tempore enim *Caroli Magni Imperatoris*, per totum Imperium nulla alia Regula monaſtica erat, qui proin mandavit: *quærendum eſſe, qua Regula Monachi vixiſſent, in Gallia priusquam Regula S. Benedicti in ea tradita fuiſſet; cum legamus S. Martinum & Monachum fuiſſe, & ſub ſe Monachos habuiſſe, qui multo ante S. Benedictum fuit* (*Brevis Capitul. Caroli M. Tom.* 11. *Conſ. Gall. Cap.* 12.)

VII.

Hinc facillime *S. Benedictus Anianenſis* componere potuit *concordiam omnium aliarum Regularum*, cum Regula Benedictina, utpote cunctam diſciplinam monaſticam complectente, & ideo præ reliquis apud occidentales Monachos propagata. *Piiſſimus Imperator Ludovicus* nomine &

re verè *Pius* in Concilio Aquisgranenſi ſtatuit utrumque ſtatum Eccleſiaſticum reformare, nimirum clericalem & monachalem, tametſi primo præſcribi curaverit celebrem illam Regulam Canonicam Clericis vitam communem agentibus adaptatam; nullam tamen novam monaſticæ vitæ normam promulgari permiſit, ſed omnibus Monachis arctiſſimam Benedictinæ Diſciplinæ obſervantiam ubique præſcribi præcepit; in quem finem ſanctiſſimus *Anianenſis Abbas* cuncta vaſti Imperii cœnobia juxta Regulam *S. Benedicti* mores ſuos ordinare curavit, ejusque concordiam cum aliis Regulis monaſticis promulgavit, prout ſupra monſtravimus.

VIII.

Idem eſto judicium de variis ſacris Ordinibus monaſticis ſæculo X. & ſequenti exortis, quamvis enim *S. Berno Abbas Cluniacenſis* collapſam diſciplinam monaſticam anno DCCCCX. reſtaurare cœperit; nullam tamen novam Regulam condidit, ſed ſolummodo Statuta quædam ſalutaria ad arctiorem *Diſciplinæ Benedictinæ* obſervationem conducentia præſcripſit. Sic etiam ſequenti ſæculo, & quidem circa annum MXXIII. *S. Romualdus* novum Ordinem monaſticum inſtituit apud *Campum-Magduli* vitam eremiticam cum cœnobitica conjungens, ſuisque diſcipulis novas *declarationes in Regulam S. Benedicti* præſcribens. Eodem quoque ſæculo labente ſurrexerunt Monachi Grandimontenſes à S. Stephano Vice-Comite Tiernæo ſub eadem Regula inſtituti, quemadmodum *Carthuſienſes*, ac *Ciſtercienſes* quorum omnium Conſtitutiones *Regulæ Benedictinæ* conformes hic adducimus, quibus & conjungimus Statuta *S. Lanfranci Archiepiſcopi Cantuarienſis*, qui ex Monacho Benedictino creatus totius Angliæ Primas, apud ejusdem Ordinis Monaſteria introductam ſacræ Regulæ Benedictinæ obſervantiam non nihil relaxatam quodammodo reformare voluit.

Adductis authenticis monumentis ad Monachiſmi propagationem probandam ſufficientibus, usque ad ſæculum duodecimum, eisdem adjicimus Regulas & Conſtitutiones celebrioribus Ordinibus Equeſtribus præſcriptas, cum & illæ cum monaſticis Statutis magnam ſimilitudinem habere videantur, utpote viris Militiam Chriſtianam contra Saracenos ſequentibus, ſeque tamen tribus votis Religioſis aſtringentibus datæ. Hi autem Equeſtres Ordines complectebantur 1. *Milites Templarios*, quibus anno MCXXVII. præſcripſit Regulam Concilium Trecenſe 2. *Milites Hoſpitalarios*, nunc Equites Melitenſes, quibus Regulam vitæ Regularis tradidit ejusdem Ordinis Magiſter *Raimundus de Puy*, illamque confirmavit Eugenius III. Papa. 3. Demum eis addere placuit Nobiliſſimi Ordinis de *Aureo Vellere* Statuta hucusque inedita, licet illius Illuſtriſſimæ Fraternitatis Equites nulli *Regulæ Religioſæ* adſtringebantur. Denique huic Tomo finem imponunt *Regulæ Sempringenſis Ordinis*, quæ quidem duæ ſunt, una pro Canonicis, altera pro Sanctimonialibus, quæ *Conſtitutiones* potius *Regulæ* appellandæ ſunt, cum author Ordinis B. Gilbertus

de

de *Sempringham*, per errorem aliquando nominatus *Simpringham* ſuis Canonicis Regulam *S. Auguſtini* obſervandam præſcripſit.

Atque hæc ſunt additamenta, quæ in hoc Tomo II. continentur, & *Codici Regularum Holſteniano* adjicere judicavimus, tum ut omiſſas Regulas monaſticas ſuppeditaremus, tum etiam ut Hiſtoriam vitæ Regularis tam monaſticæ quam canonicæ usque ad ſæculum XII. conficeremus.

CATALOGUS SEU ELENCHUS ADDITAMENTORUM hujus TOMI II.

Additamentum.	*Sæculum.*	*Pagina.*
I. S. *Joannis Caſſiani*, Abbatis Maſſilienſis, Regula ſive Inſtitutiones monaſticæ, Libris IV. comprehenſæ.	V.	1.
II. S. *Pachomii*, Abbatis Tabennenſis, Regula, omnino diverſa ab altera in *Codice Regularum* relata, Notis & Scholiis *Alardi Gazæi* illuſtrata.	IV.	38.
III. Ordo monaſticus apud Scotos Monachos in veteri hodiernæ Scotiæ Monaſterio *de Kil-ros*, vulgò *Culros*, olim obſervatus.	V.	62.
IV. Ordo quidam monaſticus *S. Benedicto* attributus.	IX.	66.
Ejusdem Epiſtola ad S. REMIGIUM *Rhemorum Antiſtitem.*		70.
Ejusdem Sermo in morte S. PLACIDI.		*ibid.*
Ejusdem Sermo, habitus in diſceſſu S. MAURI *&* *Sociorum.*		*ibid.*
V. Regula monaſtica antiqua.	IX.	71.
VI. Tractatus varii ad Hiſtoriam monaſticam pertinentes, à Cl. *Mabillonio* collecti, videlicet:		
1. *Ordo Officii in* Domo S. Benedicti (Le Dome) *ante Paſcha.*	IX.	78.
2. *Antiquæ Conſuetudines Monaſteriorum Ord. S. Benedicti.*		80.
3. *Ordo Regularis apud eos, qui in* Arce Regulari *pollent.*		*ibid.*
4. *Scriptum Fratrum de Monte* Caſſino *ad Fratres ejusdem Ordinis, ſcilicet S. Benedicti, in* Alemaniam *&* Franciam *&c. de Ritibus* Caſinenſium *&* Cluniacenſium.		81.
5. *Prologus in Librum Conſuetudinum* Hirſaugienſium, *Auctore* Willelmo *Abbate.*		82.
6. *Formula IV. Oblationis Puerorum.*		84.
7. *Littera V. ad ineundam Suffragiorum Societatem.*		89.
VII. Regula S. *Chrodogangi* Epiſcopi Metenſis.	VIII.	93.
VIII. Regula *Canonicorum Regularium*, ex *Aquisgranenſi* & *Chrodogangi* conflata.	IX.	109.
IX. Regulæ III. S. *Auguſtino* attribui ſolitæ.	X.	120.
X. Conſuetudines antiquæ *Canonicorum Regularium* de *Monteforti.*	XII.	128.
XI. B. *Petri de Honeſtis* Regula pro *Canonicis Regularibus* Eccleſiæ *Portuenſis.*	XII.	138.
XII. S. *Petri Mauritii*, dicti *Venerabilis*, Abbatis Cluniacenſis, Statuta Congregationis *Clumacenſis.*	XII.	176.
XIII. Conſtitutiones Ordinis *Camaldulenſis.*	XI.	192.
XIV. Statuta Ordinis *Grandimontenſis.*	XI.	303.
XV. Statuta Ordinis *Carthuſienſis.*	XI.	310.
XVI. Conſtitutiones S. *Lanfranci*, Archiepiſcopi Cantuarienſis.	XI.	343.
XVII. Statuta Ordinis *Ciſtercienſis*, una cum Regula *Converſorum.*	XI.	385. *& ſeq.*
XVIII. Regula *Militum Templariorum.*	XII.	429.
XIX. Regula *Militum Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani*, ſive Inſtitutum *Equitum* de *Malta.*	XII.	441.
XX. Statuta Ordinis Fratrum *Militum* de *Aureo Vellere.*	XV.	450.
XXI. Regulæ Ordinis *Sempringenſis*, ſive *Gilbertinorum* Canonicorum & Sanctimonialium.	XII.	466.

IX.

Interim non diffitemur *Additamenta* hæc non comprehendere cuncta ſalutaria Statuta à quibusdam ſacrorum Ordinum Inſtitutoribus condita, prout in obſervationibus præviis ad quodlibet *Additamentum* annotavimus, cùm nonnulla integrum volumen adimpleſſent, prout de *Cluniacenſium* & *Ciſtercienſium* Conſtitutionibus omnino conſtat, adeoque ſolum illa Statuta adduximus, quæ cujusque Ordinis primævam & arctam diſciplinam oſtendunt, atque ſtrictiſſimam Regulæ Benedictinæ obſervantiam commendant, ex qua Ordines illi emanaverunt. Ex aliis etiam adductis monumentis monaſticis antiquis clare certoque intelligimus rigidam Diſciplinæ monaſticæ obſervantiam ab oriente in occidentem translatam, priusquam apud Latinos aliqua Regula monaſtica promulgata fuit, ſicut evidenter patet ex S. Caſſiani Inſtitutionum monaſticarum Libris IV. & ex Ordine monaſtico in antiquiſſimo cœnobio *Kilroſenſi* circa medium ſæculi V. obſervato, & à Kildeis ſive veteribus Monachis Scotis exculto ſecundum Ægyptiorum Monachorum diſciplinam.

X.

Cum igitur de Additamentis in hoc Tomo ſecundo relatis ſat præfati ſimus, adductæque obſervationes Hiſtorico-criticæ cuilibet præfixæ eadem ſufficienter dilucident, ſupervacaneum judicavimus plura impræſentiarum ſuperaddere. Adduximus enim hic Documenta authentica, quæ vitæ Canonicæ Regularis exordium & propagationem monſtrant, nimirum à tempore conditæ Regulæ S. Chrodogangi usque ad ſæculum XII. ſimiliter adducta monumenta monaſtica abunde mutationes in Statu monaſtico factas dilucidant, quamvis omnes novi exorti Ordines in occidentali Eccleſia ſolam *Regulam Benedictinam* pro primaria vitæ norma ſecuti ſint, præſertim à IX. usque ad XII. ſæculum incluſive; à quo termino usque ad noſtra tempora talis facta eſt Monachiſmi & vitæ Regularis mutatio, ut ſtatus ille aſceticus novam Epocham accipere meruerit; prout ex ſequenti hujus *Codicis Holſteniani aucti & amplificati* Tomo III. patebit.

ADDIT. I.

ADDITAMENTUM I.

REGULA, SIVE INSTITUTIONES
D. JOANNIS CASSIANI
ABBATIS MASSILIENSIS,
LIBRIS IV. COMPREHENSÆ.

OBSERVATIO CRITICA.

I*Nter antiquiſſima Vitæ Monaſticæ monumenta ab Occidentalibus Patribus ſcripta, primum locum merentur ſequentes* Inſtitutiones Monaſticæ, *ſive antiquitatem temporum, ſive Doctrinæ dignitatem contemplemur. Scriptæ enim ſunt ineunte Sæculo quinto, quando nulla Regula latina Monachis prodita fuit, atque Ipſe S. Benedictus Monachorum Occidentalium Patriarcha easdem in tanto pretio habuit, quòd plures verbo tenus in ſuam ſacram Regulam transtulerit. Nec ſane nos piget has* Inſtitutiones *ſive* Inſtituta *appellaſſe* Regulam Monaſticam, *cum & illis Verum* Regulæ *nomen jam dudum tribuerit S. Gregorius Turonenſis, lib.* 10. *Hiſt. cap.* 18. *ubi de Attanenſi Cœnobio loquens, aſſerit, in illo,* non modo Caſſiani, verùm etiam Baſilii, & reliquorum Abbatum, qui Monaſterialem vitam inſtituerunt, celebrantur Regulæ; *Sæpiùs quoque S. Benedictus Anianenſis Abbas in ſua* Concordia *mentionem facit* Regulæ Caſſiani, *quæ quidem alia non eſt, quàm* præſentes Inſtitutiones Monaſticæ, *quatuor libris comprehenſæ; nam, in libro primo agitur de* habitu Monachorum, *ſive eorum externo Veſtitu; atque ſecundus & tertius liber præſcribunt* modum Canonicum *celebrandi nocturnas, & diurnas orationes, quemadmodum & quartus tractat omnia illa præcepta neceſſaria ad recipiendos & admittendos Monachos in ſtatum converſionis, qui proin hunc particularem titulum meretur,* De Inſtitutis Renuntiantium; *quia in hoc libro agitur de Inſtitutione eorum, qui ſæculo renuntiantes, & apud pios illos Patres legitimè probati in Monachorum Cœtum & Ordinem recipi meruerunt. Exiſtimat quidem Doctiſſimus Menardus in Concordia Regularum pag.* 57. *hanc* Monaſticam Regulam *ex operibus* Caſſiani *eſſe ab Eucherio compoſitam* Lugdunenſi, qui teſte Gennadio in Catalogo: Caſſiani quædam opuſcula lato tenſa eloquio, anguſto revolvens tramite, in uno coegit volumine. *Utut ſit, extra Controverſiam*

ponitur, *hæc* Inſtituta Monaſtica *complecti omnia ad perficiendum Monachum requiſita*, *& ideò nomen* Regulæ Monaſticæ *merentur*, *de quibus ſic loquitur Photius Cod.* 197. Utiliſſima verò, ſi quæ alia, hæc iis ſunt pronuntiata, qui Religioſam inire Vitam cupiunt. Et vero tanta iis vis ineſt, ac quaſi Divinitus; Ut &c.

Fatendum quidem eſt, Photium hic comprehendere integros duodecim libros de hac Materia à Caſſiano ſcriptos, & ad perfectionem ſtatûs Monaſtici omninò conducentes. Cùm verò noſtra intentio non ſit omnia opera Aſcetica pro Monachis conſcripta exhibere, ſed ſolummodo eorum Regulas & ſtatuta proferre, ſic ad exemplum ipſius Caſſiani hos quatuor primos libros à reliquis octo ſeparamus utpote veram normam Vitæ Monaſticæ *complectentes, prout Ipſe Caſſianus lib.* 1. *cap.* 1. *his disertis verbis teſtatur*: De Inſtitutis ac Regulis Monachorum dicturi, unde competentius, donante Deo, quàm ab ipſo habitu Monachorum ſumemus exordium? Quorum interiorem cultum conſequenter tunc poterimus exponere, cùm exteriorem Ornatum ſub Oculorum depinxerimus obtutibus. *Dein de ſequentibus tribus libris de* Ordine Pſalmodiæ, *& modo* ſuſcipiendorum Fratrum *agens, aſſerit ſe jam abſolviſſe omnia, quæ ad inſtituendum Monachum requiruntur, & reliquis octo libris velle tradere doctrinam ad colluctandum adverſus* octo Principalia Vitia *neceſſariam. Adeò que diſtinguit hæc Inſtituta Monaſtica quatuor libris contenta, ab aliis octo ſequentibus, ſic enim titulus Libri V. hoc ipſum declarat; qui talis eſt*: Tranſitus ab Inſtitutis Cœnobiorum ad Colluctationem octo Principalium Vitiorum; *Quod etiam & ipſe Caſſianus cap.* 1. *hujus quinti libri apertè his verbis oſtendit*: Quintus nobis juvante Deo liber iſte procuditur. Nam poſt quatuor libellos, qui ſuper Inſtitutis Monaſteriorum digeſti ſunt, nunc arripere Colluctationem adverſus octo Principalia Vitia veſtris orationibus Domino confortante diſponimus, id eſt, primum Gaſtrimargiæ, quæ interpretatur gulæ concupiſcentia; ſecundum Fornicationis: tertium Philargyriæ, quod intelligitur avaritia, vel ut proprius exprimatur, amor pecuniæ: quartum Iræ: quintum Triſtitiæ: ſextum Acediæ, quod eſt anxietas, ſive tædium cordis: ſeptimum Cenodoxiæ, quod ſonat vana, ſeu inanis Gloria: octavum ſuperbiæ: Quem ineuntes agonem, tuis precibus, O Beatiſſime Papa Caſtor, nunc impenſius indigemus, ut primum naturas eorum, tam minutas, tam occultas, tamque obſcuras inveſtigare coudignè: deinde cauſas eorum ſufficienter exponere: tertio ut idoneè curationes eorum ac remedia poſſimus inferre: *Ex quibus perſpicuum eſt, optimè poſſe hos quatuor* Inſtitutionum Monaſticarum *libros à reliquis octo ſeparari, quemadmodum & ipſe Caſſianus ſeparavit, utpote exteriorem potius vitæ Monaſticæ cultum exhibentes, quàm interiorem mentis directionem proponentes. Agnoſcimus tamen, omnem hanc doctrinam ad inſtruendos Monachos aptiſſimam, his duodecim libris contentam, ſæpius ſub* unius Tractatus titulo *conſiderari, & ab Auctoribus ad* Inſtituta Cœnobiorum *referri; quod tamen factum eſt ad diſtinguendum hunc* tractatum *ab aliis Caſſiani Operibus, nimirum à* Collationibus Patrum, *& libris de* Incarnatione, *nec ſane huic præſenti ſeparationi præjudicare debet, quod Caſſianus omnes illos duodecim libros* S. Caſtori *Epiſcopo Aptenſi nuncupaverit, quia ſanctiſſimus ille Caſtor, Epiſcopus* Aptæ Juliæ *in Gallia Narbonenſi, volens in ſua Diœceſi introducere vitam Monaſticam, pro novi Monaſterii Monachis*, Inſtitutiones *pro utroque foro, tam* externo, quàm interno *neceſſarias requiſivit, quas quidem diſtinctis voluminibus ſcripto mandavit Caſſianus, prout ex ſupradictis pateſcit, & ipſe preſſiùs in Præfatione ad* Collationes Patrum, *his verbis declarat; duo diſtincta volumina in his duodecim libris contenta aſſerens*: Debitum quod Beatiſſimo Papæ Coſtori in eorum voluminum Præfatione promiſſum eſt, quæ de Inſtitutis Cœnobiorum, & octo Principalium Vitiorum remediis, duodecim libellis Domino adjuvante digeſta ſunt, in quo tenuitas noſtri ſuffecit ingenii, utcunque ſarcitum eſt. *Hæc autem omnia clarius patebunt ex Præfatione ipſis inſtitutis Monaſticis præmiſſa, quam quidem ſimul ac* Inſtituta *quatuor libris comprehenſa hic exhibemus ex eleganti editione Dom. Alardi Gazæi Monachi Benedictini deſumpta, quæ cum ampliſſimis & eruditis Commentariis prodiit primum Attrebati in folio, An. MDCXXVIII. deinde Francofurti An. MDCCXXII. denique Lipſiæ MDCCXXXIII. ſed priusquam ultro progrediamur, pretium operæ ducimus, hanc ſequentem Epiſtolam S. Caſtoris Epiſcopi proferre, quam ex vetuſto Codice Monaſterii* Elnonenſis, *ſive* Amandini, *eruit ſupra laudatus Alardus Gazæus Operum Caſſiani elegantiſſimus Divulgator.*

Epiſtola S. Caſtoris Epiſcopi Aptenſis, ad Domnum Caſſianum Abbatem Maſſilienſem.

DOmino ſanctitatis ſpeciali gratia decorato, atque per omnia memorando: ſed & ſcientiarum decore pollenti, Patri ſcilicet Caſſiano, Caſtor in mundo degentium peripſema, quæ poſſumus ſervitutis humillima. Rationabiliter, Pater, irrationabilibus & elinguibus Pædagogi fomenta ſubveniunt: Quia etſi non æqua omnibus moderatio, oppreſſa humanitare vigere deprehenditur: reſtat tamen, ut his, quibus ſubacta probatur, ſubigat emolumentum. Non enim omnia poſſumus omnes, quia non omnium noſſe certare. Merito enim ſui quiſquam jacturam incurrit, qui ea, quæ potiora capere didicit bona, ſurripere minime * ambigit. Diutina namque ſunt exercitatione premendi, variisque operibus alendi, quibus aliorum operibus diſcretio ſubrogatur. Etenim aliquotiens præſumptor ſua temeritate ſuccumbit, dum neceſſariis uſibus apta ſua incongrua induſtria, incertis moderationibus diſperditur. Nobis vero Idiotis facile per incuriam inepta perſuaderi poſſunt. Te ergo chariſſime Pater, qua poſſumus charitate te prævenimus, quò pia & inexhauſta exuberantia, nihil promere ſapientibus nobis ſubvenias, & quibus præemines exercitiis, ſub quibus præpollens mens, & membra creverant, nos Neophytos & mundialis pompæ acurationibus illectos excitare non differas. Te quidem potiſſimùm Orientalium Cœnobiorum Doctrina expertum tenemus maximéque Ægyptiorum & apud Thebaidem fundatorem: præſertim cum & loca Dominica Nativitate inſignia tua ſint illuſtrata præſentia. Quocirca cum ſis omnium ſtudiorum Catholicorum diſciplina refertus: te quoque convenit nos ſcientiæ inopes non præterire. Poſcimus namque tuam Paternitatem, ut Inſtituta Monaſteriorum, quæ Ægyptum & Palæſtinam florere, ac inſtitui vidiſti, & ſervanda ſanxiſti, & ſicut, ibi à Patribus tradita ſunt, ſimplici ſermone in noſtro rudi Monaſterio adhibere complanata non abnuas, & eloquiorum tuorum Melliflua ſuavitate exuberantia verba diffundens, noſtra diu arentia corda rigare non differas: ex quo abjecta ſterilitate fruges Juſtitiæ valeant pullulare. Unde reor, ſi quid proficere nos poſſibile fuerit, te quoque potiori merito munerandum: ſi paterni laboris obedientia inertium mentes qualemcunque reddiderint habilem ſervitutem. Vale Pater Dei ſervorum, & memento noſtri.

* Satagit.

Cum igitur ex hac ſola Epiſtola omnino conſtet D. Joannem Caſſianum *eximiæ ſanctitatis, & eruditionis fama apud Maſſilienſes floruiſſe, ſic de illo pauca delibabimus ex* ipſis celeberrimi Calmeti obſervationibus Criticis in Regulas Monaſticas *plerumque deſumpta, cum circa ejusdem Patriam & doctrinam, inter eruditos, haud minima verſetur diſceptatio. Et quidem communiter docti eum ex ſcythia oriundum aſſerunt, cum tamen Clariſſimus Holſtenius ex ipſis Caſſiani ſcriptis probet natione* Gallum *& in* Provinciæ *partibus natum, ſic & facile illius ſententiæ ſubſcribimus, nullum enim meliorem judicem ipſo Caſſiano reperire poſſumus, qui ſe in* Provincia *natum, & à teneris educatum aſſerit, prout textus late patentes probant in Præfatione* ad Regularum codicem *adducti. Quod autem doctrinam attinet, fatendum eſt, nonnulla* in Collationibus Patrum *contenta dogmata apertum ſapere Pelagianiſmum, & ideo doctiſſimum meruiſſe impugnatorem, nimirum* S. Proſperum Aquitanum, *qui integrum Volumen* contra Collatorem *argute ſcripſit. Cum verò illa erronea dogmata* in Collatione XIII. *relata circa* Dei gratiam, & liberum arbitrium, *potius ad* Chæremonem *Abbatem referenda ſint, quàm ad ipſum S. Caſſianum; ſic & ipſum alias maximè Orthodoxum optime excuſare debemus. Nam in his præſentibus libris* Inſtitutionum Monaſticarum *de Gratiæ Dei neceſſitate, & liberi arbitrii imbecillitate diſſerens, ita pie & Catholice loquitur, ut ſe ab errore Pelagii alieniſſimum fuiſſe plane demonſtrat. Sed quod Caſſiani Catholicam fidem præcipue probat, eſt, quod, rogatus* à Leone Magno *tunc Eccleſiæ Romanæ Archi-Diacono & poſtea ſummo Pontifice, elegantiſſimum Opus* de Incarnatione Domini *ſeptem libris comprehenſum contra Neſtorium Patriarcham Conſtantinopolitanum exaraverit, in quibus non ſolùm Neſtorianam hæreſim ſed & Pelagianam acerrimè refellit, cùm illam ab hac Originem duxiſſe referat, lib. 7. de Incarn. c. 21.:* Quia ſpinæ ac tribuli ex radicibus emergentes qualitate ſui ſtirpem ſuam produnt, ex eo ipſo quod ſint, indi-

indicant, unde noſcuntur; ita & tu Pelagianæ hæreſeos ſpinoſa ſoboles, idem oſtendis in germine, quod Pater tuus habuiſſe traditur in radice. *Deinde Libro I. ejusdem Operis, Cap. 3. & ſequentibus Pelagianam hæreſim acriter exagitat, atque quemdam* Leporium *Monachum & Presbyterum eâdem hæreſi infectum, & Neſtorio aliquando nimis familiarem, ſed tandem ad Orthodoxam fidem converſum, modeſte Neſtorio in exemplum proponit, cujus quidem converſionem Gennadius de Viris Illuſt. cap. 59. ipſi* S. Caſſiano *refert. Hæc quidem aliaque plura à S. Caſſiani defenſoribus Henrico Cuikio Theologo Lovanienſi & Epiſcopo Ruremundenſi nec non à ſæpe laudato Alardo Gazæo adducta argumenta, perſpicue liberant ſanctiſſimum Abbatem, ab omni hæreſis Pelagianæ ſuſpicione, quorum doctas Annotationes in loca ſuſpecta, in unum collegit, ac operibus ejusdem aſſuit prædictus Gazæus in ampliſſima editione Francofurti dein Lipſiæ facta. Interea S. Caſſianum non levem culpam commiſiſſe agnoſcimus, apud Maſſilienſes Presbyteros propalando Collectionem illam Cheremonis Abbatis, utpote Pelagiani dogmatis fuligine reſperſam, cùm illa tempeſtate, plurimi in illa Gallia parte viri docti, dogmata S. Auguſtini noviter contra Pelagium edita impugnare inſurrexerint, qui proin vel hoc ſolo nomine, tum Gelaſii Papæ cenſuram, tum S. Proſperi reprehenſionem merito incurrit. Verùm his omnibus non obſtantibus hæ* Inſtitutiones Monaſticæ *in modum Regulæ, invaluere non ſolùm in duobus Monaſteriis Maſſilienſibus ab ipſo fundatis, ſed in aliis utriusque ſexûs Cœnobiis, tam apud Hiſpanos, quàm Gallos, præſertim in celeberrimo* Attanenſi, *prout ſupra monſtravimus*; atque Collationes Patrum *in omnibus Monachorum conventibus publicè ſunt receptæ, quarum ſedulam lectionem fratribus ſuis ſummopere recommendat ſanctiſſimus Pater Benedictus in ſua Regula cap.* 73.

Nam S. Joannes Caſſianus *primos ætatis ſuæ annos apud Bethlemiticos Monachos transegit, atque poſtquam celeberrimos Ægypti & Paleſtinæ ſolitarios viſitaverat, Conſtantinopolim petiit, ubi à S. Chryſoſtomo Diaconus ordinatus eſt; ſed ſanctiſſimo Patriarcha in exilium miſſò Romam acceſſit, & ab Innocentio I. Papa in Presbyterum evectus, in Patriam ſeceſſit, ubi* Maſſiliæ *duo Monaſteria unum Virorum, alterum Virginum erexit, in quorum favorem hæc* Inſtituta Monaſtica *condidit, atque colloquia* ſive Collationes Patrum *conſcripſit, verus vitæ Monaſticæ Legislator, ac arctioris diſciplinæ vindex acerrimus. Vixit annos nonaginta ſeptem, Annô CCCCXLVIII. defunctus ac poſt mortem inter Divos relatus, cujus ſacra memoria à Maſſilienſibus & Reienſibus recolitur, quot annis ad diem XXIII. Julii, atque publico Duliæ cultu colitur, prout ex proprio Sanctorum utriusque Diœceſis omnino conſtat. Imo teſte Hugone Menardo in* Regularum Concordia, *pag. 58. Urbanus V. in ſummum Pontificem electus Anno MCCCLII. ſed antea Cœnobii S. Victoris Maſſilienſis Abbas juſſit ſacrum ejus caput thecis argenteis includi, & venerari; adeo de Vitæ ſanctitate hujus piiſſimi Abbatis nullum dubium intervenire debet, atque ſequentes IV. Libri* Inſtitutorum Monaſticorum *ejusdem ſacrum pro propaganda Religioſæ vitæ zelum ſatis ſupérque demonſtrant.*

JOAN-

* * *

JOANNIS CASSIANI PRESBYTERI

Facundiſſimi, & Vetuſtiſſimi Scriptoris
In
Libros de Inſtitutis Cœnobiorum ad Caſtorem Pontificem

PRÆFATIO.

3. Reg. 4. VEteris Inſtrumenti narrat
Hiſtoria, ſapientiſſimum
Salomonem, poſt acce-
ptam divinitus ſapien-
tiam, prudentiamque
multam nimis, & latitudinem cordis
quaſi arenam maris innumerabilem; ita
ut domini teſtimonio nullus ei ſimilis re-
troactis temporibus exſtitiſſe, neque poſt
eum ſurrecturus eſſe dicatur, illud mag-
nificum Domino templum extruere cu-
pientem, alienigenæ Regis Tyri auxilium
popoſciſſe, qui miſſo ad ſe Hyram filio mu-
3. Reg. 7. lieris viduæ, quidquid divina ſapientia
ſuggerente præclarum in templo domini
vel in ſacris vaſis moliebatur, miniſterio
ejus, ac diſpoſitione perfecit. Si ergo
ille universîs regnîs terræ ſublimior Prin-
cipatus, & Iſraelitici generis nobilior,
Ibidem. excellentiórque progenies, illáque ſa-
pientia divinitus inſpirata, quæ cuncto-
rum Orientalium, & Ægyptiorum diſci-
plinas, & inſtituta ſuperabat, nequaquam
pauperis, atque alienigenæ viri conſilium
dedignatur; rectè etiam tu hîs eruditus
exemplîs, beatiſſime Papa Caſtor, ve-
rum, ac rationabile Deo templum, non
lapidibus inſenſibilibus, ſed ſanctorum
virorum congregatione, nec temporale,
& corruptibile, ſed æternum, & inex-
pugnabile ædificare diſponens, vaſa etiam
pretioſiſſima domino cupiens conſecrare,
non multô auri metallô, argentíve
Daniel. 5. conflata, quæ poſt Rex Babylonius ca-
pta concubinarum ſuarum, ac princi-
pum deputet voluptati, ſed animabus
ſanctis, quæ innocentiæ, juſtitiæ, & ca-
ſtitatis integritate fulgentes, regem Chri-
ſtum in ſemetipſis circumferant commo-
rantem, egenum me, omnique ex parte
pauperrimum ad communionem tanti o-
peris dignaris adſciſcere. In provincia
ſiquidem tua Cœnobiorum experte, Ori-
entalium maximéque Ægyptiorum volens
inſtituta fundari, cùm ſis ipſe cunctîs
virtutibûs, ſcientiáque perfectus, & uni-
versîs ita refertus divitiîs ſpiritualibûs,
ut perfectionem quærentibus ſatis abun-
déque non modo tuus ſermo, ſed etiam
ſola vita ſufficiat ad exemplum, me quo-
que elinguem, & pauperem ſermone,
atque ſcientia, ut aliquid ad explemen-
tum tui deſiderii de inopia ſensûs mei
conferam, poſcis, præcipiſque, ut in-
ſtituta monaſteriorum, quæ per Ægy-
ptum, ac Palæſtinam cuſtodiri conſpexi-
mus, ita ùt ibi nobis à patribus tradita
ſunt, quamvis imperitô digeram ſtylô,
non lepôrem ſermonis inquirens, in quo
ipſe adprimè es eruditus, ſed Sanctorum
ſimplicem vitam ſimplici ſermone fratri-
bus in novello monaſterio tuo cupiens
explanari. Cui rei quantùm me pius
ardor deſiderii tui provocat obedire, tan-
tùm multiplices æſtuum moles volentem
obtemperare deterrent. Primùm quia nec
vitæ meæ ita æquiparant merita, ut con-
fidam, me res tam arduas, tam obſcu-
ras, tam ſanctas dignè poſſe animô ac
mente complecti. Secundò quòd ea,
quæ à pueritia noſtra inter eosdem con-
ſtituti, atque ipſorum incitati quotidianis
adhortationibus, & exemplis vel agere
tentavimus, vel didicimus, vel viſu
percepimus, minimè jam poſſumus ad in-
tegrum retinere tot annorum circulis ab
eorum conſortio & imitatione converſa-
tionis abſtracti; præſertim cùm harum
rerum ratio nequaquam poſſit otioſa me-
ditatione, doctrináque verborum vel

tradi, vel intelligi, vel memoria contineri; totum namque in ſola experientia conſiſtit. Et quemadmodum tradi niſi ab experto non queunt, ita nec percipi quidem, vel intelligi, niſi ab eo, qui ea pari ſtudio ac ſudore apprehendere elaboraverit, poſſunt; quæ tamen ſi collatione jugi ſpiritualium virorum frequenter diſcuſſa non fuerint, & polita, citò rurſum mentis incuriâ dilabuntur. Tertiò quia id ipſum quod utcunque non pro merito rei, ſed pro præſentis temporis ſtatu poſſumus reminiſci, imperitior ſermo congruè non valet explicare. Huc accedit, quòd ſuper hac re viri & vitâ nobiles & ſermone ſcientiáque præclari multa jam opuſcula deſudârunt, S. Baſilium, & Hieronymum dico, alióſque nonnullos, quorum anterior ſciſcitantibus fratribus ſuper diverſis inſtitutis vel quæſtionibus non ſolùm facundo, verùm etiam divinarum ſcripturarum teſtimoniis copioſo ſermone reſpondit. Alius verò non ſolùm ſuo elucubratus ingenio edidit libros, verùm etiam Græcâ linguâ digeſtos in Latinum vertit eloquium: poſt quorum tam eruberantia eloquentiæ flumina poſſem non immeritò præſumptionis notari, ſi aliquid ſtillicidii hujus inſerre tentâſſem; niſi me ad hæc fiducia tuæ ſanctitatis animaret & ſponſio, quòd vel tibi hæ nugæ ſorent acceptæ, qualeſcunque ſint; vel eas congregationi fratrum in novello tantum monaſterio commorantium deputares. Qui, ſi quid à nobis minus forſitan cautè prolatum fuerit, & piè relegant, & cum veniâ indulgentiore ſuſtentent, fidem potiùs mei ſermonis, quàm venuſtatem eloquii requirentes. Quapropter beatiſſime Pater unicum religionis, & humilitatis exemplar tuîs precibûs animatus ſecundùm vires ingenii mei opus, quod injungis, aggrediar, & ea, quæ omnimodîs intacta relicta ſunt ab anterioribus noſtris, utpote qui audita potiùs, quàm experta deſcribere tentaverunt, velut rudi monaſterio, & veritatem ſitientibus intimabo. Nec planè mirabilium Dei ſignorúmque narrationem ſtudebo contexere: quæ quamvis multa per ſeniores noſtros & incredibilia non ſolùm audiêrimus, verùm etiam ſub obtutibus noſtris perſpexerimus impleta: tamen hîs omnibûs, quæ legentibus præter admirationem nihil amplius ad inſtructionem perfectæ vitæ conferunt, inſtituta eorum tantummodo ac monaſteriorum regulas, maximéque principalium vitiorum, quæ octo ab eis deſignantur, origines, & cauſas, curationéſque ſecundùm traditiones eorum, quantùm Domino adjuvante potuero, fideliter explicare contendam. Propoſitum ſiquidem mihi eſt, non de mirabilibus Dei, ſed de correctione morum noſtrorum, & conſummatione vitæ perfectæ, ſecundùm ea, quæ à ſenioribus noſtris accepimus, pauca diſſerere. In eo quoque præceptis tuis ſatisfacere ſtudebo, ut ſi quid forte non ſecundùm typum majorum antiquiſſima conſtitutione fundatum, ſed pro arbitrio uniuscujusque inſtituentis monaſterium, vel diminutum, vel additum in iſtis regionibus comprobavero; ſecundùm eam, quam vidimus, monaſteriorum Regulam per Ægyptum, per Palæſtinam antiquitus fundatorum, fideli ſermone vel adjiciam, vel recidam. * Nequaquam credens rationabilius quippiam, vel perſectius conſtitutionem novellam in occiduis Galliarum partibus reperire potuiſſe, quam illa ſint inſtituta, in quibus ab exordio prædicationis Apoſtolicæ à ſanctis ac ſpiritualibus patribus fundata monaſteria ad nos usque perdurant. Illam ſanè moderationem opuſculo huic inſerere præſumam, ut ea, quæ ſecundùm Ægyptiorum regulam ſeu pro aſperitate aërum, ſeu pro difficultate ac diverſitate morum impoſſibilia in his regionibus, vel dura, vel ardua comprobavero inſtitutis monaſteriorum, per quæ Palæſtinam vel Meſopotamiam habentur, aliquatenus temperem: quia ſi rationabilis poſſibilium menſura ſervetur, eadem obſervantiæ perfectio eſt etiam, in impari facultate.

*al. reſcind.

De Inſtitutis Cœnobiorum.

Liber I.

CAPUT I.

De habitu Monachi.

DE Inſtitutis ac regulis monaſteriorum dicturi unde competentius, donante Deo, quàm ab ipſo habitu Monachorum ſumemus exordium? Quorum interiorem cultum conſequenter tunc poterimus exponere, cùm exteriorem ornatum ſub oculorum depinxerimus obtutibus.

CAPUT

CAPUT II.

De cingulo Monachi.

Luc. 12. ITaque Monachum ùt militem Chriſti
in procinctu ſemper belli poſitum ac-
cinctîs lumbîs jugiter oportet incedere.
Hoc enim habitu etiam illos ambulâſſe,
qui in veteri teſtamento profeſſionis hujus
fundavêre primordia, Eliam ſcilicet, &
Eliſæum, divinarum ſcripturarum aucto-
ritate monſtratur; ac deinceps principes,
auctoréſque Teſtamenti novi Joannem
videlicet, Petrum, & Paulum, cæteróſ-
que ejusdem ordinis viros taliter inceſſiſſe
cognoſcimus. Quorum prior qui in ve-
teri Teſtamento virginitatis jam flores,
& caſtimoniæ, continentiæque præfigu-
rabat exempla, cùm fuiſſet à Domino
miſſus ad increpandos nuntios Ochoziæ
ſacrilegi Regis Iſrael, eoquod ægritudine
præpeditus ſuper ſtatu ſalutis ſuæ Beelze-
bub Deum Accaron conſulere deſtinâſſet,
& idcirco eis occurrens idem Propheta
deſcenſum de lecto ejus, in quo concide-
rat, denegâſſet, decumbenti Regi expo-
ſita veſtitûs qualitate compertus eſt. Re-
verſos enim ad ſe nuncios, ac referentes
4. Reg. 1. ſibi Prophetæ ſententiam ſciſcitatus eſt,
cujus eſſet figuræ & habitûs vir, qui oc-
curriſſet eis, & locutus fuiſſet hujusce-
modi verba: Vir, inquiunt, piloſus, &
zonâ pelliceâ accinctus renibus, ex quo
habitu confeſtim Rex contemplatus ho-
minem Dei ait: Elias Thesbites eſt;
Zonæ videlicet indicio, & hirti, inculti-
que corporis ſpecie virum Dei indubi-
tanter agnoſcens: eo quod iſtud ei inter
tot Iſraelitici populi millia commoranti,
cultûs proprii velut quoddam, impreſ-
ſum ſpeciale ſignum perpetuò cohæreret.
De Joanne quoque, qui veteris, novique Matth. 3.
Teſtamenti velut quidam Sacratiſſimus li-
mes, finis, initiúmque proceſſit, ita E-
vangeliſta narrante cognoſcimus. Ipſe
autem Joannes habebat veſtimentum de
pilis camelorum, & Zonam pelliceam
circa lumbos ſuos. Petro etiam in cuſto-
diam carceris ab Herode detruſo & ad
necem die poſterô producendo, Angelo aſ- Act. 12.
ſiſtente, præcipitur: Præcingere, & cal-
cea te calligas tuas. Quod, ut faceret,
nequaquam monuiſſet eum Angelus Dei,
niſi vidiſſet, eum ob refectionem noctur-
næ quietis pauliſper defecta membra ſo-
lita cinguli obſtrictione laxâſſe. Paulum
quoque aſcendentem Hieroſolymam, &
protinus à Judæis in vincula mittendum
Agabus Propheta reperiens Cæſareæ ſub- Act. 21.
latô ejus cingulô manus ſuas ligans ac
pedes, ut geſtu corporis ſui paſſionis ejus
præfiguraret injurias, ait: Hæc dicit ſpi-
ritus ſanctus: Virum, cujus eſt Zona
hæc, ſic alligabunt Judæi in Jeruſalem,
& tradent in manus gentium. Quod uti-
que à Propheta proferri minimè potuiſſet,
& dici, virum, cujus eſt Zona hæc, niſi
Paulus eam lumbis ſuis indeſinenter ſoli-
tus fuit aptare.

CAPUT III.

De veſte Monachi.

VEſtis quoque ſit Monachi, quæ corpus
contegat tantùm, & repellat nudita-
tis verecundiam, & frigoris retundat in-
juriam: non quæ ſeminaria vanitatis aut
elationis enutriat, ita eodem Apoſtolo
1. Tim. 6. prædicante: habentes autem alimenta, &
operimenta, hîs contenti ſimus. Operi-
menta, inquiens, non veſtimenta, ut in
quibusdam latinis exemplaribus non pro-
priè continetur, id eſt, quæ corpus ope-
riant tantùm, non quæ amictûs gloriâ
blandiantur, ita vilia, ut nulla coloris,
vel habitûs novitate inter cæteros hujus
propoſiti viros habeantur inſignia: ita
ſtudioſîs accurrationibûs aliena, ut nul-
lis rurſum ſint affectatîs per incuriam ſor-
dibûs decolorata. Poſtremò ſic hujus mun-
di ſeparentur ornatu, ut cultui ſervorum
Dei in omnibus communia perſeverent.
Quidquid enim inter famulos Dei præſu-
mitur ab uno vel paucis, nec Catholicè
per omne corpus Fraternitatis tenetur,
aut ſuperfluum aut elatum eſt, & ob id
noxium judicandum eſt, magisque ſpe-
ciem vanitatis, quàm virtutis oſtentans.
Et idcirco hæc, quæ nec à veteribus ſan-
ctis, qui hujus profeſſionis fundamenta
jecerunt, neque à patribus noſtri tempo-
ris, qui eorum per Succeſſiones inſtituta
nuncusque cuſtodiunt, tradita videmus
exempla, ut ſuperflua & inutilia nos quo-
que reſecare conveniet. Quamobrem ci-
licinam veſtem, velut circumſpectam à
cunctis, atque notabilem, & quæ ex hoc
ipſo non ſolùm nulla ſpiritui poſſit emo-
lumenta conferre, ſed etiam elationis
concipere vanitatem, quæque ad neceſ-
ſarii operis exercitium, in quo Mona-
chum ſemper impigrum, expeditúmque
oportet incedere, inhabilis, atque inepta
ſit,

ſit, omnimodis refutarunt. Quod ſi quosdam hoc amictu circumdatos audivimus probabiles exſtitiſſe, non ex eo nobis Monaſteriorum eſt Regula ſancienda, vel antiqua ſanctorum Patrum ſunt perturbanda decreta, quòd pauci præſumentes aliarum virtutum privilegiô ne in his quidem, quæ non ſecundùm Catholicam Regulam ab eis uſurpata ſunt, reprehendi debere creduntur. Generali namque omnium conſtitutioni paucorum non debet præponi nec præjudicare ſententia, illis enim debemus inſtitutis ac regulis indubitatam fidem, & indiſcuſſam obedientiam per omnia commodare, non quas paucorum voluntas intulit, ſed quas vetuſtas tantorum temporum, & numeroſitas ſanctorum Patrum concordi definitione in poſterum propagavit. Nec hoc ſanè præjudicare nobis debet ad quotidianæ converſationis exemplum, quod vel Joram ſacrilegus Rex Iſrael catervîs 4. Reg. 6.
hoſtium circumſeptus ſciſsâ veſte, cilicium habuiſſe perhibetur intrinſecus, vel quod Ninivitæ ad mitigandam Dei ſen- Jonæ 3.
tentiam, quæ in eos lata fuerat per Prophetam, cilicii aſperitate velati ſunt, cùm & ille ita intrinſecus latenter indutus eô fuiſſe monſtretur, ut niſi ſciſsô deſuper indumentô à nemine prorſus potuiſſet intelligi, & iſti eo tempore operimentum cilicii oſtentarent, quô cunctîs ſuper imminente urbis everſione Lugentibûs, eodémque amictu circumdatîs nullus poſſet à quoquam * oſtentatione notari quia * al. oſtenta-
niſi inſolens ſit diverſitas, non offendit tionis.
inæqualitas.

CAPUT IV.

De cucullis Ægyptiorum.

SUnt præterea quædam in ipſo Ægyptiorum habitu non tantùm ad curam corporis, quantùm ad morum formulam congruentia, quò ſimplicitatis, & innocentiæ obſervantia, etiam in ipſa veſtitûs qualitate teneatur. Cucullîs namque perparvîs uſque ad cervicis, humerorúmque demiſsîs confinia, quibûs tantùm capita contegant, indeſinenter diebûs utuntur ac noctibûs, ſcilicet ut innocentiam & ſimplicitatem parvulorum jugiter cuſtodire etiam imitatione ipſius velaminis commoveantur, qui reverſi ad infantiam Chriſti cunctîs horîs cum affectu, ac virtute decantant: Domine non eſt Pſalm. 130
exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me; ſi non humiliter ſentiebam, ſed exaltavi animam meam: ſicut ablactatus eſt ſuper matre ſua.

CAPUT V.

De colobiis Ægyptiorum.

COlobiîs quoque lineîs inducti, quæ vix ad cubitorum ima pertingunt, nudas de reliquo circumferunt manus, ut amputatos habere eos actus, & opera mundi hujus, ſuggerat abſciſſio manicarum, & ab omni converſatione terrena mortificatos eos velaminis linei doceat indumentum, audiántque per hoc Apoſtolum quotidie dicentem ſibi: mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram. Illud quoque ipſo habitu proteſtante, Mortui enim eſtis, & vita ve- Coloſſ. 3.
ſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo: & Ibidem.
iterum: Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. Mihi quidem Galat. 2.
mundus crucifixus eſt, & ego mundo.

CAPUT VI.

De rebrachiatoriis.

GEſtant etiam reſticulas duplices laneo plexas ſubtegmine, quas Græci ἀναβολὰς, nos verò ſuccinctoria ſeu redimicula, vel propriè rebrachiatoria poſſumus appellare, quæ deſcendentia per ſumma cervicis, & è lateribus colli diviſa utrarumque alarum ſinus ambiunt, atque hinc inde ſuccingunt, ut conſtringentia latitudinem Veſtimenti ad corpus contrahant, atque conjungant, & ita conſtrictîs brachiîs impigri ad omne opus, expeditique reddantur illud Apoſtoli præ- Act. 20.
ceptum ſtudentes omni virtute complere: quia non ſolùm mihi ſed etiam his, qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ, neque gratis panem ab aliquo manducavimus, ſed in labore & fatigatione nocte ac die operantes, ne quem veſtrûm gravaremus, &, ſi quis non vult opera- 2. Theſ. 3.
ri, nec manducet.

CAPUT

CAPUT VII.

De Maſortibus eorum.

POſt hæc anguſtô palliolô tam amictûs humilitatem, quàm vilitatem pretii, compendiúmque ſectantes colla pariter, atque humeros tegunt, quæ maſortes tam noſtrô, quàm ipſorum nuncupantur eloquio, & ita planeticarum atque birrorum pretia ſimul ambitionémque declinant.

CAPUT VIII.

De Melote & pelle Caprina.

ULtimus eſt habitus eorum pellis caprina, quæ melotes, vel pera appellatur, & baculus, quæ geſtant ad imitationem eorum, qui profeſſionis hujus præfiguravêre lineas in veteri teſtamento,
Hebr. 11. de quibus Apoſtolus, circumiêrunt, inquit, in melotis & pellibus caprinis egentes, anguſtiati, afflicti, quibûs dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, & in montibus & in ſpeluncis, & in cavernis terræ. Qui tamen habitus pellis capriuæ ſignificat, mortificatâ omni petulantia carnalium paſſionum debere eos in ſumma virtutum gravitate conſiſtere, nec quidquam petulcum, vel calidum juventutis, ac mobilitatis antiquæ in eorum corpore reſidere.

CAPUT IX.

De baculo.

NAm & baculum geſtâſſe eosdem viros,
4. Reg. 4. etiam Eliſæus, qui unus ex ipſis eſt, docet, cùm dicit ad Giezi puerum ſuum mittens eum ad ſuſcitandum filium mulieris: Tolle baculum meum, & currens vade, pone eum ſuper faciem pueri, ut vivat. Quem utique non dediſſet ei Propheta geſtandum, niſi eum manu ſuâ ſolitus eſſet jugiter circumferre; cujus geſtatio ſpiritualiter monet, nunquam debere eos inter tot oblatrantes vitiorum canes, & inviſibiles nequitiarum ſpiritualium beſtias inermes incedere (de quibus beatus David liberari poſtulans di- Pſalm. 73.
cit: Ne tradas domine beſtiis animam confitentem tibi) ſed irruentes eas retundere crucis ſignaculo, ac longiùs propulſare, atque adversùm ſe ſævientes jugi memoriâ dominicæ Paſſionis, & imitatione illius mortificationis extinguere.

CAPUT X.

De calceamentis eorum.

CAlceamenta verò velut interdicta Evangelicô præceptô recuſantes, cùm infirmitas corporis, vel matutinus hyemis rigor, ſeu meridiani æſtûs fervor exegerit, tantummodo caligis ſuos muniunt pedes, hoc interpretantes uſu earum vel dominica permiſſione ſignati, ut ſi in hoc mundo conſtituti cura & ſolicitudine carnis hujus omnimodis exuti eſſe non poſſumus, nec ab ea penitus prævalemus abſolvi; ſaltem occupatione levi, & implicatione tenui neceſſitatem corporis explicemus, néve animæ noſtræ pedes, qui expediti ad ſpiritualem curſum, & prædicandam Evangelii pacem, ſemper eſſe debent parati (quibus poſt odorem
Cant. 1. ungnentorum Chriſti currimus, & de qui-
Pſalm. 61. bus David, cucurri, inquit, in ſiti, & Jeremias: Ego autem non laboravi te ſe- Jerem. 17.
quens) morticinîs hujus ſæculi curîs patiamur involvi, de his ſcilicet cogitantes, quæ non ad ſupplendam neceſſitatem naturæ, ſed ad ſuperfluam, noxiámque pertinent voluptatem. Quod ita implebimus, ſi ſecundùm Apoſtolum car- Rom. 13.
nis curam non fecerimus in deſideriis; quibus tamen caligîs quanquam licitò utantur, utpote Domini mandatô conceſſîs nequaquam tamen pedibus eas inhærere permittant, cùm accedunt ad celebranda, ſeu percipienda ſacroſancta myſteria, illud æſtimantes etiam ſecundùm litteram cuſtodiri debere, quod dicitur ad Moyſen vel ad JEſum filium Nave: Solve Exod. 3.
corrigiam calceamenti tui; locus enim, Joſue 5.
in quo ſtas, terra ſancta eſt.

Liber II.

De Canonico Nocturnarum Orationum, & Pſalmorum modo.

CAPUT I.

DUplici igitur hôc, quod diximus, cingulo Chriſti miles accinctus interim qui modus canonicarum orationum, Pſalmorúmque ſit, in partibus Orientis à ſanctis Patribus antiquitus ſtatutus, agnoſcat. De qualitate verò earum, vel quemadmodum orare ſecundùm Apoſtoli ſententiam ſine intermiſſione poſſumus, 1. Theſ. 5. ſuis in locis, cùm Seniorum Collationes ceperimus exponere, quantùm Dominus dederit, proferemus.

CAPUT II.

De diverſitate numeri, qui ad decantandos Pſalmos per univerſas provincias ſit ſtatutus.

MUltos namque comperimus per alias regiones pro captu mentis ſuæ habentes quidem, ùt ait Apoſtolus, Zelum
Rom. 10. Dei, ſed non ſecundùm ſcientiam, ſuper hac re diverſos typos ac Regulas ſibimet conſtituiſſe. Quidam enim vicenos, ſeu tricenos Pſalmos, & hos ipſos Antiphonarũ protelatos melodiis & adjunctione quarundã modulationũ debere dici ſingulis noctibùs cenſuerunt. Alii hunc modum etiam excedere tentaverunt. Nonnulli decem & octo; atque in hunc modum diverſis in locis diverſum canonem agnovimus inſtitutum, tótque propemodum typos, ac regulas vidimus uſurpatas, quot etiam monaſteria, cellásque conſpeximus. Sunt, quibus in ipſis quoque diurnis orationum officiis, id eſt, Tertia, Sexta, Nonáque id viſum eſt, ut ſecundùm horarum modum, in quibus hæc Domino redduntur obſequia, pſalmorum etiam & orationum putarent numerum coæquandum: Nonnullis placuit ſenarium numerum ſingulis diei conventibus deputari. Quapropter neceſſarium reor, antiquiſſimam Patrum proferre in medium conſtitutionem, quæ nunc uſque per totam Ægyptum à Dei famulis cuſtoditur, quò novelli monaſterii in Chriſto rudis infantia antiquiſſimorum potiùs Patrum vetuſtiſſimis inſtitutionibùs imbuatur.

CAPUT III.

De uniformis Regulæ per totam Ægyptum cuſtodia, & de Electione eorum, qui fratribus præponuntur.

ITaque per univerſam Ægyptum, & Thebaidem, ubi monaſteria non pro uniuſcujuſque renuntiantis inſtituuntur arbitrio, ſed per ſucceſſiones, ac Traditiones majorum uſque in hodiernum diem vel permanent, vel manſura fundantur, legitimum orationum modum in Veſpertinis conventibus, ſeu nocturnis Vigiliis vidimus retentari. Non enim quiſquam conventiculo fratrum, ſed ne ſibi quidem ipſi præeſſe conceditur, priuſquam non ſolùm univerſis facultatibus ſuis reddatur externus, ſed ne ſui quidem ipſius ſe eſſe Dominum, vel poteſtatem habere cognoſcat. Ita namque renuntiantem huic mundo quibuslibet facultatibus, ac divitiis præditum neceſſe eſt cœnobii commorationem expetere, ut in nullo ſibi ex his, quæ reliquit, aut intulit monaſterio, blandiatur: Sic obedire cunctis, ut redeundum ſibi ſecundùm ſententiam Domini ad infantiam priſtinam noverit, nihil Matth. 18. ſibi conſideratione ævi, vel annorum numeroſitate præſummens, quam in ſæculo inaniter conſumptam ſe reputat perdidiſſe; ſed pro rudimentorum merito, & Tyrocinii novitate, quam ſe gerere in Chriſti militia recognoſcit, ſubdere ſe etiam junioribus non moretur; operis quoque & ſudoris aſſuetudinem ita ſubire compellitur, ut propriis manibùs juxta Apoſtoli præceptum quotidianum victum, vel ſuis uſibus, vel advenientiũ neceſſitatibus præparans, & faſtus vitæ præteritæ poſſit, & delicias oblivíſci, & humilitatem cordis contritione laboris acquirere, ideóque nullus congregationi fratrum præfuturus eligitur, priuſquam idem,

qui

qui præficiendus eſt, quid obtemperaturis oporteat imperari, obediendò didicerit, & quid junioribus tradere debeat, inſtitutis ſeniorum fuerit aſſecutus. Bene enim regere, vel regi, ſapientis eſſe pronunciant, ſummúmque donum, & gratiam S. Spiritûs eſſe definiunt. Nam neque ſalutaria præcepta quempiam poſſe obtemperantibus præſtituere niſi eum, qui priùs universis virtutum diſciplinis fuerit inſtructus, nec obedire quemquam ſeniori poſſe, niſi eum, qui conſummatus timore Dei, & humilitatis fuerit virtute perfectus. Ideóque diverſitates Typorum, ac Regularum per cæteras provincias cernimus uſurpatas, quod plerumque ſeniorum inſtitutionis expertes monaſteriis præeſſe audemus, & Abbates nos, antequã Diſcipulos profeſſi, quod libitum fuerit, ſtatuimus; Promptiores noſtrorũ inventorum exigere cuſtodiam, quàm examinatam majorum ſervare doctrinam. Sed dum orationum modum, qui potiſſimùm debeat cuſtodiri, volumus explicare inſtitutis Patrum avidiùs provocati narrationem, quam ſuis reſervabamus Locis, propero exceſſu prævenimus. Nunc itaque ad propoſitum revertamur.

CAPUT IV.

Quod per univerſam Ægyptum, & Thebaïdem duodenarius pſalmorum numerus obſervetur.

IGitur per univerſam, ùt diximus, Ægyptum & Thebaïdem duodenarius Pſalmorum numerus tam in Veſpertinis, quàm in nocturnis ſolennitatibus cuſtoditur, ita duntaxat, ut poſt hunc duæ Lectiones veteris ſcilicet, ac novi Teſtamenti ſingulæ ſubſequantur. Qui modus antiquitus conſtitutus idcirco per tot ſæcula penes cuncta illarum provinciarum monaſteria intemeratus nunc usque perdurat, quia non humana adinventione ſtatutus à ſenioribus affirmatur, ſed cælitus Angeli Magiſteriô Patribus fuiſſe delatus.

CAPUT V.

De Duodenario Pſalmorum numero Angeli traditione ſuſcepto.

NAm cùm in primordiis fidei pauci quidem, ſed probatiſſimi, Monachorum nomine cenſerentur, qui ſicut à beatæ memoriæ Evangeliſta Marco, qui ptimus Alexandrinæ Urbi Pontifex præfuit, normam ſuſcepêre vivendi, non ſolùm illa magnifica retinebant, quæ primitus Eccleſiam, vel credentium turbas in actibus Apoſtolorum legimus celebrâſſe (Multitudinis ſcilicet credentium erat cor unum, & anima una: nec quisquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia: quotquot enim poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum: dividebatur autem ſingulis, prout opus erat) verùm etiam his multò ſublimiora cumulaverant. Etenim ſecedentes in ſecretiora ſuburbiorum loca agebant vitam tanto abſtinentiæ rigore diſtrictam, ut etiam his, qui erant religionis externæ, ſtupori eſſet tam ardua converſationis eorum profeſſio. Eo enim fervore Scripturarum divinarum Lectionibus, orationique & operi manuum diebûs ac noctibûs incubabant, ut nec eſcarum quidem appetitus, vel memoria, niſi aliô, tertióve die corporis interpellaret inediam, cibúmque ac potum non tam deſideratum, quàm neceſſarium ſumerent, & ne hunc quidem ante ſolis occaſum, ut tempus Lucis cum ſpiritualium meditationũ ſtudiis, curam verò corporis cum nocte ſociarent, aliáque his multò ſublimiora perficerent. De quibus etiam is, qui minùs indigenarũ relatione cognovit, Eccleſiaſticâ Hiſtoriâ poterit edoceri. Eâ igitur tempeſtate, cùm Eccleſiæ illius primitivæ perfectio penes ſucceſſores ſuos adhuc recentî memoriâ inviolata duraret, fervénsque paucorum fides necdum in multitudinem diſperſa tepuiſſet; Venerabiles Patres pervigili curâ poſteris conſulentes, quinam modus quotidiano cultui per univerſum fraternitatis corpus decerni deberet, tractaturi conveniunt, ut hæreditatem pietatis ac pacis etiam ſucceſſoribus ſuis abſolutam ab omni diſſenſionis lite tranſmitterent; verentes ſcilicet, ne qua in quotidianis ſolemnitatibus inter viros ejusdem culturæ conſortes diſſonantia, vel varietas exorta, quandoque in poſterum erroris, vel æmulationis, ſeu ſchismatis noxium germen emitteret. Cúmque pro ſuo unusquisque fervore infirmitatis immemor alienæ id ſtatui debere cenſeret, quod con-

Act. 4.

contemplatione fidei, ac roboris ſui facillimum jndicabat, parùm diſcutiens, quid generaliter plenitudini fratrum poſſibile eſſet, in qua neceſſe eſt infirmorum quoque partem maximá reperiri, diversóque modô enormem pſalmorum numerum inſtituere pro animi ſui virtute certarent, & alii quinquagenos, alii Sexagenos Pſalmos nonnulli verò ne hôc quidem numerô contenti excedi eum debere cenſerent, eſſétque inter eos pro religionis Regula piæ contentionis ſancta diverſitas, ita ut tempus ſolemnitatis Veſpertinæ ſacratiſſimæ ſuccederet quæſtioni, quotidianos Orationum ritus volentibus celebrare unus in medium Pſalmos in Domino cantaturus exſurgit. Cúmque ſedentibûs cunctìs, ùt eſt moris nunc usque in Ægypti partibus, & in pſallentis verba omni attentione defixîs, undecim Pſalmos Orationum interjectione diſtinctos contiquîs verſibûs parili pronuntiatione cantâſſet, duodecimum ſub Alleluja Reſponſione conſummans, ab univerſorum oculis repente ſubtractus, quæſtioni pariter, & cæremoniis finem impoſuit.

CAPUT VI.

De conſuetudine duodecim Orationum.

EX hinc Venerabilis Patrum Senatus intelligens Angeli magiſterio Congregationibus Fratrum generalem canonem non ſine diſpenſatione Domini conſtitutum, decrevit hunc numerum tam in Veſpertinis, quàm in Nocturnis conventiculis cuſtodiri, quibus Lectiones geminas adjungentes, Id eſt, unam veteris, & aliam novi Teſtamenti, tanquam à ſe eas traditas, & velut extraordinarias volentibus tantùm, ac divinarum Scripturarum memoriam poſſidere aſſidua meditatione ſtudentibus addiderunt; In die verò Sabbathi, vel Dominico utrasque de novo recitant Teſtamento, Id eſt, unam de Apoſtolo, vel Actibus Apoſtolorum, & aliam de Evangeliis. Quod etiam totis Quinquageſimæ diebus faciunt hi, quibus lectio curæ eſt, ſeu memoria Scripturarum.

CAPUT VII.

De diſciplina orandi.

HAs igitur prædictas orationes hôc modô incipiunt, atque conſummant, ut finitô Pſalmo non ſtatim ad incurvationem genuum corruant, quemadmodum facimus in hac regione nonnulli, qui necdum bene finitô Pſalmô in Orationem procumbere feſtinamus ad * celeritatem miſſæ quantocyus properantes. Cujus, dum volumus excedere modum, qui antiquitus à majoribus ſtatutus eſt, ſupputantes reſiduorum Pſalmorum numerum ad finem tendere perurgemus, de refectione potiùs laſſi corporis cogitantes, quàm orationis utilitatem & commoda requirentes. Apud illos ergo non ita eſt; ſed antequam flectant genua, pauliſper orant, & ſtantes in ſupplicatione majorem temporis partem expendunt. Itaque poſt hæc punctô breviſſimô procidentes humi, velut adorantes tantùm divinam clementiam, ſummâ velocitate conſurgunt, ac rurſus erecti expansîs manibus eôdem modô, quô priùs ſtantes oraverant, ſuis precibus intentiùs immorantur. Humi namque diutiùs procumbentem non ſolùm cogitationibus ajunt, verùm etiam ſomno graviùs impugnari. Quod etiam nos verum eſſe utinam non experimentis, & quotidiana conſuetudine noſceremus, qui ſæpenumero hanc eandem Incurvationem membrorum, non tam orationis, quàm refectionis obtentu in terram proſtrati optamus diutiùs prolongari. Cùm autem is, qui orationem collecturus eſt, è terra ſurrexit, omnes pariter eriguntur, ita ut nullus, nec antequam Inclinetur ille, genu flectere, nec cùm è terra ſurrexerit, remorari præſumat, ne non tam ſecutus fuiſſe illius concluſionem, qui precem colligit, quàm ſuam celebraſſe credatur.

* Id eſt, ad finem, ſeu accelerationem divini officii.

CAPUT

CAPUT VIII.

De ſubſequente Oratione poſt Pſalmum.

Illud etiam, quod in hac provincia vidimus, ut uno cantante in clauſula Pſalmi omnes aſtantes concinant cum clamore Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, nuſquam per omnem Orientem audivimus, ſed cum omnium ſilentio ab eo, qui cantat, finitô pſalmô orationem ſuccedere. Hac verò glotificatione Trinitatis tantummodo ſolere Antiphonam terminari.

CAPUT IX.

De qualitate Orationum.

Et quia nos ad orationum canonicarum modum conſequenter inſtitutorum ordo provexit, quarum pleniorem tractatum licet in collationes Seniorum teſervemus ibidem pleniùs digeſturi, cùm de earum qualitate ac jugitate verbis eorũ diſſerere cœperimus: neceſſarium tamen reor pro opportunitate loci, ac narrationis ipſius, quoniam ita ſeſe obtulit occaſio, etiam in præſenti pauca perſtringere, ut formantes interim exterioris hominis motus, & velut quædam nunc orationis fundamenta jacientes minore poſt hæc labore, cùm cœperimus de ſtatu interioris hominis diſputare, orationum quoque ejus faſtigia conſtruamus; illud ante omnia providentes, ut ſi nos ab illa narratione, quam cupimus opportunè Deo volente eligere, præveniens vitæ noſtræ finis excluſerit, vel initia vobis rei præſertim tam neceſſariæ hoc opere relinquamus, quibus pro ardore deſiderii totum tardum eſt, ut dum nobis hujus commorationis tribuuntur induciæ, ſaltem quaſdam tantiſper otationum vobis lineas præſignemus, quibûs hi vel maximè, qui in cœnobiis commorantur, valeant aliquatenus informari. Simul etiam proſpicientes his, qui forſitan huic tantummodo occurſuri libro ad illum pervenire uon poterunt, ut inſtructione hujus ergà orationis qualitatem vel ex parte reperiantur imbuti, & quemadmodum ſunt de habitu & amictu exterioris hominis inſtituti, ita etiam, qualiter eum ad offerenda ſpiritualia ſacrificia debeant exhibere, non neſciant. Siquidem hi libelli, quos in præſenti cudere Domino adjuvante diſponimus, ad exterioris hominis obſervantiam, & inſtitutionem cœnobiorum competentiùs aptabuntur; illi verò ad diſciplinam interioris, ac perfectionem cordis, & Anachoretarum vitam atque doctrinam potiùs pertinebunt.

CAPUT X.

Quantò ſilentiô, & brevitate orationes apud Ægyptios colligantur.

Cum igitur prædictas ſolemnitates, quas illi Synaxes vocant, celebraturi conveniunt, tantum à cunctis ſilentium præbetur, ut, cùm in unum tam innumeroſa fratrum multitudo conveniat, præter illum, qui conſurgens pſalmum decantat in medio nullus hominum penitus adeſſe credatur: ac præcipuè cùm conſummatur oratio, in qua non ſputum emittitur, non excreatio obſtrepit, non tuſſis interſonat, non oſcitatio ſomnolenta diſſutis, malis, & hiantibus trahitur, nulli gemitus, nulla ſuſpitia etiam aſtantes impeditura promuntur, nulla vox abſque Sacerdotis precem concludentis auditur, niſi forte hæc, quæ per exceſſum mentis clauſtra oris effugerit, quæque inſenſibiliter cordi obrepſerit immoderatô ſcilicer, atque intolerabili ſpiritûs fervore ſuccensò, dum ea, quæ ignita mens in ſemetipſa non prævalet contiuere, per ineffabilem quendam gemitum ex intimis pectoris ſui conclavibus evaporare conatur. Illum verò, qui conſtitutus in tepore mentis cum clamore ſupplicat, aut aliquid horum, quæ prædiximus, è faucibus ſuis emittit, aut præcipuè oſcitationibus prævenitur, dupliciter peccare pronuntiant. Primò, quòd orationis ſuæ reus ſit, quòd eam videlicet negligenter offerat Deo. Secundò quòd indiſciplinato ſtrepitu alterius quoque, qui forſitan interius orare potuit, intercipit ſenſum. Ideóque præcipiunt, eam celeri fine concludi, ne forte immorantibus nobis in ea redundantia quædam ſputi ſeu phlegmatis interrumpat noſtræ orationis exceſſum. Et idcirco dum adhuc fervet, velut è faucibus inimici velociter rapienda eſt. Qui procul dubio,

dubio, cùm ſit nobis ſemper infeſtus, tum maximè adſiſtit infeſtior, cùm contra ſe offerre nos preces Domino velle perviderit, cogitationibûs, ſeu diverſis humoribûs excitatis abducere mentem noſtram à ſupplicationis intentione feſtinans, & per hoc eam tepefacere à cœpto fervore contendens. Quamobrem utiliùs cenſent breves quidem orationes, ſed creberrimas fieri: illud quidem, ut frequentiùs Dominum deprecantes jugiter eidem cohærere poſſimus. Hoc verò, ut inſidiantis Diaboli jacula, quæ inſligere tunc præcipuè, cùm oramus, inſiſtit, ſuccinctâ brevitate vitemus.

CAPUT XI.

Quâ Diſciplinâ apud Ægyptios Pſalmi dicantur.

ET idcirco ne Pſalmos quidem ipſos, quos in Congregatione decantant, continuata ſtudent prununtiatione concludere ſed eos pro numero verſuum duabûs vel tribûs intercifionibus cum orationum interjectione diviſos diſtinctim, particulatimque conſummant. Non enim multitudinem verſuum, ſed mentis intelligentia delectantur, illud tota virtute
1. Cor. 14 ſectantes: Pſallam Spiritu, Pſallam & mente. Ideóque utilius habent decem verſus cum rationabili aſſignatione cantari, quàm totum pſalmum cum confuſione mentis effundi; quæ nonnunquam pronunciantis feſtinatione generatur, dum reſiduorum pſalmorum, qui decantandi ſunt, modum, numerúmque conſiderans non diſtinctionem ſenſuum audientibus ſtudet pandere, ſed ad finem Synaxeos properat pervenire. Denique ſi quiſpiam juniorum vel pro fervore ſpiritûs, vel pro eo, quod necdum inſtitutus eſt, cœpetit modum decantationis excedere, pſallentis progreſſio Senioris * interdicitur plauſu quem dans manu ſua in ſedili, quô ſedet, cunctos facit ad orationem conſurgere illud omnibûs modis providens, ne quod ſedentibus tædium genererur prolixitate pſalmorum, * quâ is, qui decantat, non modo per ſe ipſum intelligentiæ fructum amittat, ſed etiam per illos incidat detrimentum, quos faſtidium ſynaxeos nimietate ſua fecit incurrere. Illud quoque apud eos omni obſervantiâ cuſtoditur, ut in reſponſione Alleluja nullus dicatur pſalmus niſi is, qui in titulo ſuo Alleluja inſcriptione prænotatur. Prædictum verò duodenarium pſalmorum numerum ita dividunt, ut ſi duo fuerint fratres, ſenos pſallant, ſi tres quaternos, ſi quatuor, ternos. Quô numerô nunquam minus in Congregatione decantant; ac proinde quantalibet multitudo convenerit, nunquam amplius pſallunt in ſynaxi, quàm quatuor fratres.

* Interciditur.

* Quo velut

CAPUT XII.

Cur uno pſallente, cæteri in Synaxi ſedeant, vel quali poſt hoc ſtudio per cellulas ſuas usque ad lucem vigilias extendant.

HUnc ſanè canonicum, quem prædiximus, duodenarium pſalmorum numerum tali corporis quiete relevant, ut has easdem Congregationum ſolemnitates ex mote celebrantes abſque eo, qui dicturus in medium Pſalmos ſurrexerit, cuncti ſedilibus humillimis inſidentes, ad vocem pſallentis, omni cordis intentione dependeant. Ita namque jejuniis,& operatione totius diei noctisque laſſeſcunt,ut niſi hujuscemodi refectione adjuventur, ne hûc quidem numerum ſtantes implere prævaleant. Nullum etenim tempus ab operis exercitatione vacuum tranſire concedunt; quia non ſolùm ea, quæ diei ſplendor admittit, omnî inſtantiâ manibûs exercere contendunt, ſed etiam illa operationum genera ſollicita mente perquirunt, quæ ne ipſius quidem nôctis denſiſſimæ tenebræ valeant impedire, credentes ſe tantò ſublimiorem ſpiritualium contemplationum puritatem mentis intuitu quæſituros, quantò diutius fuerint erga operis ſtudium ac laboris intenti. Et idcirco mediocrem canonicarum orationum numerum judicant divinitus moderatum, ut ardentioribus fidè ſpatium, quo ſe virtutis eorum inſatigabilis curſus extenderet, ſervaretur, & nihilominus feſſis, ægriſque corporibus minimè gigneretur de nimietate faſtidium. Ideóque cùm fuerint orationum canonicarum functiones ex more finitæ, unusquisque ad ſuam recurrens cellulam (quam aut ſolus, aut cum alio tantùm inhabitare permittitur, quem ſcilicet Societas operationis vel diſcipulatûs & diſciplinæ imbutio copulavit, vel certè quem ſimilitudo virtutum comparem fecit) idem rurſus orationum officium velut peculiare ſacri-

ſacrificium ſtudioſiùs celebrant, nec ulterius quiſquam eorum in requiem ſomni reſolvitur, donec ſuperveniente diei ſplendore, nocturno operi, ac meditationi operatio diurna ſuccedat.

CAPUT XIII.

Quare poſt miſſam nocturnam dormire non oporteat.

QUem laborem præter illam rationem, quâ totâ induſtriâ annitentes Sacrificium Deo de fructu manuum ſuarum offerre credunt, duabus ex cauſis cum omni obſervatione cuſtodiunt. Quod nos quoque, ſi perfectioni ſtudemus, eâdem diligentiâ convenit obſervare. Prima ne fortè purificationem noſtram nocturnis pſalmis & orationibus acquiſitam Invidus inimicus livens puritati noſtræ, cui maximè inſidiatur ſemper, & indeſinenter infeſtus eſt, quadam ſomnii illuſione contaminet. Qui poſt illam ſatisfactionem, quam pro negligentiis, ſeu ignorationibus noſtris obtulimus, & confeſſionis noſtræ veniam profusis gemitibûs imploratam ſollicitus nos, ſi tempus quietis invenerit, maculare feſtinat, tunc præcipuè fiduciam noſtram dejicere atque enervare contendens, cùm ferventiùs nos ad Deum tendere orationum noſtrarum puritate pervideritː ita ut nonnunquam quos per totum noctis ſpatium ſauciare non potuit, ſub illius horæ breviſſimo tempore dehoneſtare conetur. Secunda verò, quod tametſi nulla talis verenda diaboli emergat illuſio intercedens etiam purus ſopor inertiam Monacho mox evigilaturo parturiat, ſegnémque torporem inferens menti, per totum diei ſpatium vigorem ejus obtundat, illámque hebetet perſpicaciam ſensûs, & pinguedinem cordis exhauriat, quæ nos poſſit per totum diem adverſus inſidias inimici cautiores, robuſtiorésque ſervare; quamobrem canonicis Vigiliis privatæ ab eis ſubjunguntur excubiæ, ac majore illis obſervatione ſuccedunt, ut & illa purificatio, quæ pſalmis & orationibûs eſt acquiſita, non pereat, & intentior ſollicitudo diligentius nos per diem cuſtoditura præparetur meditatione nocturna.

CAPUT XIV.

Quemadmodum in cellulis ſuis opus manuum, & orationes pariter exerceant.

ET idcirco eas cum adjectione operis exequuntur, ne velut otioſis valeat ſomnus irrepere. Sicut enim nullum ferme ab eis otii tempus excipitur, ita nec meditationi quidem ſpirituali finis imponitur. Nam pariter exercentes corporis, animæque virtutes exterioris hominis ſtipendia cum emolumentis interioris exæquant, lubricis motibus cordis, & fluctuationi cogitationum inſtabili operum pondera, velut quandam tenacem, atque immobilem anchoram præfigentes, cui volubilitas, & pervagatio cordis innexa intra cellæ clauſtra, velut in portu fidiſſimo valeat contineri; atque ita ſpiritali meditationi tantùm, & cuſtodiæ cogitationum intenta, non modo ad conſenſum pravæ cujuſque ſuggeſtionis pervigilem mentem corruere non ſinat, verùm etiam ab omni ſuperflua, otioſáque cogitatione cuſtodiat, ita ut quid ex quo pendeat, haud facilè poſſit à quoquam diſcerni, id eſt, utrùm propter meditationem ſpiritalem, inceſſabile manuum opus exerceant, an propter operis jugitatem tam præclarum ſpiritûs profectum, ſcientiæque lumen acquirant.

CAPUT XV.

Qua lege modeſtiæ poſt orationum miſſam unuſquiſque ad ſuam cellulam redeat, & cui ſubdatur increpationi is, qui aliter fecerit.

FInitis itaque pſalmis, & quotidianâ congregatione, ſicut ſoperiùs commemoravimus, abſoluta nullus eorum vel ad modicum ſubſiſtere, aut ſermocinari audet cum altero, ſed ne quidem per totum diei ſpatium è cella ſua progredi, aut deſerere opus, quod in ea ſolitus eſt exercere, præſumit, niſi fortè cùm fuerint ad officium neceſſarii cujuſque operis evocati; quod ita explent foras

foras egreſſi, ut nulla inter eos ſermocinatio penitus conferatur. Sed ſic unusquisque opus exequitur injunctum ut pſalmum, vel ſcripturam quamlibet memoriter recenſendo non ſolùm conſpirationi noxiæ, vel conſiliis pravis, ſed nec otioſis quidem colloquiis ullam copiam vel tempus impartiat, oris pariter & cordis officiô in meditatione ſpiritali jugiter occupatô. Summâ namque obſervantiâ cuſtoditur, ne quisquam cum alio, ac præcipuè juniores * vel ad punctum temporis pariter ſubſtitiſſe, aut uſpiam ſeceſſiſſe, vel manus ſuas invicem tenuiſſe deprehendantur. Si qui verò contra hujus regulæ diſciplinam, reperti fuerint aliquid ex his, quæ interdicta ſunt, admiſiſſe, ùt contumaces, & prævaricatores mandatorum non levis culpæ rei pronuntiati ſuſpicione etiam conjurationis, pravique conſilii carere non poterunt. Quam culpam niſi in unum cunctis fratribùs congregatìs publicâ diluerint pœnitentiâ, orationi fratrum nullus eorum intereſſe permittitur.

* al. Juniore.

CAPUT XVI.

Quod nulli orare cum illo, qui fuerit ab oratione ſuſpenſus, liceat.

SAne ſi quis pro admiſſo quolibet delicto fuerit ab oratione ſuſpenſus, nullus cum eo prorſus orandi habet licentiam, antequam ſubmiſsâ in terram pœnitentiâ reconciliatio ejus, & admiſſi venia coram fratribus cunctis publicè fuerit ab Abbate conceſſa. Ob hoc namque talì obſervantiâ ſemetipſos ab orationis ejus conſortio ſegregant, atque ſecernunt, quód credunt, eum, qui ab oratione ſuſpenditur, ſecundùm Apoſtoli ſententiam tradi Satanæ, & ſi quis orationi ejus, antequam recipiatur à ſeniore, inconſiderata pietate permotus, communicare præſumpſerit, complicem ſe damnationis ejus efficiat, tradens ſcilicet ſemetipſum voluntariè Satanæ, cui ille pro ſui reatûs emendatione fuerat deputatus, in eo vel maximè gravius crimen incurrens, quòd cum illo ſe, vel confabulationis vel orationis communione miſcendo, majorem illi generet inſolentiæ fomitem, & contumaciam delinquentis in pejus enutriat. Pernicioſum namque ſolatium tribuens cor ejus magis ac magis faciet indurari, nec humiliari eum ſinet, ob quod fuerat ſegregatus; & per hoc, vel increpationem ſenioris non magni pendere, vel diſſimulanter de ſatisfactione, & venia cogitare.

CAPUT XVII.

Quod is, qui ad orationem exſuſcitat, horâ ſolitâ debeat eos commonere.

IS autem, cui religioſi conventûs commonitio, vel ſynaxeos cura committitur, non paſſim, ùt libitum eſt, nec prout nocte fuerit expergefactus, aut opportunitas eum ſomni proprii, ſeu inſomnii coarctaverit, fratres etiam ad quotidianas Vigilias exſuſcitare præſumit. Sed quamvis eum conſuetudo diuturna horâ ſolitâ evigilare compellat, tamen ſollicitè frequentérque ſtellarum curſu præſtitutum congregationis tempus explorans, ad orationum eos invitat officium ne in utroque inveniatur incautus, ſi vel oppreſſus ſomno ſtatutam noctis tranſgrediatur horam, vel eandem dormiturus atque feſtinans ad ſomnum anticipet, & non tam officio ſpiritali vel quieti omnium deſerviſſe, quàm requiei ſuæ ſatisfeciſſe credatur.

CAPUT XVIII.

Quod à Veſpera Sabbati usque ad Veſperam diei Dominicæ genua non flectantur.

HOc quoque nôſſe debemus à Veſpera Sabbati, quæ luceſcit in diem Dominicum usque ad Veſperam ſequentem apud Ægyptios genua non curvari; ſed nec totìs quidem Quinquageſimæ diebûs, nec cuſtodiri in eis jejuniorum regulam: Quarum rerum ratio ſuo loco in Collationibus Seniorum, cùm Dominus juſſerit, exponetur. Nunc propoſitum eſt nobis cauſas tantummodo brevi narratione percurrere ne ſtatutum modum volumen excedens aut faſtidiô legentem oneret, aut labore.

Liber III.

De Canonico Diurnarum Orationum & Pſalmorum Modo.

CAPUT I.

DE Nocturno Orationum & Pſalmorum modo, quinam per Ægyptum habeatur, donante Deo, quantùm tenuitas ingenii noſtri prævaluit, arbitror expeditum. Nunc de ſolemnitate Tertiæ, ſextæ, Nonæque ſecundùm Regulam monaſteriorum Palæſtinæ vel Meſopotamiæ nobis eſt diſſerendum, ùt præfati ſumus in prologo, perfectionem Ægyptiorum, & inimitabilem Diſciplioæ rigorem horum inſtitutîs moderantes.

CAPUT II.

Quòd apud Ægyptios ſine horarum diſcretione per totam diem cum operis adjectione & orationibus jugiter inſiſtatur & pſalmis.

APud illos etenim hæc officia, quæ Domino ſolvere per diſtinctiones horarum & temporis intervalla cum admonitione compulſoris adigimur, per totum diei ſpatium jugiter cum operis adjectione ſpontaneè celebrantur. Ita namque ab eis inceſſanter operatio manuum privatim per cellulas exercetur, ut pſalmorum quoque, vel cæterarum ſcripturarum meditatio nnnquam penitus ommittatur. Cui preces, & orationes per ſingula momenta miſcentes in his officiis, quæ nos ſtatuto tempore celebramus, totum diei tempus abſumunt. Quamobrem exceptîs veſpertinîs, ac nocturnîs congregatiooibûs nulla apud eos per diem publica ſolemnitas absque die Sabbati vel Dominicâ, celebratur, in quibus horâ Tertiâ Sacræ communionis obtentu conveniunt. Plus enim eſt id, quod inceſſanter offertur, quàm quod per temporis intervalla perſolvitur. Et gratius eſt volnntarium munus, quàm functiones, quæ canonica compulſione redduntur: pro hoc quoque David glorioſiùs aliquid exultante, cùm dicit: Voluntariè ſacrificabo tibi: &: voluntaria oris mei beneplacita ſint tibi Domioe. Pſalm. 53. & 118.

CAPUT III.

Quòd per omnem Orientem ſolemnitas Tertiæ, Sextæ, vel Nonæ trinîs tantùm pſalmis & orationibus finiatur: & cur ſpeciaiùs iſtîs horîs hæc ſpiritalia ſint Officia deputata?

ITaque in Palæſtinæ, vel Meſopotamiæ monaſteriis ac totius Orientis, ſupradictarum horarum ſolemnitates trinîs pſalmîs quotidie finiuntur, ot & orationum aſſiduitas ſtatutis temporibus Deo offeratur, & neceſſaria operationis officia conſummatîs juſto moderamine ſpiritalibûs obſequiîs nullatenus valeant impediri: hîs enim tribûs temporibûs etiam Danielem Prophetâ quotidie feneſtrîs apertîs in cœnaculo preces domino fudiſſe cognoſcimus. Daniel. 6. Nec immeritò hæc ſpecialius tempora religioſis ſunt officiis deputata. In his ſiquidem perfectio, & ſumma noſtræ ſalutis eſt adimpleta: Horâ namque tertiâ repromiſſus olim per Prophefas Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos in oratioonm officio conſtitntos deſcendiſſe primitus comprobatur. Nam cùm propter elocutionem linguarum, quæ ab eis infuſione Spiritûs Sancti profluebat, gens incredula Judæorum obſtupeſcens pariter & irridens diceret eos muſtô repletos, ſtans Petrus in medio eorum ait: Viri Iſraelitæ, & qui habitatis in Jeruſalem univerſi, hoc vobis notum ſit, & auribûs percipite verba mea: Non eoim ſicut vos exiſtimatis, hi ebrii ſunt, cùm ſit hora diei Tertia, ſed hoc eſt, quod dictum per Prophetam Joel: Et erit in noviſſimis diebus, dicit Domious, effundam de Spiritu meo ſoper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ, & juvenes veſtri viſiones videbunt, Act. 2. Joel. 2.

bunt, & ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt.
Et quidem ſuper ſervos meos, & ſuper
ancillas meas in diebus illis effundam de
Spiritu meo, & prophetabunt; quæ om-
nia horâ tertiâ videmus impleta, San-
ctique Spiritûs vaticinatum per Prophe-
tas adventum eodem tempore ſuper Apo-
ſtolos commeâſſe. Hora autem ſexta im-
maculata hoſtia Dominus noſter, atque
Salvator oblatus eſt Patri, crucémque
pro totius mundi ſalute conſcendens hu-
mani generis peccata diluit, & expolians
Principatus, & poteſtates traduxit palam,
universóſque nos obnoxios atque conſtri-
Coloſ. 2. ctos inſolubilî Chirographi debitô libe-
ravit tollens id de medio, & crucis ſuæ
affigens trophæo. Eâdem quoque horâ
Act. 10. Petro in exceſſu mentis vocatio gentium
omnium per ſubmiſſionem vaſis Evange-
lici delati cœlitus, & purificatio omni-
genûm animantium in eodem conſiſten-
tium delata ad eum voce divinitus reve-
latur dicente ei: Surge, Petre, occide,
& manduca. Quod vas quatuor initiis
de cœlo ſummiſſum non aliud quàm Evan-
gelium deſignare manifeſtè cognoſcitur;
licèt enim quadriformî Evangeliſtarum
narratione diſtinctum quatuor videatur
habere principia, unum tamen Evangelii
corpus eſt, ejuſdem ſcilicet Chriſti nati-
vitatem pariter ac Deitatem, miracula
quoque, paſſionémque complectens. Pul-
chrè autem non ait linteum. Sed quaſi
Pſalm. 15. linteum. Linteum quippe mortificatio-
nis indicium eſt; quoniam igitur mors
Dominicæ paſſionis non humanæ naturæ
lege ſed propriæ voluntatis ſubitur arbi-
trio, quaſi linteum dicitur. Mortuus
enim ſecundùm carnem, non eſt ſecun-
dùm Spiritum mortuus, quia nec dere-
licta eſt anima ejus in inferno, nec caro
ejus vidit corruptionem. Et rurſus,
Joan. 10. Nemo, inquit, tollet animam meam à
me, ſed ego pono eam à meipſo, pote-
ſtatem habeo ponere eam, & poteſtatem
iterum habeo ſumere eam. In hoc ita-
que Evangeliorum vaſe cœlitus deſtinato,
id eſt, à Spiritu Sancto perſcriptô, om-
nes gentes, quæ quondam extra legis
obſervantiam poſitæ habebantur immun-
dæ, per credulitatem fidei confluentes,
ut ab idolorum cultu ſalubriter immo-
lentur, atque ad ſalutarem eſcam profi-
ciant Petro purificante, voce Dominica
deferuntur. Horâ verò Nonâ inferna pe-
netrans inextricabiles tartari tenebras co-
ruſcatione ſui ſplendoris extinxit, por-
táſque ejus æreas effringens, ac ſeras
ferreas conterens captivitatem Sancto-
rum, quæ clauſa tenebrîs immitis tene-
batur inferni, ſalubriter captam transve-
xit ſecum ad cœlos, igneáque romphæâ
ſummotâ antiquum incolam paradiſo pia
confeſſione reſtituit. Eâdem quoque Act. 10.
horâ Cornelius Centurio in precibus ſoli-
ta devotione perſiſtens commemoratio-
nem orationum & eleemoſynarum ſua-
rum ante Dominum factam Angelo ſibi
colloquente cognoſcit, palámque ei horâ
nonâ vocationis gentium Sacramenta pan-
duntur, quæ Petro in exceſſu mentis ho-
râ ſextâ fuerant revelata. Aliô quoque
locô de eodem tempore in Actibus Apo- Act. 3.
ſtolorum ita narratur: Petrus autem &
Joannes aſcendebant in templum ad ho-
ram orationis nonam. Quibûs liquidò
comprobatur, non immeritò à Sanctis &
Apoſtolicis viris has horas religioſis obſe-
quiis conſecratas, à nobis quoque obſer-
vari ſimiliter oportere. Qui niſi velut
lege quadam ſolvere hæc pietatis officia
ſaltem ſtatutîs temporibus adigamur, to-
tum diei ſpatium oblivione aut deſidia,
vel occupationibûs involuti abſque ora-
tionis interpellatione conſumimus. De
veſpertinis autem ſacrificiis quid dicen-
dum eſt, quæ jugiter offerri etiam in
veteri teſtamento lege Moſaica ſanciun- Num. 28.
tur? Holocauſta enim matutina & ſacri-
ficia veſpertina cunctis diebus in templo,
licèt figurabilibûs hoſtiîs etiam ex eo pro-
bare poſſumus indeſinenter oblata, quod
à David canitur: Dirigatur oratio mea Pſal. 140.
ſicut incenſum in conſpectu tuo; eleva-
tio manuum, ſacrificium veſpertinum.
Quô in locô de illo quoque verò ſacrifi-
ciô veſpertinô ſacratius intelligi poteſt,
quod vel veſpere à Domino Salvatore
cœnantibus Apoſtolis traditur, cùm ini-
tiaret Eccleſiæ Sacroſancta Myſteria; vel
quod ipſe die poſtero ſacrificium veſper-
tinum, in fine ſcilicet ſæculorum, ele-
vatione manuum ſuarum pro ſalute totius
mundi oblatus eſt Patri. Quæ extenſio
manuum ejus in patibulo ſatis propriè
elevatio nuncupatur; omnes enim nos
in inferno jacentes elevavit ad cœlos ſe-
cundùm promiſſionis ejus ſententiam
dicentis: Cùm exaltatus fuero à terra,
omnia traham ad me ipſum. De matu- Joan. 14.
tina verò ſolemnitate etiam illud nos in-
ſtruit, quod in ipſa quotidie decantari
ſolet: Deus Deus meus, ad te de luce Pſalm. 62.
vigilo. Et: in matutinis meditabor in Ibidem.
te: & præveni in maturitate & clamavi.
Et rurſum: prævenerunt oculi mei ad te Pſalm. 118.
diluculo, ut meditarer eloquia tua. In Ibidem.
his quoque horis etiam ille Evangelicus
paterfamilias operarios conduxit in vi-
neam ſuam. Ita enim & ille primò ma-
ne conduxiſſe deſcribitur: quod tempus
deſignat matutinam noſtram ſolemnita-
tem: deinde tertiâ, inde ſextâ, poſt Matth. 20.
hæc nonâ, ad extremum undecimâ, in
qua lucernalis * hora ſignatur.

* i. e. Veſpertina.

CAPUT

CAPUT IV.

Matutinam, quam nos primæ horæ ſolemnitatem appellamus, non antiqua traditione ſtatutam, ſed noſtro tempore adinventam eſſe.

Sciendum tamen hanc Matutinam, quæ nunc obſervatur in occiduis vel maximè regionibus, canonicam functionem noſtro tempore in noſtro quoque monaſterio primitus inſtitutam, ubi Dominus noſter JEſus Chriſtus natus ex Virgine humanæ infantiæ ſuſcipere incrementa dignatus noſtram quoque adhuc in Religione teneram, & lactentem infantiam ſuâ gratiâ confirmavit. Usque ad illud enim tempus hac ſolemnitate Matutinâ (quæ expletis nocturnis pſalmis, & orationibus poſt modicum temporis intervallum ſolet in Galliæ monaſteriis celebrari) cum quotidianis vigiliis pariter conſummatâ reliquas horas refectioni corporum deputatas à majoribus noſtris invenimus. Verùm cùm hâc abutentes indulgentiâ negligentiores quique inducias ſomni longiùs protelarent: quippe quos vel extra cellas progredi, vel de ſuis ſtratis conſurgere ante horam tertiam nulla conventûs ullius neceſſitas invitaret, & cum operationis jactura tempore quoque diei quô nonnullis oportebat officiis inhærere, ſoporis nimietate torperent, in his præſertim diebus, quibûs à veſpertinis horis excubias usque ad auroræ viciniam celebrantibus naſcebatur onerofior longitudo; quorundam illic fratrum ferventium ſpiritu, quibus hoc negligentiæ genus haud leviter diſpliceret, ad Seniores querelâ delatâ decretum eſt ab eis diutino tractatu, & conſultatione ſollicita, ut usque ad ſolis ortum, quo jam ſine offenſione vel lectio parari, vel opus manuum poſſet aſſumi, feſſis corporibus refectione conceſſa invitari poſt hæc Religionis hujus obſervantia cuncti pariter è ſuis ſtratis conſurgerent, ac tribûs pſalmis & orationibûs celebratis, ſecundùm modum, qui antiquitus in obſervatione Tertiæ vel Sextæ, trinæ confeſſionis exemplo ſtatutus eſt, & ſomno deinceps finem, & initium operationi, æquali ſimul moderamine, facerent. Qui typus licèt ex occaſione videatur inventus, & recentî memoriâ pro cauſa, quam diximus, ſtatutus appareat, tamen illum numerum, quem deſignat beatus David, quamquam ſpiritalem quoque habeat intellectum, ſecundùm litteram manifeſtiſſimè ſupplet: Septies in die Laudem dixi tibi ſuper judicia juſtitiæ tuæ. *Pſalm. 118.* Hac enim adjecta ſolemnitate, ſepties ſine dubio ſpiritales hos conventus in die facientes, ſepties in ea Laudes Domino dicere comprobamur. Denique cùm hic idem typus de Oriente procedens hucusque fuerit utiliſſimè propagatus, in nonnullis nunc usque per Orientem antiquiſſimis monaſteriis, quæ nequaquam vetuſtiſſimas Regulas Patrum violari patiuntur, minimè videtur admiſſus.

CAPUT V.

Quod poſt matutinas orationes ad ſomnum reverti non oportet.

Cujus ſolemnitatis ratio cur ſtatuta ſit vel inventa in hac provincia, ignorantes expletis matutinis hymnis iterum revertuntur ad ſomnum in illam cauſam nihilominus incidentes, ob quam compeſcendam hæc à Senioribus noſtris ſolemnitas inſtituta eſt. Illâ namque horâ eam conſummare feſtinant, quàm negligentioribus, minúsque ſollicitis rurſum dormiendi reddatur occaſio. Quod omnimodis fieri non oportet, ſicut in libello ſuperiore deſcribentes Ægyptiorum ſynaxim pleniùs expoſuimus, ne purificationem noſtram confeſſione ſupplici, & antelucanis orationibûs acquiſitam vel emergens quædam redundantia humorum naturalium polluat, vel illuſio corrumpat inimici, vel certè intercedens etiam puri ac ſimplicis ſomni refectio interrumpat Spiritûs noſtri fervorem ac tepefactos ſomni torpore per totum diei ſpatium inertes deinceps, ignavósque traducat. Quod Ægyptii ne incurrant, equidem cùm ſoleant certis temporibûs etiam ante Gallorum cantum conſurgere, miſsâ canonicâ celebratâ usque ad lucem poſt hæc vigilias extendunt, ut eos ſupervenìens lux matutina in hoc fervore Spiritûs reperiat conſtitutos, ac per totum diei tempus ferventiores, ſollicitiórésque cuſtodiat, præparatos eos ſuſcipiens ad conflictum, & contra diurnam diaboli colluctationem nocturnarum exercitiô vigiliarum, ac ſpiritali meditatione firmatos.

CAPUT VI.

Quod nihil ſit à ſenioribus immutatum de antiquo ordine pſalmorum, cùm matutina ſtatueretur ſolemnitas.

ILlud quoque noſſe debemus, nihil à Senioribus noſtris, qui hanc eandem matutinam ſolemnitatem addi debere cenſuerunt, de antiqua pſalmorum conſuetudine immutatum: Sed eodem ordine miſſam, quô priùs, in nocturnis conventibus perpetuò celebratam. Etenim hymnos quos in hac regione ad matutinam excepêre ſolemnitatem, in fine nocturnarum vigiliarum, quas póſt Gallorum cantum ante auroram finire ſolent, ſimiliter hodiéque decantant, id eſt, centeſſimum quadrageſimum octavum pſalmum, cujus initium eſt: Laudate Dominum de cœlis, & reliquos, qui ſequuntur; quinquageſimum verò pſalmum & ſexageſimum ſecundum, & octogeſimum nonum huic novellæ ſolemnitati novimus fuiſſe deputatos. Denique per Italiam hodiéque conſummatîs matutinalibûs hymnîs quinquageſimus pſalmus in univerſis Eccleſiis canitur, quod non aliunde, quàm exinde tractum eſſe non dubito.

CAPUT VII.

Quod ei, qui ad diurnam orationem, antequam primus finiatur pſalmus, non occurrerit, oratorium introire non liceat: in nocturnis autem usque ad finem ſecundi pſalmi veniabilis mora ſit.

IS verò, qui in Tertia, Sexta, vel Nona, priusquam pſalmus cœptus finiatur, ad orationem non occurrerit, ulterius oratorium introire non audet, nec ſemetipſum admiſcere pſallentibus; ſed congregationis miſſam * ſtans præ foribus præſtolatur, donec egredientibûs cunctîs, ſubmiſsâ * in terram pœnitentiâ negligentiæ ſuæ vel tarditatis impetret veniam, ſciens, nequaquã ſe poſſe deſidiæ ſuæ noxam aliter expiare; ſed ne in ea quidem, quæ poſt tres horas erit ſecutura ſolemnitas, admittendum, niſi pro negligentia præſenti confeſtim vera humilitate ſubnixiùs ſatisfacere feſtinaverit. In nocturnis verò conventiculis usque ad ſecundum pſalmum præbetur tardanti dilatio, ita duntaxat, ut antequam finitô eôdem pſalmô fratres in oratione procumbant, ſemetipſum congregationi inſerere, atque admiſcere feſtinet; eidem procul dubio increpationi ac pœnitentiæ, quam præximus, ſubjiciendus, ſi ultra præſtitutam dilationis horam vel modicum tardaverit.

* i. e. Dimiſſionem.
* i. e. Toto corpore humi proſtratus.

CAPUT VIII.

Vigiliæ, quæ à veſpera illuceſcente Sabbato celebrantur, quem modum teneant, vel quo ordine celebrentur.

SAnè vigilias, quæ ſingulis hebdomadibus à veſperâ illuceſcente Sabbato celebrantur, idcirco ſeniores hyemali tempore, quô noctes ſunt longiores usque ad quartum Gallorum cantum per monaſteria moderantur, ut poſt excubias totius noctis reliquîs duabûs ferme horîs reficientes corpora ſua nequaquam per totum diei ſpatium ſomni torpore marceſcant, requie brevis hujus temporis pro totius noctis refectione contenti. Quod nos quoque omni obſervatione cuſtodire convenit, ut ſcilicet contenti ſomno, qui nobis poſt vigiliarum miſſam usque ad lucis indulgetur adventum, id eſt, usque ad matutinos pſalmos totum deinceps diem in opere, ac neceſſariis ducamus officiis; ne ſomnum, quem nocti ſubtraximus, reſumere per diem vigiliarum laſſitudine & inanitate compulſi non tam requiem corpori ſubtraxiſſe, quàm quietis tempus & refectionem nocturnam commutâſſe videamur. Nullatenus enim poterit fragilis caro ita totius noctis quiete fraudari, ut per conſequentem diem ſine dormitatione mentis, animique torpore inconcuſſam poſſit ſervare vigilantiam. Quæ impedietur ex hoc potiùs, quàm juvabitur; niſi poſt vigiliarum miſſam ſomni quantulumcunque guſtaverit. Et idcirco ſaltem unius horæ ſopore, quemadmodum diximus, ante lucis adventum, ſi fuerit impartitus, lucrabimur omnes vigiliarum horas, quas tota nocte in oratione conſumpſimus, impartientes naturæ, quod ſuum eſt, nec habentes

neceſſi-

neceſſitatem reſumendi per diem, quod nocti ſubtraximus. Totum enim carni huic procul dubio reddet, quiſquis ei non rationabiliter partem ſubtrahere, ſed totum tentaverit denegare, &, ut veriùs dixerim, non ſuperflua, ſed neceſſaria voluerit amputare. Propter quod majore fœnore neceſſe eſt vigilias compenſari, ſi fuerint uſque ad lucem inconſiderata atque irrationabili nimietate protractæ. Ideóque eas tripartitò diſtinguunt officiis, ut labor hac diverſitate diviſus delectatione quadam defectionem corporis relevet. Nam cùm ſtantes Antiphonas tres concinuerunt, humi poſt hæc vel ſedilibus humillimis inſidentes tres pſalmos uno modulante reſpondent, qui tamen ſinguli à ſingulis fratribus viciſſim ſuccedentibus ſibi præbentur, atque hîs ſub eadem quiete reſidentibûs ternas lectiones. Itaque fit, ut corporeum minuentes laborem Vigilias ſuas majore intentione mentis exerceant.

CAPUT IX.

Quare illuceſcente die Sabbati vigiliæ ſtatutæ ſint, & quare per omnem Orientem abſolutio jejunii in die Sabbati præſumatur.

QUas à tempore prædicationis Apoſtolicæ, quò religio ac fides Chriſtiana fundata eſt per univerſum Orientem idcirco ſtatutum eſt illuceſcente Sabbato debere celebrari, quòd, Domino & Salvatore noſtro ſextâ Sabbati crucifixo, diſcipuli adhuc recenti ejus paſſione perculſi pervigiles tota nocte manſerunt nullatenus quietis ſomnum oculis ſuis indulgentes. Quamobrem ex illo tempore huic nocti deputata vigiliarum ſolemnitas uſque in hodiernum diem per univerſum Orientem ſimiliter obſervatur. Ideóque & abſolutio jejunii poſt vigiliarum laborem totidem Apoſtolicis viris in die Sabbati ſtatuta non immerito præſumitur per univerſas Orientis Eccleſias ſecundùm illam quoque Eccleſiaſtæ ſententiam, quæ licèt habeat & alium myſticum ſenſum, tamen ab hoc quoque non abhorret, quo utrique diei, id eſt, hebdomadi pariter & ogdoadi eandem partem ſolemnitatis impartire præcipimur ita dicentis: Da partem his ſeptem, & quidem his octo. Eccl. 11. Non enim ad communionem feſtivitatis Judaicæ abſolutio iſta jejunii reputanda eſt, his præſertim, qui ab omni Judaica ſuperſtitione alieni monſtrantur, ſed ad refectionem, quam diximus, laſſi corporis pertinere; quòd per totas anni ſeptimanas jugiter quinîs diebûs jejunans, niſi duobus ſaltem interpoſitis refocillatum fuerit, facile laſſeſcit, ac deficit.

CAPUT X.

Unde factum ſit, ut in Urbe die Sabbati jejunetur.

CUjus * moderaminis cauſam nonnulla in quibuſdam Occidentalibus Civitatibus ignorantes, & maximè in Urbe, idcirco putant, Abſolutionem * Sabbati minimè debere præſumi, quòd Apoſtolum Petrum, eodem die contra Simonem conflictaturum aſſerant jejunâſſe. Ex quo magis apparet, hoc eum non conſuetudine Canonica feciſſe, ſed præſentis potius neceſſitate conflictûs. Siquidem & ibi pro hac eadem re non generale, ſed ſpeciale videtur Petrus diſcipulis ſuis jejunium indixiſſe, quod utique non feciſſet, ſi ſciſſet, illud canonicâ conſuetudine ſolere ſervari: idem procul dubio etiam Dominico die paratus indicere, ſi certaminis ipſius in eum compegiſſet occaſio, nec tamen ex hoc ſtatim canonica fuiſſet jejunii Regula promulganda, quod non generalis obſervatis ſtatuerat, ſed, ut ſemel fieret, ratio neceſſitatis extorſerat.

*al. moderationis.

*Jejunii.

CAPUT XI.

In quo Dominicæ diei ſolemnitas ab aliorum dierum conſuetudine diverſa teneatur.

VErùm ne hoc quidem ignorandum, die Dominico unam tantummodo miſſam ante prandium celebrari, in qua pſalmorum atque orationum, ſeu lectionum pro ipſius collectæ vel communionis Dominicæ reverentia ſolemnius aliquid

ac propenſius impendentes in ipſa Tertiâ, Nonâmque pariter conſummatam reputant. Ita fit, ut de orationum obſequiis nihil imminuatur, adjectione ſcilicet lectionum: & nihilominus differentia quædam, vel remiſſio videatur fratribus indulgeri pro reverentia Dominicæ Reſurrectionis præ cætero tempore, quæ & totius ſeptimanæ videatur obſervantiam relaxare, & pro hac ipſa, quæ intermiſcetur, quadam differentia, eundem diem velut feſtivum provocet rurſum ſolemniùs expectari, minúsque faciat hebdomadis venturæ jejunia hujus expectatione ſentiri. Semper enim æquanimiùs quælibet fatigatio ſuſtinetur, & ſine faſtidio labor impeditur, ſi interjecta ei viciſſitudo quædam, vel operis immutatio qualiscunque ſuccedat.

CAPUT XII.

Quibûs diebûs, cùm cœna Fratribus exhibetur, accedentibûs ad refectionem pſalmus non dicatur, ſicut fieri in prandiis ſolet.

DEnique etiam in ipſis diebus, id eſt, Sabbatô, vel Dominicâ, ſeu Feriatûs temporibûs, quibus pariter prandium, & cœna ſolet fratribus exhiberi, pſalmus ad veſperam non dicitur: id eſt, nec cùm accedunt ad cœnam, nec cùm ab ea conſurgunt, ùt ſolet fieri in ſolemnibus prandiis, vel canonica jejuniorum refectione, quam & præcedere conſuetudinarii pſalmi ſolent, & ſubſequi: ſed tantummodo ſimplici oratione facta accedunt ad cœnam, eámque rurſum conſurgentes ab ipſa, ſola oratione concludunt, quod ſcilicet extraordinaria ſit inter Monachos iſta refectio, nec omnes ad eam convenire cogantur, niſi aut peregrini qui ſupervenerint fratres, aut hi, quos infirmitas corporis, aut propria invitat voluntas.

Liber IV.

De Inſtitutis Renuntiantium.

CAPUT I.

DE canonico modo pſalmorum atque orationum, qui debeat in diurnis conventiculis per monaſteria cuſtodiri, ad inſtitutionem ejus, qui renuntiat huic mundo, narrationis nos ordine provocante tranſimus: Conditiones in primis, quibus hi, qui ad Dominum converti cupiunt, recipiantur in cœnobiis, brevi, quantùm poſſumus, ſtudentes ſermone complecti: quædam ſcilicet de Ægyptiorum, quædam de Tabennenſiotarum Regulis admiſcens, quorum in Thebaide eſt cœnobium, quantô numero populoſius cunctis, tantò converſationis rigore diſtrictius. Siquidem in eo plusquam quinque millia fratrum ſub uno Abbate reguntur, tantáque fit obedientiâ hic tam prolixus Monachorum numerus omnî ævo Seniori ſuo ſubditus, quantâ non poteſt apud nos unus uni vel obedire pro modico tempore, vel præeſſe.

CAPUT II.

Quòd ad ultimam usque ſenectutem apud eos in cœnobiis perſeverent.

QUorum tam longa perſeverantia, & humilitas atque ſubjectio, quemadmodum tam diuturna perduret, quâve inſtitutione formetur, per quam usque ad incurvam ſenectutem in cœnobio perſeverent, opinor, nos ante omnia debere perſtringere. Tanta namque eſt, quantam neminem in monaſteriis noſtris ingreſſum ne annô quidem integrô tenuiſſe meminimus. Ut, cùm renuntiationis eorum primordia viderimus, conſequens fuiſſe intelligamus, ut in tam ſublimia perfectionis faſtigia talium initiorum fundamenta conſurgerent.

CAPUT III.

Quo examine probetur, qui in cœnobio ſuſcipiendus eſt.

IGitur ambiens quis intra cœnobii recipi diſciplinam, non ante prorſus admittitur, quàm diebûs decem, vel eò ampliùs pro foribus excubans, indicium perſeverantiæ, ac deſiderii ſui, paritérque humilitatis, ac patientiæ demonſtraverit. Cúmque omnium prætereuntium fratrum genibus provolutus, & ab univerſis de induſtria refutatus, atque deſpectus, tanquam qui non religionis, ſed neceſſitatis obtentu monaſterium optet intrare, injuriîs quoque, & exprobrationibûs multîs affectus experimentum dederit conſtantiæ ſuæ, qualiſque futurus ſit in tentationibus, opprobriorum tolerantiâ declaraverit; atque ita fuerit explorato mentis ardore ſuſceptus: diligentiâ ſummâ perquiritur, ne de priſtinis facultatibus ſuis inhæſerit ei vel unius nummi contagio. Sciunt enim eum ſub monaſterii diſciplina dinturnum eſſe non poſſe, ſed ne humilitatis quidem, aut obedientiæ apprehenſurum eſſe virtutem, nec illa cœnobii paupertate ac diſtrictione contentum fore, ſi in conſcientia ejus pecuniæ quantulumcunque latitaverit: ſed ubi primùm exorta fuerit qualibet occaſione commotio, fiducia ſtipis illius animatum, continuò de monaſterio, velut fundâ rotante fugiturum.

CAPUT IV.

Cur facultates ejus, qui collegio Monachorum adſcribitur, nolint monaſterii uſibus applicari.

ET idcirco ne uſibus quidem cœnobii profuturas ſuſcipere ab eo pecunias acquieſcunt. Primùm ne confidentia hujus oblationis inflatus nequaquam ſe pauperioribus fratribus coæquare dignetur, tum, ne per hanc elationem nullatenus ad humilitatem Chriſti deſcendens, cùm ſub diſciplina cœnobii non potuerit perdurare, egreſſus exinde ea, quæ in principio renuntiationis ſuæ ſpiritali fervore ſuccenſus intulerat, tepefactus poſtea non ſine injuria monaſterii ſacrilego ſpiritu recipere, atque exigere moliatur. Quod omnimodis obſervari debere multîs ſunt experimentîs frequenter edocti. Nam per alia minùs cauta monaſteria ſimpliciter quidam ſuſcepti, eorum, quæ intulerant, quæque in Dei opere fuerant diſpenſata, cum ingenti poſt blaſphemia redhibitionem poſcere tentaverunt.

CAPUT V.

Cur hi, qui renuntiant, ſuſcepti in monaſteriis propria veſtimenta deponant, & ab Abbate aliîs induantur.

QUamobrem ita nudatur quiſque, cùm receptus fuerit, omni priſtina facultate, ut ne ipſam quidem, quo operatus eſt, indumentum habere permittatur ulterius, ſed in concilio fratrum productus in medium exuatur propriîs, ac per manus Abbatis induatur monaſterii veſtimentîs, ut per hoc ſe non ſolùm univerſîs rebûs ſuîs antiquis noverit ſpoliatum, verùm etiam omni faſtu depoſitô mundiali ad Chriſti paupertatem & inopiam deſcendiſſe, jámque opibûs ſuſtentandum non ſæculi arte quæſitîs, nec de infidelitate priſtina reſervatîs, ſed de ſanctis ac piis monaſterii largitionibus militiæ ſuæ ſtipendia percepturum, atque inde ſe deinceps veſtiendum, alendúmque cognoſcens, & nihil habere, & nihilominus de craſtino non eſſe ſollicitus ſecundùm Evangelii diſcat ſententiam, nec erubeſcat pauperibus, id eſt, corpori fraternitatis æquari, quibus connumerari Chriſtus, & quorum ſe fratrem non erubuit nuncupare: quin potiùs glorietur domeſticis ejus factum ſe eſſe conſortem. Matth. 6.

CAPUT VI.

Quâ de cauſâ veſtimenta renuntiantium, cùm quibus ingreſſi ſunt monaſterium, à Diſpenſatore ſerventur.

ILla verò, quæ depoſuit, veſtimenta œconomo conſignata tamdiu reſervantur, donec profectûs, & converſationis ejus, ac tolerantiæ virtutem diversîs tentationibûs ac probationibûs evidenter agnoſcant. Et ſiquidem poſſe eum inibi perdurare tempore procedente perſpexerint, & in eôdem, quô cœpit, fervore perſiſtere, indigentibus eadem largiuntur. Sin verò quoddam ex eo murmurationis vitium, vel pravæ cujuslibet inobedientiæ culpam proceſſiſſe deprehenderint, exuentes eum monaſterii, quibus indutus fuerat, veſtimentîs, & antiquîs reveſtitum, quæ fuerant ſequeſtrata, depellunt. Nullum etenim fas eſt cum illis, qui accepit, abſcedere, nec quemquam patiuntur illis adhuc indui, quem ſemel ab inſtitutionis ſuæ regula tepuiſſe perviderint. Unde etiam copia nulli penitus palam diſcedendi conceditur, niſi aut in morem ſervi fugacis captans denſiſſimas tenebras nocte diffugiat, aut certè hoc ordine & profeſſione judicatus indignus, cum confuſione & nota coram cunctis fratribus depoſita veſte monaſterii expellatur.

CAPUT VII.

Cur in monaſterio ſuſcepti non permittantur ſtatim Congregationi Fratrum commiſceri, ſed xenodochio ante tradantur.

CUm igitur quis ſuſceptus, & hac perſeverantia, quam diximus, comprobatus, ac depoſitîs propriîs veſtimentîs habitu monaſteriali fuerit accinctus; non ſtatim congregationi fratrum commiſceri permittitur, ſed deputatur ſeniori, qui ſeorſim haud longè à veſtibulo monaſterii commanens habet curam peregrinorum, & advenientium deputatam, eîsque omnem diligentiam ſuſceptionis, & humanitatis impendit. Cúmque ibidem integrô annô deſerviens absque ulla querela ſuum circa peregrinos exhibuerit famulatum, imbutus per hoc prima inſtitutione humilitatis ac patientiæ, atque in ea longa exercitatione præcognitus, admiſcendus ex hoc congregationi fratrum alii traditur Seniori, qui decem junioribus præeſt, quos ſibi creditos ab Abbate inſtituit pariter, & gubernat, ſecundùm illud ſcilicet, quod ordinatum in Exodo legimus per Moyſen.

CAPUT VIII.

Quibûs primùm inſtitutîs juniores exerceantur, ut ad ſuperandas omnes concupiſcentias proficiant.

CUjus hæc erit ſollicitudo, & eruditio principalis, per quam junior introductus aſcendere conſequenter etiam culmina perfectionis ſumma prævaleat. Ut doceat eum primitus ſuas vincere voluntates; quem ſtudioſè in his ac diligenter exercens hæc illi ſemper imperare de induſtria procurabit, quæ ſenſerit animo ejus eſſe contraria. Multîs ſiquidem experimentîs edocti tradunt, Monachum & maximè juniores, ne voluptatem concupiſcentiæ ſuæ refrænare poſſe, niſi priùs mortificare per obedientiam ſuas didicerit voluntates. Ideóque pronunciant nullatenus prævalere vel iram, vel triſtitiam, vel ſpiritum fornicationis extinguere, ſed nec humilitatem cordis veram, nec fratribus unitatem perpetuam, nec firmam, diuturnámque poſſe retinere concordiam, ſed nec in cœnobio quidem diutius permanere eum, qui priùs voluntates ſuas didicerit ſuperare.

CAPUT

CAPUT IX.

Quare junioribus imperetur, ut Seniori ſuo nihil de cogitationibus ſuis ſubtrahant.

His igitur inſtitutis eos, quos initiant, velut elementis quibûſdam ac ſyllabis imbuere ad perfectionem atque informare feſtinant, per hæc ad liquidum ſecernentes, utrùm ficta & imaginariâ, an verâ ſint humilitate fundati. Ad quod ut facilè valeant pervenire, conſequenter inſtituuntur, nullas penitus cogitationes prurientes in corde perniciosâ confuſione celare, ſed confeſtim, ut exortæ fuerint, eas ſuo patefacere Seniori: nec ſuper earum judicio quidquam ſuæ diſcretioni committere, ſed illud credere, malum eſſe, vel bonum, quod diſcuſſerit, ac pronuntiaverit Senioris examen. Ita fit, ut in nullo circumvenire juvenem callidus inimicus velut inexpertum, ignarúmque prævaleat, nec ullâ fraude decipere, quem prævidet non ſuâ, ſed Senioris diſcretione muniri, & ſuggeſtiones ſuas, velut ignita jacula, quæcumque in cor ejus injecerit, ut Seniorem celet, non poſſe ſuaderi. Aliter quippe ſubtiliſſimus Diabolus illudere, vel dejicere juniorem non poterit, niſi cùm eum ſeu per arrogantiam, ſive per verecundiam ad cogitationum ſuarum velamen illexerit. Generale namque & evidens indicium diabolicæ cogitationis eſſe pronunciant, ſi eam Seniori confundamur aperire.

CAPUT X.

Quanta juniorum obedientia, etiam in his, quæ naturali neceſſitati ſubjecta ſunt.

POſt hæc tantâ obſervantiâ obedientiæ Regula cuſtoditur, ut juniores abſque præpoſiti ſui ſcientia vel permiſſu non ſolùm non audeant cellâ progredi, ſed ne ipſi quidem communi, ac naturali neceſſitati ſatisfacere ſua authoritate præſumant. Sicque univerſa complere, quæcunque fuerint ab eo præcepta, tanquam ſi à DEO ſint cœlitus edita, ſine ulla diſcuſſione feſtinant, ut nonnunquam etiam impoſſibilia ſibimet imperata ea fide, ac devotione ſuſcipiant, ut tota virtute, ac ſine ulla cordis hæſitatione perficere ea, aut conſummare nitantur, & ne impoſſibilitatem quidem præcepti pro Senioris ſui reverentia metiantur. De quorum obedientia ſpeciatim nunc dicere prætermitto; exemplis enim eam ipſis paulò poſt tradere ſuò locô diſponimus, ſi Dominus nobis orationibûs veſtris dederit commeatum. Nunc inſtituta cætera proſequamur prætermittentes illa contexere, quæ in hac regione vel tradi monaſteriis, vel ab ipſis nequeunt cuſtodiri, ſicut in præfatiuncula noſtra facturos nos eſſe promiſimus: quod ſcilicet nec laneis indumentis utantur, ſed lineis tantùm & ne ipſis quidem duplicibus, quibus vicaria * præpoſitus unuſquiſque ſuæ decaniæ ſubminiſtrat, cùm illa, quibûs veſtiti ſunt, ſorduiſſe conſpexerit.

* Alternæ indumenta, quæ per vices mutantur.

CAPUT XI.

Cujuſmodi cibus apud eos delicatiſſimus habeatur.

ILlud quoque arduum, atque ſublime genus continentiæ ſimiliter prætermittens, in qua ſummæ reputantur deliciæ, ſi herba ſale condita, quam lapſanium vocant, aquâ diluta ad refectionem Fratribus apponatur, aliâque complura his ſimilia, quæ in hac provincia nec aërum temperies, nec qualitas noſtræ fragilitatis admittit, illa tantummodo proſequar, quæ nulla carnis infirmitas, non ſitus loci poterit impedire, ſi ea non fragilitas animæ, ac tepor mentis ademerit.

CAPUT XII.

Quòd ad ſonitum pulſantis oſtium, nihil operis non ommittant ſtudiô celeriter occurrendi.

ITaque confidentes intra cubilia ſua & operi, ac meditationi ſtudium pariter impendentes, cùm ſonitum pulſantis oſtium, ac diverſorum cellulas percutientis audièrint, ad orationem eos ſcilicet, ſeu ad opus aliquod invitantis certatim è cubilibus ſuis unuſquique prorumpit: ita ut is, qui opus ſcriptoris exercet, quam repertus fuerit inchoâſſe litteram, finire non audeat, ſed in eodem punctò, quô ad aures ejus ſonitus pulſantis advenerit, ſumma velocitate proſiliens ne tantùm quidem moræ interponat, quantum cœpti apicis conſummet effigiem, ſed imperfecta, litteræ lineas derelinquens, non tam operis compendia, lucrâve ſectetur, quàm obedientiæ virtutem exequi totô ſtudiò atque æmulatione feſtinet; quam non ſolùm operi manuum ſeu lectioni vel ſilentio, & quieti cellæ, verùm etiam cunctis virtutibus ita præferunt, ut huic judicent omnia poſtponenda, & univerſa diſpendia ſubire contenti ſint, dummodo hoc bonum in nullo violâſſe videantur.

CAPUT XIII.

Quàm criminoſum habeâtur, ſi aliquid vel viliſſimum quiſpiam ſuum dixerit.

ILlam ſanè virtutem inter cæteras eorum inſtitutiones vel commemorare ſuperfluùm puto, quòd ſcilicet nulli ciſtellam, nulli peculiarem ſportellam liceat poſſidere, nec tale aliquid, quod velut proprium retinens ſuò debeat communire ſignaculò. Quos ita novimus omni ex parte nudos exiſtere, ut præter colobium, maſortem, caligas, melotem ac pſiathiam * nihil ampliùs habeant: cùm in aliis quoque Monaſteriis, in quibus aliqua remiſſius indulgentur, hanc Regulam videamus ſtrictiſſimè nunc usque ſervari, ut ne verbô quidem audeat quis dicere aliquid ſuum, magnúmque ſit crimen ex ore Monachi proceſſiſſe: codicem meum, tabulas meas, graphium meum, tunicam meam, caligas meas, próque hoc dignâ pœnitentiâ ſatisfacturus ſit, ſi caſu aliquo per ſubreptionem vel ignorantiam hujusmodi verbum de ore ejus effugerit.

* Matte ſive Scorea.

CAPUT XIV.

Quòd, licèt multa pecunia de uniuscujusque opere congeratur, nullus tamen præſumat excedere ſtatutæ ſufficientiæ parcitatem.

ET cùm tantos unusquisque eorum quotidie de opere ac ſudore proprio redditus conferat Monaſterio, ut ex his ſuſtentare non ſolùm ſuam valeat parcitatem, verùm etiam uſibus poſſit exuberare multorum, in nullo tamen inflatur, nec ſibi de tanto operis ſui quæſtu, ac ſudore blanditur, ſed præter duo paxamacia, * quæ tribùs vix denariis ibidem diſtrahuntur, nihil ſibimet ampliùs unusquisque præſumit. Inter quos nullum peculiare opus (quod pudet dicere, quodque in nôſtris monaſteriis utinam fieri neſciremus) non dicam effectu, ſed ne cogitatione quidem ab aliquo penitus affectatur. Cúmque totam enthecam * cœnobii ſuam credat eſſe ſubſtantiam, cunctisque rebus ùt omnium Dominus, omnem curam, ſollicitudinémque dependat, ad retinendam nihilominus arreptæ nuditatis virtutem, quam ſtudet ad finem usque perfectè atque inviolabiliter cuſtodire, ita ſemetipſum à cunctis extraneum, & ex omnibus judicat alienum, ut tanquam peregrinum ſe gerat, & incolam iſtius mundi, alumnúmque ſe potius monaſterii reputet, ac miniſtrum, quàm Dominum cujuscunque rei præſumat.

* Panis ſex unciarum.

* Horreum, penus, Gazæ reconditorium.

CAPUT

CAPUT XV.

De immodico apud nos ſtudio habendi.

AD hæc nos miſerabiles quid dicemus, qui in cœnobiis commorantes, & ſub Abbatis cura & ſollicitudine conſtituti peculiares circumferimus claves, omnique profeſſionis noſtræ verecundiâ & confuſione calcatâ etiam annulos, quibus recondita præſignemus, in digitis palam geſtare nos non pudet, quibus non ſolùm ciſtellæ vel Sportæ, ſed ne arcæ quidem, vel armaria ad ea, quæ congerimus, vel quæ egreſſi de Sæculo reſervavimus, condenda ſufficiunt, quique ita nonnunquam pro viliſſimis, nulliſque rebus accendimur, eas duntaxat velut proprias vendicantes, ut ſi quis vel digitò quidquam ex his contrectare præſumpſerit, tantâ contra eum iracundiâ ſuppleamur, ut commotionem cordis noſtri ne à labiis quidem, ac tota corporis indignatione revocare poſſimus. Sed prætermiſſis noſtris vitiis, & his, quæ nec commemorari quidem dignum eſt, ſilentiô traditis ſecundùm illud eloquium: Non loquatur os meum opera hominum, Pſalm. 16. virtutes potiùs, quæ apud illos ſunt, & hæc, quæ nos quoque omni ſtudiô debemus appetere, cœpto narrationis ordine proſequamur, ipſáſque jam Regulas ac typos curſim, brevitérque ponamus, ut pervenientes poſthæc ad quosdam actus, & opera Seniorum, quæ ſtudioſè memoriæ mandare diſponimus, hæc, quæ noſtra expoſitione digeſta ſunt, velut teſtimoniis validiſſimis roboremus, univerſa, quæ diximus, exemplis eorum potiùs, ac vitæ auctoritate firmantes.

CAPUT XVI.

De Regulis diverſarum correptionum.

*Vas fictile, & potorium

SI quis igitur gillonem * fictilem, quem baucalem nuncupant, caſu aliquo fregerit, non aliter negligentiam ſuam, quàm publicâ diluet pœnitentiâ, cunctiſque in Synaxi Fratribûs congregatis tamdiu proſtratus in terram veniam poſtulabit, donec orationum conſummetur ſolemnitas, impetraturus eam cùm juſſus fuerit Abbatis judicio de ſolo ſurgere. Eôdem modô ſatisfaciet, quisquis ad opus aliquod accerſitus, vel ad Congregationem ſolitam tardiùs occurrerit, aut ſi decantans Pſalmum vel modicùm titubaverit; ſimiliter ſi ſuperfluè, ſi duriùs, ſi contumaciùs reſponderit, ſi negligentius obſequia injuncta compleverit, ſi vel leviter murmuraverit, ſi lectionem operi, vel obedientiæ præferens officia ſtatuta ſegniùs fuerit executus, ſi dimiſſâ Synaxi non concitus ad cellam recurrere feſtinaverit, ſi cum aliquo vel ad modicum ſubſtiterit, vel ſi ad punctum temporis uſpiam ſeceſſerit, ſi alterius tenuerit manum, ſi cum illo, qui cellulæ ſuæ cohabitator non eſt, confabulari quantulumcunque præſumpſerit, ſi oravit cum illo, qui eſt ab oratione ſuſpenſus, ſi parentum quempiam vel amicorum ſæcularium viderit, * vel collocutus ei ſine ſuo fuerit ſeniore, ſi Epiſtolam cujuscunque ſuſcipere, ſi reſcribere ſine Abbate ſuo tentaverit. Hucusque & in hujusmodi ac ſimilibûs admiſſis procedit animadverſio ſpiritalis. Reſidua verò, quæ apud nos indifferenter admiſſa, à nobis quoque reprehenſibiliùs ſuſtinentur, id eſt, aperta convitia, manifeſti contemptus, contradictiones tumidæ, libera & effrænata proceſſio, familiaritas apud fœminas, iræ, rixæ, ſimultates, & jurgia, operis peculiaris præſumptio, philargyriæ contagio, affectus, atque poſſeſſio rerum ſuperfluarum, quæ à cæteris fratribus non habentur, extraordinaria, ac furtiva cibi refectio, & his ſimilia, non illa increpatione, quam diximus, ſpiritali, ſed vel plagis emendantur, vel expulſione purgantur.

*Videre tentaverit.

CAPUT XVII.

Quibûs authoribûs ſit inventum, ut reficientibûs Fratribûs ſacræ lectiones in cœnobiis recitentur, & quantum apud Ægyptios præbeatur ſilentium.

ILlud autem, ut reficientibûs Fratribûs ſacræ lectiones in cœnobiis recitentur, non de typo Ægyptiorum proceſſiſſe, ſed de Cappadocum noverimus. Quos, nulli dubium eſt, non tam ſpiritalis exercitationis causâ, quàm compeſcendæ ſuperfluæ,

ſionæ, otioſæque confabulationis gratiâ, & maximè contentionum, quæ plerumque ſolent in conviviis generari, hoc ſtatuere voluiſſe, videntes eas aliter apud ſe non poſſe cohiberi. Apud Ægyptios enim, vel maximè Tabennenſiotas tantum ſilentium ab omnibus exhibetor, ut, cùm in unum tanta numeroſitas Fratrum refectionis obtentu conſederit, nullus ne mutire quidem audeat præter eum, qui ſuæ decaniæ præeſt; qui tamen ſi quid menſæ ſuperinferri, vel auferri neceſſarium eſſe perviderit, ſonitu potiùs, quàm voce ſignificat. Tantáque veſcentibûs eîs ſilentil hujus diſciplina ſervatur, ut cucullîs ultra oculorum palpebras demiſsîs (ne ſcilicet liber aſpectus habeat curioſiùs copiam evagandi) nihil amplius intueantur, quàm menſam, & appoſitos in ea, vel, quos ex ea capiunt, cibos, ita ut quemadmodum, vel quantùm reficiat alius, nullus invicem notet.

CAPUT XVIII.

Quàm illicitum ſit, extra menſam communem, quidquam cibi, potúſve guſtare.

ANtequam, vel poſtquam legitimam, communémque refectionem percipiant, ſumma cautione ſervatur, ne extra menſam quidquam cibi penitus * ori ſuo quisquam indulgere præſumat, ut incedentibus per hortos & pomaria, cùm paſſim, blandéque per arbores poma pendentia non ſolùm objiciant ſe pectoribus tranſeuntium, verùm etiam ſtrata per terram conculcanda pedibûs ſe offerant, atque ad colligendum parata, facilè ad conſenſum concupiſcentiæ illicere valeant intuentes, & opportunitate, vel copia quamvis diſtrictos, atque abſtinentiſſimos ad ſui deſiderium provocare, ſacrilegium ducatur non modo quidquam ex his deguſtare, verùm etiam manu contingere absque eo, quod palam cunctis in commune reficientibus exhibetur, & ad percipiendum Oeconomi diſpenſatione per Fratrum obſequia publicè miniſtratur.

* Locô penitus forſiſan *potúsve.*

CAPUT XIX.

Quemamodum per Palæſtinam, vel Meſopotamiam quotidiana Fratribus exhibeantur obſequia.

NE quid ſanè de inſtitutis Cœnobiorum prætermiſiſſe videamur, quemadmodum quotidiana Fratribus etiam per alias regiones exhibeantur obſequia, commemorandum breviter puto. Per cunctam námque Meſopotamiam, Palæſtinam & Cappadociam, ac totum Orientem ſingulîs hebdomadibûs viciſſim Fratres ad hæc officia ſibi reddenda ſoccedunt, ita ut ſecundùm cœnobii multitudinem miniſtrorum quoque numerus deputetur. Quæ explere tanta devotione, & humilitate deproperant, quanta nullus ſervorum diriſſimo Domino, ac præpotenti ſuum exhibet famulatum; ita ut ne iſtîs quidem ſolîs contenti obſequiîs, quæ canonico jure ſolvuntur, etiam nocte ſurgentes illos, quos ſpecialiter hæc manet cura, ſtudio ſuo relevent, & ea quæ ab ipſis perficienda ſunt, furtim prævenientes implere contendant. Has autem ſeptimanas unusquisque ſuſcipiens usque ad cœnam Dominici diei miniſtraturus obſervat. Quâ perfectâ miniſterium totius hebdomadis ita concluditur, ut hi, quibus ſuccedendum eſt, convenientibûs in unum Fratribûs ad concinendos Pſalmos, quos quieturi ex more decantant, omnibus in ordine pedes lavent, hanc ſcilicet ab eis pro labore totius ſeptimanæ benedictionis mercedem fideliter expetentes, ut eos explentes mandatum Chriſti emiſſa generaliter ab omnibus Fratribus oratio proſequatur, quæ vel pro ignorationibus intercedat, vel pro admiſſis humana fragilitate peccatis: & commendet DEO velut ſacrificium pingue conſummata eorum devotionis obſequia. Et ita ſecunda Sabbati poſt matutinos hymnos alils rurſum ſuccedentibus utenſilia, in quibus miniſtraverant ac vaſa conſignant, quæ tanta ſollicitudine, curáque ſuſcipientes cuſtodiunt, ne qoid ex eis imminuatur vel pereat, ut credant, ſe etiam pro minimis quibusqoe vaſis tanquam pro Sacroſanctis rationem non ſolùm diſpenſatori præſenti, ſed etiam Domino reddituros, ſi fortè aliquid ex eis negligentiâ eorum fuerit imminutum. Cujus diſciplinæ qui modus ſit, vel quanta fide & cautione ſervetur, unô teſtimoniô, quod exempli gratiâ ponam, poteritis agnoſcere. Sicut enim ſtudemus ſatisfacere veſtro fervori, quô plenam univerſorum cognitionem deſiderantes, etiam ea, quæ optimè nôſtis, hoc libello vobis cupitis iterari, ita veremur menſuram brevitatis excedere.

CAPUT

CAPUT XX.

De tribus lenticulæ granis ab Oeconomo repertis.

IN ſeptimana cujusdam Fratris, cùm prætериens Oeconomus tria lenticulæ grana vidiſſet jacere in terra, quæ hebdomadario feſtinanti, dum ea præparat coctioni inter manus cum aqua, quâ diluebantur, elapſa ſunt, confeſtim ſuper hoc Abbatem conſuluit, à quo velut interverſor, neglectórque ſacri peculii judicatus ab oratione ſuſpenſus eſt. Cujus negligentiæ reatus non aliter ei remiſſus eſt, niſi eum publicâ pœnitentiâ diluiſſet. Non ſolùm enim ſe ipſos non eſſe ſuos, ſed etiam omnia, quæ ſua ſunt, credunt Domino conſecrata. Propter quod, ſi quid fuerit in monaſterio ſemel illatum, ut Sacroſanctum cum omni decernunt reverentiâ debere tractari. Tantâque fide univerſa procurant, atque diſpenſant, ut etiam ea, quæ deſpectui habentur, parvâque reputantur ac vilia, ſi vel locô moverint, vel competentiùs collocaverint, ſi giſſonem aquâ impleverint, ſi ex eo cuiquam obtulerint ad bibendum, ſi tenuem feſtucam de Oratorio, Cellâve ſubmoverint, mercedem ſe conſecuturos à Domino tota credulitate confidant.

CAPUT XXI.

De ſpontaneo quorundam Fratrum miniſterio.

NOvimus Fratres, in quorum ſeptimana cùm accidiſſet tanta lignorum penuria, ut non eſſet penitus, unde ſoliti cibi Fratribus pararentur; & donec poſſent coëmpta deferri, ut cruda comeſtione, quæ dicitur Xerophagia, contenti eſſent, Abbatis fuiſſet authoritate præceptum, eſſétque hoc univerſis placitum, nec quisquam poſſet ullum coctionis ſperare pulmentum, illos, velut qui fructu ac mercede ſui laboris & obſequii fraudarentur, ſi in ordine vicis ſuæ cibos Fratribus non ſecundùm conſuetudinem paraviſſent, tantùm ſibi ſpontanei operis, ac ſollicitudinis indixiſſe, ut in illis aridis ac ſterilibus locis, in quibus ligna, niſi de fructiferis arboribus excidantur, omnimodìs nequeunt inveniri (nec enim apud nos ulla reperiuntur fruteta ſilveſtria) per extenta avia diſcurrentes, & eremum, quæ versùs mare mortuum tenditur, obeuntes feſtucas tenues ac Spinulas, quas ventus huc illúcque diſperſerat, ſuo ſinu & gremiis colligentes, cunctam ſolemnitatem ciborum ſpontaneìs obſequiìs præpararent: ita, ut de ſolita præbitione nihil paterentur imminui, tanta fide hæc ſua munia Fratribus exhibentes, ut etiam cùm illos honeſtè poſſet vel lignorum excuſare penuria, vel Abbatis imperium, pro fructu ſuo, atque mercede noluerint hâc abuti licentiâ.

CAPUT XXII.

De Ægyptiorum typo, qui eſt ſuper quotidianis Fratrum ſtatutus obſequiis.

HÆc dicta ſint ſecundùm typum, ùt præfati ſumus, totius Orientis: quem etiam in partibus noſtris neceſſariò dicimus debere ſervari. Cæterùm apud Ægyptios, quibus maxima cura eſt operis, non eſt hebdomadarum mutua viciſſitudo, ne ſub occaſione hujus officii omnes ab operis canone impediantur: ſed uni probatiſſimo fratrum cellarii vel coquinæ cura comittitur, qui perpetuo, donec vires ejus, vel ætas admittit, jugiter opus iſtud exerceat. Non enim magno labore corporis fatigatur, quia nec tanta cura inter eos parandorum ciborum, vel coctionis impenditur, quippe qui maximè Xerophagiìs, vel Homophagiìs utuntur, & apud quos ſecta ſingulis menſibus porrorum folia, lapſania, ſal frictum, olivæ, piſciculi minuti ſaliti, quos illi mœnidia * vocant, ſumma voluptas eſt.

* Fortè ſalſeculæ.

CAPUT XXIII.

De obedientia Abbatis Joannis, per quam usque ad prophetiæ provectus eſt gratiam.

ET qnoniam hic liber de inſtitutione eſt ejus, qui renunciat huic mundo, per quam ſcilicet introductus ad humilitatem veram, & obedientiam perfectam cæterarum quoque virtutum culmina poſſit aſcendere, neceſſarium reor quædam Seniorum geſta, quibûs per hanc enituêre virtutem, exempli gratiâ, ſicut promiſimus, explicare, de multis admodum pauca carpentes, ut ſtudentibus ſublimiora ſectari non ſolùm incitamentum ex his vitæ perfectæ, ſed etiam propoſiti forma procedat. Quamobrem duos vel tres pro libelli hujus compendio de tam innumera Patrum multitudine proferentes ponemus. Primum Abbatem Joannem, qui commoratus eſt juxta Lycon, quod eſt oppidum Thebaidis: quippe propter obedientiæ virtutem usque ad prophetiæ gratiam ſublimatus ſic univerſo claruit orbi, ut etiam Regibus mundi hujus meritô ſuô redderetur illuſtris. Nam cùm in extremis Thebaidæ partibus commaneret, non ante præſumebat Theodoſius Imperatòr ad præpotentium bella tyrannorum procedere, quàm oraculis illius animaretur, atque reſponſis. Quibus confidens velut cœlitus ſibi delatis trophæa de bellis deſperatis, atque hoſtibus reportavit.

CAPUT XXIV.

De ligno arido, quod idem Abbas Joannes ad arbitrium Senioris ſui quaſi ad adolendum rigare non deſtitit.

HIc itaque beatus Joannes ab adoleſcentia ſua usque ad perfectam, ac virilem ætatem Seniori ſuo deſerviens, donec ille in hujus vitæ converſatione duravit, tanta humilitate inhæſit ejus obſequiis, ut ipſi quoque Seni ſtuporem ſummum obedientia ejus incuteret. Cujus hanc virtutem utrum de vera fide, ac profunda cordis ſimplicitate deſcenderet, an affectatitia eſſet, & quodammodo coactitia, atque ad imperantis faciem præberetur volens maniſeſtiùs explorare, quam plura ei etiam ſuperflua, minùsque neceſſaria, vel impoſſibilia frequentiùs injungebat. Ex quibus tria ponam, per quæ manifeſtari poſſit volentibus ſcire vel mẽtis ejus, vel ſubjectionis integritas. Sumpſit namque de lignario ſuo ſenex virgultũ, quod olim exciſum uſibus foci fuerat præparatũ, dumque coctionis retardat occaſio, non modo aridum, ſed prope putre jacebat temporis vetuſtate. Cùmque hoc coram ipſo fixiſſet in terram, præcepit advectâ aquâ quotidie bis rigari, ut ſcilicet diurnis humoribus radicatum, atque in antiquam arborem reviviſcens diffusîs ramîs amœnitatem oculis, atque umbraculum in æſtu ferventi ſubter reſidentibus exhiberet. Quod præceptum veneratione ſolitâ ſine ulla impoſſibilitatis conſideratione ſuſcipiens adoleſcens ita quotidianîs diebûs explevit, ut aquam per duo fermè milliaria indeſinenter apportans nullatenus lignum rigare ceſſaret. Atque per totum anni ſpatium non infirmitas corporis, non feſtivitas ſolemnitatis, non occupatio neceſſitatis ullius, quæ illum etiam honeſtè excuſaret ab executione mandati, non denique hyemis aſperitas intercedens ab hujus obſervatione præcepti potuerit impedire; cúmque ejus hanc ſedulitatem tacitus ſenex latenter diebûs ſingulîs exploraret, & videret eum ſimplici cordis affectu mandatum ſuum velut divinitus emiſſum ſine ulla permutatione vultûs, vel rationis diſcuſſione ſervare ſinceram humilitatis ejus obedientiam comprobans, pariter etiam miſerans tam longum laborem, quem per totum anni ſpatium ſtudiô devotionis impenderat, ad virgultum aridum accedens: O, inquit, Joannes miſitne radices hæc arbor, vel non? cúmque ille ſe neſcire dixiſſet, Senex velut inquirens rei veritatem, & tanquam tentans, utrum jam ſuis radicibus niteretur, evulſit coram ipſo levi commotione virgultum, ſicque projiciens illud præcepit, ut deinceps rigare deſineret.

CAPUT XXV.

De projectô ab Abbate Joanne vaſe unicô Olei ad Senioris Imperium.

Itaque cùm hujuſmodi exercitiîs eruditus quotidie juvenis in hac parendi virtute ſucceſceret, & humilitatis ejus enteſceret gratia, atque obedientiæ ſuæ ſuavis odor per Monaſteria univerſa fragraret, quidam Fratrum probationis, imo ædificationis obtentu venientes ad Senem, cùm ſubjectionem ejus, quam audierant mirarentur, vocans eum repente ſenex: Aſcende, ait, & ſumens lenticulam olei, quæ ſola in eremo ſuis, vel advenientium uſibus liquorem pinguedinis tenuiſſimum miniſtrabat, deorſum projice per feneſtram: Quam ille, cùm ad ſuperiora concitus pervolâſſet, per feneſtram projiciens comminuendam miſit ad terram, parùm cogitans, vel retractans præcepti ineptiam, diurnam neceſſitatem, infirmitatem corporis, penuriam ſumptuum, eremi ſqualentis anguſtias, ac difficultates, in qua etiamſi pecunia ſuppeditaret; nihilominus perdita ſpecies inveniri, repararique non poſſet.

CAPUT XXVI.

Quemadmodum Abbas Joannes ſuo obediêrit Seniori, cùm niteretur volvere prægrande Saxum, quod ne à multis quidem poſſibile erat moveri.

Aliîs rurſum ædificari cupientibûs obedientiæ hujus exemplô, vocans eum Senior, Curre, inquit, Joannes, Saxum illud huc advolve quantocyus. Qui confeſtim Saxum immane, quod turbæ multæ hominum vel movere non poſſent, applicita nunc cervice, nunc toto pectore, tanto niſu atque conatu provolvere contendebat, ut ſudore omnium membrorum ſuorum non ſolùm totum infunderet veſtimentum, ſed etiam Saxum ipſum ſuis cervicibus humectare, in hoc quoque parùm metiens impoſſibilitatem præcepti, vel facti pro reverentia Senioris, & obſequii ſimplicitate ſincera, quâ credebat Senem tota fide nihil poſſe in caſſum, ac ſine ratione præcipere.

CAPUT XXVII.

De humilitate & obedientia Abbatis Mucii, quam in projiciendo in fluvium parvulo Filio ex præcepto Senioris non hæſitavit implere.

Hucusque Abbatis Joannis pauca de multis dixiſſe ſufficiat, nunc Abbatis Mucii factum memoriâ dignum comprehendam. Hic namque renuntiare deſiderans huic mundo tamdiu pro foribus Monaſterii excubans perduravit, donec immobili perſeverantiâ ſuâ contra omnem conſuetudinem cœnobiorum cum Filio ſuo parvulo, qui octo circiter erat annorum, ut ſuſciperetur, eliceret. Cúmque tandem recepti fuiſſent, confeſtim non ſolùm diverſis præpoſitis traditi, verùm etiam cellæ habitatione ſejuncti ſunt, ne ſcilicet jugi viſione parvuli, reminiſceretur pater ex omni ſua, quàm renuncians abjecerat, facultate, atque affectione carnali ſaltem ſibi Filium ſupereſſe: & quemadmodum ſe jamjam divitem non eſſe ſciebat, ita etiam patrem ſe eſſe neſciret. Quod ut pleniùs probaretur, utrum videlicet plus faceret affectione ſanguinis, ac ſuorum viſcerum charitate, an obedientiâ & mortificatione Chriſti, quam renuncians quiſque pro ejus debet amore præferre, de induſtria negligebatur parvulus pannîs potiùs quàm veſtimentîs indutus, ſordibûs quoque ita obſitus ac fœdatus, ut offendere potiùs, quàm delectare paternos oculos poſſet, quoties ab eo fuiſſet aſpectus; ſed etiam colaphis atque alapis expoſitus diverſorum, quas plerumque ſub obtutibus ſuis innocenti parvulo etiam gratis cernebat infligi, ita ut nunquam genas ejus niſi lacrymarum ſordentibûs veſtigiîs videret infectas. Cúmque taliter infans ſub oculis ejus per dies ſingulos ageretur, pro amore nihilominus Chriſti & obedientiæ virtute rigida ſemper, atque immobilia patris viſcera permanſerunt. Non enim jam reputabat ſuum Filium, quem ſecum pariter obtulerat Chriſto, nec curabat de præſentibus ejus injuriis, ſed potiùs exultabat, quòd eas nequaquam infru-

duoſè cernebat tolerari: parùm cogitans de lacrymis ejus, ſed de propria humilitate ac perfectione ſollicitus; Quam diſtrictionem mentis illius atque immobilem rigorem pervidens cœnobii Senior ad comprobandam penitus animam ejus conſtantiam, cùm plorare quadam die vidiſſet infantem, ſimulans ſe adverſus eum commotum præcepit Patri, ut tollens eum jactaret in flumen. Tunc ille velut à Domino ſibi hoc præceptum eſſet, confeſtim celeri curſu rapiens Filium, ulnis propriis uſque ad oram fluminis advexit jactaturus. Quod profectò fervore fidei, & obedientiæ ejus fuiſſet opere conſummatum, niſi procurati fuiſſent de induſtria Fratres, qui ſollicitè ripam fluminis obſiderent, projectúmque jam, & quodammodo de fluminis alveo parvulum rapuiſſent: & conſummationem præcepti, obſequio Patris ac devotione completam, ab effectu operis atque ab ipſo fine revocâſſent.

CAPUT XXVIII.

Quemadmodum revelatum ſit Abbati de Patre Mucio, opus eum Abrahæ feciſſe, & quòd defuncto eidem Abbati idem Pater Mucius in Monaſterii adminiſtrationem ſucceſſerit.

Cujus fides atque devotio in tantum Deo fuit accepta, ut divinô ſtatim teſtimoniô comprobatum ſit. Revelatum namque eſt continuò Seniori, hac eum obedientiâ Abrahæ Patriarchæ opus impleſſe. Cúmque brevi tempore tranſacto idem Abbas Cœnobii de mundi hujus commoratione migraſſet ad Dominum, hunc præponens cunctis Fratribus ſucceſſorem ſibi, atque Abbatem Monaſterio dereliquit.

CAPUT XXIX.

De obedientia Fratris, qui decem ſportas circumferens publicè diſtraxit ad Abbatis Imperium.

NOn tacebimus etiam nobis cognitum Fratrem, ſecundùm Sæculi hujus ordinem ſummæ Familiæ; nam Patre Comite, ac ditiſſimo oriundus fuit, ſtudiis quoque liberalibûs non mediocriter inſtitutus. Qui relictis parentibûs, cùm ad Monaſterium pervolâſſet, ad comprobandam mentis humilitatem, vel fidei ejus ardorem confeſtim ei à Senioribus præceptum eſt, ut decem ſportas, quas neceſſe non erat publicè venditari, cervicibus ſuis onerans diſtrahendas per plateas circumferret: adjecta conditione, quâ diutius in hoc officio retineretur, ut ſi fortè eas unus pariter coëmere voluiſſet, non cederet: Sed ſingillatim eas quærentibus venumdaret. Quod ille tota devotione complevit, & omni confuſionis verecundiâ pro nomine ac deſiderio Chriſti calcatâ ſportas humeris ſuis imponens pretiô ſtatutô diſtraxit, ac pecuniam ad Monaſterium reportavit nequaquam perterritus tam vilis, & inſueti officii novitate, nec conſiderans indignitatem rei, natalîumque ſplendorem ac venditionis injuriam, dum illam Chriſti humilitatem, quæ eſt vera nobilitas; per obedientiæ gratiam deſiderat obtinere.

CAPUT XXX.

De Abbatis Pynufii humilitate, qui relicto cœnobio celeberrimo, cui Preſbyter præerat, longinquum Monaſterium, in quo velut incipiens ſuſciperetur, deſiderio ſubjectionis expetiit.

COarctat nos libelli modus ad finem tendere, ſed obedientiæ bonum, quæ inter cæteras virtutes primatum tenet, non patitur nos eorum geſta, qui per hanc claruerunt, penitus ſilentiô prætere. Propter quod utrumque congruè temperantes, id eſt, tam brevitati, quàm ſtudioſorum deſideriis, atque utilitatibus ſervientes, unum adhuc ponemus humilitatis exemplum, quod non ab incipiente, ſed à perfecto, atque Abbate completum non ſolùm juniores inſtruere, ſed

etiam Seniores ad perfectam humilitatis virtutem lectione ſua poterit incitare. Vidimus itaque Abbatem Pynuſium qui, cùm eſſet Immanis Cœnobii Presbyter, quod eſt in Ægypto non longè à Panephyſi civitate, & pro ipſa reverétia vel vitæ ſuæ, vel ætatis, velSacerdotii cunctis honorabilis, ac venerandus exiſteret, videns ſe pro hoc ipſo humilitatem illam, quam ſecundùm ſuæ mentis ardorem concupiêrat, exercere non poſſe, nec habere, quò virtutem deſideratæ ſubjectionis extenderet, clam fugiens de Cœnobio ſeceſſit ſolus in Thebaidos ultimas partes: Ibique depoſito habituMonachorum aſſumpta ſæculari veſteCœnobium Tabennenſiotarum expetiit, quod ſciebat, cunctis eſſe diſtrictius, & in quo ſe vel pro longitudine regionis credidit ignorandum, vel pro magnitudine Monaſterii, ac multitudine Fratrum facilè poſſe celari. Ubi diutiſſimè præ foribus perſeverans, cunctorumFratrũ genibus provolutus, ut ſuſciperetur, ſummis precibus ambivit. Cùmque multo deſpectu tandem fuiſſet admiſſus, quòd ſcilicet decrepitus ſenex, & qui omnem ſuam in ſæculo vitam pervixiſſet, ætate ultima ingredi Cœnobium poſtularet, quo tempore jam ne deſervire quidem ſuis voluptatibus prævaleret; ac ne hoc quidem ipſum causâ religionis expetere eum aſſererent, ſed famis & inopiæ neceſſitate conſtrictum; ùt ſeni, nullique operi penitus apto, horti cura, diligentiáque mandatur. Quam ſub alio Fratre juniore, qui eum ſibi creditum retinebat, exercens ſic eidem ſubdebatur, tantáque obedientia deſideratam humilitatis excolebat virtutem, ut non ſolùm ea, quæ ad horti curam, diligentiámque pertinebant, verùm etiam univerſa officia, quæ cunctis erant aſpera, vel indigna, atque ab omnibus ducebantur horrori, tota quotidie ſedulitate compleret. Complura enim nocte conſurgens, ita furtim, nullo teſte, vel conſcio tenebrîs occulentibûs efficiebat, ut penitus authorem Operis nemo deprehenderet: cúmque ibidem trienniô deliteſcens diſperſis per univerſum Ægyptum ubique Fratribus quæreretur, à quodam tandem viſus, qui de Ægypti partibus commeârat, vix potuit pro humilitate habitûs ſui, ac vilitate officii, quod gerebat, agnoſci. Nam ſarculo deorſum incurvus laxabat oleribus terram, deinde ſtercus humerîs ſuîs advectans eorum radicibus ingerebat. Cúmque hæc intuens Frater ſuper agnitione ejus diutiſſima fuiſſet hæſitatione detentus, propiùs tandem accedens, & non ſolùm vultum, ſed etiam ſonum vocis diligenter explorans ad pedes ejus cominus procidiſſet, primò quidem ſuper hoc ſtuporem ſummum videntibus cunctis incuſſit, cur videlicet iſtud faceret ei, qui apud ipſos velut novitius ac de ſæculo nuper egreſſus habebatur extremus; poſt verò miraculô ſunt majore perculſi, cùm ejus nomen, quod apud ipſos quoque magna fuerat opinione compertum, protinus prodidiſſet. A quo univerſi Fratres prioris ignorantiæ veniam poſtulantes, quòd eum videlicet tanto tempore inter juniores, ac parvulos deputâſſent, invitum ac flentem, quòd invidia diaboli digna ſibi converſatione atque humilitate fraudatus, quàm diutiſſimè requiſitam tandem aliquando ſe inveniſſe gaudebat, nec meruiſſet vitam ſuam in illa, quam arripuerat, ſubjectione finire; ad proprium Cœnobium reduxerunt cuſtodientes eum ſummâ diligentiâ, ne ab eis quoque ſimiliter quoquam dilapſus aufugeret.

CAPUT XXXI.

Quemadmodum Abbas Pynuſius reductus in Monaſterium ſuum, & modico tempore ibidem converſatus iterum fugerit in partes Syriæ.

UBi cùm fuiſſet modico tempore demoratus eôdem rurſus humilitatis deſideriô atque ardore ſuccenſus, captans nocturna ſilentia ita diffugit, ut non jam provinciam tam vicinam, ſed ignotas & alienas longéque diviſas regiones expeteret. Nam conſcendens navim in Palæſtinæ partes commeare curavit, credens, ſe tutius latitaturum, ſi ad illa ſemetipſum aſportâſſet loca, in quibus ne nomen quidem ſuum fuiſſet auditum. Quò cùm adveniſſet, noſtrum Monaſterium protinus expetivit, quod non longè fuit à ſpeldo, in quo Dominus noſter JEſus Chriſtus ex Virgine naſci dignatus eſt. In quo permodico tempore deliteſcens, ſecundùm ſententiam Domini Matth. 5. tanquam civitas ſuper montem poſita, diutius abſcondi non potuit. Nam continuo quidam Fratrum, qui ad loca ſancta de Ægypti partibus orationis causâ convenerant, agnitum eum ſummâ vi precum ad Cœnobium revocârunt.

CAPUT XXXII.

Quæ præcepta dedit idem Abbas Pynuſius Fratri, quem in ſuum Monaſterium recipiebat.

HUnc igitur Senem pro illa, quæ nobis fuerat apud ipſum in Monaſterio noſtro familiaritas, cùm poſthæc in Ægypto ſtudioſiſſimè requiſiſſemus, exhortationem, quam dedit Fratri, quem ſub noſtra præſentia in Cœnobio ſuo recipiebat, quia puto ex hac poſſe aliquid inſtructionis accedere, animus eſt opuſculo huic intexere. Nôſti, ait, quot diebûs pro foribus excubans, hodie ſis receptus. Cujus difficultatis cauſam primitus debes agnoſcere: poterit enim tibi in hac via, quam ingredi concupiſcis, multùm conferre, ſi ratione ejus agnita ad Chriſti ſervitium conſequenter, ac ſicut oportet, acceſſeris.

CAPUT XXXIII.

Quòd ſicut magna remuneratio Monacho debetur ſecundùm inſtitutionem Patrum laboranti, ita & pœna ſimiliter tribuatur, & idcirco non debeat quis facilè admitti in Monaſterio.

SIcut namque immenſa gloria fideliter ſervientibus Deo, ac ſecundùm inſtitutionis hujus Regulam ei cohærentibus repromittitur in futurum; ita pœnæ graviſſimæ præparantur his, qui tepidè eam, negligentérque fuerint executi, & ſecundùm hoc, quod profeſſi ſunt, vel quod ab hominibus eſſe creduntur, fructus etiam congruos ſanctitatis eidem exhibere neglexerint. Melius eſt enim ſecundùm ſcripturam, non vovere quemquam, quàm vovere, & non reddere! Et, maledictus, qui facit Opus Dei negligenter. Ideo igitur à nobis diutiſſimè refutatus es, non quia tuam vel omnium ſalutem non totò deſideriò cupiamus amplecti; ſed ne temerè recipientes, & nos apud DEUM levitatis, & temetipſum reum gravioris ſupplicii faceremus, ſi ad præſens facilè ſuſceptus, nec pondus profeſſionis hujus intelligens, vel deſtitutor poſthæc, vel tepidus extitiſſes: Quamobrem ipſam cauſam abrenuntiationis debes in primis agnoſcere: quâ perſpectâ, quid te conveniat agere ex ejus ratione manifeſtiùs inſtruaris.

Eccl. 5.
Jerem. 48.

CAPUT XXXIV.

Quòd abrenuntiatio noſtra nihil ſit aliud, quàm mortificatio, & imago crucifixi.

ABrenuntiatio nihil eſt aliud, quàm crucis ac mortificationis indicium. Ideóque noveris hodierno die te huic mundo & actibus ejus, ac deſideriis eſſe defunctum. Téque ſecundùm Apoſtolum mundo huic eſſe crucifixum, tibique hunc mundum. Conſidera ergò conditiones crucis, ſub cujus te deinceps Sacramento oportet in hac luce verſari, quia jam tu non vivis, ſed ille vivit in te, qui eſt crucifixus pro te. Eo ergo habitu ac figura, quâ pro nobis in patibulo fuit ille ſuſpenſus, nos quoque neceſſe eſt in hac vita degere, ut ſcilicet ſecundùm David, affigentes de timore Domini carnes noſtras, univerſas voluntates ac deſideria, non noſtræ concupiſcentiæ ſervientia, ſed mortificationi ejus habeamus adfixa. Sic enim Domini præceptum implebimus dicentis: qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Sed fortè dicas: quomodo poteſt homo crucem ſuam jugiter portare, vel quemadmodum vivens quis poſſit eſſe crucifixus. Audi rationem breviter.

Galat. 6.
Galat. 2.
Pſalm. 118
Matth. 10.

CAPUT XXXV.

Quòd crux noſtra timor Domini ſit.

CRux noſtra timor Domini eſt; ſicut ergo crucifixus quis jam non pro animi ſui motu membra ſua quoquam movendi, vel convertendi habet poteſtatem: ita nos voluntates noſtras ac deſideria non ſecundùm id, quod nobis ſuave eſt, ac delectat ad præſens, ſed ſecundùm legem Domini, quo nos illa conſtrinxerit, applicare debemus. Et ſicut is, qui patibulo crucis affigitur, non jam præſentia contemplatur, nec de ſuis affectionibus cogitat, non pro die craſtino ſollicitudine,

tudine, curáque diſtenditur, nulla poſſidendi concupiſcentia permovetur, nulla ſuperbia, nulla contentione, nulla æmulatione ſuccenditur non de præſentibus dolet injuriis, non præteritarum jam recordatur, ſéque cùm adhuc ſpirat in corpore, cunctis elementis credit eſſe defunctum, illuc præmittens ſui cordis intuitum, quo ſe non dubitat illico tranſiturum: ita nos quoque timore Domini crucifixos oportet his omnibus, id eſt, non ſolùm carnalibus vitiis, verùm etiam ipſis elementis mortuos eſſe, illuc habentes oculos animæ noſtræ defixos, quò nos ſperare debemus momentis ſingulis migraturos. Hoc enim modo mortificatas poterimus univerſas concupiſcentias noſtras, & affectus habere carnales.

CAPUT XXXVI.

Quòd renuntiatio noſtra nihil proſit, ſi iîſdem, quibus renuntiavimus, implicemur.

CAve ergo, ne quid aliquando eorum reſumas, quæ renuntians abjeciſti, & Matth. 24. contra Domini interdictũ de agro Evangelicæ operationis reverſus, inveniaris tunicâ tuâ, quâ te expoliaveras, reveſtiri: neque ad humiles, terrenáſque mundi hujus concupiſcentias ac ſtudia revolvaris, & contra Chriſti mandatũ de perfectionis tecto deſcendens, tollere aliquid præſumas ex his, quæ renuncians abdicâſti. Cave ne parentum, ne affectionis priſtinæ recorderis, & ad curas hujus Sæculi, ſollicitudinéſque revocatus ſecundùm Salvatoris ſententiam ponens manum tuam ſuper aratrum, & aſpiciens retro, regno Luc. 9. cœlorum aptus eſſe non poſſis. Cave ne quando ſuperbiam, quam nunc incipiens ardore fidei, ac plena humilitate calcâſti, cùm cœperis Pſalmorum, vel profeſſionis hujus quandam notitiam deguſtare, paulatim elatus reſuſcitare mediteris, ac ſecundùm Apoſtoli ſententiam, Galat. 2. quæ deſtruxiſti, iterum reædificans prævaricatorem conſtituas temetipſum, ſed potiùs ut in hac nuditate, quam coram DEO & Angelis ejus profeſſus es, ad finem usque perdures; in hac quoque humilitate, ac patientia, quâ, ut ſuſciperis in Monaſterio, decem diebûs pro foribus perſeverans multîs lacrymîs implorâſti, non modo perſiſtas, verùm etiam proficias, atque ſuccreſcas. Satis enim miſerum eſt, ut, cùm debeas à rudimentis ac primordiis tuis provehi, & ad perfectionem tendere, etiam ab ipſis incipias ad inferiora recidere. Non enim, Matth. 10. & 24. qui cœperit hæc, ſed qui perſeveraverit in his usque ad finem, hic ſalvus erit.

CAPUT XXXVII.

Quòd Diabolus noſtro fini ſemper inſidietur, & nos ejus caput jugiter obſervare debeamus.

Gen. 3. VErſutus enim ſerpens calcanea noſtra ſemper obſervat, id eſt inſidiatur exitui noſtro, & usque in finem vitæ noſtræ nos ſupplantare conatur. Et idcirco benè cœpiſſe nihil proderit, nec pleno fervore renuntiationis arripuiſſe principia, ſi hæc congruus etiam finis ſimiliter non commendaverit, atque concluſerit, Chriſtique humilitas, atque paupertas quam nunc coram ipſo profeſſus es, usque ad extremum vitæ, quemadmodum arrepta eſt, à te non fuerit cuſtodita. Quòd ut poſſis implere, tu ejus capita, id eſt, cogitationum principia ſemper obſerva, ad Seniorem ſcilicet mox ea deferens. Ita enim diſces pernicioſa ejus initia conterere, ſi nihil ex eis Seniori tuo erubueris revelare.

CAPUT XXXVIII.

De renuntiantis præparatione adverſùm tentationes, & de paucis imitandis.

QUapropter ſecundùm Scripturæ ſen- Eccl. 2. tentiam egreſſus ad ſerviendum Domino ſta in timore Dei, & præpara animam tuam non ad requiem, non ad ſecuritatem, non ad delicias, ſed ad tentationes, Act. 14. & anguſtias. Per multas enim tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Auguſta namque eſt porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam. Conſidera ergo te de paucis & electis effectum, & ne exemplo ac tepore multitudinis refrigeſcas, Matth. 20. & 22. ſed vive ùt pauci, ut cum paucis inveniri merearis in regno Dei. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi, & puſillus eſt grex, cui complacuit Patri hære- Luc. 12.

ditatem dare. Itaque non leve noveris eſſe peccatum, perfectionem profeſſum quempiam ea, quæ ſunt imperfecta, ſectari. Ad quem perfectionis ſtatum his gradibus, atque hoc ordine pervenitur.

CAPUT XXXIX.

Quò ordine ad perfectionem aſcendere oporteat.

PRincipium noſtræ ſalutis ejuſdemque cuſtodia, ſicut dixi; timor Domini eſt. Per hunc enim & initium converſionis, & vitiorum purgatio, & virtutum cuſtodia his, qui imbuuntur ad viam perfectionis, acquiritur. Qui, cùm penetraverit hominis mentem, contemptum rerum omnium parit, oblivionem parentum, mundique ipſius gignit horrorem: Contemptu autem ac privatione facultatum omnium humilitas acquiritur. Humilitas verò his indiciis comprobatur: Primò ſi mortificatas in ſe habeat omnes voluntates. Secundò ſi non ſolùm actuum ſuorum, verùm etiam cogitationum nihil ſuum celaverit Seniorem. Tertiò, ſi nihil ſuæ diſcretioni, ſed judicio ejus univerſa committat, ac monita ejus ſitiens ac libenter auſcultet. Quartò ſi in omnibus ſervet obedientiam, manſuetudinem, & patientiæ conſtantiam. Quintò ſi non ſolùm injuriam inferat nulli, ſed ne ab alio ſibimet irrogatam doleat, atque triſtetur. Sextò ſi nihil agat, nihil præſummat, quod non vel communis Regula, vel majorum cohortantur exempla. Septimò ſi omni vilitate contentus ſit, & ad omnia, quæ ſibi præcipiuntur, velut operarium malum, ſe judicaverit, & indignum. Octavò ſi ſemetipſum cunctis inferiorem non ſuperficie pronunciat labiorum, ſed intimo cordis credat affectu. Nonò ſi linguam cohibeat, vel non ſit clamoſus in voce. Decimò ſi non ſit facilis ac promptus in riſu. Talibus namque indiciis & his ſimilibus humilitas vera dignoſcitur. Quæ cùm fuerit in veritate poſſeſſa, confeſtim te ad charitatem, quæ timorem non habet, gradu excellentiore perducet, per quam univerſa, quæ priùs non ſine pœna formidinis obſervabas, abſque ullo labore velut naturaliter incipies cuſtodire, non jam contemplatione ſupplicii vel timoris illius, ſed amore ipſius boni & delectatione virtutum.

CAPUT XL.

Quòd non debeat Monachus exempla perfectionis à multis expetere, ſed ab uno, vel paucis.

AD quod ut valeas facilius pervenire, exempla tibi ſunt imitationis ac vitæ perfectæ in Congregatione commoranti à paucis, imò ab uno vel duobus, non à pluribus expetenda. Nam præter id quòd examinata vita, atque ad purum excocta reperitur in paucis, etiam iſtud ex hoc utilitatis accedit, quod ad perfectionem propoſiti hujus, id eſt, cœnobialis vitæ diligentiùs quis unius imbuitur ac formatur exemplo.

CAPUT XLI.

In Congregatione cœnobitica conſtituti quid tolerare, ac ſuſtinere debeant.

QUæ omnia ut poſſis conſequi, & ſub hac Regula perpetuò perdurare tria hæc in Congregatione neceſſariò cuſtodienda ſunt tibi, ut ſcilicet ſecundùm
Pſalm. 37. Pſalmiſtæ ſententiam: Ego autem tanquam ſurdus non audiebam & ſicut mutus, qui non aperit os ſuum; & factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones. Tu quoque velut ſurdus ac mutus & cœcus incedas, ut abſque illius contemplatione, qui tibi fuerit ad imitandum, meritò perfectionis allectus, univerſa quæcunque videris minùs ædificationis habentia, velut cœcus non videas, ne animatus eorum, qui hæc agunt, auctoritate vel forma, ad id, quod deterius eſt, & quod ante damnaveras, traducaris. Si inobedientem, ſi contumacem, ſi detrahentem audiêris, vel ſecus, quam tibi traditum eſt, aliquid admittentem, non offendaris, nec ad imitandum eum tali

ſub-

ſubvertaris exemplô; ſed ùt ſurdus, qui hæc penitùs nec audieris, univerſa tranſmittas. Si tibi vel cuiquam convicia, ſi irrogantur injuriæ, eſto immobilis, & ad reſponſionem talionis ùt mutus auſculta, ſemper hunc Pſalmiſtæ verſiculum
Pſalm. 38. in corde tuo decantans: dixi, cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator adverſum me, obmutui & humiliatus ſum, & ſilui à bonis. Verùm & quartum hoc præ omnibus excole, quod hæc, quæ ſupra diximus, tria ornet, atque commendet, id eſt, ùt ſtultum te ſecundùm Apoſtoli ſenten- 1. Cor. 3.
tiam facias in hoc mundo, ut ſis ſapiens, nihil ſcilicet diſcernens, nihil dijudicans ex his, quæ tibi fuerint imperata; ſed cum omni ſimplicitate ac fide obedientiam ſemper exhibeas, illud tantummodo ſanctum, illud utile, illud ſapiens eſſe judicans, quidquid tibi vel lex Dei, vel Senioris examen indixerit. Tali enim inſtitutione fundatus ſub hac diſciplina poteris durare perpetuo, & de cœnobio nullis tentationibùs inimici, nullis factionibûs devolveris.

CAPUT XLII.

Quòd bonum patientiæ ſuæ non debeat Monachus de aliorum ſperare virtute, ſed de ſua longanimitate.

ERgo patientiam tuam non debes de aliorum ſperare virtute, id eſt, ut tunc eam tantummodo poſſideas, cùm à nemine fueris irritatus, quod, ut poſſit non evenire, tuæ non ſubjacet poteſtati, ſed potius de humilitate tua & longanimitate, quæ in tuo pendet arbitrio.

CAPUT XLIII.

Recapitulatio expôſitionis, per quam Monachus ad perfectionem poſſit tendere.

ET ut hæc omnia, quæ latiori Sermone digeſta ſunt, cordi tuo faciliùs inculcentur, ac tenaciſſimè tuis ſenſibus valeant inhærere, quoddam ex his breviarium colligam, per quod poſſis brevitate & compendio mandatorum memoriter, univerſa complecti. Audi ergo paucis ordinem, per quem aſcendere ad perfectionem ſummam ſine ullo labore, ac difficultate valeas. Principium noſtræ ſalutis, ſapientiæque ſecundùm
Prov. 1. Scripturas timor Domini eſt. De timore Domini naſcitur compunctio ſalutaris. De compunctione cordis procedit abrenunciatio, id eſt, nuditas & contemptus omnium facultatum. De nuditate humilitas procreatur. De humilitate mortificatio voluntatum generatur. Mortificatione voluntatum extirpantur atque marceſcunt univerſa vitia. Expulſione vitiorum virtutes fructificant, atque ſuccreſcunt. Pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur. Puritate cordis Apoſtolicæ charitatis perfectio poſſidetur.

ADDITAMENTUM II.

REGULA
S. PACHOMII ABBATIS
Omnino diverſa ab altera in Codice Regularum relata
Doctiſſimis Notis & Scholiis Alardi Gazæi Monachi Benedicti illuſtrata.

OBSERVATIO CRITICA.

Etiamſi Clariſſimus Holſtenius in ſuo Regularum Codice Regulam, Præcepta, & Epiſtolas S. Pachomii fideliter retulerit, atque variis veterum teſtimoniis exornaverit, noſque more noſtro, obſervatione præviâ præmiſſa, debito loco collocaverimus, nimirum à pagina XXII. ad paginam XLVII. attamen nuper attentiùs perſcrutando Opera S. Joannis Caſſiani à ſæpe laudato Gazæo edita ad calcem illius eximii voluminis incidimus in Regulam præſentem ab altera omnino diverſam, aliter diſtributam & in multis detruncatam, quamvis in aliquibus ſæpius abundantem, præſertim circa Puellarum Diſciplinam. Hanc Regulam acceptam refert Gazæus Petro Ciaconio, qui etiam S. Caſſiani Encomiaſtes exiſtens & illam ex vetuſto quodam codice deſcriptam Operibus Sanctiſſimi illius Abbatis aſſuendam rogavit, cùm in Inſtitutis Monaſticis jam ſupra relatis à Caſſiano frequens ſit mentio Diſciplinæ Tabennenſium Monachorum, quam quidem eorum Abbas Sanctiſſimus Pachomius inſtituit. Dolendum ſanè eſt, nec Ciaconium, nec Gazæum annotâſſe locum vel Codicem, unde hæc Regula deſumpta fuit, nam horum Auctorum tempore nondum Codex Regularum lucem publicam viderat, neque Doctiſſimus Hugo Menardus, in Concordia Regularum pag. 54. aliam ab hac diverſam reperire potuit, quam quidem imperfectam agnoſcit. Hinc, Holſtenius illam omnino præteriiſſe videtur, poſtquam in Codice Colonienſi perfectiorem & forſan veram S. Pachomii Regulam invenerat, quæ CXCIV. præceptis conſtabat, cùm econtra hæc præſens haud ultra CXXVIII. præcepta contineat, incluſis etiam illis legibus ad Puellarum Diſciplinam ſpectantibus, quæ à numero LXXXII. incipiunt, & poſt numerum LXXXIII. deſinunt. Et quidem Holſtenius pag. 36. ad numerum ſive caput Regulæ CXCIII. circa hanc Puellarum Diſciplinam ſic notavit: De Puellarum Diſciplina. Nemo ad eas vadat viſitandas, &c. Hoc caput alio loco inter Regulas Virginum poſuimus, vide noſtræ codicis MS. qui inter S. Pachomii præcepta non agnoſcit. Adeóque hanc Puellarum Diſciplinam pro vero S. Pachomii fœtu non agnovit codicis Regularum eruditus Auctor, ſed articulum illum CXCIII. ſeu potius hujus præſentis Regulæ articulum LXXXII. & ſequentes, in veteri quodam codice MS. inventam, nec alicujus S. Legislatoris nomine honoratam, inter Sacrarum Virginum Regulas collocavit cum hoc ſequenti titulo: Sententia de Regulis devotarum. Utut hæc ſint, extra omnem controverſiam ponitur, S. Pachomium præter novem Monachorum Monaſteria etiam pro Sanctimonialibus fœminis

&

& aliud condidiſſe in gratiam Sanctiſſimæ ſuæ Sororis, quemadmodum in obſervatione prævia ad primam Regulam animadvertimus. An verò pro Sacris illis Virginibus ſpecialem Regulam ſcripſerit; nos modo latet, cùm nullus Antiquorum Patrum de Regula Sanctimonialibus fæminis data mentionem faciat, atque in vita ejusdem Sancti, cap. 28. reperiamus Sanctiſſimum illum Legiſlatorem ſtatuiſſe, ut omnis earum forma Monachis probaretur conſimilis; exceptis Melotis, quas fæminæ non habent. *Vero igitur ſimillimum videtur, Sanctum Pachomium nullam pro Sacris Virginibus Regulam condidiſſe, ſed præcepta Monaſtica Monachis data ab eisdem Sanctimonialibus fæminis fuiſſe obſervata, utpote quodammodo fæmineo ſexui accommodata, quemadmodum Sanctiſſimus Monachorum Occidentalium Patriarcha Benedictus Regulam ſuam pro Monachis utriusque ſexûs conſcripſit, quam quidem viri æque ac fæminæ religioſæ hodiedum obſervant. Interea fateri debemus hanc præſentem Regulam haud adeo diverſam ab altera in* Codice Regularum *relata, nam omnis diverſitas ex Amanuenſium oſcitantia evenire videtur, multa detrucando, omittendo plurima, atque non nulla interpolando, nec debitis locis præcepta quædam collocando. Utraque enim Regula eadem eſſe videtur, quam Sanctus Hieronymus ex Græco idiomate in latinum tranſtulit, prout ex titulo huic Regulæ præfixo, atque ex Sancti Doctoris præfatione innoteſcit, quæ quidem præfatio hic manca eſt, ſicuti & tota hæc Regula imperfecta, reſpectu alterius ab Holſtenio editæ; quemadmodum quilibet utramque vel leviter conferendo percipiet. Habes ergo Lector benevole hanc Sancti Pachomii Regulam, aliter quidem à Regula in* Codice Regularum *diſpoſitam, ſed eadem præcepta Monaſtica licèt imperfecta complectentem, quam cum eruditis Scholiis Alardi Gazæi hic præſentamus. Piaculum quippe foret, tam inſigne vitæ Monaſticæ Monumentum præterire præſertim, cùm doctiſſimi illi Sancti Caſſiani Editores Petrus Ciaconius & ſæpe laudatus Gazæus hanc eandem Regulam Sanctiſſimi illius Abbatis operibus appendere dignati ſunt, quorum doctiſſimæ notæ varias difficultates circa Sancti Pachomii Regulam occurrentes explicant, plurimáque, circa monita illa à Palladio in Lauſiacis relata, & per Angelum Sancto Pachomio revelata, dubia obvenientia dilucidant.*

S. PACHO-

(a) S. PACHOMII ABBATIS REGULA A S. HIERONYMO

In Latinum Sermonem converſa, nunc etiam Notis quibusdam, & Scholiis illuſtrata.

PRÆFATIO S. HIERONYMI.

Quamvis acutus gladius & levigatus, ſi diu in vagina conditus fuerit, ſordeſcit

SCHOLIA.

Pallad. Lauſiac. 38. (a) REGULA S. PACHOMII. Hic non parva occurrit difficultas, num hæc eadem cum illa cenſeri debeat, quam Palladius in Lauſiacis, aliique commemorant: an verò diverſa? nam ex multis certè argumentis colligi videtur, duas ſaltem, ſi non plures Monachorum regulas à S. Pachomio emanâſſe, alteram ab Angelo ſive dictante exceptam, ùt Gennadius refert, Martyrologio etiam Romano ſuffragante, ſive in tabula ænea divinitùs traditam, ut Græcus ille author incertus, nec non Palladius, Sozomenus, Nicephorus & alii tradunt: alteram non à ſolo Pachomio, ſed à tribus Patribus infra nominatis, & junctim editam, quam D. Hieronymus latinitate donavit. Non eſſe unam eandémque Regulam probatur primò. Nam illa ſoli Pachomio, hæc tribus Patribus Pachomio, Theodoro, & Orſieſio adſcribitur, unde initium Regulæ eſt hujuſmodi: *Hæc ſunt præcepta vitalia tribus à majoribus tradita* 2do. Hæc nihil fere habet commune cum illa, ùt patet intuenti. Nam hæc multò plura continet præcepta, eáque ab illius Regulæ Præceptis & ſanctionibus plurimùm diverſa. Quod ut certiùs & clariue conſtet, illam ipſam iiſdem verbis, quibûs à Palladio expreſſa eſt, huic ſubjungere ſtatui, ut ex utriusque collatione, quantum inter ſe diſcrepent, agnoſcatur; denique hanc trium Patrum Regulam ſive Præcepta primùm Ægyptiecè ſcripta, deinde in Græcum tranſlata D. Hieronymus latino ſermone ſe vertiſſe teſtatur præfatione hac eisdem præfixa. Illam verò apud Palladium deſcriptam Gentianus Hervetus ejus Interpres è Græco in Latinum transtuliſſe fertur, ùt videre eſt in Bibliotheca SS. Patrum edit. 3. tomô 7. Ex adverſo tamen non deſunt itidem argumenta, quibûs haud immerito ſuſpicari liceat, non niſi unam Pachomii Regulam agnoſcendam eſſe, eámque ab Angelo ſeu dictante ſeu deſerente, S. Pachomio treditam, ac demum à D. Hieronymo latinè traductam; ſed ejus partem tantummodo à Palladio & aliis obiter & curſim relatam, quæ huic compingenda, aut interſerenda & continuanda, unam efficiat. Primùm quidem Palladius, quem & Sozomenus, & Nicephorus ſecuti ſunt, non integram Pachomii Regulam à ſe deſcriptam haud obſcurè inſinuat illis verbis, quibus ait: Pachomio ſedente in ſpelunca, viſum ei eſſe Angelum, qui dixit ei: Pachomi! ea quidem, quæ ad te pertinent, rectè & ex virtute geſſiſti, ſupervacaneè ergo ſedes in hoc loco. Age ergo, egredere, & congrega omnes juniores Monachos, & habite cum eis, & ſequens formam, quam dabo tibi, eis leges conſtitue, eíque dedit tabulam æneam, in qua hæc ſcripta erant: concede unicuique, ut comedat, & bibat pro viribus, eis quoque manda opera, quæ proportione conveniant, & reſpondeant, &c. Quis hoc tam abrupto exordio Regulam illam Angelicam & cœleſtem credat inchoatam, & non multa alia prætermiſſa præcepta magis ſpiritualia magiſque ſalutaria, & monachis digna? cujuſmodi ſunt, tam quæ illic deinceps conſequuntur, quàm quæ in hac pleniore & ampliore exprimuntur. Accedit, quòd nullus alicujus nominis Auctor de ſupradicta diſtinctione mentionem ullam faciat, aut plures & diverſas Regulas à S. Pachomio traditas agnoſcat: ſed omnes in hoc conſentiant Pachomio delatam, aut dictatam ab Angelo fuiſſe Regulam, ad cujus normam Monachos inſtitueret. Proinde ſi quam Pachomii Regulam & inſtitutionem Monachorum tranſtulerit D. Hieronymus, ut ipſemet hic profitetur, eam ipſam, non aliam eſſe oporteat, quamquam veroſimile ſit tam ab ipſo quàm ab aliis Patribus ejus diſcipulis Theodoro ſcilicet, & Orſieſio, pluribus præceptis auctam, cumulatam; & completam fuiſſe; ut hac ratione plures Regulæ vel à tribus Patribus inſtitutæ dici potuerint. Suffragari denique videtur Baronius, qui tum in annalibus, tum *Baronius* in notis ad Martyrologium Regulas S. Pacho- *tom. 5. anno* mii, quas ipſe Angelo dictante excepit, à D. *404. & Martyrol.* Hieronymo latinè redditas diſertis verbis, & *14. Maj.* absque ullo diſcrimine affirmat. Cujus ſententiæ ſubſcribit R. P. Heribertus Roſvveydus in præludiis ad vitam S. Pachomii, ubi hæc addit: Regulæ hujus aliquod breviarium habes hic in vita Pachomii cap. 32. integram eam primus, quod ſciam, edidit Achilles Statius Luſitanus typis Romanis anno Domini MDLXXV. deinde annô MDLXXXVIII. Petrus Ciaconius eam correctiorem typis quoque Romanis dedit, & Caſſiano à ſe recenſito adjunxit. Sic ipſe, ſentiens breviarium, hoc eſt, breve compendium vel fragmentum Regulæ duntaxat, non totam Regulam S. Pachomii à Græco illo Authore incerto, quem & Palladius & alii imitati ſunt, & aliis verbis idem expreſſerunt, fuiſſe deſcriptam; integram verò hanc, quam tractamus à D. Hieronymo translatam, noſtris demum temporibus typis primùm Romanis, deinde aliis poſterioribus ſæpiue editam, & ab oblivionis injuria vindica-

Gennad. de Virg. illuſtr. cap. 7. Martyrol. Rom. 14. Maj. Sozom. l. 3. c. 13. Niceph. l. 9. c. 14.

deſcit rubigine, & ſplendorem priſtini decoris amittit. Unde (*b*) ego mæſtus *1. Theſſ. 4.* ſuper dormitione (*c*) Sanctæ & Venerabilis Paulæ (*d*) non quò contra præceptum Apoſtoli facerem, ſed quò multorum (*e*) inciſa illius morte refrigeria ſuſpirarem, accepi libros ab homine Dei Silvano Presbytero mihi directos, quos ille (*f*) Alexandria miſſos ſuſceperat, ut mihi injungeret transferendos. Ajebat enim, quòd in Thebaide, & (*g*) in monaſterio Metanceæ, quod de Tanobo in pœnitentiam felici nominis converſione mutatum eſt, habitarent plurimi Latinorum, qui ignorarent Ægyptiacum, Græcúmque ſermonem, quô (*h*) Pachomii

---

dicatam. Habes Lector quæſtiunculam de regula S. Pachomii utrinque ventilatsm: tui erit judicii & ſolertiæ, quam in partem magis propendeas, diſpicere, ac pervidere.

Epiſt. 29. 1. Theſſ. 4. (*b*) MOERENS SUPER DORMITIONE SANCTÆ &c. ita paſſim D. Hieronymus dormitionem pro deceſſu ex hac vita nuncupat. Cujus etiam rationem reddit his verbis: adverſus mortis duritiem & crudeliſſimam neceſſitatem hoc ſolario erigimur, quod brevi viſuri ſumus eos, quos dolemus abſentes. Neque enim mors, ſed dormitio & ſomnus appellatur. Unde & Beatus Apoſtolus vetat de dormientibus contriſtari, ut quos dormire noverimus, ſuſcitari poſſe credamus, & poſt digeſtum ſoporem vigilare cum Sanctis &c. *Lib. adv. vigilantium cap. 3. Joan. 11.* & alibi rurſum: Sancti, inquit, non appellantur mortui, ſed dormientes, unde & Lazarus, qui reſurrecturus erat, dormiiſſe perhibetur, & Apoſtolus vetat Theſſalonicenſes de dormientibus contriſtari.

(*c*) SANCTÆ & VENERABILIS PAULÆ &c. Hæc eſt Paula nobiliſſima & ſanctiſſima matrona Romana Euſtochii mater, tot laudibus paſſim *Epiſt. 27. Baronius in Martyr. Jan. 26.* à D. Hieronymo celebrata, quæ & ipſum ſuis facultatibus aluit, & extructis in Bethleem duobus monsſteriis uno in quo viri, altero in quo fœminæ virgines Deo inſervirent, & tertio pro excipiendis peregrinis, qui eò ad inviſenda loca ſancta undique confluebant, perpetuam Hieronymo ſedem locavit. Quibus beneficiis ipſe non ingratus ejus vitam, mortem & res geſtas inſigni epitaphio complexus eſt, quam & obiiſſe teſtatur Honorió A. Sextùm, & Ariſtenetiò Coſſ. qui annus, ſecundùm Onuphrium numeratur à Chriſto 404. S. Innocentio Romanæ Eccleſiæ præſidente; Fuit & alia Paula, junior dicta, ſenioris jam dictæ ex Toxerio filio neptis, de cujus inſtitutione idem Hieronymus ad Lætam ejus matrem epiſtolam ſeptimam ſcripſit, quo tempore multo ante S. Paula è vivis exceſſerat, *Tom. 5.* ut oſtendit Baronius in Annalibus.

(*d*) ALEXANDRIA. Nempe Ægyptia: ſunt enim plures Alexandriæ ab Alexandro Magno conditæ, ſed omnium celeberrima Hebræis *No* nuncupata inter Ægyptum, Africam, & mare, quaſi clauſtrum poſita juxta Mareotin lacum. Plinius Lib. I. cap. 10.

(*e*) NON QUO CONTRA PRÆCEPTUM APOSTOLI FACEREM &c. Præceptum Apoſtoli in priore ad Theſſalonicenſes cap. 4. ubi ait: *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent.* Ubi non abſolute vetat Apoſtolus contriſtari de morte amicorum, ſed inordinatè ſeu immoderate triſtari, more ſcilicet Gentium, qui fidem & ſpem reſurrectionis non habent. Unde Eccleſ. 22. dicitur: *Modicum plora ſuper mortuum, quoniam requievit.*

(*f*) MULTORUM REFRIGERIA. Refrigerium pro eleemoſyna, ſubſidio, ſive ſubminiſtratione ſumitur etiam à Tertulliano in Apologetico, ubi de Agape Chriſtianorum agens, quantiscunque, inquit, ſumptibus conſtet, lucrum eſt, pietatis nomine facere ſumptum. Siquidem inopes quosque refrigerio iſto juvamus. Sic & refrigerare apud eundem pro *Adverſus Praxeam* juvare, ſolari, recreare, quod apud Græcos, Authore Gellio, dicitur ἀναψύξαι, quaſi reanimare, aut animam reſtituere. *c. 16. Noct. attic. l. 13. cap. ult. epiſt. 27.* Quomodo etiam vertit interpres apud Apoſtolum 2. Tim. 1. *Sæpe me refrigeravit* Et infra in hac præfatione D. Hieronymus: *ſancta*, inquit, *fœmina refrigerans animam.* Quomodo autem morte Paulæ inciſa, id eſt, ſubtracta & imminuta multorum refrigeria, declarat idem Hieronymus in ejus Epitaphio dicens, ne unum quidem nummum ab ea filiæ derelictum, ſed magis æs alienum, & curam fratrum ac ſororum nempe monachorum & monacharum, quibus illa extruxerat monaſteria, & tanta fide & devotione omnia dilargita fuerat, ut ad ultimam egeſtatem pene perveniret, & omnis multitudo inopum ſe matrem & nutritiam perdidiſſe clamaret. Rurſus in Epiſtola ad Theophilum Epiſcopum Alexandrinum, excuſans ſe, quòd librum ejus paſchalem tardiùs in latinum transtuliſſet occaſione obitûs S. Paulæ: obſecro te, inquit, ignoſcas tarditati meæ. Ita enim ſanctæ, ac Venerabilis Paulæ confectus ſum dormitione, ut absque translatione hujus libri usque impræſentiarum nihil aliud divini operis ſcripſerim. Perdidimus enim, ùt ipſe nôſti, repente ſolatium, quod, ùt conſcientiæ noſtræ teſtis eſt dominus, non ad proprias dicimus neceſſitates, ſed ad Sanctorum refrigeria, quibus illa ſollicitè ſerviebat.

(*g*) IN MONASTERIO METANOEÆ. Metanœa latinè pœnitentia dicitur. Monaſterium itaque Metanœa dicebatur, in quo Monachi aſperrimam agebant pœnitentiam, idcóque mutatum ejus nomen, quod Tanobûs antea vocabatur. De hujusmodi monaſterio pœnitentiam, quod & carcer, appellabatur, & monachis illic incluſis & pœnitentibus mira ſcribit Joannes Climacus gradu quinto ſuæ ſcalæ.

(*h*) PACHOMII. Pachomius, aliàs Pachumius ex milite gentili Monachus probatiſſimus effectus, S Antonii æqualis & fortè Diſcipulus, de quo Martyrologium Romanum hæc habet: *In Ægypto S. Pachomii Abbatis, qui plurima in ea regione monaſteria erexit, & Regulam Monachorum ſcripſit, quam Angelo dictante didicerat.* *Pridie Idus Maji Pallad cap. 38. Caſſiod. hiſt. tripart. l. 8. cap. 11. Gennad. cap. 7.* Ejus vitam primus omnium deſcripſit Græcus Auctor Anonymus, eámque latinè reddidit Dionyſius exiguus dictus, quæ habetur in vitis patrum l. 1. novæ editionis. Agunt de eodem Sozomenus lib. 3. cap. 13. Palladius in Lauſiacis, Caſſiodorus in tripartita, Nicephorus lib. 9. cap. 14. denique Gennadius in Catalogo, ubi etiam teſtatur, ab eodem ſcriptas eſſe nonnullas epiſtolas, quarum indiculum reſenſet. Trithemius claruiſſe

mil & (*i*) Theodori, & (*k*) Orſieſii præcepta conſcripta ſunt, qui primi per Thebaidem & Ægyptum Cœnobiorum fundamenta jecerunt juxta præceptum Dei, & Angeli, qui à Deo ſub hanc ipſam inſtitutionem miſſus fuerit. Itaque quia diu tacueram, & dolorem meum ſilentiô devorâram; urgebant autem miſſi ad me ob hanc ipſam cauſam Leontius Presbyter, & cæteri cum eo fratres (*l*), accito Notario, ùt erant de Ægyptiaca in Græcam linguam verſa, noſtro ſermone dictavi: ut & tantis viris imperantibus, ne dicam, rogantibus obedirem; & bono, ùt ajunt, auſpicio longum ſilentium rumperem, reddens me priſtinis nuntiis & (*m*) ſanctæ fœminæ refrigerans animam, quæ monaſteriorum ſemper amore flagravit, & quod viſura erit in cœlo, hoc in terris meditata eſt: Venerabilis quoque (*n*) virgo Chriſti Euſtochium haberet, quod ſororibus legendum tribueret, noſtrique fratres Ægyptiorum, hoc eſt (*o*) Tabennenſium Monachorum exempla ſequerentur, (*p*) qui habent per ſingula Monaſteria Patres, & diſpenſatores, & hebdomadarios ac Magiſtros, & ſingularum domorum Præpoſitos; ita ut in una domo quadraginta plùs minúſve fratres habitent, qui obediant Præpoſito, ſintque pro numero fratrum triginta vel quadraginta domus in uno monaſterio, & ternæ vel quaternæ domus in unam tribum fœderentur, ut vel ad opera ſimul vadant, vel in

---

ruiſſe ſcribit ſub Valentiniano, & Theodoſio Principibus anno 390. Porro diverſus à Pachomio fuit Pachon Abbas, aliàs etiam Pachomius dictus, de quo Palladius Lauſiaca 29.

(*i*) THEODORI. De Theodoro Abbate Pachomii Succeſſore in Monaſterio Tabennenſi agit Caſſianus lib. 5. Inſtitut. cap. 33. v. Collatione ſexta ejus nomine inſcripta: Vide Gennadium ubi ſupra. *cap. 8.*

(*k*) ORSIESII. Orieſis, ſive Orſieſis vel Orſieſius (variè enim ſcribitur) Pachomii æqualis floruit annò 340. ùt notat Card. Bellarminus. *lib. de ſcript. Eccl.* De eodem Gennadius hæc habet in ſuo Catalogo: Orienſis monachus amborum, id eſt, Pachumii & Theodori collega vir in ſanctis Scripturis ad perfectum inſtructus, compoſuit librum divino conditum ſale, totúmque monaſticæ diſciplinæ inſtrumentis conſtructum, & ut ſimpliciter dicam, in quo totum penè vetus, & novum Teſtamentum compendioſis diſſertionibus juxta monachorum duntaxat neceſſitatem invenitur expoſitum: quem tamen vice teſtamenti prope diem obitûs ſui fratribus obtulit. Ita Gennadius; at Suffridus Petrus addit, hic ſcriptor in excuſis exemplaribus, ùt & apud Honorium & Trithemium Orieſis, in noſtris M. S. Cod. Oreſteſis eſt. Sic ille. Extat porro hic liber in Bibliotheca SS. Patrum editionis ſecundæ tomo quarto.

(*l*) ACCITO NOTARIO. Notarii apud veteres dicebantur, qui ab alio dictata litteris, aut notis excipiebant, & conſignabant, ita expeditè & promptè, ut loquentis celeritatem compendiò æquarent, & quemadmodum ait D. Hieronymus, velociter dicta velox conſequeretur manus, & linguæ celeritatem prenderent ſigna verborum; unde Martialis epigram. libro quarto:

Currant verba licet, manus eſt velocior illis;
Nondum lingua ſuum, dextra peregit opus.

Iidem Scribæ & Amanuenſes dicti. Librarii verò, qui à Notariis excepta in libris diſtinctè & explicatè deſcribebant.

(*m*) SANCTÆ FOEMINÆ REFRIGERANS ANIMAM. Paulæ ſcilicet, de qua ſupra: cujus jam tum in cœlo beatam animam hac ſcriptione refrigeratam ducet, hoc eſt, exhilaratam, & gaudio quodam acceſſorio, ſive accidentali, ùt vocant Theologi, affectam & cummulatam; quòd hunc laborem ejus cauſa, & recordatione ſuſceperit, idque in gratiam & utilitatem monachorum, quos illa tantopere in vita ſua coluerat & foverat; qua de re vide epiſtolam D. Hieronymi 27.

(*n*) VIRGO CHRISTI EUSTOCHIUM. Paulæ jam dictæ filia, quæ cum matre ad præſepe Domini, ſive in Monaſterio Bethleemitico, unà cum aliis virginibus enutrita, & matri diu ſuperſtes præclaris virtutum exemplis effulſit. Hæc & Julia dicta eſt, quod ex Julio, & gente Julia originem duceret, ùt Author eſt D. Hieronymus in epitaphio Paulæ, qui etiam eidem integros commentarios in Eſaiam & Ezechielem alióſque peculiariter & nominatim inſcripſit, & ad Pamachium ſcribens ejuſmodi eam commendat elogio: Quid Euſtochiô fortius, quæ nobilitatis portas, & arrogantiam generis conſularis virginali propoſito fregit, & in prima urbe primum genus ſubjugaverit pudicitiæ.

(*o*) TABENNENSIOTARUM. Tabenna inſula in Nilo flumine, in qua Pachomius inſigne Monaſterium condidit, quod reliquis ejus inſtituti caput & veluti metropolis erat, ut teſtantur Palladius & Sozomenus. Ab ea monachi, qui Pachomii inſtituta ſequebantur, Tabennenſiotæ & Tabennenſes dicti ſunt, quorum vivendi ritum, inſtitutáque ſummatim deſcribit D. Hieronymus in hac præfatione.

(*p*) HABENT PER SINGULA MONASTERIA PATRES & DISPENSATORES. Duo ſunt hic obſervatione digna & ad antiquitates monaſticas ſpectantia. Primùm deſignantur hic quatuor aut quinque diſtincta officia, ſive ordines officiariorum apud monachos illos Ægyptios. Primi vocabantur Patres, aliàs Abbæ, vel Abbates, Archimandritæ, Cœnobiarchæ, id eſt, Rectores & Præſides ſingulorum monaſteriorum qui etiam in Regula Pachomii dicuntur Principes monaſterii. Secundi dicebantur Diſpenſatores, vel Græcâ voce Oeconomi, qui fratribus neceſſaria providebant, & diſpenſabant. *art. 1. & 26 D. Hieronym. epiſt. 22.* Tertii miniſtri & hi quidem varii, nam alii ſervitores hebdomadarii, qui fratribus per vices hebdomadatim ad menſam inſerviebant, alii miniſtri hoſpitum, alii infirmorum, alii culinæ, &c. Quarto loco Præpoſiti domorum; diſtinquebantur enim domus à monaſteriis, nam in ſingulis monaſteriis erant triginta, vel quadraginta domus ſingulis Præpoſitis ſubjectæ, qui ſub uno communi Patre ſive Principe monaſterii ſive totius congrega-

in hebdomadarum miniſterio ſibi ſuccedant per ordinem (*q*) Quicunque autem monaſterium primus ingreditur, primus ſedet, primus ambulat, primus Pſalmum dicit, primus in menſa manum extendit; prior in Eccleſia communicat, nec ætas inter eos quæritur, ſed profeſſio (*r*) Nihil habent in cellulis præter Pſiathium (*s*) & duo lebiconaria, quòd Ægyptiis Monachis genus veſtimenti eſt ſine manicis, & unum

---

gregationis dictas domos ſibi commiſſas velut præpoſituras, aut prioratus conventuales adminiſtrabant. In ſingulis autem domibus triginta ùt minimùm, vel quadraginta monachi degebant. Unde colligere licet, quantus fuerit monachorum numerus in unoquoque monaſterio; nam ſiquidem fuerint triginta domus & in ſingulis triginta monachi, efficitur numerus 900. monachorum qui hic recenſetur minimus: ſi verò quadraginta domus, & in ſingulis quadraginta monachi, efficitur numerus 1600. monachorum, qui hic notatur maximus. Quibus intermedii fuerunt 1300. 1400. 1500.

(*q*) QUICUNQUE MONASTERIUM PRIMUS INGREDITUR &c. Hoc imitatus D. Benedictus in Regula ſimiliter ſtatuit, ut ſecundùm ordines, quos conſtituerit Abbas, vel quos habuerint ipſi fratres, ſic accedant ad pacem, ad communionem, ad Pſalmum imponendum, in choro ſtandum; & in omnibus omnino locis ætas non diſcernatur in ordine, nec præjudicet: quia Samuel & Daniel presbyteros judicaverunt. Ergo exceptis his, quos altiori conſilio Abbas prætulerit, vel degradaverit certis de cauſis, reliqui omnes, ut * convertuntur, ita ſint: ut verbi gratiâ, qui ſecunda diei hora venerit in monaſterium, juniorem ſe illis noverit eſſe, qui primâ horâ venerit diei, cujuslibet ætatis aut dignitatis ſit. Hæc D. Benedictus.

* Id eſt *Religionem ingrediuntur* vel *profitentur.*

(*r*) NIHIL HABENT IN CELLULIS. Cella (à qua diminutivum cellula) dicta eſt, quod in ea celentur, quæ eſſe volumus occulta. Nam omnia locus, in quod quid reponitur, ut ſervetur, cella appellatur. Cicero de ſenectute: *Semper*, inquit, *boni domini referta eſt cella vinaria, olearia, mellaria & pomaria.* Sed & Virgilius favorum cavernas cellas vocavit, cùm de apibus ait: *diſtendunt nectare cellas.* Et apud Ethnicos cella pars templi erat ſacratior, in quam ingredi cuilibet fas non erat, græcè *ἄδυτον*. Unde apud Gellium legitur, Scipionem in Capitolium veniſſe, juſſiſſéque Jovis cellam aperiri. At in uſu eccleſiaſtico cellæ primùm dictæ ſunt domunculæ, ſeu parva domicilia monachorum, ſeu anachoretarum, in quibus latentes orationi, contemplationi, aliiſque exercitiis vacabant in locis remotis & ſolitariis, quarum meminit D. Hieronymus in epiſtola 22. & 27. ad Euſtochium. Poſtea verò quidam viri ſancti etiam in urbibus & extra urbes cellas habere cœperunt, quô factum eſt, ut concurrentibus in unum fratribus, & ſub eorum diſciplina aggregatis humiles & contemptibiles cellæ in ampla & ſplendida monaſteria paſſim conſurgerent. Unde etiamnum multa Cœnobia retento antiquo vocabulo cellæ nuncupantur, ùt notavit Molanus in martyrologio. D. etiam Benedictus quodam loco cellæ nomine dormitorium intelligit, dum ait; *Candela jugiter ardeat in eadem cella uſque mane. cap.* 22. In Jure Canonico cellæ monachorum duplices exprimuntur. Aliæ enim ſunt intra ſepta monaſterii, ſed extra commune dormitorium,

Feſt. Pompejus l. 3. *Iſidorus l.* 15. *etymol. c.* 3. *Georg.* 4. *Noct. attic. lib.* 7. *cap.* 1.

Et præfat. in Reg. S. Pach. ad 6. *&* 27. *Nov. & in annalib. SS. Belgii.* 9. *Oct. & alibi.*

quas vetat Canon Concilii Agathenſis ſingulis Monachis promiſcuè concedi, nedum ab ipſis propria authoritate conſtrui, ſed tantùm infirmis, aut ſenioribus emeritis & probatis. Aliæ ſunt cellæ Eremitarum aut Anachoretarum extra urbes in locis deſertis aut remotis conſtitutæ, de quibus loquitur Bonifacius octavus Pontifex cap. *Privilegium, de verb. Significat.* in ſexto, ubi per cellas declarat ſe intelligere loca ſecreta & ſolitaria, quæ ab hominum ſeparata convictu ſunt ad contemplandum, & Deo vacandum ſpecialiter deputata. Ad ejusmodi cellas poſſe religioſos etiam mendicantes de licentia Prælatorum ſuorum tranſire decernitur cap. unico de exceſſ. Prælator. in ſexto. Illud præterea de cellis & cellulis monachorum ſuccurrit annotandum ſingulas ſingulis monachis ex uſu & inſtituto veterum Patrum aſſignari ſolere, ac debere. Nam etſi reperimus priſcos monachos habitâſſe quandoque plures in una cellula (id enim de Tabennenſiotis refert Palladius) tamen ut multò tutius & commodiùs ſingulos ſeparatim degere, ita & frequentius & uſitatius fuiſſe diſcimus, primùm ex Philone, qui de Therapeutis Alexandrinis ita ſcribit: *Singuli autem habent ſacras ædiculas, ubi ſolitarii ſanctæ vitæ myſteriis dant operam.* Ne quis verò interpretetur ſacella potius fuiſſe, quàm cellas, prohibet idem Philo ſcribens: præter has ſingulorum cellas extitiſſe apud eos commune *σεμνεῖον*, quô ſtatis diebûs horiſque ad celebrandas Dei laudes, liturgiâſque convenirent. 2. Ex D. Hieronymo epiſt. 22. ad Euſtochium ubi de Cœnobitis Ægyptiis agens: *Manent*, inquit, *ſeparati ſed junctis cellulis.* & infra. *Circumeunt cellulas ſingulorum.* & epiſt. 27. *cujus non intravit cellulam?* 3. Ex Caſſiano, qui non ſolùm libro 5. Inſtitut. cap. XXXVII. ſignificat Archebio propriam fuiſſe cellulam, quam tamen externis advenientibus libenter cedebat; ſed & ſuperiùs de Abbate Theodoro loquens: *Cùm inopinatus*, inquit, *ad meam cellulam veniſſet &c.* Et aliis pluribus locis idem ſignificat. 4. Ex D. Benedicto, dum vetat, *ne frater ad fratrem jungatur horis incompetentibus.* 5. Ex Juſtiniani Novella quinta de Monachis, quæ ſic habet: *Et monachis ſcilicet una quidem ſit domus, una cœnatio, diverſa tamen cubicula* (cuique videlicet ſuum) *ſua cuique exedra.* 6. Ex Concilio Turonenſi ſecundo, quod idem decrevit his verbis: *Nec cellas eis* (monachis) *liceat habere communes; ubi bini maneant, ſed ſingulares jaceant.*

apud Gratian. 18. *q.* 2. *cap. Nullus.*

Lauſiac 38.

lib. de vit. contemp.

Euſeb. l. 2. *Eccl. Hiſt. c.* 10.

cap. 35. *cap.* 38. *Regula.*

(*s*) PSIATHIUM & DUO LEBITONARIA. Pſiathium (quod & Pſiathus & Phiathius dicebatur) ut ex Caſſiani collat. 18. cap. 1. & aliis locis apparet, pro matta, ſive ſcorea & tegete accipitur, ex junco, aut papyro, aut ſtramine confecta: Galli *natte* vocant. Vita S. Pachomii: *ingreſſus monaſterium poſt orationem venit ad coquinam & inveniens fratrem, qui coquinæ præerat, Pſiatos (id eſt, tegetes) operantem, quos vulgus mattas appellat. &c.* S. Ambroſius in 1. ad Corinth. cap. *Sedentes diſpu-*

cap. 43.

unum jam attritum ad dormiendum vel operandum, & (*t*) amictum lineum, & (*u*) cucullas duas, & caprinam pelliculam, quam moletem vocant, balteolum lineum, & caligas, ac baculum itineris ſocium. Ægrotantes miris ſuſtentantur obſequiis & ad omnem copiam præparatis cibis. Sani majore pollent abſtinentia. Bis in hebdomada die quarta & ſexta ſabbathi ab omnibus jejunatur, excepta Pentecoſte. Aliis diebus comedunt, qui volunt, poſt meridiem & in cœna ſimiliter menſa ponitur propter laborantes, ſenes, & pueros, æſtúſque graviſſimos. Sunt, qui ſecundò parùm comedunt, alii qui prandii ſive cœnæ unô tantùm cibô contenti ſunt; nonnulli guſtato paululum pane egrediuntur. Omnes pariter comedunt: qui ad menſam ire noluerit, cellulâ ſuâ panem tantùm & aquam

---

diſputent, ſeniores dignitate in cathedris, ſequentes in ſubſelliis, noviſſimi in pavimento ſuper mattas. Gregorius Turonenſis lib. de vita Patrum cap. 11. *Nullum habent ſtratum fœni, paleaque molimen, niſi tantum illud, quod intextis junci virgulis fieri ſolet, quas vulgò mattas vocant.* Regula S. Benedicti cap. 55. *ſtramenta autem lectorum ſufficiant, matta & ſagum.* Petrus Arvernas Epiſt. 20. lib. 1. *Mattas antiquum monachorum opus compone, ſuper quas aut ſemper, aut ſæpe dormias.* Idem Epiſt. 50. lib. 2. *Ipſe ei in matta monachica, quæ ſedi illi contigua erat, aſſedit.* Mattâ igitur, ſive Pſiathio pro lecto & ſtragulo, aliàs etiam pro ſedili utebantur monachi Ægyptii, ùt videre eſt lib. 5. Inſtitutionum Caſſiani cap. 35. & collat. primæ cap. 23. ubi interdum inſediſſe, interdum incubuiſſe Pſiathiis leguntur. Reclinam ſellulam vocat Regula Pachomii art. 50. Scribit Cœlius Rhodiginus, ut hoc obiter addam lib. 7. Antiq. Lect. c. 23. & lib. 28. cap. 2. apud Græcos primam ſedem in tribunalibus πρῶτον ξυλόν, hoc eſt, primum lignum, primam cathedram nuncupari ſolitam, inferiores verò ſellas ſeu humiliora ſcamna pſiathia vocata. *Libitonarium* ſive *levitonarium* colobium aliàs dicitur Iſidoro teſte lib. 19 Etymolog. cap. 22. *Libitonarium*, inquit, *eſt colobium ſine manicis, quali monachi Ægyptii utuntur.* Colobium verò ſecundùm græcam derivationem ſimplici l. non gemino ſcribendum, tunica eſt deſecta manicis, extantibus extra eam brachiis: ἀπὸ τῦ κολόβυ, quod breve, mutilum, ſeu mancum ſignificat. Colobia quibus Ægytii monachi utebantur omnino manicis carebant, ſed ea infra cubitum deſinebant., vel fere, ùt Caſſianus lib. 1. Inſtit. cap. V. loquitur, ad cubitorum extrema pertingebant, ut non humero tenus exertæ, ut Cuikio viſum eſt. Dicebatur & lebeton, & lebitum eodem ſignificatu, unde in vita S. Pachomii hæc habentur. *In tanta verò veſtimentorum penuria ſe conſtrinxerant, ut nunquam lebetone alio uterentur, niſi cùm indumenti ſordes neceſſitas coegiſſet eluere. Lebeton autem linea veſtis erat inſtar colobii, quâ monachi utuntur hodie per Thebaidem & Ægyptum.* Sed & inter inſtitutiones ejuſdem Pachomii apud Palladium in Lauſiacis habetur: *Noctu habeant lebitones lineos ſuccincti.* Cur autem lineis potius colobiis, quàm laneis uterentur illi monachi in illa eremi auſteritate cauſa multiplex & obvia eſſe potuit, vel quod veſtes lineæ, ùt viliores & abjectiores, ita etiam calidis illis regionibus aptiores fuerint & commodiores, vel quod ab exemplo & traditione Apoſtolica id acceperint. Certe Euſebius lib. 1. Hiſtor. cap. 24. Scribit ex Hegeſippo Jacobum Apoſtolum fratrem Domini nunquam induiſſe laneam veſtem, ſed ſola ſyndone lineа uſum. Rationem aliam, eámque moralem indicat Caſſianus, quod lineo illo habitu ſeu velamine ſignificaretur, eos ab omni converſatione terrena mortificatos, mundo mortuos eſſe, quandoquidem mortuorum corpora linteis involvi ſoleant, ſicut & Chriſtus pro nobis mortuus legitur involutus in Syndone munda. Eò enim ſpectare videtur Caſſianus ex ſententiis Apoſtoli ab eo citatis. Cujus etiam ſignificationis ratio eſt, quia linum, ut in telam redigatur, multis rationibus maceratur, tunditur, torquetur, ac ſuò modò mortificatur. Probabile etiam, veſtibus lineis uti voluiſſe propter munditiem & candorem, ad deſignandam innocentiam & puritatem, quam ſectabantur juxta illud Eccleſiaſtæ cap. 9. *Omni tempore veſtimenta tua ſint candida.* Sozomenus aliam etiam rationem tropologicam, ſeu moralem aſſignans libro 3. cap. 13. ſcribit Ægypti monachos Κατιῶναc ἀχειρίδωτάς. Hoc eſt tunicas ſine manicis habuiſſe, *ut eo ſigno oſtenderent manus ſe ab injuria & contumelia inferenda habere penitus alienas.* Porro colobiis hujuſmodi ſimiles in veſtibus ſacris Dalmaticas, ſeu tunicellas videmus: de quibus Anſelmus decretorum collector hæc tanquam ex Euſebio (incertum quo) citat: *à S. Sylveſtro & presbyteris ejus colobiorum uſus ſumpſit initium, & Marcus, ac Julius, & Liberius ex ordine ſunt uſi, poſt hos autem colobia in Dalmaticas commutata ſunt.*

Alcuinus de div. offic. c. 35.

Sophron. in prato Spirit. cap. 92. 120 & 124.

cap. 38.

Matth. 27.

Vide Gellium lib. 7. noct. attic. c. 12.

Alcuinus ubi ſupra cap. 37.

Baronius in Martyrol. Roman. 31. Maj.

(*t*) AMICTUM LINEUM. Mavortem & anguſtum palliolum vocat Caſſianus, quô colla pariter & humeros tegebant.

(*u*) CUCULLASQUE DUAS & CAPRINAM PELLICULAM. Cucullus vel Cucullio, vel minùs latinè Cuculla genus eſt veſtimenti, ſeu amictus, caput & humeros circumambiens & protegens, unde cucullatus, id eſt cucullo, vel cuculla indutus. Porro cucullis utebantur monachi Ægyptii non tam ad corporis curam, ait Caſſianus, quàm ad monaſticæ ſimplicitatis & innocentiæ Symbolum, quod etiam teſtatur B. Dorotheus: *Ferimus*, inquit, *& cucullum, quod innocentia ſignum eſt, & puritatis: Pueri enim parvuli cucullum ferunt, non viri perfecti; nos igitur cucullum ferimus, ut parvuli ſimus malitia, quemadmodum monet Apoſtolus: nolite ſenſibus parvuli eſſe, malitiâ autem parvuli eſtote.* Sozomenus lib. 3. hiſt. cap. 13. de iiſdem monachis agens: *Caput*, inquit, *integumentô, quod cucullum* (κυκκάλλιον) *appellare ſolent, operiebant, quò oſtenderent, ſe vitam perinde ſimplicem & ſinceram agere, atque pueros lacte nutritos, quorum caput ejuſmodi tiaris involvunt, ut tegatur, ſimul & foveatur.* Nicepborus addit, tegmen illud ſeu amiculum acuminatum fuiſſe. Palladius in hiſtoria Lauſiaca cap. 37. ſcribit monachos Taben-

D. Ambroſ. ſerm. ult.

Sidonius lib. 7. epiſt. 6.

Petrus Cluniac. l. 3. epiſt. 28.

1. Corinth. 14.

lib. 9. c. 14. hiſtoriar.

aquam, ac ſal accipit, ſive uno die voluerit, ſive biduo. Cúmque major vel ſtans Prior gradu, manu percuſſerit, de ſcripturis quidpiam revolvens memoriter, ut oratio finitur nullus conſurgit tardiùs, ſed omnes pariter elevantur, nemo aſpicit alterum operantem, ſed defixis luminibus unusquisque in ſuo opere intentus eſt &c.

---

bennenſes ſub Pachomio Abbate cucullas habuiſſe crucis purpureæ figurâ notatas, & eos cum ſola cuculla ad communionem accedere ſolitos, & cap. 41. dicit etiam virgines ſanctimoniales ſuô ſæculô cucullis uti conſueviſſe. D. Hieronymus in teſtamento Hilarionis cucullam nominat. Sic enim ſcribit: *Omnes divitias ſuas ei relinquens Evangelium ſcilicet, & tunicam ſacceam, Cucullam & palliolum*; & communiter ſolent monachi cucullam vocare non cucullum, ut & D. Benedictus cap. 55. regulæ ubi duplicem ſive geminam aſſignat cucullam, *alteram in hieme villoſam, alteram in æſtate ſimplicem & tenuem.* In quem locum annotavit Turrecrematus cucullam diverſimodè accipi à diverſis: *Aliqui*, inquit, *videlicet ultra montani cucullam dicunt habitum longum, & amplum, ſed manicas non habentem, ſicut videtur Clemens Papa accipere in Clementina prima de ſtatu monahorum, floccum verò dicit habitum, qui longas habet manicas, alii verò cucullam nominant eum habitum, qui apud alios dicitur floccus videlicet habitum cum caputio ex omni parte clauſum, longisque manicis manicatum* hæc ille. *Caprinam pelliculam* ſeu melotem vel melotam, quæ Græca vox pellem ovinam aut caprinam ſimul cum lana corpori detractam ſignificat, aut veſtem ex ejusmodi pellibus aptatam & confectam μῆλον enim græcè, latinè *ovis* dicitur. D. Hieronymus in vita Hilarionis alium nomine pelliceum ependytem nuncupat, quem alii penulam, alii tunicam interpretantur; in hujusmodi pellibus, ſeu melotis ſcribit Apoſtolus quosdam Patres veteris Teſtamenti circumiiſſe, hoc eſt, oberrâſſe, ùt profugos, aut peregrinos, haud dubiè reſpiciens ad Prophetas, potiſſimùm ad Eliam, & pallii ejus hæredem Eliſæum. Nam pallium Eliæ ſeptuaginta μηλωτὴν appellant. 3. Reg. 9. & 4. Reg. 2. unde & ipſe *homo pilloſus* dictus eſt 4. Reg. 1. quod non tam de barbâ & comâ, quàm de veſte intelligendum. Hinc D. Hieronymus Epiſtola 28. *Helias*, inquit, *igneo curru raptus ad cœlum melotem reliquit in terris.* Horum exemplo melotem etiam habuiſſe legitur S. Antonius, de quo jam moriturus dixit: *Melotem & pallium tritum, cui ſuperjaceo, Athanaſio Epiſcopo date. quod novum ipſe detulerat.* Eodémque imitandi ſtudio Sozomenus lib. 3. cap. 13. monachos Ægyptios pellibus indutos fuiſſe commemorat, quas διφθέρας vocat, hoc eſt, penulas pelliceas, ſeu lacernas ſcorteas, & villoſas, hujúsque indumenti rationem exponit his verbis. *Iſti ad exemplum Eliæ Thesbitis pellibus ſe induebant, ut ſinguli ex pelle corporì circumjecta virtutem Prophetæ ſemper in memoriam revocantes ſtrenuè contra cupiditates venereas confligerent.* Hæc ille. S. etiam Benedictum mellore uſum fuiſſe planè colligitur ex dialogo D. Gregorii M. ubi refert, quòd cùm S. Maurus ad juſſionem Abbatis ſuper aquas ambulâſſet, ut puerum ex aquis eriperet, & hoc miraculum S. Benedictus non ſuis meritis, ſed illius obedientiæ deputâret, in hac mutuæ humilitatis amica contentione puerum illum veluti arbitrum interceſſiſſe, ac dixiſſe, *Ego cùm ex aqua traherer ſuper caput meum melotem Abbatis videbam, atque ipſum me ex aquis educere conſiderabam.* Hæc ibi. Porrò mirum videri poteſt, quod Caſſianus melotem non ſolùm lib. 1. Inſtitution. cap. VIII. ſed & Collat. II. cap. 3. peram appellaſſe videtur: *Cùm accepiſſemus*, inquit, *peram. & baculum, ut ibi moris eſt, monachis univerſis iter agentibus.* Sed & * Iſidorus eodem modo peram pro melote interpretatur: *Melotes*, inquit *quæ etiam pera vocatur, pellis eſt caprina à collo pendens præcincta usque ad lumbos &c.* Quibus tamen non obſtantibus in eam opinionem propendeo, ut peram pro penula locis citatis poſitam exiſtimem vitio ſcriptorum aut librariorum, ac proinde legendum eſſe, *melotes, quæ penula appellatur.* Quis enim credat monachos illos tam religioſè aut ſcrupuloſè à calceamentis abſtinuiſſe, quod putarent illa dominico præcepto fuiſſe interdicta, ut infra dicetur, peram verò pro melore & familiari indumento habuiſſe; cùm iisdem locis ac ſententiis Evangelicis pera ſimul cum calceamentis prohibeatur? ** præſertim cùm apud probatos Auctores tum ſacros tum prophanos pera nihil aliud ſignificet, niſi loculum, aut ſacculum, in quo paſtores aut viatores cibum diurnum ſeu viaticum recondere ſolent; quo etiam modo accipitur in Evangelio Lucæ 10. *Nolite portare ſacculum neque peram.* & Lucæ 22. quando miſi vos *ſine pera & baculo*, & alibi. De Penula verò hæc habet *** Nic. Perottus, & ex eo Ambr. Calepinus, quæ ſatis oſtendunt penulam cum melote convenire. *Penula*, inquit, *veſtis denſa, ac vilis, quæ nebuloſo ac pluvioſo tempore ſupra tunicam aſſumitur locô pallii ad arcendas à corpore pluvias. Hæc ſi ex pellibus erat; ſcortea vocabatur, de qua Martialis lib.* 14

Ingrediare viam cœlo licet usque ſereno
Ad ſubitas nunquam ſcortea deſit aquas.

hæc & alia apud ipſos, & alios Authores.

Nota tunicam ſacceam pro ſacco vel cilicio. Vide Sidon. lib. 7. Epiſt 16. & Petr. Cluniac. l. 3. epiſt. 28. Tract. 21. in Regulam D. Benedicti

Niceph. l. 9. c. 15.

Hebr. 11.

Athanaſ. in vit L. Antonii.

Lib. 2. cap. 7.

*lib. 19. Etymol. cap. 34.

** Matthæi 10. & Lucæ 2.

*** Nic. Perottus in Cornucop. Feſtus vid. Penula.

REGULA
S. PACHOMII.

Hæc ſunt vitalia præcepta, tribus â majoribus tradita:

I. SI acciderit ut pſallendi tempore vel orandi, aut in medio lectionis aliquis loquatur, aut rideat, ſolvet cingulum, & inclinata cervice manibus ad inferiora depreſſis ſtabit ante altare, & à Principe monaſterii increpabitur. Hoc idem faciet & in conventu Fratrum, cùm ad veſcendum pariter convenerint.

II. Quando ad collectam tuba inſonuerit per diem, qui una oratione tardiùs venerit, ſuperioris increpationis ordine increpabitur, & ſtabit in loco convivii. Noctu verò, quia corporis infirmitati plus aliquid conceditur, qui poſt tres orationes venerit, eodem in collecta & in veſcendi loco, ordine corripietur.

III. Quando in collecta orant Fratres, nemo egrediatur abſque juſſione Majorum, niſi interrogaverit, conceſſúmque ei fuerit pro naturæ neceſſitate.

IV. Omnes memoriter retinent, quæ ſibi fuerint imperata, de quibus ſi quis oblitus aliquid fuerit, aut hæſitaverit in dicendo; negligentiæ & oblivionis increpabitur.

V. In die Dominica in collecta, in qua offerenda eſt oblatio, abſque Præpoſito domûs & Majoribus monaſterii, qui alicujus nominis ſunt, nemo pſallendi habeat poteſtatem. Pſallente autem quolibet de Majoribus, id eſt, dicente reſponſorium ſi quis defuerit, ſtatim ante altare pœnitentiæ, increpationis ordinem ſuſtinebit.

VI. De collecta, in qua offerenda eſt oblatio, qui ſine præcepto majoris exiêrit, ſtatim increpabitur.

VII. Mane per ſingulas domos finitis orationibûs non ſtatim ad ſuas cellas revertentur, ſed conferent inter ſe, quæ præpoſitos audiêrint diſputantes, & intrabunt cubicula ſua. Diſputatio autem à Præpoſitis domorum per ſingulas hebdomadas tertiò fiet, & in ipſa diſputatione ſedentes, ſive ſtantes Fratres ſuum ordinem non mutabunt, juxta domorum ordinem & hominum ſingulorum.

VIII. Si quis dormitaverit ſedens, Præpoſitò domûs vel monaſterii Principe diſputante, ſurgere ſtatim compelletur, & tamdiu ſtabit, donec ei videbatur, ut ſedeat.

IX. Quando ſignum inſonuerit, ut conveniant, & audiant præcepta Majorum, nullus remanebit; nec ſuccendetur focus, antequam diſputatio compleatur. Qui unum mandatum de his prætericrit, prædictæ correptioni ſubjacebit.

X. Dimiſſâ collectâ ſinguli egredientes uſque ad cellulas ſuas, & uſque ad veſcendi locum de ſcripturis aliquid meditabuntur, nullúſque habebit opertum caput meditationis tempore.

XI. Cùm autem ad veſcendum venerint, ſedebunt per ordinem ſtatutis locis & operient capita. Statim ut tibi à Majore fuerit imperatum, ut de alia menſa ad aliam tranſeas, ire debebis, in nullo penitus contradicens. Nec ante Præpoſitum domûs tuæ manum in menſa extendas, nec circumſpicias veſcentes alios. Unuſquiſque Præpoſitorum docebit in domo ſua, quomodo debeant cum diſciplina & manſuetudine comedere. Quod ſi quis vel locutus fuerit, vel riſerit in veſcendi tempore, aget pœnitentiam, & in eodem loco mox increpabitur, & ſtabit, donec ſurgant alii de veſcendo.

XII. Si quis ad comedendum tardius venerit, exceptò Majoris imperiò, ſimiliter aget pœnitentiam, aut ad domum jejunus revertetur.

XIII. Si aliquid neceſſarium fuerit ad menſam, nemo audebit loqui, ſed miniſtrantibus ſigni ſonitum dabit.

XIV. Si egreſſus fueris à cibo, ne loquaris in redeundo, donec ad locum tuum perveneris.

XV. Miniſtri abſque his, quæ in commune Fratribus præparata ſunt, nihil aliud comedant; nec mutatos cibos ſibi audeant præparare.

XVI. Qui percutit ad veſcendum, dum congregantur Fratres, meditetur aliquid in percutiendo.

XVII. Qui ante fores convivii egredientibus erogat Fratribus dulciamina, in tribuendo meditetur aliquid de ſcripturis.

XVIII. Qui ſuſcipit ea, quæ dantur, non in cuculla ſed pelle accipiat, neque guſtabit de his, quæ acceperit, donec ad

ad domum pervenerit. Ipſe autem qui cæteris dividit ſuam partem à Præpoſito accipiat. Quod & cæteri miniſtri faciant accipientes ab alio, nihil ſibi ſuo arbitrio vendicantes. Nemini plus alteri dabit, quàm alter acceperit, quòd ſi obtenditur infirmitas, Præpoſitus domûs perget ad miniſtros ægrotantium, & ab his, quæ neceſſaria ſunt, accipiet.

XIX. Si de ipſis miniſtris aliquis ægrotaverit, non habebit licentiam introeundi in coquinam vel cellarium, & ſibi aliquid auferendi, ſed ei cæteri miniſtri, quod neceſſarium viderint, dabunt; nec permittatur coquere ſibi, quod deſiderabit, ſed Præpoſiti domorum, quæ neceſſaria viderint ei, & ab aliis miniſtris accipient.

XX. Nullus introeat locum ægrotantium, qui non ægrotat. Qui ægrotaverit, à Præpoſito domûs ducetur in triclinium ægrotantium; quod ſi opus habuerit palliolo, aut tunica, aut cæteris, quæ ad operiendum, vel ad veſcendum neceſſaria ſunt, ipſe Præpoſitus accipiet à miniſtris, & dabit ægrotanti. Nec poterit languidus ingredi cellam veſcentium, & comedere, quæ deſiderat, niſi à miniſtro, qui huic rei præpoſitus eſt, ducatur ad veſcendum. Non ei licebit de his, quæ acceperit in loco ægrotantium, ferre ad cellulam ſuam, nec pomum quidem.

XXI. Qui pulmentaria coquunt, ipſi nihil guſtantes edentibus miniſtrabunt.

XXII. Vinum & liquamen, abſque loco ægrotantium, nullus attingat.

XXIII. Si aliquis eorum, qui peregre mittuntur, in itinere, vel in via ægrotaverit, & habuerit neceſſitatem, ſive deſiderium comedendi liquamen de piſcibus, vel aliquid eorum, quæ comedere non conſueverunt, non manducabit cum fratribus cæteris, ſed ſeparabitur, & dabitur ei à miniſtris ad omnem abundantiam, ut in nullo frater languidus contriſtetur.

XXIV. Ægrotantem, abſque conceſſu Majoris, nullus audeat viſitare, nec propinquus quidem, atque germanus, ſine imperio Præpoſiti domûs, miniſtrandi habebunt poteſtatem.

XXV. Si unum ex his ab aliquo fuerit prætermiſſum, atque neglectum, increpatione ſolita emendabitur.

XXVI. Si quis acceſſerit ad oſtium monaſterii volens ſæculo renuntiare, & fratrum congregari numero, non habebit intrandi poteſtatem, ſed priùs nuntiabitur Patri monaſterii, & manebit paucis diebûs foris ante januam, & docebitur orationem dominicam, & Pſalmos, quantos potuerit, diſcere; & diligenter ſui experimentum dabit, ne fortè aliquid fecerit & turbatus ad horam diſceſſerit, aut ſub aliqua poteſtate ſit, & utrum poſſit renuntiare parentibus ſuis, & propriam facultatem contemnere, ſi eum viderent aptum ad omnia, tunc docebitur & reliquas monaſterii diſciplinas, quas facere debeat in quibúſque ſervire, ſive in collecta omnium fratrum, ſive in domo, cui tradendus eſt, ſive in veſcendi ordine; & inſtructus atque perfectus in omni opere bono fratribus copuletur; tunc nudabunt eum veſtimentis ſæcularibus, & induent habitum monachorum, tradetur oſtiario, ut orationis tempore adducat eum in conſpectum omnium fratrum; ſedebit in eo loco, in quo ei præceptum fuerit; veſtimenta, quæ ſecum detulerat, accipient, qui huic rei præpoſiti ſunt, & inferentur in repoſitorio, & erunt in poteſtate Principis monaſterii.

XXVII. Nemo manens in monaſterio ſuſcipiendi quempiam ad veſcendum habeat poteſtatem, ſed mittet eum ad oſtium Xenodochii, & ſuſcipiatur ab iis, qui huic rei præpoſiti ſunt.

XXVIII. Quando ad oſtium monaſterii aliqui venerint; ſi Clerici fuerint, aut monachi majori honore ſuſcipiantur, lavabunt pedes eorum, ſervabunt Evangelii præcepta, & deducent ad locum Xenodochii, præbebunt omnia, quæ apta ſunt uſui monachorum; quòd ſi voluerint orationis tempore atque collectæ venire ad conventum fratrum, ſi ejuſdem fidei fuerint, miniſter Xenodochii nuntiabit Patri monaſterii, & ſic deducentur ad orandum.

XXIX. Si ſæculares homines aut debiles, aut vaſa infirmiora, id eſt, mulierculæ venerint ad oſtium, ſuſcipient ſingulos in diverſis locis juxta ordinem Præpoſiti, & ſexûs ſui, præcipuè fœminas majori honore & diligentia curabunt cum omni timore Dei, & locum ſeparatum ab omni virorum vicinia eis tribuent, ut nulla ſit occaſio blaſphemandi. Quòd ſi ad Veſperas venerint, abjicere eas nefas eſt, ſed accipient, ùt diximus, in ſeparatum locum & clauſum cum omni diſciplina, atque cautela, ut grex fratrum liberè ſuo officio ſerviant, & nulli detur offendiculum detrahendi.

XXX. Si quis ante oſtium ſteterit monaſterii dicens: ſe velle videre fratrem ſuum, vel propinquum, janitor nuntiabit Patri monaſterii, & ille accitum interrogabit Præpoſitum domûs, ſi apud eum ſit, & permittente eo accipiet comitem egreſſionis ſuæ, cujus fides probata eſt, & ſic mittetur ad fratrem videndum vel ad proximum. Si fortè aliquid attulerit ciborum, quibus in monaſterio veſci licitùm eſt, ſuſcipere ipſe non poterit, ſed vocabit janitorem, & ille allata ſuſcipiet,

quæ

quæ ſi talia fuerint, quæ cum pane veſcenda ſint, nihil horum ii, quibus allata ſunt, accipient, ſed cuncta ad loca ægrotantium deferentur.

XXXI. Si fuerit nuntiatum, quòd de propinquis quis ægrotet, janitor primus nuntiabit Patri monaſterii, & ille accitum interrogabit Præpoſitum domûs. Videbunt virum, cujus fides & diſciplina probata ſit, & mittent cum eo, ut viſitet ægrotantem; tantum accipiet viatici, quantum Præpoſitus domûs ejus decreverit.

XXXII. Quod ſi neceſſitas impulerit, ut foris maneat, & veſcatur in paterna, aut propinquorum domo, hoc non faciet, ſed manebit in dominico, vel in monaſterio ejusdem fidei. Quod ſi ei affines vel cognati præparaverint cibos, & appoſuerint, nec accipient omnino, nec veſcentur, niſi his, quæ in monaſterio edere conſueverunt, non guſtabunt liquamen, nec vinum bibent, nec aliud quidpiam, quorum edendi non habent conſuetudinem. Si à parentibus quidpiam acceperint, tantum comedent, quantum in via ſufficit; cætera quæ remanſerint, dabunt Præpoſito domûs ſuæ, & ille portabit in cellam lanquentium.

XXXIII. Si propinguus alicujus aùt conſanguineus mortuus fuerit, proſequendi munus non habebit poteſtatem, niſi Pater monaſterii præceperit.

XXXIV. Nullus ſolus mittatur foras ad aliquod negotium, niſi juncto ei altero. Quando autem reverſi fuerint in monaſterium, ſi viderint ante oſtium quærentem aliquem ſuorum affinium de his, qui in monaſterio commorantur, non audebunt ire ad eum, & nuntiare, vel vocare, & omnino quidquid foris geſſerint, aut audiêrint, in monaſterio narrare non poterunt

XXXV. Si ſignum datum fuerit, ut egrediantur ad opus, Præpoſius antecedat eos, & nullus in monaſterio remanebit niſi is, cui Pater præceperit; & hi qui vadunt, quò pergunt, non interrogabunt, ſed unusquisque de Scripturis aliquid meditabitur. Si fortè aliquis eis occurrerit, vel voluerit cum aliquo eorum loqui; Præpoſitus, cui hoc injunctum fuerit, occurrentibus reſpondebit. Operantes nihil loquantur ſæculare, ſed aut meditentur, quæ ſancta ſunt, aut certè ſilebunt. Nemo palliolum tollat ſecum vadens ad operandum, niſi conceſſione Majoris. Operans non ſedebit ſine Majoris imperio: omnia autem ferramenta poſt operationem ad domum reportabuntur.

XXXVI. Absque Præpoſiti juſſione nemo fratrum, ſi neceſſarium habuerit, aliquem mittere poterit: quod ſi ipſe, qui major eſt, cogitur neceſſitate ire ad aliquem locum, officium ſuum ei, qui poſt ſe eſt in ordine, delegabit.

XXXVII. Si quis lavare voluerit veſtimentum, commonebit Præpoſitum ſuum, & ille mittet cum eo alium, & lota veſte revertentur domum, & ſiccatam reponet ille, cui hoc injunctum eſt.

XXXVIII. Nullus de horto tollat olera, niſi ab hortulano acceperit.

XXXIX. Palmarum folia, unde texuntur ſportæ, nemo ſuo jure tollat, absque eo cui palmæ ſunt creditæ.

XL. Nullus uvas aut ſpicas adhuc immaturas comedere audeat præter ordinem diſciplinæ, & omnino de omnibus, quæ in agro ſunt, vel in pomario, nemo comedet ſeparatim, antequam cunctis fratribus Pater exhibeat.

XLI. Qui coquent, antequam fratres comedant, non audebunt edere.

XLII. Qui ſuper arbores pomarias, & ſuper vineas ſunt, non comedent de fructibus earum, niſi fratres priùs comederint; ſi juſſi fuerint pomorum vel vinearum fructus colligere, Præpoſitus colligentium dabit in eodem loco ſingulis ad veſcendum modica, & cùm ad monaſterium venerint, inter cæteros fratres partes ſuas accipient. Si autem invenerint ſub arboribus poma cecidiſſe, comedere non audebunt, ſed inventa in tranſitu juxta radices arborum collocabunt. Ipſe quoque, qui cæteris colligentibus diſtribuit, guſtare non poterit, ſed portabit ad Diſpenſatorem, qui cùm cæteris dederit, & ipſi tribuat partem ſuam,

XLIII. Nullus in cella ſua reponat aliquid ad veſcendum absque his, quæ à Diſpenſatore acceperit.

XLIV. Qui nolunt in commune veſci cum cæteris, quaſi majori abſtinentiæ ſe dicantes, quando edere debuerint, quod eis una die ſufficiat, panem & ſal accipiant tantum. Præter monaſterii autem coquinam nulli coquendi cibos habeant poteſtatem.

XLV. Nemo in cella ſua habeat præter ea, quæ monaſterii lege præcepta ſunt, nec paucos nummos, nec proprium aliquid; extra habitum ſuum, ſi quid inveneris, absque contradictione auferes.

XLVI. Si quis transfertur de domo in alteram domum excepto ea, quæ uſui quotidiano ad habitum neceſſaria ſunt, ſecum transferre nihil poterit.

XLVII. Nullus neque ambulandi in monaſterio, neque extra murum monaſterii procedendi habeat facultatem, niſi interrogaverit Præpoſitum, & ille conceſſerit.

XLVIII. Cavendum eſt, ne quis de

domo

domo in alteram domum verba transferat; nec de monaſterio in monaſterium; nec de monaſterio in agrum, nec de agro in monaſterium.

XLIX. Si quis ambulaverit in via, vel navigaverit, aut operatus fuerit foris, non loquatur in monaſterio, quæ ibi geri viderit.

L. Non dormiat quis præter reclinam ſellulam; cúmque ad dormiendum ſe collocaverit, alteri non loquatur; poſtquam obdormiêrit, ſi poſt ſomnum nocte evigilaverit, oret.

LI. Si jejunii inſtat dies, & ſitire cœperit, bibere non audebit.

LII. Nemo lavare alterum poterit, aut ungere, niſi ei fuerit imperatum.

LIII. Nemo in tenebris alteri loquetur. Nullus cum altero dormiat; manum alterius nemo teneat; ſive ambulaverit, ſive ſederit, aut ſteterit, unô cubitô diſtet ab altero.

LIV. Nullus attondeat caput, absque Msjoris arbitrio.

LV. Mutare de his, quæ à Præpoſito acceperit, cum altero nemo audebit; nec accipiet melius, & dabit deterius: aut è contrario dans melius, deterius accipiet, & in veſtimento, & in habitu ſuo nihil novi, præter cæteros, causâ decoris inveniet.

LVI. Nemo vadens in congregationem ad veſcendum, dimittat codicem uon ligatum. Codices poſt nonam attendat, ad quem pertinet.

LVII. Si quis fratrum læſus fuerit, aut percuſſus; tamen lectulo non decumbit, ſed ambulat invalidus, & aliqua re indigebit veſtimentô vel palliolô, & cætetis utenſilibûs, Præpoſitus accipiet & dabit. Cúmque ſanus fuerit, reportabit ſine mora ulla.

LVIII. Nemo ab altero accipiet quidpiam, niſi Præpoſitus juſſerit.

LIX. In villam nullus vadat niſi miſſus; ſuper nudum dorſum aſini duo pariter non ſedebunt, nec ſuper temonem plauſtri.

LX. Ad officinas diverſarum artium ſoli pergent Præpoſiti, ut accipiant, quod neceſſarium eſt.

LXI. Ad alterius cellulam intrate nullus audebit.

LXII. Commendatum aliquid, etiam à germano fratre, nullus accipiat.

LXIII. Nihil in cella ſua absque Præpoſiti juſſione quiſpiam condet, nec poma quidem.

LXIV. Si Præpoſitus profectus fuerit, aut alter præpoſitus, aut qui ſecundus eſt, curam proficiſcentis exerceat, vel quem ipſe Præpoſitus elegerit de fratribus, & curam ei ſuam iniunxerit.

LXV. Quando farinam conſpergunt aquâ, & maſſam ſubigunt, nemo alteri loquatur, & quando tabulis ad furnum deportant panes, ſimile ſilentium habebunt; tantùm de Pſalmis aut de Scripturis aliquid meditabũtur, donec opus impleant. Si quid neceſſarium fuerit, non loquantur, ſed dent ſignum his, qui poſſunt adſerre, quæ neceſſaria ſunt. Quando ad miſcendam farinam vocati fuerint, nullus reſideat in loco panes coquentium exceptîs iîs, qui coctioni ſufficient, & quibus juſſum fuerit.

LXVI. In navibus ſimilis diſciplina eſt; nemo à terra ſolvit navigii funiculum, nec movet navigium absque juſſione Patris. In interiori patte navis cæteris ſratribus ſuper tranſtra, & tabulata quieſcentibus nullus dormiat; & ſæculares homines dormire ſecum nullus patiatur. Vaſa infirmiora cum eis non navigabunt, niſi fortè Pater monaſterii præceperit.

LXVII. Nullus in domo ſua audebit focum facete niſi in commune omnibus ſuccendatur.

LXVIII. Qui una oratione tardiùs venerit, vel qui muſſitaverit, aut locutus fuerit ad alterum, vel qui riſerit in reliquis orationibus, conſtituto ordine aget pœnitentiam.

LXIX. Quando domi reſident, non eis liceat loqui aliquid ſæculare, ſed ſi quis Præpoſitus de Scripturis docuerit, viciſſim inter ſe ruminent, & reſerent, quæ audiêrint, & quas memoriter tenent.

LXX. qui vas fictile fregerit, vel aliquam utilem rem ad uſus monaſterii, aget pœnitentiam.

LXXI. Si frater dormiêrit, omnis eum fraternitas proſequatur.

LXXII. Nemo exeat foras, nemo loquatur, nemo remaneat exceptô Majoris imperiô.

LXXIII. Audito ſigno excitantis, aut voce pſallentis omnes ſurgant, currentes ad orationes. Nullus ante pſallat, niſi ei juſſum fuerit, nec completo Pſalmo alterum ſine Præpoſiti juſſione audeat jungere.

LXXIV. Nemo ante Præpoſitum ſuum & Ducem ſuum ambulet. Nullus remaneat de ordine ſuo.

LXXV. Si quis aliquid perdiderit, ante altare publicè corripietur: ſi verô de propriis veſticulis fuerit, quod perditum eſt, tribûs hebdomadibûs non accipiat, & in quarta, actâ pœnitentiâ, dabitur ei, quod amiſit.

LXXVI. Qui invenerit aliquid, per tres dies ante collectam fratrum ſuſpendat, ut tollat, qui cognoverit.

LXXVII. Lotum in domo nemo faciat absque Præpoſito, & omne, quod novum eſt, illius ſententiâ diſponetur.

LXXVIII. Omnis correptio ita fiet, ut di-

diſcincti ſint, qui corripiuntur, & demiſſis manibus, & humiliato capite, emendaturos ſe promittentes vitia, in quibus arguuntur, veniam deprecentur.

LXXIX. Qui abſque ordine fratrum receſſerit, & poſtea actâ pœnitentiâ redierit, non erit in ordine ſuo abſque Majoris imperio.

LXXX. Qui rudis in monaſterio fuerit ingreſſus, docebitur priùs, quæ debeat obſervare, & cùm doctus ad univerſa conſenſerit, dabunt ei viginti Pſalmos, aut duas Epiſtolas Apoſtoli, aut alterius Scripturæ partem; & ſi litteras ignoraverint, horâ primâ, tertiâ, & ſexta vadat ad eum, qui docere poteſt, & qui ei fuerit delegatus, & ſtabit ante eum, & diſcet ſtudioſiſſimè cum omni gratiarum actione: poſtea ſcribentur ei elementa ſyllabæ, verba, ac nomina, & etiam nolens legere compellatur; & omnino nullus erit, in monaſterio, qui non diſcat litteras, & de Scripturis aliquid teneat, quod minimum eſt, uſque ad novum Teſtamentum, & Pſalterium; omne, quod in Conventu fratrum audierint diſputatum, cogentur inter ſe, ut recolant.

LXXXI. Ad pſallendum & ad orandum nullus ſibi occaſiones inveniat, quibus ſe dicat occupatū, qua ſi ire non poſſit, & ſi in navi fuerit, & in agro, & in itinere, vel in monaſterio, quolibet miniſterio detentus, orandi & pſallendi tempora non prætermittat.

De Puellarum Diſciplina.

LXXXII. Nemo ad eas vadat viſitandas, niſi qui habet ibi matrem, vel ſororem aut propinquas, & conſobrinas, ſeu matrem filiorum ſuorum; ſi autem & ante converſionem paterna eis debetur hæreditas, aut aliqua cauſa manifeſta eſt, mittent cum his probatæ ætatis virum, ac vitæ, & videbunt eas & pariter revertentur. Nemo vadat ad illas niſi hi, quos ſupra diximus, ita ut primùm faciant renuntiari Patri monaſterii, & ille mittet ad Seniores, qui monaſterio virginum delegati ſunt, qui occurrent eis, & cum ipſis videbunt eas, quas neceſſe habebunt, cum omni diſciplina & timore Dei, non eis loquentur de rebus ſæcularibus.

LXXXIII. Quicunque de his mandatis aliquid præterierit, abſque ulla dubitatione negligentiæ atque contemptûs aget pœnitentiam, ut poſſidere valeamus regna cœlorum.

Præcepta et Instituta Patris nostri Pachomii hominis Dei, qui fundavit ab exordio ſanctæ vitæ communionem juxta imperium Dei. Plenitudo legis charitas, ſcientes tempus, quod inſtet hora, ut de ſomno conſurgamus, quod vicinior ſit ſalus noſtra, quàm eo tempore, cùm credidimus. Nox præceſſit, dies autem appropinquavit: deponamus opera tenebrarum, quæ ſunt contentiones, odia, & tumentis animi ſuperbia.

LXXXIV. Qui facilis eſt ad detrahendum, & dicit, quod non eſt, qui in hoc peccato fuerit deprehenſus, monebunt eum ſecundò, & ſi audire contempſerit, ſeparabunt eum extra conventum fratrum ſeptem diebus, & panem tantùm cum aqua accipiet, donec polliceatur, atque confirmet, ſe ab hoc vitio receſſurum, & ſic dimittetur ei.

LXXXV. Si quis iracundus & furioſus frequenter iraſcitur ſine cauſa & propter rem inanē, & vacuam, per ſex vices commonebitur, & in ſeptima facient eum ſurgere de ordine ſeſſionis ſuæ, & inter ultimos collocabitur, docebúntque eum, ut ab hac mentis perturbatione mundetur. Cúmque tres teſtes dignos teſtimonio adduxerit, qui pro eo polliceatur, nequaquam ſimile quid eſſe facturum, recipiet ſeſſionē ſuam: alioqui ſi permanſerit in vitio, moretur inter ultimos perdito priore loco.

LXXXVI. Qui falſum cupit probare contra alterum, ut opprimat innocentem, tertiò commonebitur, & poſtea reus erit iniquitatis, ſive de priori loco fuerit, ſive de inferioribus.

LXXXVII. Qui habet peſſimam conſuetudinem, ut fratres ſuo ſermone ſollicitet, & pervertat animos ſimplicium, tertiò commonebitur: ſi contempſerit & obſtinato animo in duritia perſeveraverit, ſeparabunt eum extra monaſterium & verberabunt eum ante foras triginta novem, dabúntque ei ad veſcendum panem ſolùm & aquam, donec mundetur à ſordibus.

LXXXVIII. Qui habet peſſimam conſuetudinem murmurandi, & quaſi gravi opere ſe opprimi queritur, docebunt eum quinquies, quod ſine cauſa murmuret, & oſtendent perſpicuè veritatem. Si poſt hæc inobediens fuerit & eſt perfectæ ætatis, ita eum habebunt, ut unum de ægrotantibus, & ponetur in loco infirmorum, ibique aletur otioſus, donec redeat ad veritatem; ſi autem juſta eſt illius querela, & à Majore iniquè opprimitur, qui eum ſcandalizavit, eidem ſententiæ ſubjacebit.

LXXXIX. Si inobediens quis fuerit, aut

aut contentioſus, aut contradictor, aut mendax & eſt perfectæ ætatis, decies commonebitur, ut deſiſtat, à vitiis. Si autem audire noluerit, monaſterii legibûs increpabitur, quod ſi alterius culpâ ad hæc vitia devolvitur, & hoc fuerit comprobatum, ille, qui cauſa exſtitit, reus erit ultionis.

XC. Si deprehenſus fuerit aliquis de fratribus libenter cum pueris ridere, & ludere & habere amicitias ætatis infirmæ, tertiò commonebitur, ut recedat ab eorum neceſſitudne, & memor ſit honeſtatis ac timoris Dei; ſi non ceſſaverit, corripietur, ùt dignus eſt, correptione ſeveriſſima.

XCI. Qui contemnunt Præcepta Majorum & Regulas monaſterii, quæ de præcepto conſtitutæ ſunt, & parvi pendunt Seniorum conſilia, corripientur juxta ordinem conſtitutum, donec corrigantur.

XCII. Qui judex eſt omnium peccatorum, & perverſitate mentis ac negligentia reliquerit veritatem, viginti viri ſancti, & timentes Deum, ſive decem, & uſque ad quinque, de quibus omnes dent teſtimonium, ſedebunt & judicabunt eum, & degradabunt in ultimum gradum, donec corrigatur.

XCIII. Qui conturbat fratrum animos, & facilis eſt ad detrahendum, lites ſerens, & jurgia, decies commonebitur, & ſi non fuerit emendatus, corripietur ordine monaſterii, donec corrigatur.

XCIV. Qui viderit de Majoribus & Præpoſitis fratrum ſuorum tribulationem, & noluerit cauſam tribulationis inquirere, eámque contempſerit, quæratur cauſa à ſupradictis judicibus inter fratrē, atque Præpoſitum, & ſi deprehenderint negligentiâ Præpoſiti vel ſuperbiâ coanguſtatum fratrem, & judicâſſe eum, non ſecundùm veritatem, ſed ſecundùm perſonam, degradabitur de ſolio ſuo, donec corrigatur, & ab injuſtitiæ ſordibus emendetur, quia non conſideravit veritatem, ſed perſonas, & ſervivit pravitati animæ ſuæ, & non Dei judicio.

XCV. Si quis promiſerit obſervare Regulas monaſterii & facere cæperit, eáſque dimiſerit, poſtea autem reverſus egerit pœnitentiam obtendens infirmitatem corpuſculi, per quam non poſſit implere, quod dixerat, faciant eum inter languentes commorari, & paſcetur inter otioſos, donec actâ pœnitentiâ impleat, quod promiſit.

XCVI. Pueri in domo ſi fuerint dediti luſibus & otio, & correpti non potuerint emendari, debet Præpoſitus usque ad dies triginta ipſe eos monere & corripere, ſi viderit in pravitate perſiſtere, & non nuntiaverit Patri monaſterii, & aliquod peccatum in eis fuerit deprehenſum, ipſe pro eis culpæ ſubjacebit, juxta quod peccatum fuerit inventum.

XCVII. Omnes autem pueri, qui non timent confundi pro peccato, & per impudentiam judicium Dei non cogitant, & correpti verbô non emendaverint, verberentur, quamdiu diſciplinam accipiant, & timorem.

XCVIII. Qui injuſtè judicaverit, juſtè ab aliis condemnabitur.

XCIX. Qui conſentit peccantibus, & defendit alium delinquentem, maledictus erit apud Deum & homines, & corripietur increpatione ſeveriſſima. Quod ſi per ignorantiam deceptus eſt, & non ita putavit, ùt verum eſt, ignoſcetur ei, & omnis, qui per ignorantiam peccat, facilè accipiet veniam; qui autem ſciens peccaverit, ſuſtinebit increpationem juxta menſuram, opúſque peccati.

C. Præcepta & Leges Pachomii. Ne plus fratres facere compellantur, ſed moderatus labor omnes ad laborandum provocet. Sit inter eos pax & concordia, & libenter Majoribus ſubjiciantur. Sedentes & ambulantes & ſtantes invicem de humilitate decertent.

CI. Si quis peccatum fecerit, Patres monaſteriorum emendare poterunt, & conſtituere, quid ſequi debeat.

CII. Præpoſitus autem domûs, & qui ſecundus ab eo eſt, hoc tantum juris habebunt, ut compellant fratres in punctis ſingulis, vel collecta domûs ſive in collecta majore, hoc eſt, omnium fratrum, ſubjacere pœnitentiæ.

CIII. Quòd ſi Præpoſitus peregrè fuerit, qui ſecundus eſt, locum ejus implebit tam in pœnitentia fratrum recipienda, quàm in quocunque alio eorum, quæ in domo neceſſaria ſunt.

CIV. Si quis abſque conſcientia duorum jêrit ad alteram domum, vel alterius domûs fratrem, codicem ad legendum mutuum poſtulaverit, vel quodlibet aliud, monaſterii ordine increpabitur.

CV. Qui vult ſine macula & contemptu in domo, cui deputatus eſt, vivere, omnia, quæ præcepta ſunt, coram Deo obſervare debebit.

CVI. Quidquid neceſſarium eſt, ſive in agro, ſive in monaſterio, Præpoſitus etiam non poſtulatus impleat.

CVII. Sex orationes facient Veſpertinas, juxta exemplum majoris collectæ, in qua omnes fratres pariter congregantur.

CVIII. Summa dilectionis eſt, etiamſi difficile fuerit, ut nullum onus habeant, nec ex onere naſcatur tædium.

CIX. Si quis de foris venerit, & æſtu laboraverit, aliique fratres orationē celebraverint, ſi ire non poteſt, non cogatur.

CX. Quando Præpoſiti domorum fratres de converſione ſanctæ vitæ docebunt, absque graviſſima ægritudine nullus aberit.

CXI. Majores quinque è fratribus mittuntur foras, quamdiu ibi fuerint, habebunt jus Præpoſitorum, cuncta gerentur arbitrio eorum, docebunt fratres per conſtitutos dies; & ſi fortè aliquid inter eos ortum fuerit ſimultatis, audient ipſi Majores, & judicabunt cauſam, & dignum culpâ increpabunt, & ad imperium eorum ſtatim ad pacem pleno corde conſentient.

CXII. Si quis de fratribus contra Præpoſitum domûs ſuæ triſtitiam habuerit, aut ipſe Præpoſitus contra fratrem aliquam querimoniam, fratres probatæ converſationis & fidei audire eos debebunt, & judicabunt inter eos. Si tamen abſens eſt Pater monaſterii, vel aliquò profectus, primùm quidem expectabunt eum; ſi autem diutius commorari viderint, tunc audient inter Præpoſitum & fratrem, ne de ſuſpenſo judicio major triſtitia oriatur; & ille, qui Præpoſitus eſt, & ille, qui ſubjectus eſt, & hi, qui audiunt, juxta timorem Dei cuncta faciant, & in nullo dent occaſionem.

De veſtibus monachorum.

CXIII. Si quis de his, quæ præcepta ſunt, amplius habuerit, absque conceſſione Majorum, deferentur ad cuſtodem, & intrandi illuc, vel poſtulandi non habebit poteſtatem, ſed erunt ſub Præpoſiti arbitrio, aut qui ſecundus eſt ab eo.

Præcepta Pachomii de collecta fratrum, quomodo collecta fieri debeat, & fratres ſint congregandi ad audiendũ verbum Dei juxta præcepta Majorum & doctrinam ſanctarũ Scripturarum, ut liberentur de errore animæ converſorum, & glorificent Deum in luce viventium, ut ſciant, quomodo oporteat in domo Dei converſari ſine ruina & ſcandalo, & non inebrientur aliqua paſſione, ſed ſtent in menſura veritatis, & traditionibus Apoſtolorum, & Prophetarum, & ſolemnitatum ordinem teneant, imitantes converſationem eorum in domo Dei. Et jejunia atque orationes ex more complentes: qui enim bene miniſtrant, ſequuntur Regulam Scripturarum.

CXIV. Hoc eſt ergo miniſterium, quod miniſtri Eccleſiæ implere debebunt. Congregent fratres orationis tempore; & omnia faciant, quæ rite complenda ſunt, ne nullam occaſionem detractioni tribuant, nec ſinant quempiam ambulare contra ritum diſciplinæ. Si codicem poſtulaverint, deferant eis.

CXV. Si quis de foris venerit veſperi, & non occurrerit accipere opus, quod poſtera die facturus eſt, manè tribuant. Si defecerit opus, quod habebat in manibus, referat ad Majoris ſententiam, & quod ille præceperit, faciat.

CXVI. Qui miniſter eſt, habeat ſtudium, ne quid operis pereat in monaſterio in nulla omnino arte, quæ exercetur à fratribus. Quòd ſi quid perièrit, & negligentiâ fuerit diſſipatum, increpabitur à Patre Miniſter operum ſingulorum, & ipſe increpabit alterum, qui opus perdiderit, duntaxat juxta voluntatem, & ſententiam Principis, absque qua nullus increpandi fratrem habebit poteſtatem.

CXVII. Si veſtimentum ad ſolem expanſum tertius invenerit dies, Dominus veſtimenti pro eo increpabitur, & aget pœnitentiam publicè in collecta, ſtabitque in veſcendi loco.

CXVIII. Si inventus fuerit unus è fratribus aliquid per contentionem agens, vel contradicens Maioris imperio, increpabitur juxta menſuram peccati ſui.

CXIX. Qui mentitur, aut odio aliquem habere fuerit deprehenſus, aut inobediens, aut plùs joco, quàm honeſtum eſt, deditus, aut otioſus, aut durè reſpondens, aut conſuetudinem habens fratribus detrahendi, vel his, qui foris ſunt, & omnino quidquid contra Regulam Scripturarum eſt, & monaſterii diſciplinam, audiet Pater monaſterii, & vindicabit juxta menſuram, opúsque peccati.

CXX. Pellicula, caligæ, & cingulum, & ſi quid aliud perièrit, qui perdiderit, increpabitur.

CXXI. Si quis tulerit rem non ſuam, ponetur ſuper humeros ejus, & aget pœnitentiam publicè in collecta, ſtabitque in veſcendi loco. Si autem in furto fuerit deprehenſus, triginta novem verberabunt eum, & foris dabunt ei edere panem & aquam tantùm, & opertum cilicio, & cinere per ſingula orationum tempora cogent eum agere pœnitentiam. Eadémque lex in fugitivis obſervabitur.

CXXII. Præpoſitus domûs increpationi ſubjacebit, ſi ante tres dies non nunciaverit Patri, ſive in via, ſive in agro, ſive in monaſterio quid perièrit, & aget pœnitentiam juxta ordinem conſtitutum.

CXXIII. Quod ſi homo fuerit, & ante

te

te tres horas non nuntiaverit Patri, reus erit perditionis ejus, niſi eum iterum invenerit.

. CXXIV. Hæc eſt ultio in eum, qui fratrem de domo perdiderit, tribus diebus aget publicam pœnitentiam. Quod ſi eâdem horâ, quâ fugerit, non nuntiaverit Patri, reus erit peccati.

CXXV. Si in domo ſua Præpoſitus viderit delinquentem, & non nuntiaverit Patri monaſterii, ipſe increpationis ordini ſubjacebit.

CCXVI. Per domos ſingulas veſperi ſex orationes, pſalmóſque complebunt, juxta ordinem Majoris collectæ, quæ à cunctis fratribus in commune celebratur. Per ſingulas hebdomadas diſpoſitiones à Præpoſitis complebuntur. Nullus in domo quidpiam faciet, niſi quod Præpoſitus juſſerit.

CXXVII. Si omnes fratres, qui in domo ſunt, viderint Præpoſitum nimiùm negligentem, menſuram monaſterii excedentem, referent ad Patrem, & ab eo increpabitur. Ipſe autem Præpoſitus nihil faciat præter id, quod Pater juſſerit, maximè in re nova, nam, quæ ex more deſcendit, obſervabit Regulas monaſterii.

CXCVIII. Præpoſitus non inebrietur; nec ſedeat in humilioribus locis juxta vaſa monaſterii; ne rumpat vincula, quæ Deus in cœlo condidit, ut obſerventur in terris; ne lugeat in die Feſto Domini Salvatoris; Dominetur carni ſuæ juxta menſuram Sanctorum. Non inveniatur in excelſis cubilibus imitatus morem gentilium; Non ſit duplicis fidei; non ſequatur cogitationes cordis ſui, & ſublimioribus non reſiſtat tumentî animô poteſtatibus; non fremat, nec irruat ſuper humiliores; non transferat terminos; non ſit fraudulentus, nec in cogitationibus verſet dolos; non negligat peccatum animæ ſuæ extirpare, nec vincatur carnis luxuria; non ambulet negligenter; non cito loquatur verbum otioſum; non ponat ſcandalum ante pedes cœci; non deceat voluptates animam ſuam; non ſolvatur ſtultorum riſu ac joco; non rapiatur cor ejus ab his, qui inepta loquuntur aut dulcia; non vincatur muneribus; non parvulorum ſermone ducatur; non affligatur in tribulatione; non timeat mortem, ſed Deum, ne prævaricator ſit propter eminentem timorem; ne relinquat verum lumen propter modicos cibos; non vacillet, nec fluctuet in operibus ſuis; non mutet ſententiam veram; ſed firmus ſit, ſolidique decreti juſta cuncta c. nſiderans, judicans in veritate abſque appetitu gloriæ, manifeſtus Deo & hominibus, & elongans ſe à fraude; non ignoret converſationê Sanctorum, nec ad eorũ ſcientiam cœeus exiſtat; nulli noceat per ſuperbiam; ne ſequatur concupiſentias oculorum ſuorum; non eum ſuperent incentiva vitiorum; veritatem nunquam prætereat; oderit injuſtitiam, & perſonam nunquam judicet pro muneribus, nec condemnet innocentem per ſuperbiam; non rideat inter pueros; non deſerat veritatem timore ſuperatus; non comedat panem de fraudulentia; non deſideret alienam terram; non opprimat animam propter aliorum ſpolia; non deſpiciat eos, qui indigent miſericordia, nec falſum teſtimonium dicat ſeductus lucro, nec mentiatur propter ſuperbiam, nec contendat contra veritatem ob tumorem animi, nec deſerat juſtitiam propter laſſitudinem, nec perdat animam ſuam propter verecundiam, nec reſpiciat dapes lautioris menſæ, nec pulchra veſtimenta deſideret; ne ſenes negligat; ſemper dijudicet cogitationes ſuas; ne inebrietur vino, ſed humilitatê junctam habeat veritati, quando judicat. Sequatur præcepta Majorum & Legem Dei, quæ toto orbe prædicata eſt. Si quidquam de his prætererit, reddetur ei menſura, juxta quam menſus eſt, & recipiet ſecundùm opera ſua, quia mœchatus eſt in *Hiere.*
ligno & lapide, & propter fulgorem auri & ſplendorem animi dimiſit judicium, *1. Reg. 4. Gen. 4.*
& deſideriis temporalibus lucri, laqueis *Numer. 16.*
ſe induit iniquorum, & eveniet ei contri- *Eccl. 12.*
tio Heli & filiorum ejus; maledictio Dei, *Hiere. 48.*
quam imprecatus eſt Cain; perditio, quâ *Eſaia 56.*
peccatores terræ hiatus abſorbuit; Et interitus Chananæorum; & contritio Hydriæ ad fontem; & arenarum comminutio in littoribus, quæ falſis fluctibus verberantur; & confractio virgæ glorioſæ, ut ſit quaſi cœcus palpans manu parietem. Hæc omnia evenient ei, quia non ſervavit veritatem in judicio, & iniquè egit in omnibus, quæ ei credita ſunt.

SCHOLIA.

ART. I. *Præcepta Vitalia.* Spiritualia, ſeu quibus vita ſpiritualis & religioſa hic ducitur & æterna comparatur.

IBID. *Tribus à Patribus.* Pachomio ſcilicet, Theodoro & Orſieſio, de quo ſuprà in Præfatione.

IBID. *Si acciderit, &c.* Silentium in oratorio, ſive in Eccleſia ſervandum.

IBID. *Inclinata cervice, &c* Modus correctionis apud Ægyptios Monachos. Idem infrà Art. 5. & 78.

IBID. *Principe Monaſterii.* Aliàs Patre Monaſterii, ſeu Abbate.

ART. II. *Ad Collectam.* Id eſt ad conventum, ſeu Congregationem Monachorum in Eccleſia ſive ad orandum ſive ad verbum Dei audiendum. Caſſianus *Miſſam* vocat & *Synaxin.* Similiter D. Hieronymus epiſt. 60. *Cum celebraretur*, inquit, *Collecta in Eccleſia* Et infrà ibidem: *Ut ibi Collectam tecum ex more Eccleſiaſtico facerem.*

IBID. *Tuba inſonuerit.* Tuba ùt opinor, cornea, pro nola, aut campana olim in uſu apud Eremicolas Monachos ùtpote æris, & cujusvis metalli inopes. Qua occaſione notandum triplici inſtrumento ſolere fideles, præſertim Monachos ad Eccleſiam convocari, tubâ ùt hic habetur, tabulâ ligneâ, & tintinnabulô ſive campana. De tuba nullum aliud exemplum inter Chriſtianos hactenus uſurpatum mihi occurrit. Apud Hebræos Sacerdotem ex eminente turri, ſonitu tubæ, populo certas diei horas, & Sabbata indicare conſueviſſe Author Joſephus de bello Judaico, lib. 5. cap. 9. & ſatis notum eſt è Scriptura, tubarum uſum in ſacris ritibus fuiſſe ſolemnem. Quod ad tabulam ligneam attinet, ea nunc utitur Eccleſia tantummodo tribûs poſtremis diebûs majoris hebdomadæ ſilentibûs tunc campanis in ſignum mœſtitiæ. Uſi ſunt tamen olim Monachi ſubinde in ſignum feſtivitatis & lætitiæ. Sic enim legitur in ſecunda Nicæna Synodo Art. 4. *Cùm ſanctæ Civitati Reliquiæ ſanctæ appropinquaſſent, ſurgentes ſubitò, lignáque Sacra pulſantes invicem obviam facti ſunt in veneranda Virginis Deiparæ Æde*, &c. hæc ibi. Duplici autem modô utebantur ad convocandum in Eccleſiam Monachos, nimirum ut vel omnes æquè una pulſatione convocarentur, vel ſingillatim fores ſingulorum pulſarentur. Cujus exemplum exſtat apud Palladium Lauſiacâ 104. ubi ait: Poſtquam hoc modo ſolitum tempus implêſſet, ſignô mallei, quô cæteros Fratres excitabat, percutiens fores omnino cellarum, eos congregabat ad oratorium. Atque hinc fortaſſe mallei & tabulæ percuſſio ad ſingulas clauſtri fores, & officinas, velut ad Monachorum cellas etiam in exequiis Fratrum defunctorum quibusdam in locis ac Monaſteriis inolevit. Porro tintinnabulorum uſus reddita Eccleſiæ pace poſt Tyrannorum perſecutiones introductus fuit: quæ ſi grandiora erant, campanæ à Campania Regione Italiæ. ubi primô fabricata ſunt, ſi verò minora Nolæ à Nola ejusdem Campaniæ civitate ſunt appellata, ùt notat Durandus lib. 1. Ratio c. 4. Illud verò admodum ſingulare videtur, quod refert S. Hieronymus epiſt. 27. in Monaſterio S. Paulæ una voce altiùs decantata nimirum Alleluja, omnes ad ſynaxin vocari ſolitas Moniales. Sic enim ait: *Poſt Alleluja decantatum, quô ſignô vocabantur ad collectam, nulli reſidere licitum erat; ſed prima, ſeu inter primas veniens cæterarum opperiebatur adventum.* Hæc ibi.

IBID. *Qui poſt tres orationes.* Ciaconius poſuit in margine ſ. duas.

IBID. *In veſcendi loco.* Superius *in loco convivii*, quòd vulgo refectorium vocatur. Qua voce uſus etiam Innocentius III Pontifex in cap. *cum ad Monaſterium* de ſtat. Monach. Concilium Turonenſe c. 23. Aquisgranenſe c. 117. & Leo IX. apud Gratianum 12. q. 1. cap. *Neceſſaria*

ART. III. *Abſque juſſione Majorum.* Majores dicebantur omnes Seniores. Priores item, & Decanos vocat D. Bened. c. 21. & 70.

ART. IV. *Omnes memoriter reteneant, &c.* Conferendus hic Articulus cum Art. 26. & 80. ubi explicatur, quænam fuerint memoriter tenenda, & ediſcenda.

ART. V. *In die Dominica.* Solemne Sacrificium in diebus Dominicis. Miſſam ſolemnem & conventualem vocamus, in qua Monachi omnes communicabant.

ART. VII. *Diſputatio.* Diſputationes Monaſticæ & in Monaſteriis olim frequentatæ: alias Collationes dictæ apud Caſſianum, de quibus etiam D. Hieronymus ep. 22. hæc refert: Poſt horam nonam in commune concurritur, Pſalmi reſonant, Scripturæ recitantur ex more, & completis orationibus, cunctisque reſidentibus medius, quem Patrem vocat, incipit diſputare, quo loquente tantùm ſilentium fit, ut nemo alium reſpicere, nemo audeat excreare. Dicentis laus in fletu eſt audientium, tacitæ volvuntur per ora lacrymæ, & ne in ſingultus quidem erumpit dolor. Cùm verò de regno Chriſti, & de futura beatitudine, & de gloria cœperit annuntiare ventura, videas cunctos moderato ſuſpirio & oculis ad cœlum levatis dicere: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ & volabo & requieſcam.* Poſtea Concilium ſolvitur, & unaquæque Decuria cum ſuo parente pergit ad menſam &c. Similia habet D. Auguſtinus lib. 1. de moribus Eccleſ. c. 31.

ART. IX. *Nec ſuccendetur focus &c* Focus communis in Monaſterio: ubi, dum ſilentii tempore admittetur, ſilendum, aut lectioni vel colloquio ſpirituali non fabulis otioſis, & ſæcularibus vacandum. Ita in Conſtitutionibus Caſſinenſium ad cap. 52. Regulæ: *Silentium ſervetur ad ignem communem Fratrum.* Vide etiam infra Art. 67.

ART. X. *Meditationis tempore.* Meditationis ſive orationis mentalis exercitium antiquis Patribus uſitatiſſimum & Monachis maximè proprium, à quo potiſſimum ἀσκηταὶ, id eſt, exercitatores olim dicti (apud Euſebium lib. 2. hiſt. cap. 16. Unde exercitationum ſpiritualium tam crebra in ipſorum hiſt. ſimul & ſcriptis mentio, ut nihil frequentiùs inculcetur, aut impenſiùs commendetur. De eadem etiam agitur infra Art. 16. 35. & 65. Caſſianus lib. 2. Inſtit. cap. 14. Docet Monachos Ægyptios tam noctu, quàm interdiu operi manuum pariter, & meditationi aſſiduè vacâſſe. Idem inculcat lib. 3. cap. 2. 4. & 12. & alibi docet ex ſententia Abbatis Theodori, ſcientiam Scripturarum magis oratione & meditatione, quàm multo ſtudio, & lectione commentariorum comparari. Vide etiam Collationem 14. cap. 10. Divus etiam Benedictus duobus in locis eandem meditationis legem, & inſtitutionem ſuis Cœnobitis indixit.

Nam

Nam cap. 48. ſtatuit, *horas diei ab opere Dei ſive officio divino vacantes ita diſtribui, ut alia orationi* (ſive mentali ſive vocali) *alia lectioni, alia operi manuum impendantur:* in quo triplici occupationum genere docet ibidem Turrecrematus vitam Monaſticam conſiſtere. Et cap. 58. de prima novitii recens admiſſi inſtitutione agens *poſtea*, inquit, *manducet & dormiat in cella noviti orum, ubi & meditetur*. Ex his patet, quàm procul à ſui ratione inſtituti & avita pietate deflectant Monachi, qui cùm vitam contemplativam ex inſtituto ſui ordinis profitentur, nihil tamen minus, quàm de contemplatione, aut meditatione cogitant, & ne quadrantem quidem horæ huic tam pio & ſalutari meditationis exercitio in dies impendunt, toti in rebus, & officiis externis occupati.

ART. XI. *Si quis vel locutus fuerit.* Silentium in menſa ſeu refectorio. De quo D. Hieronymus, ubi ſupra. Caſſianus l. 4. Inſtit. c. 17. Apud Ægyptios vel maximè Tabennenſiotas tantum ſilentium ab omnibus exhibetur, ut cùm in unum tanta numeroſitas Fratrum refectionis obtentu conſederit, nullus nec mutire quidem audeat, præter eum, qui ſuæ decaniæ præeſt; Tantáque reficientibus eis ſilentii hujus diſciplina ſervatur, ut cucullis ultra oculorum palpebras demiſſis, ne ſcilicèt liber aſpectus habeat curioſiùs copiam evagandi, nihil ampliùs intueantur, quàm menſam, & appoſitos in ea cibos: ita ut, quemadmodum, vel quantum reficiat alius, nullus invicem notet. Hæc ibi Caſſianus planè conſona huic articulo Regulæ Pachomianæ.

ART. XII. *Excepto Majoris imperio &c.* Ambigua hæc ſunt verba: poſſunt enim referri ad priorem ſententiam, hoc modo: Si quis venerit tardiùs niſi ex præcepto Majoris, vel aliàs legitimè impeditus &c. vel ad poſteriorem, ut ſcilicet, *agat pœnitentiam*, niſi ex Majoris, vel Prælati arbitrio ſeu imperio ab eis abſolvatur, vel eximatur, quamvis prior ſenſus melior ſit, ut patet ex art. 72. ubi dicitur: *Nemo exeat foras exceptô Majoris imperiô*, id eſt, niſi cum Majoris imperio.

ART. XIII. *Miniſtrantibus ſigni ſonitum dabit.* Signorum Monaſticorum antiquitas, & inſtitutio ad cuſtodiendum ſilentium. De quibus & Caſſianus, ubi ſupra *Decanus*, inquit, *ſi quid menſæ ſuperinferri vel auferri neceſſarium eſſe perviderit, ſonitu potiùs, quàm voce ſignificet.* Et Nicephorus lib. 9. c. 14. Signis, ait, quibusdam, manuum impulſione, vel nutibus rem neceſſariam ab eis, quibus ut menſæ providerent, obveniſſet, inſinuando peterent. De his etiam S. Benedictus cap. 38. Regulæ agit, itémque S. Fructuoſus Regulæ Monachorum. cap. 5. in vita S. Odonis Cluniacenſis hæc de Cluniacenſium more habentur: Quoties neceſſitas ad expoſcendum res inſtabat, toties diverſa ſigna invicem fiebant ad perficienda, quæ vellent; quas, puto, Grammatici digitorum, & oculorum notas vocare voluerunt. Adeo nempe inter eos excreverat ordo iſte, ut ſi ſine officio linguæ eſſent, ad omnia neceſſaria ſignificanda, ſufficere poſſent ſigna ipſa. Hæc ibi. Hanc porro SS. Patrum inſtitutionem, & ſilentii legem in menſa Monachorum etiam Innocentius III. Pontifex corroboravit, & confirmavit in celebri illo decreto, quod incipit: *Cùm ad Monaſterium.* De ſtatu Monachorum. *In oratorio*, inquit, *refectorio, & Dormitorio continuum ſemper ſilentium obſervetur.* Vide etiam art. 65. infrà.

Vid. Joan. Moſchum prat. ſpirit. cap. 67.

ART. XV. *Mutatos cibos.* i. e. alios à communibus, vel eoſdem quidem, ſed aliqua in re mutatos, aut aliter apparatos, vel conditos.

ART. XVI. *Qui percutit ad veſcendum.* i. e. Qui ſignum dat, aut pulſat ad menſam. Pulſari autem, ſive percuti ſolet inſtrumentum, quod alii tabulam, alii tintinnabulum, vel nolam, alii campanellam, alii cymbalum, alii ſcillam, vel ſquillã nuncupant. Vas ſcilicet æneum, & rotundum, ſcillæ, ſive cepæ marinæ, quæ propriè ſcilla dicitur, ſimilitudinem ſupernè referens. Durandus lib. 1. Ratio. c. 4. ſquilla, inquit, pulſatur in triclinio, id eſt, refectorio, cymbalum in clauſtro, nola in choro &c. Petrus Cluniacenſ. lib. 1. mirac. c. 12. *A Priore ſecundùm morem uno ictu ſcilla percuſſa eſt.* Quô ſonô auditô refert deinde fugatum dæmonem, qui Monachum è clauſtro abducere nitebatur.

ART. XVII. *Erogat Fratribus dulciamina.* Fortè aliquid mellis, vel fructuum; aliàs dulciaria, vel bellaria.

ART. XVIII. *Qui ſuſcipit ea, quæ dantur.* Hinc diſcimus Monachos illos non tantùm ex operibus manuum ſuarum, ſed etiam ex eleemoſynis vel emendicatis, vel ſponte oblatis, & donatis victitâſſe; unde Ordines Mendicantium exemplum accipere poſſunt.

IBID. *Præpoſitus domûs.* Præpoſitus olim dictus, qui nunc Prior: ut in Regulâ S. Benedicti c. 65. D. Hieronymus in ſua præfatione: habent ſingularum domorum Præpoſitos; ita ut in una domo quadraginta plus minùsve Fratres habitent, qui obediant Præpoſito &c. Gennadius in Pachomio ait, ipſum ſcripſiſſe ad omnium Monaſteriorum Præpoſitos epiſtolam unam; ſimiliter & ad diem remiſſionis, quæ menſe Auguſto agitur, ut in unum Præpoſiti congregarentur, epiſtolam unam. Sic ille

ART. XIX. *Miniſtris.* De variis miniſtris inter illos Monachos vide notam 14. in præfationem.

ART. XX. *Locum ægrotantium &c.* Noſocomion, ſive infirmarium, & infirmorum cura apud veteres Monachos, de qua D. Hieronymus in ſua præfatione: Ægrotantes inquit, miris ſuſtentantur obſequiis, & ad omnem copiam præparatis cibis. Et in epiſtola 22. ad Euſtachium: Si quis cœperit ægrotare, transfertur ad exedram latiorem, & tantô Senum miniſteriô confovetur, ut nec delicias urbium, nec matris quærat affectum. S. Auguſtinus in Regula Clericorum cap. 8. S. Benedictus c. 36.

ART. XXI. *Vinum.* D. Hieronymus ep. 22. de iiſdem Monachis Ægyptiis agens: Vinum, inquit, tantum Senes accipiunt, quibus, & parvulis ſæpe fit prandium: ut aliorum feſſa ſuſtentetur ætas, aliorum non frangatur incipiens. D. Auguſtinus lib. 1. de moribus Eccleſiæ. cap. 31. non ſolùm à carnibus & vino abſtinent pro ſufficientia domandarum libidinum, ſed ab eis etiam, quæ tantò concitatiùs ventris & gutturis provocant appetitum, quanto quaſi mundiora nonnullis videntur, &c. Atque hinc, opinor, D. Benedictus accepit, quod ait cap. 40. *Licet legamus vinum omnino non eſſe Monachorum: quia tamen noſtris temporibus id Monachis perſuaderi non poteſt; ſaltem hoc conſentiamus, ut non uſque ad ſatietatem bibamus, ſed parcius: quia vinum apoſtatare facit etiam ſapientes.* Sed illud dictum expreſſius legitur in vitis Patrum lib. 5. hiſce verbis: Narraverunt quidem Abbati Paſtori de quodam Monacho, qui non bibebat vinum, & dixit eis: *Quia vinum Monachorum omnino non eſt.* Sic ibi: unde veriſimile eſt hoc dictum abiiſſe in proverbium; legerat nempe D. Benedictus alicubi, cùm dicat: *Licet legamus, vinum &c.*

IBID.

Google

IBID. *Liquamen.* Liquamen dicebatur ex piſcibus expreſſus. ut colligitur ex articulo ſequenti, ubi dicitur *liquamen ex piſcibus.* Iſidorus libro vigeſimo etymolog. cap. tertio, *liquamen*, inquit, *dictum, eo quod ſoluti in ſalſuginem piſciculi eundem humorem liquant, cujus liquor appellatur ſalſugo, vel muria. Propriè autem muria dicitur aqua, ſale commixta, affectáque guſtu in modum maris.* Hæc Iſidorus. ex quo Ambroſius Calepinus paulò clariùs. *Muria genus liquaminis. quod ex thynno piſce conficiebatur. Dicitur etiam ſalſugo; hoc eſt, liquor ex ſale reſolutus, quam Salmuriam vulgò dicimus: Gallice* Saumure. Plinius lib. 31. cap. 8. *Muria ſive Salſugo ſpiſſat, mordet, extenuat, ſiccat. Muriam Feſtus Pompejus ex Veramni ſententia interpretatur ſalem ſordidum, in pila piſtum, & in ollam fictilem conjectum, ibique opertum, gypſatúmque, & in furno percoctum.*

ART. XXV. *Si quis acceſſerit, &c.* Modus ſuſcipiendi novitios, vel ut D. Benedictus loquitur: *Diſciplina ſuſcipiendorum Fratrum*, de quo latè Caſſianus libro 4. Inſtitutionum. Vide etiam infra articul. 80.

IBID. *Aut ſub aliqua poteſtate ſit.* Puta ſervus, vel puer, vel impubes. Hi enim non poſſunt ingredi, nec admitti in Religionem, abſque conſenſu Dominorum, aut parentum, ut Sacris eſt Canonibus expreſſum.

IBID. *Tunc nudabunt eum veſtimentis.* Mutatio habitûs, & alii antiqui ritus Monaſticæ profeſſionis, de quibus videto Caſſianum lib. 4. cap. 3. & ſeqq. à quibus etiam authoribus D. Benedictus accepit.

ART. XXVII. *Mittet eum ad oſtium Xenodochii, &c.* Exceptio hoſpitum, ad quos pertinent. Conſule Caſſianum lib. 5. cap. 23. & ſequenti, & Collat. 2. cap. 25. & 26. Hoc etiam inſtitutum imitatus eſt D. Benedictus cap. 53. *de hoſpitibus ſuſcipiendis.*

ART. XXIX. *Vaſa infirmiora, id eſt, mulierculæ.* Solet enim Scriptura vaſis nomine fœminam appellare 1. Theſſal. 4. *ut ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum* (id eſt, uxorem ſuam) *poſſidere in ſanctificatione & honore.* 1. Petri 3. *Quaſi infirmiori vaſculo muliebri impertientes honorem*

IBID. *Ut nulla ſit occaſio blaſphemandi.* Aliis verbis explicatur in fine ejuſdem articuli: *Nulli detur offendiculum detrahendi.*

IBID. *Si ad Veſperas venerit.* Ad Veſperas ponitur pro ad Veſperam.

ART. XXXII. *Manebit Dominico.* Id eſt, in Eccleſiis, vel in locis Domino conſecratis. Dominicum Græcè κυριακόν. Ita in Concilio Laodiceno cap. 28. δεῖ τὰς ἀγάπας ἐν τοῖς κυριακοῖς ποιεῖν. Quo etiam ſenſu D. Cyprianus lib. de opere & eleemoſyn. *In Dominicum*, inquit, *ſine Sacrificio venis.* Et apud Ruffinum Hiſt. lib. 1. cap. 2. *Tunc Senior: ſi hæc*, inquit, *ita eſſe credis, ſurge, & ſequere me ad Dominicum.* Hujus porro nomen cauſam Euſebius in oratione de laudibus Conſtantini hanc affert cauſam: *Ædes Sacras, & templa uni omnium Deo atque univerſarum rerum Domino dicanda, conſecrandáque curavit; unde etiam templa, quæ erant ei conſecrata, Domini nomen obtinuerint, quod nomen non ex hominibus, ſed ex ipſo omnium Domino illis fuit impoſitum; & propterea DOMINICA ſunt appellata.* Hæc Euſebius, & eadem fere Walfridus Strabus lib. de rebus Eccleſ. cap. 7. Sumitur tamen aliàs Dominicum pro ipſo Miſſæ Sacrificio. Unde illud frequens in Actis SS. Martyrum: *Dominicum celebrare*, quod idem eſt, ac Miſſas agere.

IBID. *Ejuſdem fidei.* Hoc eſt, Catholicæ, & Orthodoxæ fidei, & communionis. Fuêre enim illis temporibus multi Monachi hæretici vel ſchiſmatici Catholicis vitandi. De quibus Caſſianus Collat. 1. cap. 20. *Vel ad hæreticos errores ac præſumptiones tumidas pertrahentes.* Hinc D. Hieronymus lib. 3. Apolog. adverſus Ruffinum ſcribit, ſe in Monaſterio Bethleemitico agentem omnes hoſpites excepiſſe, præterquam hæreticos.

ART. XXXIV. *Nullus ſolus mittatur foras &c.* Mos ille ut Monachi non ſoli ſed bini, id eſt, unus cum ſocio & comite foras prodeat, manavit primùm ab exemplo Chriſti, qui diſcipulos ſuos non ſolos ſed *binos miſit ante faciem ſuam in omnem civitatem, & locum, quo erat ipſe venturus.* Luc. 10. & ad parandum Paſcha. Luc. 22. quemadmodum & ad viſendum ejus ſepulchrum. Joan. 20. & in civitatem Samariæ Petrus & Joannes, hoc eſt, duo ſimul abiêrunt. Actor. 8. Secundò ab inſtituto SS. Patrum, Pachomii hôc locô, Baſilii Serm. 1. de Inſtitut. Monach. Dorothei Serm. 20. & Auguſtini in Regula, cujus ſolius verba hìc recitaſſe ſufficerit: *Quando*, inquit, *proceditis ſimul ambulate, cum perveneritis, quò itis, ſimul ſtate.* Tertiò ab exemplo eorundem. Prior Abbas, ùt eſt apud Sozomenum lib. 6. cap. 29. non niſi aſſumpto ſocio ad ſororem pergere voluit. S. Thomas Aquinas religioſum, qui ſolus procederet, vocabat diabolum ſolitarium. Et cùm ab Oeconomo, qui eum non cognoverat, vocatus eſſet, ut ſe ad macellum comitaretur, libenter & promptè ſecutus eſt, ùt eſt in Chronico Dominicanorum. Vide D. Gregorium in Regiſtro lib. 10. ep. 22. ubi Monachorum quemdam Conſtantinum nomine à Fratribus expetitum in Abbatem idcirco repulit, & indignum judicavit, quòd ad Monaſterium quoddam ſolus pergere ſine aliquo Fratrum ſuorum præſumpſiſſet. Ex qua, ait, ejus actione cognoſcimus, quia ſi ſine teſte ambulat, rectè non vivat. At quomodo aliis Regulam teneat, quam ſibi ipſi neſcit tenere? ita Gregorius. Denique ab honeſto & utili: nam honeſtas Religionis & Monachatûs id ſuadet, ne ſoli incedant Monachi, quaſi Gyrovagi, & ſoluti. Utilitatem commendat Eccleſiaſticus illis verbis: *Væ ſoli, qui cùm ceciderit, non habet ſublevantem ſe.* cap. 4.

IBID. *In Monaſterio narrare non poterit.* D. Benedictus cap. 67. *Nec præſummat*, inquit, *quiſquam aliis referre, quæcunque foris Monaſterium viderit, aut audiêrit, quia plurima deſtructio eſt. Quod ſi quis præſumpſerit, vindictæ Regulari ſubjaceat.* Idem infra repetitur art. 49.

ART. XXXV. *Si ſignum datum fuerit, &c.* Modus procedendi foras ad exercendum opus manuum, hoc eſt, ad colendos agros, vel hortos, metendas ſegetes, colligendas fruges, vel fructus &c. De quo fusè Caſſianus lib. 10. Inſtit. cap. 22. & deinceps. Et D. Hieronymus ad hoc inſtitutum ſpectans ep. 4. ad Ruſticum Monachum: Ægyptiorum, inquit, Monaſteria hunc morem tenent, ut nullum abſque operis labore ſuſcipiant. Item Auguſtinus lib. de moribus Eccleſiaſt. ubi ſupra, Caſſianus item l. 2. cap. 3. D. Benedictus cap. 48. & 57.

ART. XXXIX. *Palmarum folia.* Palma nobilis arbor in Syria, & Ægypto frequens fructus proferens dactylos à digitorum ſimilitudine dictos.

dictos. Sola inter arbores iiſdem ſemper foliis, ac perpetuo virens. Unde [illegible] ab antiquis cognominata, eadémque victoriæ ſigno & ornamento dicata, quod pooderibus non cedat, ſed quò magis premitur, eò magis aſſurgat. Hinc Iſidorus etymol. lib. 17. c. 7. *Palma*, inquit, *dicta, quia manûs victricis ornatus eſt, vel quod expanſis eſt ramis in modum Palmæ hominis. Eſt enim arbor inſigne victoria, proceróque ac decoro virgulto, diuturniſque frondibus veſtita, & folia ſua ſine ulla ſucceſſione conſervans.* Porro Palmarum uſus priſcis illis Monachis mulriplex ac familiaris fuit, nam & victum & veſtitum, & varii itidem operis materiam eis ſuppeditabat. Etenim D. Hieronymus teſtatur de Paulo illo primo Eremita, cujus vitam deſcripſit: *Cibum & veſtimentum ei palma præbebat.* Et infra: *contextîs palmarum foliîs veſtiebatur.* Athanaſius item de S. Antonio: *Palmarum licet mediocrî, aliquantô tamen ſolatiô refovebatur.* Sozomenus lib. 6. Hiſt. cap. 29. de Dorotheo Anachoreta: *Noctu autem folia palmarum nectebat textura tortili, & ex illis ſportulas faciebat, quibus victum ſibi ſuppeditaret;* Ac de Stephano infra: *tamen opus facere, foliaque palmarum manibus texere, complicaréque non deſtitit.* Item Caſſianus lib. X. Inſt. cap. 24. de Abbate Paulo loquens, *collectis palmarum foliîs quotidianum penſum velut exinde ſuſtentandus à ſemetipſo jugiter exigebat.* Alia exempla apud Palladium in Lauſiacis de Palmæ natura, ejuſque foliis, fructibus, ac ſpeciebus latiùs diſſerit Plinius hiſtor. natural. lib. 13. cap. 4.

ART. XL. *Nullus uvas, aut ſpicas.* Caſſianus lib. 4. Inſtit. cap. 18. ad hunc locum ſpectantia multa habet. Huic etiam Art. XLI. & XLII. reſpondent.

ART. XLIII. *Nullus in cella ſua reponat.* Vide, ſi placet exemplum Serapioois Abbatis, quod occurrit in Coll. 2. Caſſiani cap. XI. Idem infra Art. 63. prohibetur.

ART. XLIV. *Qui nolunt in commune veſci.* D. Hieronymus in præfatione ſub finem: Omnes pariter comedunt, qui ad menſam ire noluerit, cellulà ſuà panem tantùm & aquam ac ſal accipit, ſive uno die voluerit, ſive biduo.

ART. XLV. *Nemo in cella ſua habeat. &c.* Similia babet Caſſianus lib. 4. Inſtit. cap. 13. & ſeqq. D. Benedictus cap. 33.

ART. XLVI. *Excepto ea.* Pro, exceptis iis; eſt enim *excepto* adverbium idem ac præter.

ART. XLVII. *Neque extra murum Monaſterii procedendi &c.* Clauſura Monaſtica hoc exigit, ut nullus ſine licentia de Monaſterio egrediatur. Quam licentiam, ut præcipuum obedientiæ, & ſubjectionis ſignum, Patres tanti fecêre, ut S. Baſilius dicat in Inſtit. Monach. *Si quis egreditur de Monaſterio, non accepta benedictione, aut non dimiſſus à Patre, & Præfecto Monaſterii, ſit excommunicatus.* Idque à Monachis ſtrictè obſervatum fuiſſe patet ex Gregorio Magno lib. 2. Dialog. Ex S. Dorotheo Serm. 9. Ioanne Climaco gradu 4. D. Benedicto cap. 67. Nec Regula S. Franciſci ab Honorio III, confirmata, & inter approbatas annumerata hanc clauſuræ legem prætermiſit, quam etiam Summi Pontifices, multique Synodi præſcripſerunt.

ART. L. *Non dormiat quis præter reclinam Sellulam.* i. e. extra pſiathium, de quo D. Hieronymus in præfatione & Caſſianus lib. 4. c. 13. & Collat. 1. cap. ultimo, & alibi: Sellulam dicit non cellulam. Eſt enim ſellula diminutivum à Sella, quæ à ſedendo dicitur. *Reclinam* id eſt retro inclinatam ac reſupinam, ut ei incubantes ſomnum caperent. Apud Palladium in Regula legitur; *Dormiant non recumbentes, ſed exſtructîs ſibi ſedibûs paulo ſupinioribûs, & illic ſuis impoſitîs ſtragulîs dormiant ſedentes.*

ART. LIV. *Mutare de his.* Mutatio ſive permutatio rerum alicujus pretii ùt librorum, veſtimentorum &c. absque conſenſu Prælati, perinde ac donario Monachis eſt illicita, quia eſt actus proprietatis voto paupertaris repugnans.

ART. LVI. *Codices.* Cura Bibliothecæ in Cœnobiis antiquiſſima (ubi Codices manuſcripti omnes condebantur, & diligentiſſimè ſervabantur.) De qua itidem D. Auguſtinus in Regula cap. 22. *Qui Codicibus præponuntur, ſine murmure ſerviant Fratribus ſuis.* & cap. 23. *Codices certa hora ſingulis diebûs petantur, extra horam, qui petierit, non accipiat* Et D. Benedictus cap. 48. *Diebus quadrageſimæ accipiant omnes ſingulos Codices de Bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant. Qui Codices in capite Quadrageſimæ dandi ſunt.* Vide Caſſiodorum in Inſtit. divin. Lect. cap. 8. Codices dicuntur ab arborum Codicibus, ſeu caudicibus, id eſt, truncis, ex quibus antiqui tabulas ligneas ad ſcribendi uſum ſolebant conficere, eáſque cerà obducere.

ART. LVII. *Si quis Fratrum læſus fuerit. &c.* pertinet hic Articulus ad curam infirmorum, de qua ſopra art. 20.

ART. LX. *Ad officinas diverſarum Artium.* Erant enim in Monaſteriis officinæ omnium fere artium, quæ Monachorum, & Monaſterii uſibus neceſſariæ videbantur. Hinc Palladius in Aphtonio, de Monachis Pachomianis loquens: Exercent, inquit omnem artem: Alius quidem laborat in agro colendo: alius in horto, alius in piſtrino, alius in æris officina, alius in fabricando, alius in conſuendis calceis, alius in pulchrè ſcribendo. Hæc ille. Nequis verò ad officinas opificum importunus, aut injuſſus accederet, ſanxit etiam D. Baſilius his verbis: *Si quis importunè venit in culinam, aut in cellarium, exceptis deſignatîs, aut his, qui diſciplinæ boni ordinis curam gerunt, careat benedictione.*

ART. LXI. *Ad alterius cellulam.* Aliis verbis D. Benedictus cap. 48. *Neque Frater ad Fratrem jungatur horîs incompetentibûs.*

ART. LXIII. *Nihil in cella ſua.* Idem ſupra Art. 43.

ART. LXV. *Quando farinam conſpergunt aqua &c.* Conſonat iis, quæ ſuperiùs dicta ſunt, de officinis opificum, in quibus ſilentium ſervabatur.

IBID. *De Scripturis aliquid meditabantur.* Vides meditationis exercitium, de quo ſupra, priſcis Monachis fuiſſe frequentiſſimum, & familiariſſimum, imo pene aſſiduum; ita ut non ſolùm in oratorio, vel privatim in cellulis, ſed in omni fere loco & tempore ac pene ad omnes actus, & functiones eò ſe occuparent, ac per hoc à vanis cogitationibus, & colloquiis avocarent, ſicque animum ad cœleſtia & ſalutaria ſuſpirantem; & erectum retinerent. Vide Art. 16. & 17.

ART. LXVI. *Vaſa infirmiora.* Id eſt, mulieres, ùt ſupra Art. 29.

ART. LXVIII. *Qui una oratione &c.* Conſentiunt Caſſianus lib. 4. cap. 16. & D. Benedictus cap. 43.

ART. LXIX. *Non eis liceat loqui aliquid ſæculare &c.* Colloquiis de rebus vanis, profanis,

& ſæcularibus vitandę. *Corrumpunt enim bonos mores colloquia prava.* „ 1. Corinth. 15. Caſſia- „ nus lib. 5. cap. 9. Vidimus, inquit Senem „ Macbetem nomine hanc à Domino gratiam „ diuturnis precibus impetrâſſe, ut, quotquot „ diebus ac noctibus agitaretur Collatio ſpiri- „ tualis, nunquam ſomni torpore penitus laxa- „ retur. Si quis verò detractionis verbum, vel „ otioſum tentâſſet inſerre, in ſomnum protinus „ concidebat, ac ſi nec usque ad aurium ejus „ pollutionem virus obloquii poterat pervenire. In vitis Patrum legitur, magnum quemdam virum hanc gratiam à Deo obtinuiſſe, ut in colloquiis piis Fratrum, quæ de ſacris Scripturis habebantur, videret ſanctos Angeſos aſtantes, & plurimùm ſe colloquiis oblectantes. Cùm autem, inquit, aliud quidvis loquerentur, ſtatim ſancti Angeli recedebant longiùs, veniebant autem porci ſordidiſſimi, & volutabant ſe inter eos. Dæmones enim in ſpecie porcorum delectabantur eorum vaniloquiis. Beatus autem Senior hæc videns commonebat per Monaſteria Fratres dicens: Cohibete à multiloquio & ab otioſis ſermonibus linquam, per quam malus interitus animæ generatur.

ART. LXX. *Qui vas fictile fregerit &c.* Caſſianus lib. 4. Inſtit. c. 16. D. Benedictus cap. 32. & 46.

ART. LXXI. *Si Frater dormierit*; id eſt, obierit, *omnis eum Fraternitas* id eſt, Congregatio Fratrum *proſequatur*; ſcilicet ad tumulum, & honorifice ſepeliat. S. Chryſoſtomus hom. 1. in Job Monachorum obitum, funúsque deſcribens: Cum ultimo, inquit, ſpiritu laborantem (Fratrem) babuerint, circumſedent, ultimáque ejus audiunt verba; adhortationes & monita alia ex induſtria adhibent, os deoſculantur ultimo oſculo, exinde cùm reddiderint animam, manus componunt, oculos claudunt &c. Vide Hieronymum in epitaphio Paulæ. Sulpitium in vita D. Martini, & omnium antiquiſſimum Dionyſium Areopagitam Eccl. Hierach. cap. 7.

ART. LXXIV. *Nullus remaneat de Ordine ſuo.* Id eſt, extra ordinem ſuum, dum ſimul ambulant, evagetur.

ART. LXXVI. *Ante collectam Fratrum ſuſpendat.* Id eſt, ante fores Eccleſiæ, vel Oratorii.

ART. LXXVIII. *Omnis Correptio ita fiet, &c.* Vide ſupra Art. 1.

ART. LXXIX. *Qui absque ordine Fratrum receſſerit.* Id eſt præter, aut contra ordinem, & legem obedientiæ Regularis.

IBID. *Non erit in ordine ſuo. &c.* Id eſt, non obtinebit locum ſuum, ſed poſtremum in Congregatione. Ita D. Benedictus cap. 29. *Frater, qui propriô vitiô egreditur aut projicitur è Monaſterio, ſi reverti voluerit, ſpondeat prius omnem emendationem vitii, pro quo egreſſus eſt, & ſic in ultimo gradu recipiatur, ut ex hoc ejus humilitas comprobetur.* Eâdem pœnâ, præter alias, in jure Canonico puniuntur Monachi, qui de Monaſteriis ad audiendam phyſicam, id eſt, medicinam aut leges civiles exeunt, & infra duos menſes non redeunt cap. *Non magnopere. Nec Clerici vel Monachi.* Habes eandem pœnam inferius ſtatutam in furioſos & iracundos Art. 85.

ART. LXXX. *De Scripturis aliquid teneat, quod minimum eſt, usque ad novum Teſtamentum & Pſalterium.* Locus obſcurus, &, ni fallor, corruptus. Quid enim hoc ſibi vult: *usque ad novum Teſtamentum & Pſalterium.* Puto tamen poſſe ſic exponi. Quod minimum eſt, id eſt, intellectu facillimum usque ad novum Teſtamentum, & Pſalterium, quod memoriter omnes, aut plerique Monachi ediſcebant. Nam quod ad phraſin attinet, ne cui videatur abſurda, docet, Ambroſius Calepinus, eleganter dictum apud Plinium: Aſſenſi ſunt omnes conſules usque ad Pompejum, id eſt, exceptò Pompejò, vel præter Pompejum. Senſus igitur eſt: Nullus erit in Monaſterio, qui non aliquid teneat de Scripturis, id eſt, de veteri Teſtamento, quod facilè poſſit ab omnibus intelligi, ùt ſunt pleræque ſententiæ Proverbiorum, Eccleſiaſticæ, & Eccleſiaſtici, & faciliores ac vulgatiores biſtoriæ. Novum autem Teſtamentum & Pſalterium omnes addiſcant. De Evangelio & novo Teſtamento, quoad ejus fieri poteſt, memoriæ commendando D. Hieronymus ad Lætam in Inſtitutione filiæ epiſt. 7. virginis Deo dicandæ, ubi bunc ordinem legendi Scripturas præſcribit. Diſcat primò Pſalterium; his ſe canticis avocet; & in Proverbiis Salomonis erudiatur ad vitam; in Eccleſiaſte conſueſcat, quæ mundi ſunt, calcare, in Job virtutis, & patientiæ exempla ſectetur. Ad Evangalia tranſeat nunquam ea depoſitura de manibus. Apoſtolorum Acta, & Epiſtolas tota cordis imbibat voluntate. Cúmque pectoris ſui cellarium his opibûs locupletaverit, mandet memoriæ Propbetas, &c. D. Chryſoſtomus Sermone 3. de Lazaro. D. Baſilius & alii ea ſuadent maximè, & priùs legi, ac memoriæ mandari, quæ novi Teſtamenti ſunt; quòd bæc utiliora, clariora, magisque neceſſaria ſunt, & nobis propria. Itémque Caſſianus lib. 2. Inſtit. cap. 6. refert: veteres Monachos aliis quidem bebdomadæ diebus unam veteris & alteram novi Teſtamenti Lectionem Pſalmis addidiſſe. *In die*, verò ait, *Sabbati vel Dominica utramque de novo Teſtamento. Quod etiam totis quinquageſima diebus faciunt bi, quibus lectio cura eſt, ſeu memoria Scripturarum.* Hæc ibi. Monachos itidem ſolere Pſalterium ad verbum ediſcere, tum ex aliis ejusdem ad Ruſticum Monachum epiſt. 4. Nunquam de manu & oculis recedat liber (ſupple Pſalmorum) nam ſequitur, diſcatur Pſalterium ad verbum. &c. Et in Pſalmum CXXXIII. Scripturas legimus, Pſalmos ediſcimus, Evangelia tenemus, Propbetas ediſſerimus. Solent Monachi boc inter ſe habere certamen, ut plurea ediſcant ſcripturas, & in eo ſe putent eſſe meliores, ſi plures edidicerint. Denique Caſſiodorus in Præfatione Inſtitut. divin. lect. tyrones Chriſti primùm Pſalmos diſcere ſuadet; porro alia expoſitio illius ſententiæ, eâque ſubtilior, nec improbabilis mihi nuper oblata eſt, in hunc ſenſum, ut aliquid teneat de Scripturis, quod minimum eſt, usque ad novum Teſtamentum, & Pſalterium, boc eſt, teneat ut minimùm, novum Teſtamentum, & Pſalterium, vel aliquid usque ad novi Teſtamenti, ſeu Pſalterii cognitionem; ubi illud *usque* non eſt excluſivum ſed potiùs conjunctivum, ſeu concluſivum, qua ſignificatione fere uſurpatur in Scripturis in Geneſi: *Ab homine usque ad animantia, ſemini tuo usque in ſæculum usque in præſentem diem.* In Pſalmis. *Non eſt usque ad unum; usque ad noctem increpuerunt me renes mei: ab homine usque ad pecus.* Et ſimilibûs locis quam plurimis, quibus non excluditur, quod huic voculæ adhibetur, ſed concluditur & comprebenditur. Verùm hæc expoſitio, ſi bene inſpiciatur, fere coincidit cum priore, cùm enim exponitur *usque ad novum Teſtamentum & Pſalterium*, non ſic excluditur novum Teſtamentum & Pſalterium, quaſi non ſit diſcendum

ſcendum

ſcendum ſed potiùs, ac potiſſimè, ac præ aliis comprehenditur & commendatur ediſcendum.

ART. LXXXI. *In agro &c. in itinere &c.* Similiter ſtatuir D. Benedictus cap. 50. *ut Fratres, qui omnino longè ſunt in labore, & non poſſunt occurrere hora congruenti ad oratorium, agant ibidem opus Dei, ubi operantur, cum tremore divino flectentes genua; ſimiliter, qui in itinere directi ſunt, non eos prætereant hora conſtituta &c.*

ART. LXXXII. *De Puellarum diſciplina.* Nempe Monialium, vel Sanctimonialium, vel Monachorum. Refert Palladius in vita Abbatis Aphtonii, trans fluvium Nilum è regione Monaſterii Tabennenſis, ſeu Pachomiani fuiſſe alıud Monaſterium 400. Puellarum ſequentium eadem inſtituta Pachomii, ad quas præter Presbyterum nemo tranſiret. D. Hieronymus epiſt. 16. ſcribir, S. Marcellam ab Alexandrinis Sacerdotibus, & S. Athanaſio vitam S. Antonii, nec noo Monaſterium in Thebaide Pachomii & virginum ac viduarum ab eo inſtitutarum didiciſſe diſciplinam, nec erubuiſſe profiteri, quod Chriſto placere cognoverat. De iisdem & aliis Monialibus epiſt. 48. moris eſt, inquit, io Ægypti & Syriæ Monaſteriis, ut tam virgo quàm vidua, quæ ſe Deo voverint, & ſæculo renuntiantes omnes delicias ſæculi conculcàrint, crinem Monaſteriorum matribus offerant deſecandum non intecto poſtea contra Apoſtoli voluntatem 1. Corinth. 11. inceſſuræ capite, ſed ligato pariter, ac velato, &c. Vide eundem in epitaphio Paulæ, ubi Monialium eis diſciplinam, pſallendi morem, aliáque inſtituta deſcribit. S. item Auguſtinus loco illo ſæpe citato de moribus Eccleſiæ, poſtquam de Monachorum & Cœnobitarum vita egerat, ſubdit deinde de Monialibus & Virginibus, quæ eisdem legibus & inſtitutis vivebant: Hæc eſt etiam vita fœminarum Deo ſollicitè, caſtéque ſervientium, quæ habitaculis ſegregatæ, ac remotæ à viris quàm longiſſimè decet, pia tantùm illis charitate junguntur, & imitatione virtutis; ad quas juvenum nullus acceſſus eſt, neque ipſorum quamvis graviſſimorum & potentiſſimorum Senum, niſi usque ad veſtibulum oeceſſaria præbenti, qoibus indigent, gratiâ: Lanificio oamque corpus exercent, atque ſuſtentant, veſtésque ipſas Fratribus tradunt; ab iis invicem, quod victui opus eſt, reſumentes, &c.

IBID. *Nemo ad eas vadat viſitandas.* Id eſt, inviſendas & ſalutandas, non enim hic agitur de Viſitatione Monialium, quæ fit à Superioribus juxta cap. *attendentes.* lib. 1. Decretalium de ſtatu Monach. ſed de familiari viſitatione, ſalutatione, colloquio, frequentatione, quæ etiam Sacris Canonibus & peculiariter Monachis inhibetur. Vide cap. *Monaſteria, de Vita & beneſ. Cleric.*

IBID. *Seniores, qui Monaſterio Virginum delegati ſunt.* Hinc colligitur, Moniales jam tum habuiſſe quosdam Seniores, ſeu Patres Spirituales in proximo commorantes, à quibus inſtruerentur, & dirigerentur, qui vulgò Confeſſarii vocantur.

ART. LXXXIII. *Præcepta & inſtituta &c.* Videtur hic addendum (*alia*) ut ſit hæc nova ſectio, & pars Regulæ, quæ ad correctionem vitiorum ſpectat.

ART. LXXXIV. *Panem tantùm cum aqua accipiet.* Jejunium in pane & aqua in gravioribus culpis, de quo etiam infra Art. 87. & 121.

ART. LXXXV. *Inter ultimos collocabitur.* Idem ſupra Art. 62. & infra Art. 92. & 94.

ART. LXXXVI. *Reus erit iniquitatis.* Calumniæ, ſeu falſi criminis, & pœnæ calumniatoribus ſtatutæ obnoxius. De qua extant duo decret. lib. 5. Decretalium tit. 2. De Calumniatoribus.

ART. LXXXVII. *Qui habet peſſimam conſuetudinem &c.* Suſurrones & turbatores communitatis olim verberibus coerciti. Vide Regulam S. Benedicti cap. 23. & 28. poſt Caſſianum lib. 4. Inſtit. cap. 16.

IBID. *Verberabunt eum ante fores triginta novem.* Puto eſſe ablativi casûs, noo nominativi, & ſubaudiendum (Verberibûs ſive plagis) videntur enim ſpectâſſe exemplum Apoſtoli 1. Corinth. 11. qui ſe profitetur quinquies quadragenas unâ minùs, id eſt, trigiota novem plagas à Judæis accepiſſe; quorſum enim triginta novem Monachi ad unum verberandum concurriſſeot. Eadem pœna ſtatuitur infra Art. 121.

ART. LXXXVIII. *Qui habet peſſimam conſuetudinem murmurandi.* Vitium murmurationis olim graviter inter Monachos punitum. De quo Caſſianus lib. 4. cap. 6. & D. Benedictus tum aliàs ſæpe, tum præcipuè cap. 34. *Ante omnia*, inquit, *ne murmurationis malum qualicunque cauſa in aliquo qualicunque verbo, vel ſignificatione appareat.*

ART. LXXXIX. *Si inobediens quis fuerit, aut contentioſus &c.* D. Benedictus cap. 23. & 28.

ART. XC. *Libenter cum pueris ridere & ludere &c.* Id magna cautione, & ſeveritate prohibitum à Patribus ob periculum impudicitiæ, cui puerilis ætas vehementer obnoxia.

ART. XCII. *Qui judex eſt omnium peccatorum.* Id eſt, Sacerdos, ſive Superior ſuper conſcientias ſubditorum judex conſtitutus.

ART. XCIV. *Qui viderit de Majoribus &c.* Phraſis obſcura & hoc modo explicanda: quisquis de Majoribus ſeu Præpoſitis viderit tribulationem aut anguſtiam alicujus Fratris, & contempſerit juvare, & ſolari; imò contra eum judicaverit iojuſtè, dignus eſt, qui degradetur; proinde non puto per tribolationem intelligi contentionem, turbam, altercationem, ſed veram anguſtiam, & mœſtitiam, tamen ex aliqua ortam contentione cum Præpoſito; unde triſtitiam vocat infra Art. 112.

ART. XCV. *Inter otioſos.* Id eſt vacantes ab opere manuali propter imbecillitatem, vel in infirmario conſtitutos.

ART. XCVI. *Pueri in domo, &c.* Puerorum inſtitutio, & diſciplina; de qua D. Benedictus cap. 30.

ART. XCIX. *Qui conſentit peccantibus &c.* Tribuitur hæc ſententia Iſidoro apud Gratianum 1. 1. q. 3. Eadem exſtat apud Smaragdum in expoſitione Regulæ cap. 61.

ART. C. *Præcepta & leges Pachomii.* Alia rurſum diſtinctio, ad quam deſignandam videtur etiam hic addendum (*alia*) ùt ſupra.

IBID. *Ne plus operis Fratres facere compellantur &c.* Idem expreſſum in Regula S. Pachomii apud Palladium, Sozomenum, & Nicepborum, ubi ſupra. Ita & D. Benedictus cap. 48. *Omnia*, inquit, *moderatè fiant propter puſillanimes.*

ART. CI. *Si quis peccatum fecerit.* Supple publicum; nam in hujusmodi præſertim corre-

ctio Monachorum ſpectat ad Abbatem, ſeu Patrem Monaſterii. Vide Concil. Tridentin. decretum Seſſ. 25. cap. 14. de Regularibus.

ART. CII. *Præpoſitus domûs.* Præpoſito ſive Priori clauſtrali multæ leges, & functiones imponuntur.

ART. CIV. *Abſque conſcientia duorum.* Niſi duobus conſciis, & teſtibus Præpoſito ſcilicet, & ſocio, cum quo mittendus. Hoc enim ſpectare videtur, ne quis furtim, vel ſolus egrederetur, ùt ſupra Art. 34. 47. & aliis.

ART. CVII. *Sex orationes facient veſpertinas, &c.* Magna verborum diverſitas apud auctores & interpretes circa hunc articulum Regulæ Pachomianæ. Palladius ita refert: conſtituit, ut per totum diem facerent duodecim orationes, & in nocturnis vigiliis duodecim, & in matutino duodecim, & bora nonâ tres. Sozomenus: ut duodecim in ſingulos dies orarent, & ſub veſperam itidem, toties enim noctu, hora nona ternis vicibus. Nicephorus: ut duodecies interdiu ſemper orarent, itidem verò ad veſperam; noctu ſimiliter, & item hora nona tertio.

ART. CVIII. *Etiamſi difficile fuerit. &c.* Legebatur in Editione Lugdunenſi: *Etiamſi facile fuerit* inversò ſenſu, & nullo. Vult enim dicere: amanti & verè obedienti nihil eſſe difficile, aut oneroſum, quia perfecta obedientia, quæ cum charitate conjuncta eſt, legem neſcit, terminis non arctatur, non contenta anguſtiis profeſſionis largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, alacriſque animi modum non conſiderans in infinitam libertatem extenditur: Ait D. Bernardus lib. de præcept. & diſpenſ. Vide cap. 68. Regulæ D. Benedicti, cui titulus: *Si Fratri impoſſibilia injungantur.*

ART. CX. *Quando Præpoſiti domorum &c.* A concione ſeu exhortatione Superioris nemini abeſſe licebat.

ART. CXI. *Majores quicunque è Fratribus, &c.* Credo legendum, *Majores, qui cum Fratribus mittuntur foras.* Solebant enim Seniores cum junioribus mitti ad eorum curam & cuſtodiam.

ART. CXII. *Si quis de Fratribus &c.* Magna prudentia & moderatione uſi ſunt Patres in judicandis & dirimendis Fratrum cauſis & controverſiis. Vide ſupra Art. 94.

IBID. *Fratres probata converſationis. &c.* De quibus ſupra Art. 92. *Viginti viri Sancti, & timentes DEum, ſive decem.* Erant igitur in Monaſteriis præter Abbatem & Præpoſitos alii ex Senioribus ad hoc delecti, & deputati, ut controverſias & contentiones inter ipſos ortas, vel emergentes dirimerent, & in ipſos etiam Superiores animadverterent; unde & judices & Diffinitores, aliàs Diſcreti & Conſultores dicti. De quorum auctoritate & officio vide conſtitutiones Congregationis Caſſinenſis. p. 1. cap. 12.

IBID. *In nullo dent occaſionem.* Supple conquerendi aut murmurandi.

ART. CXIII. *Si quis de his, quæ præcepta ſunt. &c.* Vide ſupra Art. 45. Caſſianus lib. 4. Inſtitut. cap. 15. Regula D. Benedicti cap. 33. & 55. *Præcepta Pachomii de collecta Fratrum. &c.* Alia diſtinctio & conſtitutio, de convocandis & colligendis Fratribus, ſive ad concionem, ſive ad publicam Synaxin, quæ major Collecta dicebatur. De qua infra.

ART. CXV. *Referat ad Majoris ſententiam* id eſt, conſulat Superiorem.

ART. CXVI. *Qui miniſter eſt &c.* Officium miniſtri ſeu præfecti operum, &c.

IBID. *Juxta voluntatem & ſententiam Principis* id eſt, Patris Monaſterii ſive Abbatis.

ART. CXVII. *Dominus veſtimenti.* Dominus impropriè ponitur pro uſuario, cùm nullius rei dominium habeat Monachus, ne veſtis quidem, quâ induitur, nec panis, quô veſcitur, ſed ſimplicem uſum duntaxat à voluntate Superioris dependentem.

IBID. *Stabitque in veſcendi loco.* Species correctionis & mortificationis Monaſticæ, ſtare in refectorio tempore refectionis, de qua vide inſigne exemplum apud Climacum Grad. 4.

ART. CXX. *Pelicula*, quæ melotes apud ipſos dicebatur. Vide notam ultimam in Præfatione D. Hieronymi.

ART. CXXI. *Triginta novem verberabunt eum.* Superiùs id explicatum Art. 72. poſſet tamen etiam hoc modo exponi, *verberabunt*, id eſt, præſentes erunt, dum verberabitur; nam in ſingulis domibus erant ad ſummum 40. Monachi, ùt dictum eſt in Præfatione D. Hieronymi, quorum dum unus verberaretur, reliqui reſtabant triginta novem.

IBID. *Opertum cilicio & cinere.* Cilicium, à quo cilicina veſtis à cilicibus populis dictum teſte Varrone lib. 2. de re ruſtica. cap. 2. apud quos cilicia primùm confecta. Veſtis eſt aſpera, & horrida ex pilis camelorum, aut hircorum tonſilibus contexta, cujus frequens & multiplex uſus ſacris litteris memoratur & commendatur. Sic Jacob Patriarcha viſa tunica Joſeph Filii ſui Geneſ. 37. David in exequiis Abner 2. Reg. 3. Mardochæus lib. Heſter cap. 3. cilicio uſi ſunt. Deinde verò & præcipuè in ſignum pœnitentiæ, ad carnem macerandam, ad mundi contemptum deſignandum: quo modo David, Achab, Joram, Ninivitæ plerique, Prophetæ & alii ciliciis ſive ſaccis induti leguntur. Denique ad victoriam, liberationem ab hoſtibus, aliáque beneficia à Deo impetranda, ut Judith cap. 8. Eſter cap. 4. Eſt autem obſervandum, quod etſi ſaccus pro cilicio in multis Scripturæ locis ſumatur, & ubicunque in veteri teſtamento cilicium vertit Interpres hebraicè habeatur (Sac) dicto Germanis etiam uſitata (unde à Græcis & latinis nomen σάκκος ſaccus mutuatum) alibi tamen hæc non obſcurè ita diſtingui videntur, quod cilicium intrinſecus, & ſuper nudum indueretur, cauſâ afflictionis & macerationis carnis: Saccus verò ùt vilis & ſordidus habitus extrinſecus geſtaretur duntaxat humilitatis & confuſionis ergo. Præſertim â Principibus & illuſtribus viris. Ita de Rege Achab legitur: *Operuit carnem cicilio, jejunavitque, & dormivit in Sacco, & ambulavit demiſſo capite* 4. Reg. 2. Ubi vides quatuor officia pœnitentiæ particulatim diſtincta. Et de Joram 4. Reg. 6. *Cùm ſcidiſſet veſtimenta ſua, vidit omnis populus cilicium, quô veſtitus erat ad carnem.* Quod de ſacco nuſquam reperimus; ſed vel operiri, vel indui, vel præcingi, accingi & ſimilis, quæ ùt plurimùm extrinſecus fieri ſolent. Porro in novo Teſtamento Joannes Baptiſta primus pœnitentiæ Præco primus cilicium, ùt pœnitentiæ ſymbolum prætulit, *habebat enim veſtem de pilis Camelorum Matth.* 3. Unde conſtat, pro veſte ei fuiſſe cilicium de pilis Camelorum contextum, non pellem cameli. Quod cilicium inter Chri-

ſtianos,

ſtianos, & præſertim Monachos atqoe Eremitas quovis tempore fuit uſitatiſſimum, ùt conſtat ex Baſilio cap. 69. Reg. & ex vitis Sanctorum. At non idem cilicii uſus. Alii quippe hac ſola veſte induti, & contenti circumibant, quod non probat Caſſianus lib. 1. Inſtit. cap. 3. Dicitque, non placuiſſe Monachis Ægyptiis ob periculum vanæ gloriæ, tum quod ad opus manuale minos aptos, promptóſque redderet. Alii ſub aliis veſtibus occultabunt, ut ſolent nunc Religioſi & qui Chriſtiani.

IBID. *Eadem lex in fugitivis obſervabitur.* Fugitivi & Apoſtatæ etiam verberibûs & flagris puniti. Vide Climacum Grad. 5.

ART. CXXVI. *Per domos ſingulas veſperi ſex orationes, pſalmóſque.* Ita etiam ſuperiùs Art. 83. Sed fortaſſe quia ſex orationibos ſex itidem pſalmi jungebantur, idcirco Palladius & alii duodecim orationes illis præſcriptas dixerunt.

IBID. *Junta ordinem Majoris collecta.* Major collecta dicebatur, cùm conveniebant omnes Fratres ejuſdem Monaſterii ſive Congregationis in Eccleſiam, diebûs nempe Sabbatinis & Dominicis, aliiſque ſolemnitatibûs ad divina Myſteria celebranda & percipienda, & verbum Dei audiendum. Minores autem collectæ, & privati conventus quotidie fiebant in ſingulis domibus ſtatis horis, & temporibûs, ubi ſolummodo triginta aut quadraginta conveniebant, ùt ex dictis liquet. Vid. Art. 102.

IBID. *Diſpoſitiones à Præpoſitis complebuntur.* Id eſt, ordinationes, ſive conſtitutiones & leges cujuſque domûs.

ART. CXXVII. *Nam quæ ex more deſcendit &c.* Hoc eſt in rebus conſuetis & uſitatis obſervabit Regulas Monaſterii. Opponitur enim res nova conſuetis, quæ ex more deſcendunt, & frequenter accidunt.

ART. CXXVIII. *Præpoſitus.* Mores & conditiones Præpoſiti ſive Prioris latè hìc deſcribuntur.

IBID. *Nec lugeat in die Feſto Domini Salvatoris.* Id eſt, ne jejunet die Dominico, ùt rectè Ciaconius anootavit.

IBID. *Nec ſedeat in humilioribus locis.* Quid hoc noo ſatis expedio, niſi fortè, ne verſetur in cellis penuariis, ubi vinum ſaltem pro infirmis & Senibus ſervabatur, de quo ſuprà Art. 22.

IBID. *Ne rumpat vincula.* Puto vota Fratrum, aut ſtatuta Majorum.

IBID. *Non inveniatur in excelſis cubilibus.* Reſpicit, ùt mihi quidē videtur, id quod ſuperius dixit Art. 43. *Non dormiat quis extra reclinam ſellulam* id eſt humilem lectulum, vel potius ſedile recurvum, ùt ibi dictum eſt. Vult ergo Præpoſitos ſive Priores perinde, ac cæteros Monachos non aliis uti cubilibus, quàm ſuis pſiathiis, ſive ſellulis, ne morem, inquit, imitentur gentilium, ſive ſæcularium hominum, qui, quò honoratiores ſunt, eò ſublimioribûs & ſplendidioribûs thoris & cubilibûs uti ſolent.

IBID. *Nec relinquant verum Lumen.* Alia lectio habet: *Ne relinquat verum flumen propter modicos rivos*, ubi alluſio eſt ad illud Jeremiæ 2. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.*

IBID. *Eveniet ei contritio Heli.* Qui cùm audiſſet captam eſſe Dei arcam à Philiſtæis, cecidit de ſella retrorſum, & fractis cervicibûs expiravit. Notent hìc Superiores, quantis pœnis ſe reddant obnoxios, ſi ſuo muneri deſint, vel in eo negligenter ſe gerant; præſertim in corrigendis ſubditorum exceſſibus; qoq de re extat inſignis textus & huic loco accomodatus in Jure Canonico *Tit. de Simonia* in hæc verba: *Licet Heli ſummus Sacerdos in ſe bonus exiſteret, quia tamen filiorum exceſſus efficaciter non corripuit, & in ſe pariter & in ipſis animadverſionis divinæ vindictam excepit, dum filiis ejus in bello peremptis ipſe de ſella corruens fractis cervicibûs expiravit. Ad corrigendos igitur ſubditorum exceſſus tantò diligentius debet Prælatus aſſurgere, quanto damnabilius eorum offenſas deſereret incorrectas.* Hæc ibi.

IBID. *Contritio hydriæ ad fontem &c.* Eccl. 12. *Antequam conteratur hydria ſuper fontem.* Ubi D. Hieronymus; contritio, inquit, hydriæ ſuper fontem & rotæ confractio ſuper ciſternam mortis ænigmata ſunt, &c.

IBID. *Confractio Virgæ glorioſæ.* Reſpicit illud Hieremiæ 48. *Quomodo confracta eſt virga fortis, baculus glorioſus.*

IBID: *Ut ſit quaſi cæcus palpans &c.* Deuteron. 28. *Et palpes in meridie ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris*, & Iſaiæ, 59. *Palpavimus ſicut cæci parietem, & quaſi abſque oculis attrectavimus, impegimus meridie, quaſi in tenebris; in caliginoſis; quaſi mortui.*

ADDITAMENTUM III.

Ordo Monaſticus apud Scotos Monachos in veteri hodiernæ Scotiæ monaſterio de Kil-ros vulgò Culros olim obſervatus.

OBSERVATIO CRITICA.

Quisquis in Scotorum hiſtoria vel leviter verſatus agnoſcere debet primos Chriſtianos Religionis Doctores in hodierna Scotia extitiſſe vitæ monaſticæ Cultores, unde famoſum illud Forduni in Scoti-Chronico lib. 13. cap. 8. pag. 184. dictum, qui de ſancto Palladio circa annum CCCCXXX. *ad Scotos in Chriſtum jam credentes miſſo Epiſcopo ſic loquitur :* Ante cujus (*Palladii*) Adventum habebant Scoti fidei Doctores, ac Sacramentorum Miniſtratores Presbyteros ſolum̃odo Monachos, ritum ſequentes Eccleſiæ primitivæ. *Per quæ ſanè verba ſincerus ille hiſtoriæ Scoticæ conditor ſolùm inſinuare videtur, S. Palladium fuiſſe primum Epiſcopum à ſummo Pontifice Romano miſſum ad Scoticanam Eccleſiam à cunabulis reſurgentem gubernandam, cùm ante illius adventum, & eadem adhuc imperfecta ac rudis per Presbyteros ab aliis legitimis Epiſcopis ordinatos ac plerumque monachos inſtructa fuerit, ſed jam ad ſuſcipiendam ſupremam Eccleſiæ Hierarchiam accomodata prout aliæ gentes ad Chriſtum converſæ prius per Presbyteros inſtructæ ſunt, quàm Epiſcopali Juriſdictione donatæ. Verùm rerum Scoticarum Scriptores & ipſe Fordunus agnoſcunt ſanctum Niniam Candidæ Caſæ Epiſcopum, ſanctum Palladium, ſanctum Fernanum, S. Servanum. S. Kentigernum, aliósque primitivæ Eccleſiæ Scoticanæ Epiſcopos, extitiſſe veros Monachos, ac diſciplinæ accerrimos vindices, qui Monaſteria, tanquam Chriſtianæ Religionis quædam caſtra, erexerunt, ex quibus prodiêrunt tot ſanctiſſimi milites ad debellandam dæmonum militiam exercitati, & ad propagandam fidem Chriſti aptiſſimi. Hujus rei vividum exemplum præbet ſequens* Ordo Monaſticus, *ab antiquis Monachis Scotis ſub exordio ſuſceptæ Chriſtianæ Religionis obſervatus, qui cùm vetuſtiſſimum ſit omnium Monachorum Occidentalium monumentum, magnámque cum Ægyptiorum Patrum Regulis connexionem habeat, ſic meritò poſt S. Caſſiani Inſtitutiones & Regulam S. Pachomii debitum locum inter hæc Additamenta meretur, utpote arctiſſimam Orientalis diſciplinæ obſervantiam complectens, exceptis frequentibus illis in aquam immerſionibus, quæ ſolis Monachis Scotis fuerunt peculiares. Cum igitur, longè ante adventum S. Palladii, in hodierna Scotia extiterint Monaſteria, quorum Inquilini nominabantur* Kiledei *vel* Kildei *ab ipſis cellis, quas inhabitabant, non à cultu quem ibidem exercebant, ſic appellati ; adeóque veritati conſonum videtur, hunc* Ordinem Monaſticum *etiam ante S. Caſſiani Inſtitutionum propagationem, ab illis* Kiledeis *ſive* Kildeis (*corruptè per ſequiores Scriptores* Culdeis *nuncupatis*) *obſervatum fuiſſe. Nam hoc Monaſterium* Kilroſenſe *vulgo* Culroſenſe *dictum erectum eſt, à* S. Servano *Orcadenſium Inſularum Apoſtolo, & S. Palladii Diſcipulo, qui non novam diſciplinam Monaſticam introduxit, ſed veterem primævis Scotis Monachis communem excoluit. Erat autem hoc Monaſterium in æſtuario* Forthæ *ſive* Bodotriæ *ſitum, ad Borealem fluminis ripam & infra Strivelingæ caſtrum ſex milliaribus jacens, ubi fluxus & refluxus adhuc cernitur, quem auctor vitæ S. Kintigerni apud Bolandum 13. Januarii per* Malenam & Ledonem *fluvios deſignat; ad morem quorundam veterum per* Ledonem *intelligens æſtum & fluxum maris, quemadmodum & per* Malenam

deno-

denotans reſluxum ſive receſſum maris ; quos igitur malè duos diſtinctos fluvios exiſtimavit , cùm apud Kilroſiam nullum aliud flumen præter Bodotriam appareat , ubi tamen , quamvis locus ille viginti milliaribus ab oſtio fluminis diſtet , tamen magnus fluxus & refluxus maris obſervetur. In hoc igitur Monaſterio educatus eſt S. Kentigernus vulgò dictus Mungo primus Glasguenſis in Scotia Epiſcopus & multorum Monachorum Pater , qui , Kilroſia ad Auſtrales partes ſecedens , neceſſariò æſtuarium Forthæ tranſivit tempore Malenæ ſive reſluxus maris , atque apud Glasguam figens pedem inſigne erexit Monaſterium à nongentis quinquaginta Monachis inhabitatum , quibus utique diſciplinam Monaſticam à S. Servano Magiſtro ſuo uſitatam præſcripſit obſervandam. Celeberrimum ergo erat Kilroſenſe Monaſterium, & forſan ante adventum S. Palladii ab ipſis Monachis Scotis ſive Kiledeis conſtructum , à quibus & denominationem ſumpſiſſe videtur , cùm ex ante dictis omnino conſtet , Monachos apud Scotos jam dudum floruiſſe. In veteri enim Scotorum idiomate Kil denotare Ullam quemadmodum & Ros vel Roſs ſignificare Promontorium animadvertunt antiquitatis Scoticæ periti , ita quòd Kil-ros extiterit verum Kiledeorum Promontorium , quorum cellæ ibidem conſtructæ altitudine eximia reliquam planiciem ſuperaverunt , præſertim ad latus boreale Æſtuarii poſitæ. Verùm labente ſæculo ſeptimo hoc inſigne Kiledeorum Monaſterium , à Danis & Norwegis , Britanniam ſeptentrionalem devaſtantibus ad incitas eſt redactum , nec ante annum MCCXVII. reparari cœperat. At hôc eôdem annô Malcolmus Fifæ comes idem depopulatum Cœnobium reſtauravit , ampliſſimis agris & donis locupletavit , ac ſacro Ordini Ciſtercienſi conceſſit ; cujus piiſſimi Inquilini S. Servanum olim ſanctiſſimum loci Abbatem in Divum Titularem ſuſceperunt , ejúsque ſacram memoriam ad diem primum Julii annuatim ſolemni feſtivitate celebrabant. Et quidem , etiamſi anno DCCXVII. apud Scotos primùm introducta ſit Regula S. Benedicti , atque ſequioribus ſæculis plurimi novi erecti Ordines Monaſtici ibidem ſumptuoſa Cœnobia obtinuerint ; attamen , longo tempore hunc Ordinem Monaſticum in aliquibus locis conſervatum fuiſſe teſtatur arcta diſciplina monaſtica à Scotis Monachis per Germaniam , Galliam , & Belgium obſervata etiam poſtquam illi , pro primariâ vitæ norma , Regulam Benedictinam ſuſceperant , quemadmodum ex variis locis Monaſtici Scotici inſtruimur. Adeóque de hujus antiqui Monumenti authenticitate nullum dubium intervenire debet , cùm , ante fatalem Monaſteriorum in Scotia diſſolutionem , plurima vetera Monumenta in Kiledeorum Cœnobiis , præſertim Dunblani & Dunkeldæ ſint conſervata , quæ quidem duo Monaſteria quoddam veteris diſciplinæ veſtigium retinuiſſe videntur uſque ad ſæculum XII. quando in diſtinctos Epiſcopatus erecta ſunt. Ex Archivo igitur Dunblanenſis Eccleſiæ , hunc præſentem Ordinem Monaſticum deſcripſit vir Religioſus Servanus Thomſon Scotus , Monachus Benedictinus in celeberrimo Dunfermlenſis Cœnobio profeſſus , ſecúmque Ratisbonam cum aliis documentis antiquis attulit , florente adhuc apud Scotos Orthodoxa & Catholica Religione. Nam , anno MDXXVI. piiſſimus noſter Pater Servanus cum aliis Monachis Dunfermlenſibus ab optimo Patruo Dom. Joanne Thomſon Monaſterii S. Jacobi Scotorum Ratisbonæ Abbate digniſſimo vocatus , & ibidem Prior conventualis conſtitutus , piiſſimam vitam duxit , acerrimus arctioris diſciplinæ Monaſticæ vindex , uſque ad annum MDXLIV. quo religioſam animam Deo reddidit.

ORDO

ORDO MONASTICUS.

S. Servanus diſcipulus S. Palladii, circa annum CCCCXLVIII. ædificavit Monaſterium de Culros, ibique magnam congregavit Monachorum congregationem, quos in timore Dei & in magna continentia cuſtodivit, qui à communi plebe vocabantur Culdei ſive Colidei, ſed propriè dicebantur Kiledei, ſic nominati ab ipſis cellis, quas inhabitabant, & veri Monachi erant, imitantes Monachos Ægyptios, & ſimilem illis ducentes vitam. Nam imprimis perpetuum jejunium obſervabant, ſemel in die cibum ſumentes, & quidem tempore hyemali, apparentibus ſtellis in firmamento, in æſtate autem poſt occaſum ſolis. Quæ refectio apud illos vocabatur cœna, & in menſa non appoſuerunt diverſorum fercula ſaporum, neque eſculentiores paſtus, ſed ſecundùm comedentium numerum tot paximacia panis, atque olera cocta, ſed ſolùm ſale condita. Nunquam carnes vel piſces comederunt, neque caſeum vel butyrũ admiſerunt, niſi Dominicis & feſtivis diebus, quando binam refectionem ſumebant, ſcilicet prandium & cœnam. Pro potu aquam habuerunt puram & aliquando mixtam lacte, nam vinum & cereviſia illis ignota erant. Infirmis tamen vel ætate provectis, vel etiam longo itinere fatigatis, aliqua ſuavioris cibi oblectamenta dabantur, nunquam tamen carnes comedebant. In menſa autem altum obſervabant ſilentium divinæ lectioni & ſpiritualis Patris exhortationibus intenti, atque hoc modo feſſos artus acceptæ cœnæ refectione relevabant, nec tamen ad ſatietatem; nimia enim ſatietas, quamvis ſolius panis, luxuriam gignit, ſed tunc pro impari corporum vel ætatum conditione, quisque cœnam capere potuit.

Omnes in uno loco dormiebant, ſed in ſeparatis Lectiſterniis, & quidem veſtiti, & zonâ pelliceâ præcincti, ut expergefacti alacriùs ſurgerent. Nam ad primum Galli cantum in Oratorio omnes præſentes eſſe debuerunt, quocunque anni tempore, per nolæ pulſũ excitati, ita ut media nocte ſemper ſurrexerint ad vigilias nocturnas peragendas. Quæ vigiliæ per integras tres horas durabant, quia ſingulis viginti Pſalmos deputabant, & ad finem cujusque pſalmi profunde genu flectebant, ſeſe in terram proſternentes. Expletis tribûs vigiliîs nocturnîs conſona vocis, & cordis intentione omnes exire de Oratorio debuerunt; Solus autem Pater Monaſterii ſecretam Deo pro ſtatu Eccleſiæ ſundebat orationem, dum reliqui meditationibus, genu flexionibus, aliisque piis operibus incumbebant, usque diluculum. Et tunc datô ſignô, omnes Oratorium accedant, ad matutinas laudes perſolvendas, quibus finitis, Pater Monaſterii quotidianis lacrymarum fontibus exundans, thurificatis orationum holocauſtomatibus redolens gemmæ charitatis ardore flagrans, debitam Dominici corporis oblationem puris ſacrabat manibus, ſicque ad Angelicum pergebat alloquium. Synaxi finita, aliqui frigidam petebant aquam, in qua diutius morando, corpus rigabant, omnémque carnis ardorem domitabant: Quamdiu autem in Oratorio orarent, nullus oſcitare, nullus ſternutationem facere, nullus ſalivam jacere licenter auderet.

Deinde omnes ad laborandam domî vel ruri ſe præparabant, ut quotidiano deſudantes operi manuum laborare ſuam in cõmune tranſigerent vitam, probe ſcientes quod ſecura quies & otioſitas vitiorum mater & fomes eſſet, & ideo humeros ſuos divinis fatigationibus ſubmiſerunt; & impenſiori ſtudio, pede manûque laborabant, atque ita propriîs viribûs, cuncta congregationis opera cum gaudio expediebant. Nam ad rurale opus accincti, jugum ponunt humeris, ſuſtoſſoria, vangásque invicto brachio terræ defigunt, ſarculos, ferrásque ad ſuccidendum ſanctis ferunt manibus, omniáque præſtant proprio labore, quæ homines ruſtici auxiliũ boum & equorum perficere ſolent. Nam apud ipſas, nulla æra boum & equorum aut aliorum animalium inveniebatur ad agros excolendos, vel quodcunque opus perficiendum quia quisque erat bos & equus ad laborandum. Solus ſeniculus Abbas habuit equiculum ad iter faciendum & paucas vaccas ratione lactis, ſicuti & oves ratione lanæ & pelliis nutriebant, nam omnes alias poſſeſſiones reſpuebant, & divitias deteſtabantur.

Quan-

Quando autem opus rurale diutius duravit, tunc in campis ſolitum Pſalmorum penſum peragebant, obſervato debito tempore, pro ſingulis horis canonicis, ad hoc enim intenti, ut ſingulis diebus integrum Pſalterium devotè recitarent. Quamdiu autem laborabant, nullum audiebatur murmur, nullum præter neceſſarium habebatur colloquium, ſed quiſque aut orando, aut rectè cogitando injunctum peragebat opus.

Peracto opere rurali, ſeu quocunque alio injuncto labore jam finito ad cellas proprias revertebant, ubi aut ſcribendo aut orando totam ad veſperam peragebant diem, niſi quando tempus aderat ad orandum horas canonicas in Oratorio. Veſpere autem appropinquante, cùm nolæ pulſus audiebatur, quiſque ſtudium aut laborem deſerebat. Quamprimùm enim in auribus cujuscunque pulſus reſonaret, ſcripto litteræ apice, vel etiam dimidiâ ejusdem litteræ figurâ, citius aſſurgentes, ſua finiebant officia, ſicque cum ſilentio & gravitate, ſine ulla colloquii fabuloſitate Oratorium petebant. Expletis Pſalmorum canticis, conſona cordis & vocis intentione, quisque privatis precibus & genuflexionibus inſerviebat, quoadusque ſidera cœlo viſa finitum clauderent diem, in æſtate autem, ob noctis brevitatem, ùsque ad occaſum ſolis.

Tandem ad menſam conveniunt, ut feſſos artus cœnæ refectione, relevarent, ubi quidem ſpirituali lectioni plùs attendebant quàm ciborum ſapori; tota enim refectio non aliis cibis, quàm communi pane ſale conditis conſtabat, ut jam dictum eſt. Modicè igitur refecti, cum gratiarum actione Oratorium petebant, & per breve tempus orationem effundentes, dato ſignô, & accepta Patris ſpiritualis benedictione, dormitorium accedebant omnes, Seniores æque ac Juniores, ſecundùm ordinem clauſtralem, neque vocis ſuſſitatio audita eſt, ſed usque ad primum Galli cantum, quietem ſumebant. Atque hoc modo, per ſingulas anni dies & noctes Creatori ſuo inſerviebant, niſi quod à nocte Sabbathi quousque primò diluculum ſcilicet prima diei Dominicæ hora eluxerit, vigiliis, orationibus, genuflexionibus ſeſe impenderint, excepta una hora poſt matutinas laudes, quando ſeſe ad ſcrutanda intima cordis ſecreta præparabant. Qua peracta, & verè compuncti, Patrem ſpiritualem acceſſerunt, cui cogitationes ſuas propalabant, ſine cujus juſſu nihil præſtare potuerùnt, ſed illius licentiam etiam vel ad naturæ requiſita acquirebant.

Paupertatem maximè coluerunt, nec alias poſſeſſiones habuerunt, niſi quas propriis manibus laborare poterant. Hinc dona iniquorum reſpuerunt, divitias deteſtabantur. Si autem aliquis de Magnatibus terræ aliquid pro eleemoſyna concedere voluerit, immediatè pauperibus diſtribuebant, quibus etiam oblationes fideliùm conceſſerunt, in vicinia enim habuerunt Xenodochium, ubi pauperes & debiles, claudos & cœcos, ſenes & orphanos nutriebant, quorum præcipuam curam gerebat S. Servanus, iisdem omnia neceſſaria præbens, piiſque exhortationibus inſerviens.

Vilibus induebantur veſtibus, maximè pelliniis, ſed albi coloris, ut moribùs ſic & veſtibùs candidi apparerent. Habitus enim interior ex alba lana contextus ad genua deſcendebat, illóque ad laborandum utebantur, nam lineas veſtes nunquam adhibebant. Exterior habitus erat birras, qui & amphibalus dicitur, corpus ſimul & caput tegens, quem Zonâ pelliceâ præcinxerunt, atque ſic incedebant quotidie ad orandum & laborandum, & etiam ſic dormiebant.

Igitur apud antiquos illos Monachos ſive Culdeos fulgebat perfecta morum probitas, vitæ paupertas, in agendis actibus perpetua continentia, atque ad Patris ſpiritualis Imperium indeficiens obedientia. Nec ſolùm Patri Monaſterii, ſed & Senioribus ab Ipſo ad invigilandum conſtitutis obedire debuerunt omnes, & refragantibus duræ ſubdebantur pœnitentiæ. Pro qualibet enim culpa etiam minima ſevera injungebatur pœna, ſic quando quisque aliquid ſibi proprium vindicaret & pronuntiaret v. g. Meum librum &c. tunc exutus veſtibus, ſe aqua immergere usque ad collum debuit, ibique diutius morando omne propriæ voluntatis pravæ deſiderium extinguere. Si autem Patris ſpiritualis, vel aliorum Seniorum juſſa hilariter & alacriter non adimpleverit, à fratrum conſortio ſegregatus, pane & aqua tamdiu vivere debuit, donec reſipiſceret, & ſi obſtinax indiſobedientia permanſerit, & culpam commiſſam agnoſcere renuerit, ſqualore carceris puniebatur. Pro parvis culpis publicè commiſſis coram tota congregatione pœnitentiam agebant diris verberibus percuſſi, quæ flagella pœnitentialia nominabantur.

Hunc aſperum & durum vivendi modum inibant Kiledei ſive Monachi antiqu Culroſenſes cum magno gaudio, ut violenter raperent Regnum cœlorum, neque facilis ad ſubeundam tam arduam Mona-

ſterii diſcipiinam ingreſſus concedebatur, quamvis multi ad morum reformationem concurrebant. Nam quicunque ſancti propoſiti conſervationem deſideravir, fratrúmque conſortium ſincerè poſtulavit, prius decem diebus præ foribus Monaſterii, quaſi reprobatus, nec non verborum opprobriîs confutatus remanere debuit, ſæpius pulſans, ſed nullum ingreſſum inveniens. Si autem benè utens patientia ad decimum perſtaret diem, tunc Porta Clauſtri fuit aperta, & noviter ingrediens Seniori ad portam conſtituto inſervire debuit, ibíque per multum temporis deſudans, multisque animi adverſitatibus probatus, tandem fratrum merebatur inire conſortium. Quicunque etiam fratrum converſationem cupiebat, priùs omnem ſubſtantiam pauperibns diſtribuere debuir, nam nihil ab eo, ne quidem vel unum, ut ita dicam denarium in uſum Monaſterii accipere voluit ſpiritualis Pater, ſed nudus veluti è naufragio evadens in congregationem receptus eſt, nam & veſtimenta ſæcularia ante ingreſſum deponere & pauperibus dare debuit. Hæc autem omnia ideo præſtare obligabarur novus receptus, ur ibi voluntariam deiigeret paupertatem, & nequaquam inter fratres excellens ſeſe elevaret, vel ſua ſuffultus ſubſtantia æqualem fratribus non iniret laborem, aut Religionis habitum apportans vl extorqueret, quæ Monaſterio reliquit, & fratrum patientiam commoveret in iram. Hæc aliáque plura aſpera quidem & dura exercebant antiqui illi Kiiedei, quorum diſciplinæ rigorem quamvis ad imitandum neceſſariæ, propoſita compendii brevitas vetat nos exponere. Sed Ægyptios Monachos in omnibus imitati ſunt, ſimiliémque eis duxerunt vitam.

ADDITAMENTUM IV.

ORDO QUIDAM MONASTICUS S. BENEDICTO ATTRIBUTUS.

OBSERVATIO CRITICA.

HOc ſequens opuſculum non pro vero fætu Magni S. Benedicti vendere præſumimus, quamvis id ad Calcem Regulæ Benedictinæ, jam anno 1593. Arnoldus Wion typis mandare curaverit, quod etiam poſtea Patres Congregationis Burſfeldenſis, anno 1610. Pariſiis præſtiterunt, atque Ciſtercienſes ſuis ſtatutis inſeruerunt; imo & illud magnæ Patrum bibliothecæ inſcribere voluerunt editores Lugdunenſes. Nam celeberrimus Mabillonius de epiſtolis ad S. Remigium loquens, altum ſilentium de hoc Opuſculo obſervat, neque epiſtolas illas ùt veras & genuinas exiſtimat, etiamſi S. Benedicti Sermonem in diſceſſu S. Mauri habitum agnoſcat, ſed aliis verbis proferat. Hinc etiam clariſſi. Calmetius hocOpuſculum S. Benedicto Annianenſi Abbati attribuit, cujus quidem ardens obſervantiæ monaſticæ zelus maximè enituit, in ſcribenda Regularum monaſticarum concordia. Utut ſit, antiquiſſimum eſt monaſticæ Diſciplinæ monumentum, digníimque proin, ut inter Codicis Holſteniani additamenta numeretur, cùm ejus antiquitatem ſatis ſupérque probent tot doctorum Virorum teſtimonia ad calcem Opuſculi appoſita.

Annal. Bened. tom 1. l 3. pag. 61. ibid. l 5. pag. 112. Comment. in Reg. S Bened. ad calcem tom. 2.

ORDO MONASTICUS.

Incipit ordo, qualiter fratribus in Monaſterio Religiosè, ac Studiosè converſari, ac Domino militare oportet.

INprimis nocturnis horis, cùm ad opus divinum de lecto ſurrexerit frater, primùm ſignum ſibi ſanctæ crucis imponat, per invocationem ſanctæ Trinitatis: Deinde dicit verſum, *Domine labia mea aperies.* Poſtea Pſalmum: *Deus in adjutorium*, cum *Gloria Patri.* Tunc provideat ſibi frater corporeæ neceſſitatem naturæ,

turæ, & ſic ad Oratorium feſtinet, pſallendo Pſalmum: *Ad te Domine levavi animam*, usque ad finem, cum ſumma reverentia & cautela intrans, ne alios orantes impediat: & profectus in locum congruum, effundat preces in conſpectu Domini, magis corde quàm ore: ita ut illius vox vicinior ſit Deo quàm ſibi: & tunc referat gratias Deo, dicendo:

Gratias tibi ago omnipotens Deus, qui me dignatus es in hac nocte cuſtodire, deprecor immenſam clementiam tuam, ut concedas mihi venturum diem ſic peragere in tuo ſervitio cum humilitate & diſcretione, quatenus tibi complaceam, Amen.

Tunc omnes ſint parati, ſtantes in loco ſuo in choro per ordinem, ut cùm ſignum noviſſimum ceſſaverit cum ſumma humilitate & honeſtate, referant laudes Deo in conſpectu Angelorum, & ſi fortè alicui frequens tuſſis, aut phlegma evenerit ex pectore aut naribus poſt dorſum projiciat, aut juxta latus. Caveat autem curioſè, ut infirmis fratribus non vertatur in nauſeam; ſed ſemper, quod ſpuitur, pedibûs conculcetur: ut dum ad orationem curritur, veſtimenta eorum non ſordidentur. Quod omnibus locis eis obſervandum, ſive ſint in Eccleſia, ſive in refectorio, ſive in portica, & in omni loco & conventu, ut, quod ſpuitur, pedibûs conculcetur.

Poſt expletionem verò nocturnæ Laudis, in illo intervallo, ſummum ſilentium fiat, tam in voce, quàm in inceſſu, ſive ſono alicujus rei: ut liceat unicuique ſine alterius inquietudine, peccata Domino confiteri, & veniam, & remiſſionem pro ipſis flendô poſtulare.

Cùm verò inchoante aurora diei ſignum inſonuerit, omnes feſtinent cum humilitate cordis, quaſi ad Deum clamantes, ac miſericordia ſibi placabilem factum, matutinis Laudibus prompta voluntate, vocum modulis, nec nimis productè, nec multùm correptè cum ſumma gravitate & honeſtate officium perſolvere divinum: & hac autem matutina laude ſummum & præcipuum ſilentium fiat in orando, vel loquendo.

Convenientes verò fratres ad *Primam* poſtquam completum fuerit ipſum officium, ante Pſalmum quinquageſimum, donent confeſſiones ſuas viciſſim, pariter ſupplicî votô pro ſe certatim orantes. Hôc expletô veniant omnes ad capitulum, & converſi ad orientem, ſalutent crucem & cæteris fratribus ſe undique humilient, ſimilitérque faciant in omni conventu. Poſt recitata nomina Sanctorum, quorum feſta craſtina dies excipiet, ſurgentes pariter dicant verſum: *Pretioſa*, quem ſequatur oratio à Priore: deinde verſus: *Deus in adjutorium.* Tribus vicibus, cum *Gloria Patri.* Surgentes iterum, dicant verſum. *Reſpice Domine in ſervos tuos.* Cum *Gloria Patri.* Poſt hunc verſum ſequatur oratio à Priore, *Dirigere & ſanctificare Domine, &c.*

Poſt hæc, qui culpabilis eſt, veniam poſtulet, & ſecundùm modum culpæ, vindictam recipiat: & tam in clauſtro, quàm in quolibet conventu vel loco, veniam poſtulet frater, ante dominum Abbatem, vel Præpoſitum, aut Decanum, aut quemlibet de Senioribus: cùm enim dixerit Senior, quæ eſt cauſa, frater ille, qui veniam poſtulat, reſpondeat, mea culpa Domine; ſi verò aliud quodcunque dixerit, judicetur exinde culpabilis. Poſtea dicatur à Domino Abbate, vel cæteris, à quibus obedientia eſt facienda, quidquid eſt neceſſarium, & utile fuerit in communi monaſterii: frater, qui veniam poſtulat pro culpa, quantò plus ſe humiliat, & culpabilem aſſerit, tantò miſericordius & levius à Priore judicetur: neceſſe eſt enim, ut omnes negligentias noſtras, vel cogitationum, vel linguæ, vel operis, in præſenti vita, per humilé Confeſſionem & humilitatem ſemper judicemus, ut non poſt mortem nos reos faciant.

Surgentes à capitulo, atque ad opera exeuntes, ſimul omnes circumſtantes dicant verſum, *Deus in adjutorium, &c. Gloria Patri*, & orationem Dominicam, flectentes genua. Poſt orationem Dominicam, dicat Prior: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.* Et reſpondentibus omnibus: *Qui fecit cælum & terram*, vadant omnes ſimul aut ſeparatim ad opus injunctum ſibi, cuſtodientes ſilentium, decantent Pſalmos, aut *Pater noſter*, bini aut ſinguli, juxta id quod congruum eſt, nihil aliud loquentes: niſi fortè de ipſa arte neceſſarium fuerit dicere, quod dicatur cautè.

Cùm ad opus divinum horis canonicis auditum fuerit ſignum. (ſicut continet Regula) relinquant ſtatim, quidquid in manibus eſt, ſic tamen ut non pereat: & tunc conveniant ſimul omnes ad oſtium Oratorii, aut certè ſint parati ad obedientiam, & dicant verſum: *Benedictus es Domine Deus, quia audiviſti me, & conſolatus es me*, tribus vicibus, Priore incipiente, ſubjungentes, *Gloria Patri*, flectentes genua: Oratione completa, ſurgant & dicat Prior: *Miſereatur noſtri omnipotens Deus*, & reſpondeant omnes, *Amen.*

A Calendis Octobris usque ad Paſcha, tertia hora hoc faciant: à Paſcha autem usque ad Calend. Octobris, hoc horâ ſextâ & nonâ fiat.

Omni tempore, in Eccleſia ſummum ſilentium teneatur, excepto hoc, quod ad aures Dei pertinet: & nullus ex fratribus,

tribus, alium puro nomine aliquando audeat appellare, ſed (ſicut decet) Seniores minores, ſuos fratres nominent, juniores verò Seniores ſuos Nonnos; quod eſt paternæ reverentiæ; Abbas autem Dominus & Pater ab omnibus vocetur.

Juramentum aliud nemo proferat, niſi *crede mihi*, ſicut in Evangelio legimus Dominum Samaritanæ affirmâſſe: aut *certè*, aut *ſanè*.

Si frater increpetur à Priore qualibet de cauſa, aut ab alio quolibet, etiam minore, ſtatim cum ſumma velocitate, in faciem ſuam cadens veniam poſtulet: quia hæc humilitas Deo exhibetur, non homini, & ſi ex corde fiat, indulgentiam promerebitur.

Oportet autem ante omnia, ut obedientes ſibi invicem ſint, & ipſa obedientia (ſi recto corde omnino Deo offertur) ipſa eſt, quæ ducit ad vitam: citiùs enim exauditur una oratio obedientis, quàm decem mille contemnentis.

Cùm verò ſibi obviant fratres, ubique dicat, junior Seniori. *Benedicite*; ſi junior ſedeat, trànſeunte Seniore, ſurgat: & ſi Senior voluerit ſedere, junior non ſedeat, niſi juſſus. Si deprehenſus fuerit frater aliquis invidiam, iram, aut triſtitiam in corde retinere, ſtatim corripiatur, ut emendetur, & quot dies hoc confiteri neglexerit, tot dies pœniteat, & ſi humiliter reſponderit, pœnitentiam poſtulaverit, cum venia judicetur.

Cùm autem Domnus Abbas, aut certè aliquis ex Senioribus, alicui ex fratribus aliquod opus præceperit, ſuſcipiat junior cum ſumma honeſtate jubentis imperium, & ſit auris parata ad audiendum, ac ſi divinitùs dicatur, ſint pedes recti; manus expeditæ ad faciendum opus, & humiliato capite dicat. *Benedicite*.

Egredientes de domo aut de conventu, dicant, *Benedicite*, etiam ſi ſolus ſit: quia Dominus ubique præſens eſt, unicuique poſtulanti paratus reddere rationem.

Si aliquid in Cellario, vel Refectorio vel coquina, vel quolibet alio loco frater neglexerit, ſtatim ſine ulla mora currat ad veniam poſtulandam: & ſi talis eſt res, quam neglexerit, manu teneat, in terram proſtratus veniam poſtulando de eo, quod egerit.

Caveant à ſæculari & ſuperfluo riſu, & à frequenti loquutione cum amicis ſæcularibus, ſi tamen neceſſe fuerit. Ubi aliter eſſe non poterit, non loquatur quiſquam ſolus cum ſæculari, niſi præſentibûs & audientibûs aliîs fratribûs, de quorum fide certa ſit fiducia: Et hoc maximè in juvenibus obſervetur: mens enim, quæ Deo ſervire cupit, ſæcularium loquutionem & converſationem contemnere & derelinquere debet.

Non vadant infra monaſterium paſſim, ubicunque voluerint, niſi obedientia uniuſcujuſque exigat, vel licentiam impetraverint.

Nullum opus, etiam ſi bonum videatur, ſine juſſione agere præſumant, nihil dare aut accipere, ſine juſſu Abbatis: nec habere proprium, niſi quod Abbas dederit, aut permiſſerit; non debet aliud unicuique in cibo, & potu, vel veſtimento dari, quàm Regula præcipit: qui autem plùs habere deſiderat, occaſionem contra ſe occulti hoſtis noſtri excitare non pertimeſcit.

Nullus alteri aliquid præteritum, vel turpe peccatum improperet, ſi Senior viderit juniorem delinquere, corripiat eum inter ſe & ipſum ſolum, ſemel, ſecundò, & tertiò de levioribus tantùm culpis: quia à gravioribus, ſi contingat aliquid perpetrari, ſtatim ſecundùm Regulam emendetur: & qui alium vult caſtigare, leviter ſolidare ſtudeat ſecundùm qualitatem neglecti, quia ſæpe fractura membri, deteriùs frangitur, quæ incautè ligatur. Pro immundis verò cogitationibus, & nocivis vel ineptis loquutionibus, ſemper ad confeſſionem recurratur: humiliter ſibi invicem reſpondeant fratres.

Horâ canonicâ auditô ſignô, citò ad orationem recurratur, & non contendant de aliquo: quod ſi contigerit, qui priùs tacuerit, ſapientior reputetur.

Ante horam vel poſt horam, nihil cibi percipiant: exceptis infirmis & infantibus, quorum imbecillitas à Priore conſideranda eſt.

Non detrahat quis, aut detrahenti conſentiat. Pacem inter ſe ſeminent fratres, non diſcordiam ſæcularium: fabulæ longè ſint ab eis.

Statutîs horîs, non negligant opera manuum agere: quia virtus eſt animæ, & corporis: cæterîs autem horîs, lectioni vacent: & ſi fieri poteſt, in uno loco, aut in clauſtro ſedeant, ut invicem ſe videntes coarctentur, & ſub ſilentio legant, & ne alius ad alium jungatur, niſi neceſſitas expoſcat, id ipſum tamen, ſine inquietudine alterius fiat. Æſtivo tempore unuſquiſque ad proprium locum pergat, cum ſumma cautela, & ſine alterius perturbatione aut legat aut dormiat.

Nullus ex fratribus ſuum aliquid dicat aut rem aliquam aut membrorum corporis, ſed ſemper noſtrum, hoc ſolum oportet dicere proprium, mea culpa; omnia, quæ Deus donat nobis, communia eſſe debent, excepto peccato, quia ex noſtra fragilitate eſt.

Pro-

Providendum magnopere eſt, ut juſſum Domini Abbatis de quacunque re impleatur ſollicitè, quia hæc eadem obedientia, ſi rectè perficitur, non illi miniſtratur, qui præcipit, ſed Deo, & ſi fortè negligatur, (quod abſit) qui deliquerit, citò recurrat ad indulgentiam poſtulandam.

Quando in choro ad pſallendum ſtant, conſona voce & corde pſallant, & illi incipiant verſum, qui præ cæteris utiliùs poſſint, ut ad primam vel ſecundam ſyllabam cæteri convenire poſſint pronuntiantes voce.

Ad horam verò refectionis poſt expletionem expectent in Eccleſia pſallentes in choro; cùm audièrint cymbalum, ordinate & ſine ullo ſtrepitu, feſtinent lotîs manibûs introire refectorium, ſalutantes crucem, verſîs vultibûs ad orientem, & ſedeant omnes ad menſam, ſinguli ordine ſuo, cum omni ſilentio. Nullúsque præſumat quidquam accipere cibi, aut potûs, ante Domnum Abbatem, ipſe autem Abbas non tardet accipere: Cùm autem accipiunt panem, dicant frater fratri, *Benedicite* & reſpondeant: *Dominus*, & ſimiliter faciant de potu, cùm primùm biberint. De cæteris pulmentis, quæ ſunt in menſa, non eſt neceſſe ampliùs benedictionem petere.

Antequam incipiant cibum ſumere, petat lector benedictionem, & incipiat legere, & nullius ibi vox audiatur, niſi ſolius legentis, niſi fortè pro ædificatione, aliquid brevius dicatur. Poſtea verò quidquid pulmenti, ex coquina miniſtratur, qui miniſtrat, à noviſſimo incipiat, & usque ad Domnum Abbatem miniſtrando perveniat, & tunc ſonent cymbalum tacitè, & dicant fratres: *Benedicite*, æqua voce, & productè. Data benedictione in communi, expectent (ſicut jam diximus) ut Abbas priùs accipiat, poſtea ſinguli dicentes. *Benedicite.*

Quando benedicunt cibum, aut potum, aut aliud, non ſedendo, ſed ſtandô benedicant: ſi autem cum talibus mixtum fuerit, Cellarius facit modicè ſignum ad miniſtrum, & ſtatim ſurgant juvenculi ad miſcendum, & lotos calices impleant potu aquæ menſura & ſtent ordinati, ſicut ſunt converſi: tunc Cellarius iterum ſonet cymbalum tacitè, & dicant fratres una voce, productè, *Benedicite*, & data benedictione à Priore, frater junior, qui dat calicem in manu ſedentis, caput inclinet humiliter: cùm verò impletum fuerit opus miſcendi, inclinet ſe in circuitu ad omnes fratres, ſic quoque ad menſas ſuas. Poma autem & quælibet naſcentia terræ, quæ cruda ſunt, ſive hora prandii, ſive æqualiter cum alio cibo. In menſa, antequam fratres veniant, aut ſedeant, à Cellario unicuique fratri partiantur: & ſtatim poſt alium cibum, illa ad menſam adjuncta comedantur. Quô expletô ſtatim finiatur lectio, & ſurgentes à menſa dicto verſu, ſiniſter chorus exeat prior ordinatè, dexter verò poſterior, noviſſimè autem Domnus Abbas, pſallentes Pſalmum, *Miſerere mei Deus ſecundùm, &c.* diſtinctè & non feſtinanter. Cùm introirent Oratorium, pſallentes inclinent ſe usque ad *Gloriam*: Ad *Gloriam* verò, flectant genua & poſt orationem Dominicam ſurgentes, vadunt cum ſilentio ſecundùm quod tempori congruit.

Poſt veſperas autem, horâ competentî factô ſignô omnes conveniant in capitulo, & legatur Scriptura, quæ ædificet audientes, quantùm hora permittit: finita lectione, ſurgant omnes pariter, & Domnus dicat Abbas: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini*, & omnes reſpondeant: *Qui fecit cælum & terram*, & cum ſilentio & reverentia intrent ad *Completorium*, & orent cum intentione mentis, & dent confeſſiones ſuas ad alterutrum, & ſic incipiant *completorium.*

Expletô verò officiô, ſummum ſilentium teneant: & ore, & corde, fiant orationes ſecretæ, & recordationes peccatorum, cum gemitu & lachrymis, & fletu: ſine ſuſpirio, ita ut alteri nullus noceat: Tunc agat gratias Deo, ita referendo. *Gratias tibi ago omnipotens æterne Deus, qui me per tuam ſanctam miſericordiam in hac die cuſtodire dignatus es; deprecor immenſam clementiam tuam, ut concedas mihi hanc noctem ſine ullo peccato, aut impedimento Sathanæ, cum dulci & pudica requie pertranſire: ut matutino veniente tempore pure & ſtrenuè ſurgens tibi Deo meo laudes referre valeam.* Et ſic cum magna cautela, vadant ad dormitorium, & dum ad proprium lectum frater acceſſerit, dum ſe collocat, dicat Pſalmum. *Deus in adjutorium*, totum *Gloria*, & poſtea dicat verſum: *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis*; & ſic muniat ſe ſigno ſanctæ crucis, & dormiat in Domino. Amen.

ITa vetus quoddam. M. S. Caſſinenſe; cujus exemplar ab ipſo originali extractum mihi communicavit. R. P. Jacobus du Brevil monachus S. Germani à Pratis: quod quidem M. S. hujusmodi ordinationes S. Benedicto adſcribit: quia repertæ ſunt in fine Regulæ, quam S. Benedictus propriis manibûs ſcripſit, & S. Mauro,

cùm ad Gallias eum mitteret, tradidit: quas D. Petrus Venerabilis IX. Abbas Monaſterii Cluniacenſis, cùm apud majus Monaſterium Turonenſe in eadem Regula (quæ pro reliquis ibi ſervabatur) inveniſſet, rogavit ſibi transmitti: Ita M. S. Quod ſi ita ſit credendum eſt hujusmodi ordinationes valdè eſſe antiquas. Et ſi non ſint S. Benedicti, fuiſſe ſaltem antiquiſſimi noſtræ Galliæ Cœnobii pias & ſanctas conſtitutiones, quas propterea Fr. Arnoldus Wion unà cum Regula curavit imprimendas Venetiis, Anno 1593. apud Juntas.

EPISTOLA SANCTI BENEDICTI AD SANCTUM REMIGIUM RHEMORUM ANTISTITEM MISSA.

DOminico Sacerdoti Remiglo, & Frater & conſervus in Chriſto JEſu; Cœnobialis vitæ humilis cultor Benedictus, æternæ benedictionis muous.

Sanctiſſimo tuo congratulans profectui (Sacerdos Regis ſummi) quia ſummi capitis membra ſumus, quod mihi deeſſe ſentio in me, totum (Laus DEO) poſſidere me credo in te. Ecce quod mea peccata fieri prohibuerunt, tuæ auctoritatis ſacerdotalia habent merita: & deſinant amodo circa me rumores hominum; cùm apud te conſtet omnium eſſe perfectionem virtutum. Hanc captivam & ab antiquo hoſte obſeſſam tuæ delego celſitudini; quatenus pro eis liberatione ſacram hoſtiam offerre Deo debeas, & meam pravitatem victoria ipſa non minimùm lætifices. Vale Sacerdotum Chriſti lepidiſſime calcule.

SERMO S. BENEDICTI IN MONTE S. PLACIDI.

SIcut patris eſt gaudere in ſuorum profectibus filiorum: ita & filiorum eſt, augmentum patris ſua lucra reputare. Quapropter noveritis dulciſſimum & amantiſſimum filium meum Placidum, martyriali trabea adornatum, migraſſe ad Dominum. Jam enim meis interioribus oculis ejus imaculatā hoſtiam & Deo beneplacentem deduxi in alta Cœlorum. Hunc nempe, quo illum à patre ſuo ſuſcepi, memineram eſſe mortalem, nec fefellit opinio. Nunc non eſt, quod conquerar; habeo, in quo Deo gratias agam: quia ſemper optavi, ut de fructu cordis mei omnipotenti Deo ſacrificium offerretur. Nihil enim hôc ſacrificiò habui pretioſius nihil amabilius, nihil charius: Elegit namque Placidus pro Chriſto momentaneam mortem: & pervenit ad eum, in cœleſti ſolio ad dexteram Patris regnantem. Ob id enim Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, ut nos non nobis, ſed Chriſto viveremus; Grates autem omnium refero Redemptori, quia ingratus eſſe non poſſum; Congaudendum eoim mihi eſt, quod talem diſcipulum habuerim, non dolendum, quòd amiſerim. Nam illud munus fuit, hoc debitum eſt: functus ſum famulatu Placidi diſcipuli mei, quamdiu Deus voluit, & pòſt; qui dedit, recepit. Quod naturæ communis fuit, Placidus pro Chriſto poſuit, & quod ſingularis eſt gratiæ, meruit. Cur autem ego doleam mihi Placidum filium meum ereptum? cùm ob ſalutem noſtram Deus Filio ſuo non parcens, pro nobis omnibus tradidit illum? Quis unquam exceptus eſt a conditione moriendi, qui noo eſt exceptus à conditione naſcendi? Non ergo Placidum defleam filium, quem ſcio tranſiiſſe de morte ad vitam. In illius namque morte gaudendum eſt, non dolendum: quia illam pro veritate guſtavit. Nam cur ego te Placide fili chariſſime defleam, qui mihi ſic ereptus eſt, ut omnium eſſes? Non enim perdidiſti uſum naturæ: ſed commutaſti, antè corpore ſeparabilis à Deo exiſtens, nunc individuus cum Deo permanens: Fælicia verba, quæ in te expendi! Fœlices labores, quos in te ſuſtinui! dum viveres mecum, non te Tertulli patricii patris tui amor à me divellere potuit, nec ipſe mihi unquam prætuliſti, usquequo ad æternam vitam migrâſti.

SERMO S. BENEDICTI, HABITUS IN DISCESSU S. MAURI ET SOCIORUM.

SI triſtandum (dilectiſſimi Patres ac Filii!) pro tali eſſet negotio, mihi magìs quàm vobis in hoc eſſet mœrendum, qui, quantùm ad præſens, magnîs videor deſtitui ſolatiîs. Sed quia dicente Apoſtolo charitas benigna eſt, benignitatem charitatis noſtræ, omnimodis impendere debemus his, quos aliquô

quô modô eâ indigere cognoſcimus : nec noſtra tantùm, quantùm aliena quærere ; Quapropter vos amoris paterni ſollicitudine à fletibus & mœrore temperare depoſcimus : quia potens eſt Deus, meliores nobis poſt hujus depoſitionem corporis huic ſanctæ immittere congregationi : quorum meritis & exemplis longè præſtantiùs quàm noſtris ædificemini. Sed & illud ſummopere nobis procurandum eſt, ne verſutia antiqui hoſtis, unde aliis ſalus acquiritur, inde nobis, triſtitiæ malô, detrimentum in aliquo ingeratur : Nos etenim, quos unitatis ſemel in ſancta charitate junxit concordia, nunquam vel longiſſima terrarum divident ſpatia : quoniam ſemper interioris hominis aſpectu, qui renovatur ſecundùm imaginem ejus, qui creavit eum, nos, quoad vixerimus tempore, invicem intuebimur.

Poſt quæ verba, D. Maurum & ſocios ſic effatus eſt : Vos autem Fratres chariſſimi, quos ad opus Domini conſtruendum, ad illas dirigimus partes, viriliter agite & confortetur cor veſtrum in ſancto propoſito & religione, procul dubio ſcientes : quia quantò auſteriora, causâ ſalutis aliorum, in hujus viâ ſæculi pertuleritis, tantò majora à Deo recipietis cæleſtium gaudia proemiorum. Nec vos ullo modo reſolutio hujus noſtri mœſtificet corpuſculi : quoniam præſentior vobis ero carnis depoſito onere, veſtrique per Dei gratiam cooperator exiſtam aſſiduus.

ADDITAMENTUM V.

ANTIQUA REGULA MONASTICA.

OBSERVATIO CRITICA.

ANtiqua hæc eſt Regula, cùm ante ſeptingentos annos ſcripta fuerit ; prout teſtatur clariſſ. Edmundus Martene, qui illam ineunte hoc ſæculo eruit ex MS. Colbertino optimæ notæ, ſed ſine nomine Auctoris. Et forſan longè ante ſæculum decimum compoſita erat, etiamſi S. Benedicto Anianenſi ignota fuerit, utpote in ſuo Regularum Codice, per Lucam Holſtenium edito prætermiſſa, ubi etiam deſideratur Regula Joannis Biclarenſis circa An. DLXXXIX. conſcripta, circa quam omiſſionem conqueritur Mabillonius, cùm & illa perfectionem vitæ Monaſticæ contineat. Exiſtimat quidem laudatus Martene, auctorem hujus Regulæ non multo poſt ſanctos Iſidorum & Fructuoſum vixiſſe, quia illorum Regulas citat, ex quibus tamen, nullum determinatum tempus pro hujus Regulæ exordio aſſignari poteſt. Hoc unum aſſerere poſſumus, hanc Regulam ſapere antiquitatem, ſed ſcriptam fuiſſe, quando Monachatus ubique florebat, atque nonnulli Monachi à primæva inſtitutione deflectere cœperunt. Hinc per tota quindecim capitula exhortatur & admonet Auctor, ut Monachi præcepta ſua obſervent, ad exemplar primorum vitæ Monaſticæ Legiſlatorum, præſertim, Joannis Caſſiani, S. Benedicti, Iſidori & Fructuoſi

Collect. vet. Script. tom. 9. pag. 101.

Annal. Bened. tom. 2. pag. 203.

ANTIQUA

Antiqua Regula Monaſtica auctore Anonymo.

CAPITULA.

I. *Qualiter die Dominico agendum ſit.*
II. *Qualiter à ſancto Paſcha usque ad Calendas Octobris divina & humana opera per diem agantur.*
III. *Qualiter à Calendis Octobris usque in ſancto Paſca divina & humana opera nocturnis & diurnis horis agantur.*
IV. *De jejunio.*
V. *De quotidiana refectione.*
VI. *De menſura ciborum.*
VII. *De menſura potûs.*
VIII. *De taciturnitate.*
IX. *De oratione.*
X. *De lectionis ſtudiô.*
XI. *De opera manuûm.*
XII. *De vilitate indumentorum.*
XIII. *De hoſpitalitate.*
XIV. *De humana laude.*
XV. *De perſeverantia boni operis.*

CAPUT I. *Qualiter die Dominico agendum ſit.*

DOminicum diem ſicut ait Iſidorus, Apoſtoli ideo religioſam ſolemnitatem ſanxerunt, quia in eodem Redemptor noſter à mortuis reſurrexit, quique ideo Dominicus appellatur, ut in eo à terrenis operibus vel à mundi illecebris abſtinentes, tantum divinis cultibus ſerviamus, dantes ſcilicet diei huic honorem & reverentiam propter ſpem reſurrectionis noſtræ, quam habemus in illa. Legitur enim in Epiſtola Leonis Papæ de Sacramento diei Dominicæ ita: In hac die mundus ſumpſit exordium, in hac die per reſurrectionem Chriſti & mors interitum & vita accepit prœmium. In hac Apoſtoli à Domino prædicandi omnibus gentibus Evangelii tubam ſumunt, & imperandum univerſo mundo Sacramentum regenerationis accipiunt. In hac, ſicut B. Joannes Evangeliſta teſtatur, congregatis in unum diſcipulis, cùm clausîs januîs ad eos Dominus introiret, inſufflavit, & dixit: accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum detinueritis, detenta ſunt. (Joan. 20. 23.) In hac denique die promiſſus à Domino Apoſtolis Spiritus ſanctus advenit. In hac etenim die, ſicut Patres noſtri verbô & exemplô nos docuerunt, nihil aliud eſt agendum, niſi orationi, lectioni, & tantummodo prædicationi incumbere.

CAPUT II. *Qualiter à ſancto Paſcha usque ad Calendas Octobris divina & humana opera per diem agantur.*

A Sancto Paſcha usque ad Calendas Octobris poſt matutinum officium, mox Prima ſubſequatur, & usque ad Tertiam manibus operandum eſt ſimul cum divina meditatione. Poſt Tertiam autem miſſarum ſolemnia celebranda ſunt: quâ expletâ, usque ad Sextam lectio divina ſtudenda eſt. Poſt Sextam autem, ſi quarta & ſexta vel ſeptima feria non fuerit, reficiendum eſt. Poſt refectionem autem horæ ſextæ, ſicut B. Benedictus cæterique Patres docent, aut requieſcendum eſt, aut legendum usque ad Nonam. Poſt Nonam autem usque ad Veſperam operari & pſallere oportet. Poſt veſpertinum autem officium, quibus neceſſe eſt, edendi licentia à quibusdam ſanctis Patribus conceſſa eſt. Poſt hæc, quantùm hora permittit, lectioni vacanda eſt, & ſic luce adhuc diei Completorium perſolvendum. Peractum autem Completorium, ſicut ſcriptum eſt in Regula Patrum dicendum eſt: *Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.* (Reg. Magiſtr. 30.) Et cùm à ſomno ſurrexeris: *Domine labia mea aperies. Domine JEſu Chriſte, Fili Dei vivi altiſſimi, in nomine tuo levabo manus meas. Deus in adjutorium meum III: Verba mea, VIII. Pater noſter. Credo in Deum. Dignare Domine die iſto. Perfice greſſus meos. Benedictus Dominus die quotidie. Dirigere & ſanctificare, &c. Fiat miſericordia tua.* Pſal. *Domine quid multiplicati. Miſerere mei Deus. Venite, exultemus.*

CAPUT

CAPUT III. *Qualiter à Calendis Octobris usque in ſancto Paſcha divina & humana opera nocturnis & diurnis horis agantur.*

MEdia autem nocte ſolemne Officium peragendum eſt, quia ſcriptum eſt: Pſalm. 118. 62. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper judicia juſtitiæ tuæ.* In hoc namque tempore vaſtator Angelus tranſiens primogenita Ægyptiorum percuſſit. Unde & nos vigilare oportet, ne periculo Ægyptiorum admiſceamur. Unde & Dominus in Evangelio: Luc. 12. 37. *Beati ſunt ſervi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes, & ſi veſpertina hora venerit, & ſi media nocte, & ſi galli cantu, beati ſunt.* Nam in Evangelio teſtatur, quia JEſus pernoctans erat in oratione Dei. Paulus & Silas in cuſtodia publica circum medium noctis hymnum audientibûs cunctîs dixiſſe vincti memorantur. Oportet his pſallendum, orandúmque frequentiam nos in ſanctis habere officiis. Quô peractô, in divinis precibus tota deinceps nox ducenda eſt usque manè. *Matutinorum* ſolemnitas incipiente luce celebranda eſt, quia matutina luce radiante Dominus & Salvator noſter ab inferis reſurrexit, & ideo diluculo proinde oratur, ut ſurrectio Chriſti celebretur. Longè autem antea David Propheta prænunciavit dicens: Pſalm. 62. 7. Pſalm. 118. 148. *In Matutinis meditabor in te, quia fuiſti adjutor meus.* Et alibi: *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo.* Et iterum, *Ad te de luce vigilo*, dicitur. Peractum verò Matutinorum officium, usque ad horam diei ſecundam ſecretius ſoli Deo orationibus ſummo ſtudio intentiſſimè inſiſtendum eſt. Officium autem horæ Primæ à ſanctis Patribus legitur eſſe inſtitutum, propter illud Davidicum, ubi dicitur: Pſal. 5. 24. *Manè aſtabo tibi & videbo, quia tu es Deus nolens iniquitatem.* Et iterum; Ibidem. *Ad te orabo, Domine, manè exaudies vocem meam*, & multa alia. Expletum autem prædictum officium, lectio ſancta usque ad horam diei tertiam de manibus tuis non recedat. Officium autem horæ tertiæ ideo celebratur, quia eâdem horâ Spiritus ſanctus in linguis igneis ſuper Apoſtolos in die ſancto Pentecoſten deſcendiſſe legitur, impleturus gratiam, quam Chriſtus promiſit. Expletum verò officium horæ tertiæ, usque ad horam diei ſextam propriîs manibûs ſimul cum divinis canticis operari oportet. Officium autem horæ ſextæ ideo celebratur, quia ſexta hora Chriſtus paſſus eſt. Expleto ſextæ horæ officio, iterum, ut ſuprà, cum divina meditatione ad aliquod opus propriîs manibûs exercendum properare feſtina usque ad horam nonam: ita tamen, ut inter exercitationem operis mens & corpus ad orationis ſtudium frequenter recurrat: quia, ut ait Auguſtinus, ſervum Dei manibus operantem & pſallere nomini Domini oportet. Suprà dicta autem frequens oratio intentiſſima & pura, non in multiloquio, ſed in puritate cordis & compunctione lacrymarum eſſe debet. Officium nonæ horæ ideo à ſanctis Patribus eſt inſtitutum, quia eâdem horâ, ſecundùm Evangelicam auctoritatem, Dominus JEſus emiſit ſpiritum. Horam autem tertiam, ſextam, nonámque, ſicut in divinis legitur Scripturis, Daniel & tres pueri ſupplicationibus devoverunt. Atque tres iſtæ horæ Trinitatis nobis reverentiam demonſtrant. Poſt nonam autem, miſſarum ſolemnia celebranda ſunt. Poſt hæc, divina lectio in manibus cum compunctione cordis amplexanda eſt usque ad veſpertinum officium. Veſpertinum autem officium ex vetere Teſtamento ſolemnis eſt celebratio: quia eo tempore veterum ſacrificia offerre, adoleréque Altario aromata & thura conſuetudo erat, ſicut ait David: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo, elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Pſalm. 140. 2. In novo Teſtamento eo tempore Dominus & Salvator noſter cœnantibus Apoſtolis Myſterium ſui corporis & ſanguinis initio tradidit, ut tempus ipſum Sacrificii veſpertinum ſæculi oſtenderet. Proinde in honore ac memoria tantorum Sacramentorum hîs temporibûs adeſſe nos decet Dei conſpectibus, & perſonare in ejus cultibus, orationum noſtrarum illi Sacrificium offerentes, atque in ejus laudibus pariter exultantes. Expletô veſpertinô officiô, dictô hymnô cum gratiarum actione, cibum pro ſuſtentatione corporis veſpertinum & vilem percipere oportet, ſicut ait inter cætera B. Hieronymus ad Paulinum Presbyterum: Sit vilis tibi & veſpertinus cibus, olera & legumina interdum & piſciculos pro ſummis ducas deliciis. Sit autem menſa refectionis tuæ referta cibis animæ & corporis, id eſt, ut ex una parte codex apertus ſit, ex altera panis: ut ſemper anima tua divinô ſatietur verbô, dum corpus tuum humanô reficitur alimentô. Quia, ſicut ſcriptum eſt, *non in ſolo pane vivit homo,* Matth. 4. 4. *ſed in omni verbo, quod procedet de ore Dei.* Cùm autem ſurrexeris à menſa, coram Altario Chriſti gratiarum reſolve actiones. Poſt hæc iterum ſancta in manibus lectio aſcendat, usque ad terminum lucis diei. Dum adhuc dies eſt, *completorium celebrandum eſt.* Completorium autem divina ex auctoritate inſtitutum eſt,

Pſal. 131. 3. David Propheta dicente: *Si aſcendero in lectum ſtrati mei, ſi dedero ſomnum oculis meis & palpebris meis dormitationem, aut requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob, &c.* Poſt completorium autem repauſatio corpori concedenda eſt. Tu verò illud recole, quod in canticis Canticorum ſcriptum eſt. Cant. 3. 3. *Super lectum meum in noctes quæſivi, quem diligit anima mea.* Ut autem invenias illum, ad cujus cæleſtia palatia feſtinare deſideras, lava per ſingulas noctes lectum tuum, lacrymis ſtratum tuum riga. Vigila & eſto ſicut paſſer in ſolitudine, dic Domino Deo tuo: de nocte vigilat ſpiritus meus ad te, Deus, quia lux præcepta tua ſunt ſuper terram. Noctibus, ut beatus ait Hieronymus, bis térque ſurgendum, revolvenda de Scripturis, quæ memoriter retinentur. Ipſe tuus ſomnus oratio ſit, ut actio tua dicat: Ego dormio & cor meum vigilat.

CAPUT IV. *De Jejunio.*

SAnctus Hieronymus: Sic quoque debes jejunare, ut fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in pſalmis, nec in vigiiiis ſolito quid minus facias. Item, parcus cibus & ſemper venter eſuriens triduanis jejuniis præferatur. Auguſtinus Epiſcopus: Jejunium univerſam eſſe dicimus corporis caſtigationem. Non eſt tantummodo jejunandum à concupiſcentia ciborum, ſed ab omni lætitia temporalium delectationum.

CAPUT V. *De quotidiana refectione.*

A ſancto Paſcha uſque ad Pentecoſten, ſicut ait S. Benedictus, ad ſextam reficiendum eſt, & ad ſeram cœnandum. De his autem diebus S. Iſidorus in libro officiorum ait: Poſt Paſcha autem uſque ad Pentecoſten, licet traditio Eccleſiaſtica abſtinentiæ rigorem prandiis relaxaverit, tamen, ſi qui Monachorum vel Monacharum jejunare cupiunt, non ſunt prohibendi: quia & Antonius & Paulus cæterique Patres antiqui, etiam in his diebus in eremo leguntur abſtinuiſſe, neque ſolviſſe abſtinentiam, niſi tantum die Dominico. A Pentecoſten autem uſque ad Calendas Octobris, ſi quarta & ſexta feria fuerit, ſicut ſanctus ait Apollonius, non eſt ſolvendum jejunium. Sed & Sabbati dies Apoſtolis ſanctiſque Patribus conſecratus habetur. Secunda autem tertia, & quinta feria, ſi placuerit, ad ſextam reficiendum. Sin autem ad horam nonam protelandum. A Calendis Octobris uſque in Paſcha excepto diebus feſtis, uſque ad veſperam eſt refectio prolonganda.

CAPUT VI. *De menſura ciborum.*

SAnctus Fructuoſus: Vivere autem ſolis oleribus & leguminibus, raróque piſciculis fluvialibus vel marinis oportet. Iſidorus Epiſcopus: Per omnem autem hebdomadam Fratres viles olerum cibos, ac pallentia utantur legumina. Baſilius Epiſcopus: Oportet enim modo uti cibis, quæ & facilius & levius comparantur. Item, ſi quid ergo illud eſt, quod poteſt vel citius vel leviùs explere hanc neceſſitatem corporis, id potius In cibis eligendum eſt. S. Benedictus ait: Credimus in refectione quotidiana, ſive una ſit refectio, ſive prandii & cœnæ, panis libra una & duo pulmentaria cocta ſufficere, & ſi fuerit unde poma, vel naſcentia leguminum, addatur & tertium. Hieronymus ad Paulinum Presbyterum ait: Sit vilis tibi & veſpertinus cibus, olera & legumina, interdúmque piſciculos pro ſummis ducas deliciis. Qui Chriſtum deſiderat, & illo pane veſcitur, non quærat magnopere quàm de pretioſis cibis ſtercus conficiat. Item ad Euſtochium: Sit itaque moderatus cibus, & numquam venter expletus. Multi quippe ſunt, qui cum vino ſint ſobrii, ciborum largitate ſunt ebrii. Ad horam tibi nocte ſurgenti non indigeſtio ructum faciat, ſed inanitas. Item ſint quotidiana jejunia, & refectio ſatietatem fugiens. Nihil prodeſt biduò triduóque tranſmiſſò vacuum portare ventrem, niſi pariter obruatur. Ambroſius Epiſcopus: Ne des te ipſum ſaturitati ventris, & ne replearis ſomno nocturno. Hoc enim modo efficieris mundus, & Spiritus Domini ſuperveniet in te.

Caput VII. *De menſura potus.*

SAnctus Benedictus ait: Hemina vini unicuique ſufficiat per diem, quibus autem donat Deus tolerantiam abſtinentiæ, propriam ſe habituros mercedem ſciant. Item: Hoc conſentiamus, ut non usque ad ſatietatem bibamus, ſed parcius: quia vinum apoſtatare facit etiam ſapientes. Hieronymus: Vinum & adoleſcentia duplex incendium voluptatis. Quid oleum flammæ adjicimus? quid ardenti corpuſculo fomenta ignium miniſtramus? Paulus ad Timotheum. 1. Tim. 5. 23.
Nam noli, inquit, aquam bibere, ſed vino modico utere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Vide quibus cauſis vini potio conceda-tur, ut hôc ſtomachi dolor & frequens medeatur infirmitas, & ne nobis forſitan de ægrotationibus blandiremur, modicum præcipit eſſe ſumendum, medici potius conſiliô quàm Apoſtoli. Alioquin idem Apoſtolus alibi ſe dixiſſe meminerat: Et vinum in quo eſt luxuria. Et bonum eſt homini vinum non bibere & Ephes. 5. 18.
carnem non manducare. Ambroſius Epiſcopus, non te lætificet vinum, neque Rom. 14.
delectent te carnes, ut non inutrias carnem corporis tui, & cogitationes turpes non deficient à te. Ne dicas: Hodie feſtivitas, & bibam vinum, cras Pentecoſten & manducabo carnes, quia non eſt feſtivitas apud Monachos ſuper terram, neque implere oportet ventrem tuum. Da Senioribus vinum, & infirmis infer eſcas, propter quod contrive-runt carnes juventutis ſuæ. Athanaſius Epiſcopus: Carnis & vini ſpecies, quaſi caloris fomenta & libidinis incitamenta fuge.

Caput VIII. *De taciturnitate.*

OPortet namque ſecundùm Sanctorum Catholicorum Patrum auctoritatem, tempore orationis ab humano ceſſare colloquio, ac lectionis, niſi ſupervenientium hoſpitum ab hoc contigerit declinare: Reliquîs horîs tibi ad opus corporale exercendum deputatis, quidquid miniſtris tuis & tibi neceſſe fuerit, invicem brevi ſermone definienda eſt quærimonia: quia ſecundùm Hieremiæ Prophetæ teſtimonium, Beatus eſt qui tulit jugum ab adoleſcentia ſua, ſedebit ſolitarius & tacebit. Cùm antem tibi neceſſitas incum-
Psal. 50. 17. bit loquendi, auctoritas cujusdam ſancti Patris jubet, ut dicas prius tertiò: *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam*: Quo prædicto, mox cum omni celeritate feſtinanter cum fervore charitatis redde reſponſum. Leniter & ſine riſu, humiliter & panca verba &
Prov. 10. rationabilia verba loquaris, quia ſcriptum eſt, *in multiloquio peccatum non deerit.* Cùm autem aliquis oſtiolum pulſaverit tuum, ſecundùm auctoritatem ſancti Benedicti *Deo gratias* reſponde. Et mox evacuatis manibus & omne opus imperfectum relinquendo, ſumma cum feſtinatione timoris Dei reſponſum reddere propera. Si cogitationes pravæ cordi tuo advenerint, ſecundùm auctoritatem S. Benedicti, dic corde & ore: *Tunc ero* Psal. 18. 14.
immaculatus coram Deo, ſi obſervavero me ab iniquitate mea. Si autem inepta lætitia riſusque acceſſerit tibi, recordare Dominicum illud præceptum: *Væ vobis qui* Luc. 6. 25.
ridetis nunc, quia flebitis. Et iterum: *Beati qui flent nunc.* Et Apoſtolus: *miſeri* Jac. 4. 9.
ſlete & lugete, quia riſus in luctum convertetur & gaudium in mœrorem: Unde & Salomon: *Riſui dixi amentiam.* Et iterum: Luc. 6. 25.
Væ vobis qui ridetis, ſtultus in riſu exaltat Eccl. 21. 13.
vocem ſuam. Vir autem ſapiens vix tacite ridebit. Nam Dominus & Salvator noſter legitur fleviſſe Lazarum ad monumentum, & in alio loco vidiſſe civitatem & fleviſſe ſuper illam, dicens: *Quia ſi cog-* Luc. 19. 42.
noviſſes & tu. Nusquam autem invenitur, quantum ad auctoritatem Evangelii pertinet, uſum riſu fuiſſe.

Caput IX. *De oratione.*

SAnctus Cyprianus: non verbis tantùm, ſed & factis Dominus orare nos docuit, ipſe orans frequenter & deprecans, &, quid nos facere oporteret, exempli ſui conteſtatione demonſtrans, ſicut ſcriptum eſt. Ipſe autem fuit ſecedens in ſolitudine & adorans. Et iterum: exiit in montem orare, & fuit pernoctans in oratione Dei. Quòd ſi ille orabat, qui ſine peccato erat, quantò magis nos peccatores oportet orare: Et ſi ille per totam noctem jugiter vigilans & continuis vicibus orabat, quantò magis nos in frequentanda oratione debemus nocte vigilare? Joannes Epiſcopus. Oratio Eccleſiaſtica ſolvit vincula Petri, & Pauli dilatavit prædicandi fiduciam. Oratio caminum ignis extinxit, oratio concluſit ora leonum, oratio ſeditionem compeſcuit, oratio paradiſum aperuit, oratio cœli

cœli cardines reſeravit, oratio ſterilem fœcundavit, oratio Cornelii cœlos penetravit, otatio publicanum juſtificavit &c. Iſidorus Epiſcopus: Hoc eſt temedium ei, qui vitiorum incitamentis exæſtuat, ut quotiens quolibet tangitur vitio, totiens ad orationem ſe ſubdat, quia ftequens oratio vitiorum impugnationem extinguit. S. Benedictus: Non in multiloquio, ſed in puritate cotdis & compunctione lacrymarum nos exauditi ſciamus, & ideo btevis debet eſſe & puta otatio, niſi fortè ex affectu ſpirationis divinæ gratiæ protendatur. Athanaſius Epiſcopus: Cùm orationem celebrare deſideras, talem te exhibe, quaſi qui ſis cum Domino loquuturus. Cùm Pſalmum dicis, cui verba dicis, agnoſce, & in compunctione magis animi, quàm in tinnulæ vocis dulcedine delectare. Lacrymas enim pſallentis Deus magis quàm voces comptobat. Omnium operum & cogitationum tuarum Speculatorem Deum crede, & cave, ne quidquam divinis oculis indignum aut opereris aut cogites.

Caput X. *De lectionis ſtudio.*

S. Cæſarius Epiſcopus: De divinis Scripturarum fontibus jugiter aquam ſalutis anima tua hauriat. Illam utique, de qua Dominus dicit: Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. De patadiſi etiam flotibus; hoc eſt ſanctarum Scriptutarum ſenſibus, anima ſancta ſe jugitet ornati contendat. Athanaſius Epiſcopus: Divinæ lectionis convivium diligite, & ſpititualibus te ſaturari dapibus concupiſce, & illos potiùs quære cibos, quibus anima magîs quàm cotpus reficiatur. Hietonymus Presbyter. Crebriùs lege, diſce quamplurima, tenente te codicem ſomnus obrepat, & cadentem faciem pagina ſancta ſuſcipiat. Cùm aperueris codicem, priuſquam incipies legere, dicere te oportet illud Davidicum tertiò, ſecundùm auctoritatem cujuſdam patris. *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Pſal. 50 17. Et: *da mihi intellectum & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.* Pſal. 118. 74. Et tunc lectio cum compunctione cordis incipienda eſt. Peracta autem lectione, dicere te oportet: Ibid. 1. *Confitebor tibi, Domine, in directione cordis, in eo, quod didici judicia juſtitiæ tuæ. Eructabunt labia mea hymnum, quoniam mandata tua elegi.* Si autem aliqua tibi tentatio malorum hominum, vel etiam immundorum ſpirituum pulſaverit, ſecundùm auctoritatem D. Auguſtini Epiſcopi, dic ore & cotde, Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo: Dominus mihi adjutor, & ego deſpiciam inimicos meos.

Caput XI. *De opera manuum.*

Sanctus Iſidorus Epiſcopus: Dei ſervus ſemper operetur manibûs ſuîs, ita ut quibuſlibet vatiis officiorum attibûs laboribùſque ſtudium ſuum impendat, ſequens loquentem Apoſtolum, qui dicit; 2. Theſſ. 3. 8. *Neque panem gratis manducavimus, ſed in labore & in fatigatione nocte & die laborantes.* Ibidem 10. Etiterum: *Qui non vult operari non manducet.* Per otium enim libidines & noxiarum cogitationum nutrimenta concreſcunt: per laboris verò exercitium vitia nihilominus elabuntur. Nam & Patriarchæ greges paverunt; & Joſeph juſtus, cui Matia deſponſata extitit, ſaber ferrarius fuit. Si quidem & Petrus Princeps Apoſtolorum piſcatoris geſſit officium, & omnes Apoſtoli corporale opus ſaciebant, unde vitam cotporis ſuſtentabant. Servus Chriſti ſic manibus operari debet, ut ſemper laudem Dei in oratione habeat, & linqua ejus Pſalmis atque hymnis inſerviat. Laborandum eſt ergo corpore, animi fixa in Deum intentione, ſicque manus in opere implicanda eſt, ut mens non avettatur à Deo. Auguſtinus Epiſcopus: Cantica verò divino cantare etiam manibus operantes facile poſſunt Dei ſervi, & ipſum laborem tamquam divino celeumate conſolari. Quid enim impedit ſervum Dei manibus operantem in lege Domini meditari, & pſallere nomini Domini altiſſimi? Caſſianus Presbyter: Sicut enim numerum tempus otii à Dei ſervis excipere convenit, ita ne meditationi quidem ſpirituali finem imponere, nam pariter exercere neceſſe eſt animæ virtutes, & exterioris hominis ſtipendia. Ambroſius Epiſcopus: Paulus enim Apoſtolus à mane uſque ad quintam horam victum manibûs ricabat: & exinde uſque ad decimam hotam diſputabat publicè. Hieronymus ad Ruſticum: fac aliquid operis, ut ſemper te diabolus inveniat occupatum. Memento quia Apoſtoli Chriſti habentes poteſtatem de Evangelio vivere, laborabant manibûs ſuis, ne quem gravarent, & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro ſpiritualibus debebant metere carnalia. S. Benedictus: Tunc verè monachi ſunt, ſi labore manum ſuarum vivunt, ſicut Patres noſtri & Apoſtoli. Cùm autem corporale opus manibûs exercendum tibi neceſſe fuerit, priuſquam incipias illud ſecundùm auctoritatem S. Benedicti & Caſſiani, dic tertiò: *Deus in adjutorium meum intende. Domine, ad adjuvandum me feſtina*, adjungendo *Gloria Patri*, & tunc picta fronti cruce Dominica inchoa opus illud. Sic enim ait S. Hietonymus: Ad omnem actum, ad omnem inceſſum manus pingat crucem. Prædictum autem verſum

Pſal. 82. *Deus in adjutorium meum*, idem Caſſianus in decima collatione ſua ſumma laude concelebrat, adfirmans congruum & nimis utilem eſſe, dicendum ad omnem utilitatem humanam, ſeu contra inviſibilem hoſtem. Peractum autem opus, ſecundùm auctoritatem S. Benedicti, dic tertiò coram altario Chriſti: *Benedictus es, Domine Deus, qui adjuviſti me & conſolatus es me.* Pſal. 118.

CAPUT XII. *De vilitate indumentorum.*

Vilitas autem & abjectio veſtimentorum, ſecundùm exempla multorum ſanctorum Patrum, tibi complaceat. S. Gregorius Papa: Nemo æſtimet in fluxu atque ſtudio veſtium peccatum deeſſe, quia ſi hoc culpa non eſſet; nullo modo Joannem Dominus de veſtimenti ſui aſperitate laudâſſet. Si cultus veſtium culpa non eſſet, nequaquam Petrus Apoſtolus per Epiſtolam fœminas à pretioſarum veſtium appetitu compeſceret, dicens: 1. Pet. 3. 3. *Non in veſte pretioſa.* Penſandum nobis ſummopere eſt, de cultu veſtium, quæ culpa ſit hoc etiam viros appetere, à quo curavit paſtor Eccleſiæ & fœminas prohibere. In ſacris etenim legitur Canonibus, Concilio Carthaginenſi, ut Clericus nec veſtibûs nec calceamentîs quærat deorem. Sanctus etenim Hieronymus, ſic ait: Vilis tunica ſæculi probet contemptum. Sanctus etenim Benedictus ait, de quo colore aut groſſitudine dentur veſtimenta, non cauſentur monachi, ſed quales inveniri poſſunt in Provincia qua habitant, aur quod vilius comparari poteſt. Caſſianus etenim ita: Veſtis quoque ſit, quæ corpus contegat tantùm, nuditatémque repellat & frigoris retundat injuriam; non quæ ſeminarium vanitatis aut elationis enutriat. Sanctus etenim Cæſarius de hac re ita nos admonet dicens: nolite poſſidere ſtragula pulchra & picta tapetia, plumaria etiam & reliqua his ſimilia cum ingenti ſumptu & ſuperfluâ expensâ ad oculorum libidinem præparatâ. S. Baſilius, qui vult, inquit, religioſè ac piè vivere, in omnibus & ſimplicitatem ac vilitatem veſtium requirat, id eſt ea, quæ parvô pretiò emuntur. Sed & de calceamentis eadem ratio obſervabitur, ut quod ſimplex eſt & paratius, id adſumatur. Pachomius ita: Non ſit notabilis habitus veſter, nec intendatis veſtibûs placere, ſed moribûs; Iſidorus namque ita: Cultus veſtium vel indumentorum inſignia deponenda. Munitus enim debet eſſe ſervus Dei, non delicatus. Et: ne autem ſuperflua ſunt veſtimenta, audi B. Benedictum dicentē: ſufficit monacho duas cucullas, & duas tunicas habere. Et S. Baſilius de hac re ita pronuntiat, dicens: De numero autem indumenrorũ nihil poſſumus dicere, cùm manifeſta definitione præſcriptũ ſit, in qua dicit: *Qui habet duas tunicas, det non habenti.* Ex quo ſine dubio plures habere illicitum dicitur. Quibus ergo habere duas tunicas non licet, his quomodo aliquid de diverſitate indumentorum præcipi poteſt?

CAPUT XIII. *De hoſpitalitate.*

Hoſpitalitati verò pront facultas rerum tibi ſuppetit, multorum exemplô Patrum fultus, ſtudere ſatage, ob illius amorem, qui in judicio dicturus eſt: Matth. 25. 35. *Hoſpes fui, & collegiſtis me, & quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Unde & per Heb. 13. 2. Paulum dicitur: *Charitas fraternitatis maneat, & hoſpitalitatem nolite oblivisci.* Ibid. *Per hanc enim placuerunt quidam Angelis hoſpitiô receptîs.* 1. Pet. 29. Hinc Petrus ait: *Hoſpitales invicem ſine murmurationibus.* Beatus enim Papa Gregorius ait: Hoſpitalitatem, fratres chariſſimi, diligite, charitatis opera amate. Sanctus etenim Fructuoſus martyr ita pronuntiat, dicens: Hoſpitibus & peregrinis fratribus cum ſumma reverentia, charitatis & miniſtrationis obſequia ſunt præbenda, & ad veſperum lavandi pedes; & ſi ex itinere ſunt confecti oleô perungendi ſunt: lectuaria, lucerna & ſtramina mollia exhibenda, ac proficiſcentibus juxta poſſibilitatem loci viaticum imponendum. Pedes denique hoſpiti lavandi ſunt, quibus lotis, ſecundùm auctoritatem S. Benedicti dicendum eſt: *Suſcepimus, Deus, miſericordiam tuam in medio templi tui.* Pſal. 47. 10. Venientibus autem, ſive diſcedentibus hoſpitibus, ſicut ait S. Benedictus, inclinato capite, vel proſtrato omni corpore in terra, Chriſtus in eis adoretur, qui & ſuſcipitur, ſuſcepti autem hoſpites, ſicut ipſe air, ducantur prius ad orationem. Facta antem oratione, oſculum porrigendum eſt, & poſtea legatur eis lex divina, ut ædificentur, ac deinde omnis eis adminiſtretur humanitas.

CAPUT XIV. *De humana laude.*

Matth. 6. 1. Dominus ac Redemptor noſter in Evangelio ſuo admonet dicens: *Attendite, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab his*, id eſt, ut non faciatis bona, attentione ut vanas laudes ab hominibus recipiatis. Sed quidquid boni faciat Chriſtianus, cœleſtia perpetrare cupiens regna, Chriſti amore & animæ ſuæ ſalute ac fraterna faciat charitate. Qui enim eleemoſynas faciunt, vel ora-

orationes & jejunia, ut laudem humanam recipiant, procul dubio ab æterna bonitate ſe privant. De his namque, qui ideo bona faciunt, ut in præſenti ſæculo ab hominibus laudem recipiant, dicit mundi Redemptor: *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.* Cùm enim pro recto opere, ut ſanctus Papa ait Gregorius: laus tranſitoria quæritur, æterna retributione res digna vili pretio venumdatur. Summopere namque ſtudendum eſt Dei ſervo, ut bona, quæ facit, ideo faciat, ut non ſibi, ſed Domino, à quo bona accepit, laudem requirat, ſicut ait Dominus in Evangelio: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Math. 5. 16. Et Apoſtolus: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* 1. Cor. 1. 31. Et Pſalmiſta: *Non nobis, Domino, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.*

CAPUT XV. *De perſeverantia boni operis.*

Virtus namque boni operis perſeverantia, dicente domino Deo noſtro: Math. 10. 22. *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Audi quia non dixit, qui cœperit bonum; ſed qui perſeveraverit in bono, hic ſalvus erit. Bonum ergo cœpiſſe, ſed perfeciſſe virtus eſt. Sunt enim qui bene incipiunt, & malè finiunt converſationem ſuam, ſicut Judas prius Apoſtolus, & poſtea proditor Domini. Econtra ſunt qui malè incipiunt, ſed bene finiunt, ſicut Paulus, qui prius perſecutor, poſtea prædicator; primò raptor, poſtea fidelis diſpenſator; primò lupus, poſtea agnus. Oportet enim & valde perneceſſarium videtur unicuique Dei ſervo, ut quidquid agendum inchoat bonum, à Deo perfici inſtantiſſima oratione depoſcat: ut qui pro ſua inenarrabili miſericordia dedit cognoſcere, det etiam ſolita pietate ſua velle inſuper & perficere, ut qui noſtris meritis non valemus, ſuorum precibus Sanctorum, qui ab initio ſæculi ei placuerunt, adipiſci omnem boni operis perſeverantiam mereamur, eo præſtante, qui eſt alpha & omega, initium & finis, JEſus Chriſtus Dominus noſter, qui cum æterno Patre unà cum ſancto Spiritu per infinita vivit & regnat ſæcula ſæculorum, Amen.

ADDITAMENTUM VI.

(c) Editio nova, in fol. à pag. 151. ad 159.

Continet plures parvos tractatus à celeberrimo Mabillonio collectos, & inter vetera ſua Analecta (c) *collocatos; qui quidem ad cognitionem ſtatûs Monaſtici maximè conducunt. Sed illis obſervationes criticas præmittere non præſumimus, cùm vir eruditiſſimus hoc ipſum præſtiterit, ad calcem cujuſque tractatus ſuas doctiſſimas obſervationes ſubjungens quæ ad horum documentorum explicationem ſufficiunt.*

INCIPIT
Ordo officii in domo * S. Benedicti ante Paſcha.

* le Dome.

IN primis in Dominica quæ eſt ante Palma, id eſt quindecim dies ante Paſcha, non cantant reſponſorium parvulum cum *Gloria*, & ſecunda feria iconias velant.

Item in Dominica, quæ eſt in olivæ benedictionem, cantant Tertiam in S. Petro reſidentes: omnes legunt lectionem ſecundùm conſuetudinem. Poſt lectionem verò ſequitur Introitus & lectio Apoſtoli, & gradualis ad ipſam diem pertinentes, & Evangelium de ramis palmarum: & benedicuntur olivæ, & incipiunt antiphonam, *Hoſanna filio David.* Poſt hæc: *Ecce quam bonum*, & intrant in S. Benedictum, & dicta oratione incipiunt aliam antiphonam, *Turba multa.* Sequitur Lytania, cum & ipſa intrant ad Miſſã majorem. Ad ipſam legunt lectionem de Apoſtolo, gradualem & tractum, Evangelium, paſſionem Domini ſecundùm Matthæum. Completâ Miſsâ, vadunt cum pſallentio in refectorio.

Item poſt Palma tantùm tres noctes faciunt nocturnum. Quartâ autem feriâ, id eſt, in vigilia cœnæ Domini, horâ nonâ expletâ intrant ad Miſſam: legunt lectiones duas, & cantant graduales duos, unumquemque cum quinque verſiculis. Sequitur Paſſio Domini ſecundùm Lucam. Poſt completorium verò ad ipſas vigilias ſignum non tangunt uſque ad Miſſam in Sabbatho ſancto; nec lectores benedictionem petunt, nec in fine conſueta dicunt. Similiter ad menſas agatur.

Congregati omnes in Oratorio verſum non dicant, nec vocatorium, * nec Presbyter compleat; nec orationem dicant, niſi tantùm ſimpliciter incipiant antiphonam. Novem pſalmi dividantur in tres vices, tres, tres, tres, cum novem reſponſoriis majoribus, & novem lectionibus de Lamentatione Jeremiæ, & Tractatu de paſſione Domini. Ita agatur uſque in Sabbatho ſancto.

* Invitatorium.

Item

Item in cœna Domini agatur Miſſa ad Veſperum. Ita intrantes in refectorio, accipiant ſingulas biberes & panem, & quidquid eis appoſitum fuerit. Exeuntes verò, lavat Abbas pedes omnibus, & poſt Mandatum cœnant.

Et in nocte de cœna Domini, quod eſt Paraſceve, incipientes Matutinum, per ſingulas antiphonas extinguunt candelas ſingulas. Item in ſexta feria ad tertiá legunt Paſſionem Domini ſecundùm Matthæum, ad ſextam ſecundùm Marcum: horâ verò nonâ legunt lectionem de Oſea Propheta: ſequitur gradualis cum quinque verſiculis, *Domine audivi*. Deinde lectio de Exodo, & tractus, *qui habitat in adjutorio*. Poſt hæc Paſſio Domini ſecundùm Joannem ſequatur. Deinde Sacerdos fundat orationes XII. cum totidem lytaniis. Hæc omnia expleta, adorant ſanctam Crucem. Actâ Veſperâ vadant ad reficiendum.

Sabbathô verò poſt horam nonam, pulſatô ſignô intrent in Oratorio. Dicta oratione incipiunt Lectiones XII. cum IX. orationibus totidémque gradualibus, & ſequuntur benedictiones, & benedictio cerei & aquæ. Exeuntes verò cum lytania procedunt ad S. Petrum. Finitâ ibidem ipsâ lytaniâ, dicta oratione procedunt inde ad B. Benedictum cum alia lytania: & illâ ibidem finitâ, ſimiliter dicta oratione incipient aliam, & cum ipſa procedunt ad Miſſam majorem. Poſt Miſſam, peractâ Veſperâ vadunt cum pſallentio in refectorio.

Item Dominico die vadunt cum antiphona & aqua ſancta per ſingulas manſiones. Finita omnia & completa, procedunt in refectorium cum pſallentio. Secunda feria eunt cum cruce & patrocinia * & aqua ſancta per ſingulos labores: redeuntes agunt Miſſam in ſancto Petro. * Reliquiis.

Tertiâ vero feria procedens juſo, * jungentes ſe invicem, & ſalutantes ſe mutuô ad S. Petrum in civitate: incipientes lytaniam, intrant in Eccleſiam, legunt lectionem Actus Apoſtolorum, gradualem, *alleluja*, ſequitur Evangelium. Dicta oratione incipientes antiphonam procedunt in cellam à ſancto Salvatore. Peracta autem miſſarum ſollemnia, incipientes antiphonam eunt in refectorio. Hìs ita omnibûs expletìs, ſecundâ & tertiâ feriâ faciunt octo lectiones; reliquis diebus usque in Octava ſexta & usque in Pentecoſten omni nocte tres lectiones, & ad matutinum * *Dominus regnavit*, & *jubilate Deo*. * Deorſum ſeu inferius. * Laudes.

In his feſtivitatibus fiunt XII. lectiones, & dicitur *Dominus regnavit*, Paſcha, Aſcenſio Domini, Pentecoſten, S. Johannis Baptiſtæ, S. Petri, S. Laurentii, S. Mariæ, S. Martini, Nativitas Domini, Epiphania Domini, Octavas Domini, Octavas, Epiphaniæ, Purificatio S. Mariæ, Nativitas S. Fauſtini, & Jovitæ, & depoſitio S. Benedicti Abbatis, & S. Gregorii Papæ, & S. Germani Epiſcopi. In his autem feſtivitatibus in vigilia non proceſſio, nec Jenunium ad veſperum videlicet Octava Domini, Octava Epiphaniæ, & Purificatione ſanctæ Mariæ. In reliquis autem Sanctorum feſtivitatibus VIII. lectiones.

ADNOTATIO.

Præmiſſus ordo habetur in codice bibliothecæ ſancti Udalrici apud Auguſtam Vindelicorum, ſcripto ab annis fere nongentis. Hunc conjicimus eſſe Ordinem antiquum Eccleſiæ Friſigenſis quæ etiam ſancto Benedicto ſacrata erat, Monachis à ſancto Corbiniano Epiſcopo primitus commiſſa, ùt alibi oſtendimus. Illud obſervatione dignum, quòd Paſſio Domini triplex in Paraſceve legenda præſcribitur.

In eo codice præmittitur alia manu vetus Kalendarium ſeu breve Martyrologium; deinde Regula ſancti Benedicti, in cujus fine legitur, Facienti hæc vita erit *æterna. Tum ſequuntur verſus,* Qui leni jugo, *&c. Deinde ordo legendi libros ſacros in Eccleſia Romana: poſtea Ordo, quem mox edidimus, cum hymnis Eccleſiaſticis. Item breve ſcriptum* de ponderibus *absque auctoris nomine, ubi hæc verba, Unica XII. libram efficiunt - - - - Libra una & ſemis heminam facit: duæ heminæ ſextarium reddunt XXIV. ſextaria modium faciunt, quindecim modia gomor, duo gomor corum.*

Huic Ordini, propter argumenti affinitatem, ſubjicimus ex pervetuſto codice ſancti Galli antiquas Conſuetudines in monaſteriis noſtris olim ſervatas. Deinde verò Epiſtolam ſeu reſcriptum Caſinenſium ad litteras monachorum Teutonicorum de ritibus Cluniacenſibus: quam Epiſtolam in operculo cujusdam codicis publica Bibliotheca Baſileenſis invenimus.

Anti-

Antiquæ conſuetudines Monaſteriorum Ordinis S. Benedicti.

PAtres Cœnobiorum ſtudioſè ſanctam Regulam obſervare cum ſumma cura decertant, ut fratribus ſuis neceſſaria alimentorum & indumentorū ſecuncundùm ſtatuta, ſanctæ Regulæ præbeant; ut omnem mundanæ curæ occaſionem tollant, & peculiaris alicujus, atque murmurationis mortiferum virus excludant, ſuæque profeſſioni idoneos reddant. Nam eleemoſynarum largitionem, ſeu quamlibet oblationem, ſive profeſſionum ſuarum reditus maximè in hoc expendunt, ut fratribus ſuis neceſſaria, non ſuperflua præbeant, quatenus ab eis liberiùs ſancti propoſiti obſervationem requirere valeant: curáſque & ſollicitudines rerum terrenarum poſtponunt, & ſecundùm præcepta Regulæ lucrandis animabus ſtudioſè invigilant.

I. In Oratorio ſummum ſilentium, ſummam pſallendi reverentiā, temperamentū elevatiùs canendi, & ordinatiſſimū modum in choro ſtandi; in omnibus agendis temporatam modulationem, in ablata omnibus feſtinatione confuſa, ac celerrimum ad omnia ſigna conventum.

II. In Sacrario magnum ſilentium, & nitidiſſimam adminiſtrationem, & veſtimentorum ſacerdotalium honeſtam & ordinatam valde diſtributionem, & ſignorum valde diſtinctum ſonum.

III. In hoſpitali hoſpitum Monachorum honeſtiſſimam ſuſceptionem, ſegregatâ domô ſuſceptionis aliorum hoſpitum.

IV. In refectorio ſummum ſilentium, & ordinatiſſimam atque mundiſſimam cibi & potûs adminiſtrationem atque ſecundùm Regulam æqualem in omnibus pro neceſſitate diſtributionem, in omnibus providentes, ne modum Regulæ uſquam excedant.

V. In clauſtris hora lectionis ſummum ſilentium, & ſummum ſtudium lectionibus ab omnibus haberi: ſemper tamen in illorum habitationibus ſilentium & humilitas ſtudioſè obſervatur.

VI. In dormitorio ordinatiſſimam lectorum poſitionem, & aquam ac ſimilem ſtramentorum diviſionem: ubi nihil pictum, vel variatum atque lineum vidimus, ſed neque in dormitorio hoſpitum.

VII. Omnigenam jurationem inter eos nec audiri, nec præſumi à quoquam: & nocturnum ſilentium ſemper ab eis cuſtodiri, ſive intus, ſive foris ſint, quouſque in capitulo verſum dicant.

Ordinem Regularem apud eos, qui in arce Regulari pollent, iſtum meminimus.

I. IN primis ut à veſpertinis uſque in capitulum, quod fit poſt Primam, ſummum ſilentium teneatur: & poſt matutinas horas non redeatur ad lectulos, niſi quando plenarium officium celebratur: vel contingat ante horam ſurrexiſſe, excepto infirmis vel præ laſſitudine non valentibus, quorum imbecillitas à Priore conſideranda eſt.

II. Poſt lectionem autem Capituli exeundum eſt ad opus. quod præcipitur à Priore cum ſumma cautela in Pſalmorum modulatione vel ſpiritualium rerum conlocutionibus, ne verba otioſa ſubripiant, ut juxta regularem auctoritatem uſque ad interrogationem non loquantur. Iſta interrogatio à ſapientibus conſideranda eſt, ut paucis comprehendant.

III. Poſt opus, & Tertiam, & Miſſam, pleniter conveniatur ad lectionem in locum deputatum ab omnibus, excepto hîs, qui in variis officiis deputantur: ſed de his, qui poſſunt, occurrant, quorum conſcientia ſibi teſtis eſt, utrum poſſint, cuſtodito ſummo ſilentio in intentione lectionis, niſi jubeat Prior alicui doctiori, minùs doctis fratribus vel doctrinâ indigentibus lectionem tradere, de cujus moribus ſecurus ſit.

IV. His ita compoſitis, frater, qui ſignis horarum præeſt, accedat ad coquinam ad videndum, ſi jam parata ſunt, quæ parantur fratrum uſui neceſſaria. Hîs paratîs moveat ſignum prolixius, dum fratres omnes in Eccleſiâ concurrere poſſint. Hîs in unum poſitîs, ſignum ſecundum pulſet brevius. Finitô officio, ſtet Abbas vel ſecundus ab illo, ſi ipſe non adeſt cum fratribus; & ſenior Decanus accedat properè ad ſignum refectorii pulſandum, quô auditô, Abbas præcedat, ſic ſequantur reliqui fratres honeſtiſſimè, ut nullius vox vel muſſitatio ibi audiatur.

V. Poſt cibum autem citiùs redeunt ad ſtratus ſuos, maximè juvenes vel negligentes, quorum mores notantur. Si qui ſunt, de quibus bene præſumitur, & volunt, liceat illis aliquantulum, ſed tamen

men breviter, vacare orationi in Eccleſia. In clauſtro autem vel prohibito loco nullus inveniatur, ne fortè (quod abſit) aliquis fabulis vacet vel otio. Sed ne hoc prædicti Patres ſaltim concedunt.

VI. Item ſigno Nonæ priore pulſato prolixiùs ſuſtineatur à ſecundo eô modô, ſicut ſuperiùs; & cætera omnia, quæ ſuperiùs diximus de hora ſexta, compleantur. Sunt, qui verſum volunt dicere poſt potum Nonæ, ſicut priùs in Capitulo, ad ſolvendum ſilentium, quod cautè cuſtodiunt usque ad illam horam. Sed videat Abbas, utrum hoc obſervare voluerit. Poſt Nonam autem, ſicut jam præfati ſumus, in opere cuſtodiantur omnia.

VII. Vidimus etiam de adoleſcentioribus fratribus maximam curam haberi, & ad hanc curam deputatos duos, quorum probatiſſima vita habebatur in Monaſterio; nec declinari adoleſcentes ab eorum adſpectu, ſive in die, ſive in nocte umquam auſos fore.

VIII. Circatores etiam duos, qui omnibus horis, dum fratres vigilabant, circuibant monaſterium, ne quis frater deeſſet proprio loco: ſi autem defuiſſet, ſtatim in tabulis notabatur, & in conventu fratrum adſpectui Abbatis præſentabatur, & juxta propriam temeritatem regulari diſciplina corripiebatur. Sed & multa alia quæ brevitas hujus ſchedulæ coercet, & ore conloquentis edocentur meliùs, ab his Patribus cuſtodiri.

IX. De modis autem pœnitentiæ cautiſſimè decernunt, quos modos eſſe ſeptem dicunt regulares. Primus, admonitio ſemel & iterum atque tertiò. Secundus, correptio publica coram omnibus, abſque excommunicatione. Tertius, excommunicatio pro levioribus culpis. Quartus, excommunicatio pro gravioribus culpis. Quintus, verberum vindicta, vel corporis caſtigatio. Sextus, oratio communis ab omnibus. Septimus, expulſio de Monaſterio, ſi rite recordor. Inveniuntur tamen & alii modi pœnitentiæ in regulari diſciplina: Sed hi excellentiores.

X. Vidimus etiam & aliud obſervabile. Si quis ad perfectionem taciturnitatis venire deſideret, quòd nullus fratrum in quolibet loco loqui aliquid præſumebat, præter duo ad hæc deputata. In Eccleſia nullus præter officium divinum & verba orationis: ſi aliquid cuilibet loqui neceſſitas erat, tactô veſtimentô Abbatis vel cujuslibet fratris annuit ad illa loca: expoſitisque pauciſſimìs verbis vel rationabilibûs, ſtatim abſceſſerunt, timentes ne propter neceſſaria verba, in nociva & inutilia inciderent.

XI. Prædicti circatores hoc obſervabant; ſi aliquem ridentem vel aliquid ſuſurrantem conſpexerant, ſtatim tabulis notabatur, & benigniſſimè corripiebatur tempore oportuno.

XII. Inter ſe namque tanta charitate ardebant, ut ſi cuilibet contigiſſet, propter communem utilitatem longiùs abeſſe, quòd tanta dilectione deſiderabatur ab omnibus, ut nulla mater ampliùs unicum filium deſiderare potuiſſet, usque dum rediret. Redditô propriis, ſtatim ſuper collum ejus in oſculum ruebant fraterno affectu, implentes illud, quod Dominus dicit in Evangelio: *Tunc verè diſcipuli mei eritis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.*

SCRIPTUM
Fratrum de Monte Caſſino
Ad Fratres ejusdem Ordinis, ſcilicet S. Benedicti, in Alemaniam & Franciam, &c.

De ritibus Caſinenſium, & Cluniacenſium.

PRofeſſionis monaſticæ Patribus & Fratribus Teutonienſibus, ſuorum juxta conſuetudinem priorum hactenus innitentibus Patris noſtri Benedicti inſtitutis, Caſinenſes in incepto fine tenus perſeverare, ut ſalvari mereantur communi cum Patre. De quibus nobis paternitas veſtra ſcripſit, ſcilicet ut aliquid vobis de noſtræ converſationis ac inſtitutionis conſuetudine reſcriberemus, dominum noſtrum Abbatem conſulere operæ pretium duximus: cujus præceptô & fratrum conſiliô iſta remandamus. Magiſtram in omnibus ſequimur, beati Benedicti Patris noſtri præcepta ſervamus: neque pro aliqua aliena, novâque conſuetudine volumus à tantæ veritatis tramite deviare, illud Apoſtoli Pauli attendentes: *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Et quod item in alio loco: *Si quis Evangelizaverit vobis præter quod Evangelizavimus, anathema ſit.* Et

Et item: *Suam volentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.* Quis igitur monachus novitatis inventor, ſanctæque Regulæ Patris noſtri transgreſſor, rectè in monaſterio vivere videtur? cùm tantæ ſanctitatis vir, cujus doctrinâ tota redolet Eccleſia, beatus ſcilicet Papa Gregorius, ejus miracula ſcribens de eo diceret: Scripſit autem & monachorum Regulam diſcretione præcipuam, ſermone luculentam. Laudamus equidem, ſi aliquid in monaſterio tolerabile additur: ſic tamen ut Inſtitutio Regulæ non amittatur. Scilicet ſicut apud nos & ubique terrarum, quarum ad nos fama pervenit, multæ variæque conſuetudines, cum Regula non diſcordantes, ex utraque parte maris recipiuntur. Aliam enim Teutonici monachi, aliam Italici, aliam Franci, aliam alii ex iſta parte maris habent complurimi. Similiter ex illa parte, aliam jam Conſtantinopolitani, aliam Antiocheni, aliam Alexandrini, aliam illi & illi: omnes tamen bonæ ſunt & utiles. Unde non parùm miramur, cur aliqui per inſolentiam ſuperbiæ faſtu inflati, temerariè per unam, etſi bonam, aliam non minùs bonam, vel forſitan meliorem deſtruere videantur.

De quibus tamen præ cæteris ſpecialiùs nobis ſcripſiſtis, de tonſura ſcilicet & habitu Clunjacenſium, breviter reſpondere poſſumus, quia nec nobis placent, nec cuiquam, qui regulariter vivere voluerit, jure placenda ſunt. Videtur enim omnino contra Regulam. Si verò de noſtra tonſura & habitu quæritis, nos in utraque vobis concordare ſciatis. Noſtrum igitur vobis, ſi placet, quod Apoſtolus in commune dat, tam vobis quàm nobis; & nos dabimus conſilium: *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Conſuetudines veſtras & inſtitutiones, tantùm ne Regulæ diſſentiant, pro nulla alia mutare ſtudeatis. Quia ad montem fortitudinis quæſtiones veſtras retuliſtis, quia de ipſo fonte haurire deſideraſtis, quia tabulis teſtamenti leges veſtras firmari voluiſtis, quia charitati veſtræ quidquam negare non poſſumus; hæc vobis de communi ſcribere ſtuduimus. Et revera etiamſi, ùt paternitas veſtra mandavit, conſuetudines noſtras & inſtitutiones, ſcribere poſſemus de intregro, menſis ſpatio nihil remaneret, etſi omnia ſeriatim comprehendere vellemus. Quasdam autem partes, quæ vobis utiliores videntur, quaſi quoſdam flores decerpendô colligere non minor fere difficultas eſſet, cùm partium electio niſi totô diligentiùs perfectô fieri non poſſit. Verumtamen ſi in veſtro perſeverare volueritis deſiderio, noſtrum qualecumque vobis non diſpliceat conſilium. Plerique noſtræ conſuetudinis, noſtræque converſationis cupidi, de ſuis quem cognoſcunt ingenii, unum huc transmittunt, quò non ſolùm auditu, verùm etiam ipſo viſu, pro quibus mittitur, proſpiciat; eóque modô, quaſi unus ex nobis, hic quidam per integrum annum quidam etiam diutiùs manent; tandem omnibûs perſpectis ad ſua certus cum gaudio redit. Hoc idem non abs re nobis videtur, ſi vobis placeat, conſilium; ſic tamen ut honori veſtro conſulentes, hujus loci, cùm noſtri, tum etiam hujus rei cauſa commodo & honori provideatis. In Chriſto valeatis, vigeatis, ſine fine vivatis.

PROLOGUS

In librum conſuetudinum Hirſaugienſium, Auctore Willelmo Abbate.

Poſtquam ego frater Willelmus Dei ordinatione & fratrum Hirſaugienſium electione ejusdem loci Proviſor ſum conſtitutus, indidi eis in primis, quas à puero didiceram in Monaſterio ſancti Emmerammi, regularis vitæ conſuetudines. Sed quia multa in eis erant, quæ paulatim ſuccedente deſidia à monaſtico rigore, & ab illius parte converſationis nobilitate videbantur degeneráſſe; ſtatui apud me, ut ubicumque aliquid informandis fratrum moribus proficuum viſu vel auditu, vel certè lectione ſacrorum librorum perciperem, totum hoc quaſi vivos lapides ad ſpiritualis ſtructuræ fabricam conferrem. Quod propoſitum meum, dum ei, qui replet in bonis deſiderium fidelium ſuorum, ſedulis precibûs commendatem; Deo omnia mirabiliter ac miſericorditer diſponente, venerabilis vir ac bonorum omnium memoria dignus Bernardus Abbas Maſſilienſis, Apoſtolicæ ſedis legatione functus ad nos devenit, integrum fere annum difficultate conficiendi itineris, quod volebat, inhibitus, nobiſcum exegit. Qui ubi ſollicitè fratrum converſationem, & Monaſterii noſtri ſtatum pervidit; quodam die inter cætera ſpiritualis vitæ colloquia ſic me compellavit: „Ut video, Frater chariſſime, locus iſte admodum aptus eſt „ converſationi monaſticæ, & ipſi fra„tres

„ tres juſtè ac ſanctè vivendi ardentiſſimo videntur flagrare ſtudio. Sed noſſe velim, quos potiſſimùm veſtræ inſtitutionis Magiſtros habeatis, & à quo præcipuè monaſterio derivatas conſuetudines obſervetis. Noſtri, inquam, eſt ſtudii, quoslibet religioſos hujus vitæ viros pro poſſe noſtro imitari; ſed ſi nos in aliquo deviantes dignamini ad viam reducere, procul dubio quocumque nos ſapientis conſilii manu ducitis promptiſſime ſubſequemur. Ad hæc ille: veſtra, inquit, converſatio, quantum noſtri ingenioli acumine perſpici poteſt, & Deo acceptabilis, & omnium ſanè ſapientium admiratio videtur. Sed ſi adhuc glorioſior eſſet, & Apoſtolicis, ùt ita dicam, ſignîs & virtutibûs illuſtrata clareſceret; his tamen, qui ſincerè monaſticam ſectantur perfectionem, non adeò grata, acceptáque erit, niſi aliis regulariter inſtitutis Monaſteriis in habitu & tonſura, cæteris conſuetudinibus aſſimilata fuerit. Sed inter omnia Ciſalpinæ Galliæ Monaſteria, ſi noſtram requiritis ſententiam, Cluniacenſe Cœnobium potiſſimum vobis ſuadeo eligendum: ubi & perfectiſſimorum monachorum auctoritate, & temporis antiquitate monaſtica eò roboris & gloriæ excrevit Religio, ut ſi qua adhuc ſanctitatis veſtigia in aliis videntur Monaſteriis, non dubium ſit ex hoc, quaſi ex vivo quodam & inexhauſto fonte, ſingulos emanâſſe rivulos. „ Dum his & hujusmodi monitis vir prædictus, ut dici ſolet, ſtimulos currentibus addidiſſet, peracta legatione, pro qua venerat, rediit; & in redeundo Cluniacum tranſiens, ipſi Patri Monaſterii nos intimè commendavit, & ad priſtinum (ſi quid hujusmodi ab eo peteremus) ſatis benevolum reddidit.

Circa idem tempus Udalricus ſenior quidam Cluniacenſis, nutu Dei, pro cauſa Monaſterii in Alemaniam miſſus, aliquamdiu nobiscum manſit: & quia nobis olim erat familiariſſimus, longáque jam experientiâ in Cluniacenſibus diſciplinis exercitatus, rogavimus eum, ut ſuas vobis conſuetudines tranſcriberet. Annuit; ſpopondit, & ut promiſerat, duos de prædictis conſuetudinibus libellos nobis conſcripſit. Poſtea conſiderantes in eisdem libellis multa deeſſe ad plenariam earundem conſuetudinum ſcientiam capeſſendam, primò duos, ex noſtris fratribus, atque iterum alios duos, tertiò nihilo minus duos Cluniacum direximus: qui tam diligenti examinatione omnia illius Ordinis ſecreta rimati ſunt, ut ipſi eorum Magiſtri, in quorum audientia ſcriptas conſuetudines recitabant, affirmarent, nunquam aliquos illius ſpiritualis ſcholæ diſcipulos, vel pleniùs, vel veraciùs ſuæ inſtitutionis artem comprehendiſſe. Illis tandem redeuntibus, & tam fructuoſi operis manipulos cum gaudio reportantibûs, accepimus per eos mandatum à domino Hugone venerabili Cluniacenſium Abbate, ut ſua freti auctoritate, coadunato Seniorum noſtrorum conſilio, prout ipſa dictaret ratio, ſecundùm morem patriæ, loci ſitum, & aëris temperiem, de eisdem conſuetudinibus, ſi quid eſſet ſuperfluum, demeremus; ſi quid mutandum, mutaremus; ſi quid addendum, adderemus, quod ſagaci ſtudio communi inſiſtentes, & pauca quidem mutantes, multa autem pauciora recidentes, totas illas conſuetudines in duos libros diſtinctîs per ſua capitula ſententiîs digeſſimus. Hac autem intentione & hac mercedis compenſatione tam ſumptuoſum opus elaboravimus, ut & vos fratres chariſſimi, reverendi Patres ac domini, & quibuscumque ineſt amor & ſtudium ſecundùm vos inſtitui, hæc obſervandô vitam æternam promereri valeatis: dúmque vos noſtro labore ad bene vivendum adjuvari gaudetis; nos quoque ad ſemper cum Chriſto beatè vivendum, veſtrîs orationbûs adjuvetis.

Hilarî ergo animô & obviîs (ut dicitur) manibûs ſuſcipite parvula quidem, ſed multo labore exſudata Patris noſtris Xenia, & ad perpetuam paulo poſt morituri ſenis memoriam, amplectimini, ſervate & obſervate, atque in intimis reponite ſenſibus: ùt quàm ſincero amore viventem dilexeritis, in horum obſervatione innoteſcat omnibus per ſuccedentia tempora futuris. Hioc etiam operi propoſito manum applicantes congruum arbitramur à Noviciorum ſuſceptione, eorúmque inſtitutione omnium, quæ dicenda ſunt, exordium facere.

ADNOTATIO.

W*Illelmi Abbatis libros duos de ritibus Monaſterii ſui reperimus in quibuſdam Germaniæ Monaſteriis, ut in Weingartenſi, unde ſuperiorem Prologum depromſimus. Liber primus conſtat Capitibus LXIV. ſecundus LXXII. Parùm differunt à Cluniacenſibus ritus Hirſaugienſes, in quibus eadem verba, eadémque ſententiæ paſſim leguntur. Quia verò Willelmus in ſuperiori Prologo mentionem facit de illis*, quas in Monaſterio ſancti Emmerammi didicerat; regularis vitæ conſuetudines, *hìc eas ſubjicere, prout in codice Einſidlenſi à nobis repertæ ſunt, prima lectione viſum erat. Sed ne hujusce libri moles nimium creſceret, has in aliud tempus reſervandas duximus.*

FORMULÆ OBLATIONIS PUERORUM.

I. Formula Oblationis Pueri in Monaſterio Saviniacenſi.

IN nomine Domini noſtri JEſu Chriſti Filii Dei Patris, ego Agenaldus nepotem meum Goteiredum poſt Dominum, ut eum ambo ſequamur, mecum trahens, traditionem rerum noſtrarum omnium donatione legali facio Mooaſterio Saviniacenſi in honore beati Martini conſtructo, quidquid communiter habere videmur in pago Forenſi, loco qui dicitur Vernionus, & ego per me in pago Lugdunenſi loco dicto Luſinangus, quæ jure hæreditario poſſideo, abſque ſcilicet ſupradicto nepote meo Gotefredo, in terris aratoriis, ſilvis, in vineis, in pratis: ut ex his quidquid utilitatis amodo & usque in æternum exire potuerit, ſumant, quicumque paupertatem Chriſti diligentes, in ejus honore communem vitam degentes, in præſato Monaſterio deſerviunt atque deſervituri ſunt. Si verò aut ego ipſe (quod abſit) aut alter quiſpiam hanc donationem removere tentaverit, aut eam infringere velit, X. libras auri Monaſterio ſancti Martini cogatur inferre, & nullatenus, quod repetit, evindicare permittatur. Ego Agenaldus, qui donationem facio, ſubter aſſigno. S. Berardi, S. Folcherii, S. Othgerii, S. Aledonis, S. item Otgerii. Hanc donationem Wido vocatus ſcripſit jubente domno Abbate Badino.

Alia Formula Guillelmi & Garſindis uxoris ejus offerentium Geraldum Filium ſuum S. Willelmo Gellonenſi, & cum eo Eccleſiam S. Martini de Lundris.

IN nomine ſummi Dei Patris omnipotentis, & Filii ejus Domini noſtri JEſu Chriſti, & Spiritûs ſancti, ego Ademarus Guillelmi, Filius Guidueldis, & uxor mea Garſindis, & Filii mei, videlicet Raymundus, & Ugo, Guillelmus, atque Roſtagnus, Petrus, Ademarus & Bertrandus, donamus nos prænominati ſcilicet Ademarus, & conjux mea Garſindis, & Filii noſtri præſcripti ſimul cum Filio noſtro Geraldo, Eccleſiam ſancti Martini de Lundras, cum decimis & primitiis, & omni cimiterio & cum omnibus ad Eccleſiam pertinentibus, ſicut melius viſus ſum habere vel poſſidere, vel homo vel fœmina per me & quidquid habere potui vel debui ad proprium alodem altari ſancti Salvatoris Gellonenſis Cœnobii, & Dominicæ cruci, & ſancto Confeſſori Chriſti Willelmo, & Abbati Berengario, univerſisque Monachis præſentibus & futuris; ſine ullo malo ingenio vel ſine aliqua pecunia. Hanc verò donationem facimus nos ſupradicti Ademarus & uxor mea Garſindis pro remedio animarum noſtrarum, vel parentum noſtrorum, & pro filio noſtro Geraldo, quem tradimus ad monachalem habitum eô modô, ut jam dictus Geraldus ſemper Monachus exiſtat: Et ſi ipſe mortuus fuerit, & noſtra voluntas fuerit, pro ipſa donatione alius Filius loco illius ſubrogetur; & ſic unus ſuccedat alteri, donec aliquis Miſſam cantet ex his ſub monachali habitu jam dicto loco ſerviens. Hæc verò donatio vel ſcriptio facta eſt præcipiente & firmante Ademaro & uxore ſua Garſinde, & Fratre ſuo Petro Guillelmo, & Berengario de Va - - - - & Pontio Raymundo de Podio Abone & Guillel-

Guillelmo Petro, & Guillelmo Ricardo, ut ſemper firma iſta & ſtabilis permaneat, nullóque tempore ſcindatur. Anno MLXXXVIII. regnante Philippo Rege Francorum, ſub die Kalendarum Maij, Lunâ VI. facta eſt hæc donatio.

III. Oblatio Petri Pueri, poſtea Epiſcopi Pampilonenſis, in Monaſterio Conchenſi.

COgnitum ſit omnibus, tam præſentibus, quàm & futuris, quod Dominus Dido de Andoca, offerens Deo & beatæ Fidi de Conchis unicum Filium ſuum, nomine Petrum, poſtea per Dei gratiam factum Pampilonenſem Epiſcopum, inſuper etiam cum uxore ſua Stephana Monaſticum ſuſcipiens habitum, dedit ſancto Salvatori & ſanctæ Fidi glorioſæ Virgini locum & Eccleſiam de Plantas, ac alodium pro remedio animæ ſuæ & omnium parentum ſuorum in perpetuum poſſidendum. Quapropter ego Raymundus Vidiani, qui ſum de pertinentia ipſius dono Deo & ſanctæ Fidi Eccleſiam de Fornils cum ſevo presbyterali, & cum tota mea parte de decimis, quam ego tenebam in Domino, exceptis ſevalibus. Hoc autem facio pro ſalute animæ meæ & omnium parentum meorum, & pro amore Senioris mei Petri Pampilonenſis Epiſcopi; & pro hac donatione debeo ſuſcipi & procurari ſine ulla occaſione cum uxore mea, & in morte, & in vita in ipſo loco de Plancas. Et hoc donum facio in manus domni Bonefacii Abbatis, coram Deo & omnibus ſanctis Fratribus. S. D. Petri Pampilonenſis Epiſcopi. S. Domni Amblandi monachi. S. Willelmi. S. Guidonis nepotis Epiſcopi. S. Petri Hugonis. S. Raymundi Poterii. Facta carta anno ab Incarnatione Domini MCX. regnante Ludovico Francorum Rege.

IV. Oblatio alterius Pueri apud Canonicos Eccleſiæ S. Juſti Narbonenſis.

IN Redemptoris mundi nomine pateat cunctis hanc ſcripturam audientibus vel legentibus, me Bernardum Geraldi, ut uxorem meam, nomine Guillelmam, Domino Deo ſanctiſque Martyribus Juſto & Paſtori, in manus domni Ricardi Narbonenſis Archiepiſcopi, noſtrum Filium, nomine Geraldum, ad Canonicum Regularem faciendum, cum omnibus noſtris decimis atque Eccleſiaſticis in Canonica ad poſſidendum jure perenni dediſſe. Concedimus ibi omnem noſtram partem, quam habemus in Eccleſia de Pipuinis, tam in decimis, quàm in Eccleſiaſticis, videlicet octavam partem omnium rerum; in Opiniano verò tertiam partem omnium rerum; & Martiz quartam partem omnium rerum; in Malliaco quartam partem omnium rerum; in Puteolis omne illud, quod in pignore habemus; in Rubiano omne illud, quod in pignore habemus & habere debemus. Quidquid autem in Pagumano & in Serillano habemus vel habere debemus, ſimiliter donamus. Illud verò, quod in Terciano habemus vel habere debemus, ſimiliter donamus. Omnem enim honorem prænominatum cum ratione noſtri juris ergo Bernardus Geraldi & uxor mea, nomine Guillelma, donamus atque concedimus prædictis Martyribus in Canonica ſine retinamento ullo ad poſſidendum perpetuo jure. Quod autem in villa Pagumani & ejus terminis habemus, & homo vel fœmina habent per nos, ſimiliter donamus, ſicut ſuperiùs ſcriptum eſt, quantùm habemus in villis prædictis & in earum terminis, & homo habere vel tenere per nos debet, ſic donamus una cum Filio noſtro, nomine Geraldo, præfata Canonica perpetuali poſſeſſione. Si autem Filius ſupra ſcriptus mortuus fuerit, liceat Patri ſuo alium Filium canonicare, ſi vult; & recipiant eum per eandem convenientiam ſuperius nominatam. Si autem homo vel fœmina contra hujus noſtræ donationis &c. Hæc carta fuit facta X. Kal. Martii anno Dominicæ, Incarnationis MCXIII. regnante Ludovico Rege. S. Bernardi Geraldi & uxoris ejus, qui hanc cartam ſcribere juſſerunt, & hos teſtes firmare rogaverunt. S. Petri Richardi Canonici. S. Petri de Vilario. Arnaldus rogatus ſcripſit die & anno quo ſuprà.

OBSERVATIONES
DE
OBLATIONE PUERORUM IN MONASTERIIS.

I. A*Ntiquus eſt offerendorum in Eccleſiis & Monaſteriis puerorum mos, atque ritus, ex Oriente, ùt pleraque alia, in Occidentem invectus. In exemplum prævit in veteri teſtamento factum Annæ Matris Samuëlis, quem Mater necdum conceptum Deo addixit. Hæc forma inde in Chriſtianos manavit, & primùm quidem ad Græcos, ex quibus Gregorius Nazianzenus id teſtatur de ſe ipſo in Oratione prima*, ſe ab ipſa juventute accitum, atque ad Deum à vulva ipſa projectum, & ex materna pollicitatione donatum fuiſſe. *Idem de aliis libris ſilis præſtitit Norma ejus Mater, quos illa*, etiam ante ortum, Deo promiſit, atque in lucem editos ſtatim conſecravit, *ex oratione* 19. *Oblatio hæc ex voto parentum in Eccleſia fiebat: eáque traducta eſt ad Monaſteria, Baſilio inſtitutore in Regulis fuſiùs diſputatis interrog.* 15. Prorſus ad eos, qui nos accedunt, admittendos nullum non ætatis tempus idoneum judicamus, vel ipſius adeo teneræ atque ineuntis, ut videlicet, qui orbati parentibus ſunt, eos noſtra ſponte ipſi aſſumamus: qui autem ſub parentibus ſunt, eos ab ipſis ad nos adductos, multîs adhibitîs teſtibûs recipiamus.

II. *Hunc ritum ex Baſilio mutatus eſt S. Benedictus, qui in Regulæ ſuæ cap.* 59. *ſancit, ejuſmodi pueros à parentibus offerri* coram teſtibus, *eorúmque manum involvi* in palla altaris. *Sed unum addidit Sanctiſſimus Pater, quod Baſilius liberum reliquerat, nempe tollendô pueris facultatem revertendi ad Sæculum. Hanc ſanctionem poſtea comprobavit Eccleſia variis in Conciliis, & primùm quidem in Concilio Toletano IV. can.* 49. *& can.* 55. *Hinc Iſidorus in Regulæ cap.* 1. Quicumque à parentibus propriis in Monaſterio fuerit delegatus, noverit ſe ibi perpetuò permanſurum, *& quidem Samuëlis, quod mox ſubdit, exemplo. Sed quia durior viſa eſt, ante qualemcumque rationis uſum, nullo puerorum exſpectato nutu, inducta neceſſitas; hanc obligationem ad decennes redegit Concilium Toletanum IV. can.* 6. De his qui in parva ætate coram parentibus Religionis habitum tenuerunt, quoniam uſque huc diſſolutæ operationis effectus interdum mutare fecit honeſtum conſtitutionis editum - - - - parentibus ſanè Filios ſuos Religioni contradere non ampliùs quàm uſque ad decimum ætatis eorum annum licentia poterît eſſe.

III. *Hæc tamen moderatio ubique non obtinuit. Nam apud Anglos quinquennes, ſeptennes, imo bimuli & anniculi offerebantur, qualis fuit Elfleda, à Patre Oſvui* unius tantum anni devota, *teſtante Beda. Idem receptum in Gallia: Sed tamen Abbates in Synodo Aquiſgranenſi Anno DCCCXVII. hoc ſtatutum condiderunt cap.* 36. *ut quem Pater aut Mater tempore Sacrificii obtulerant altari, facta pro eo coram Laïcis teſtibus petitione, hanc oblationem* tempore intelligibili ipſe puer confirmaret. *Id poſtea invaluit paſſim apud noſtrates. Unde Anſelmus apud Eadmerum in lib.* 1. *de vita ipſius oblationem puerorum diſtinguit ab eorum profeſſione, cùm de Oſberno, qui ipſi poſt mortem apparuerat, ita loquitur.* De peccatis etiam, quæ poſt oblationem parentum ante ſuam profeſſionem fecerat, illum accuſavit: & de peccatis, quæ poſt profeſſionem ante obitum ſuum egerat. *De hac item profeſſione poſt oblationem facienda manifeſta eſt auctoritas apud Lanfrancum in Decretorum cap.* 17. *Sed tamen hæc profeſſio non ita pendiſſe videtur ex eorum arbitrio, ut integrum eis eſſet à voto parentum reſilire: ſed erat ex ejus profeſſionis genere, quæ apud recentiores Monachos profeſſionis ac votorum renovatio appellatur. Unde* Benedicto *nominatur ab Udalrico in lib.* 3. *conſuetudinum Cluniacenſium cap.* 8.

IV. *Germanis nonnullis diſplicuit hæc ex oblatione parentum impoſita pueris neceſſitas. Unde quidam hac in re ſancti Benedicti Regulam carpere auſi ſunt, quos Rabanus librô ſingulari refutavit. Acceſſit etiam in cauſæ patrocinium Wormatienſis Synodus anni DCCCLXVI. can.* 22. Si Pater vel Mater filium filiámque

intra

intra ſepta Monaſterii in infantiæ annis ſub regulari tradiderit diſciplina, non liceat eis poſtquam ad pubertatis pervenerint annos, egredi & matrimonio copulari. Hoc ergo omnino devitandum eſt: Quia nefas eſt, ut oblatis à parentibus Deo Filiis voluptatis frena laxentur. *Quæ verba deſumpta ſunt ex Epiſtola Gregorii Papæ II. ad Bonifacium.*

V. *Neque verò tantùm apud Monachos ejusmodi oblationes in uſu erant, ſed etiam in Eccleſiis Canonicorum Regularium. Has inter cenſenda eſt illa, quam quartô locô ſuperiùs retulimus, facta Narbone in Eccleſia ſancti Juſti, ubi tunc erant Canonici Regulares. Trimulos vel quadrimulos admittit Petrus de Honeſtis in Regula Clericorum lib. 1. cap. 9. Imo etiam ad Canonicos Sæculares hic ritus derivatus eſt aliquando, ut in Turonica ſancti Martini Eccleſia collegiata: cujus rei exempla legimus.*

VI. *Verùm, ut omnia honeſtis ac piis nata principiis in malos uſus degenerant, violata eſt hæc ſancta inſtitutio parentum cupiditate, qui levandæ Familiæ causâ, ſi quos gibboſos, de formes, ſtupidos, & ſæculo ineptos habebant filios, eos Monaſteriis includebant, injectâ quaſi in eorum collum oblationis ceu legis catenâ. Unde Udalricus in Prologo ad conſuetudines Cluniacenſes, Willelmum Hirſaugienſem Abbatem laudat, quod ejusmodi pueros, per quos Monaſtica diſciplina tantum detrimenti paſſa erat, à Monaſterio ſuo penitus excluſiſſet. Item in Caſinenſibus laudat Petrus Damiani in Opuſculi 6. cap. 16. Cenſens, puerorum Scholas* rigorem ſanctitatis ſæpe enervâſſe. *Idem viſum eſt Guiberto Abbati de Novigento in lib. 1. de vita ſua cap. 8. Quam ob rem Guido, Cartuſiæ Præpoſitus Generalis quintus, pueros non recipiebat*, quia per eos Monaſteriis multa, *inquit*, contigiſſe dolemus, & magna ſpiritalia ſimul & corporalia pericula formidantes. *Eodem tempore Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis ſimile ſtatutum edidit, in editis trigeſimum ſextum, quod poſtea Hugo Abbas eo nomine quintus confirmavit. Excepti ab ea lege ſex pueri, qui etiam nunc in habitu Monaſtico apud Cluniacenſes deſerviunt, ex Udalrico in lib. 3. cap. 8. Non tamen ſanctus Anſelmus ita affectus fuit in pueros, quin conquerenti cuidam Abbati, quòd indociles ſuſtineret, reſpondit id non tam ex prava puerorum indole, quàm ex mala Præpoſitorum inſtitutione oriri, teſte Eadmero in lib. 1. de vita ejus. Sed demum Sæculo duodecimo in deſuetudinem penitus abire cœpit hæc puerorum oblatio, ejusque obligatio ſublata eſt decreto Clementis Papæ III. cap.* Cùm ſimus, *ac tandem Concilii Tridentini decretô penitus abrogata.*

VII. *Jam verò quo ritu quove pactô ejusmodi pueri Deo offerrentur, conſiderare juvat. Ritum deſcribit ſanctus Benedictus in jam laudato Regulæ ſuæ capite 59. Sed alios ſubinde ritus pleríque Monaſteriorum Præpoſiti de novo addiderunt. Lanfrancus in Decretum cap.* 17. Offerendus puer, facta ſibi priùs corona, manibus portans hoſtiam cum vino, ſicut mos eſt; *poſt* Evangelium Sacerdoti, qui Miſſam celebrat, à parentibus offeratur: qua oblatione à Sacerdote ſuſcepta, involvant prædicti parentes manum pueri in palla, quâ Altare coopertum eſt, & cujus pars anteriùs pendet, & tunc ſuſcipiat eum Abbas. Quo facto, præfati parentes coram Deo & ſanctis ejus ſtatim promittant, quòd per ſe aut à ſe ſuppoſitam perſonam ſuſceptum Ordinem puer nunquam relinquat; neque ſe ei ſcienter aliquid daturos, unde puer (quod abſit) perire poſſit. Hanc promiſſionem priùs ſcriptam coram teſtibus verbîs ibi priùs edicant, & poſtea ſuper Altare ponant. *Formulas harum promiſſionum præter ſuperiores, apud Acherium noſtrum in Notis ad Lanfrancum, in Chronico Novalicienſi, & apud Smaragdum in Commentario Regulæ legere licet. Addit eo loci Lanfrancus.* His expletis benedicat Abbas cucullam: & exuens puerum cappa vel pellibus, vel aliqua hujusmodi chlamyde, dicat: *Exuat te Dominus veterem hominem*, ut ſuprà: & induens eum cuculla ſubjungat: *Induat te Dominus novum hominem, &c.* Dehine ducatur ad radendum, & veſtiendum, ſicut noſtri Ordinis conſuetudo eſt. Cùm verò adulta ætate facturus profeſſionem fuerit, fiant ei cætera, quæ ſuperiùs debere fieri converſo jam diximus. Hoc enim quod modò factum eſt, iterari non oportet. *Paulo aliter hic ritus deſcribitur apud Udalricum in lib. 3. Conſuetudinum Cluniacenſium cap. 8. & in MS. cæremoniali Anianenſi. Converſos hôc locô intelligit Lanfrancus, qui ex adultis ad Religionem accedebant.*

VIII. *Ex hac oblatione ſolemni inducebatur in pueros vitæ Monaſticæ obligatio. Neque eam in Roberto conſanguineo ſuo negat in Epiſtola I. ſanctus Bernardus aliam*

ob

ob cauſam, quam quia petitio, quam Regula præcipit, pro eo facta non erat à parentibus, nec manus illius cum ipſa petitione involuta pallio Altaris, ut ſic offerretur coram teſtibus. *Petitionem illam à promiſſione nunquam à Monaſterio retrahendi puerum, diſtinctam fuiſſe aliàs probavimus in Præfatione I. ad Sæculum quartum num. 53. Hinc patet ratam Bernardo futuram fuiſſe Rotberti apud Cluniacenſes oblationem, ſi ſolemnes ritus obſervati fuiſſent. Quamquam ea oblatio non impediebat, quò minùs pueri ad diſtrictiorem locum convolare poſſent. Qua ratione Thomam de ſancto Audomaro, à Benedictinis ad Clarevallenſes tranſire volentem, non eſſe prohibendum docet Bernardus ipſe in Epiſtola 324. quippe cùm ſic* votum parentum integrum maneret: & oblatio eorum non eſſet exinanita, ſed cumulata.

IX. *Hic quærunt nonnulli, an alii præter parentes, id eſt, Patrem & Matrem, impuberes poſſent Deo conſecrare. Res palam eſt ex Formula I. ſuperiùs adducta, quâ Agenaldus nepotem ſuum Gotefredum offert Deo in Monaſterio Saviniacenſi Diœceſis Lugdunenſis. Quin etiam Monachi vice parentum pueros aliquando ſic offerebant, teſte Udalrico. Sed ſcire intereſt, an oblatio Patre & Matre mortuis per alios conſanguineos facta, pueros ligaret. Et quidem ita videri poſſit: tum quia* parentum *nomine paſſim apud antiquos conſanguinei deſignantur: tum quia veteres Formulæ eandem propinquis tribuunt hac in re poteſtatem, quàm Patri & Matri. Cæremoniale Anianenſe MS.* Si quis deſiderat habitum monachalem & religionem aſſumere, veniat ad Monaſterium cum Patre ſi habet; vel ſi non habet, cum uno vel duobus de propinguis ſuis: & manè ante Primam ſeu Tertiam adducatur in veſte ſæculari ante Altare ſancti Salvatoris præſente Abbate & conventu: & tunc ibi à parentibus offeratur Deo, & involvatur manus ejus in palla Altaris, &c. *At ex Smaragdi commentario in Regulam certum eſt, hanc vel utrique parenti, vel eorum alterutri reſervatam eſſe abſolutam poteſtatem. Nam prolatò Samuëlis à parentibus oblati exemplò.* Hinc datur intelligi, *inquit*, quia parentes, non alios quàm Patrem, aut Matrem, qui eum genuerunt, dicit: Quia Anna Samuëlem, quem genuit, ipſa, & non alius, eum ſerviturum in templo Domini obtulit. *Eadem eſt ſententia Hildemari vetuſtiſſimi commentatoris. Cùm ergo impuberum oblationes à propinquis factæ leguntur: id intelligendum de eis, qui per rationis uſum jam quaſi ſui juris facti, ſe poſtulabant offerri à propinquis ad ſupplendum ætatis defectum.*

X. *Qui puerum offerebant, nobiles vel mediocres, aliquid Monaſterio ex rebus ſuis dare conſueverant, idque in litteris promiſſionis paſſim exprimebant. Bernardus in Epiſtola I. ad Robertum.* Oſtenditur deinde terra, quæ cum illo & pro illo dicitur data fuiſſe. *Quidam tamen in aliud tempus eam donationem differebant, qualis fuit ille, de quo Epiſtola Rodulſi Abbatis ſancti Trudonis exſtat in Tomo 2. Analectorum.*

XI. *Ita porro nonnunquam parentes in nuncupando voto comparati erant, ut ſi Filius eorum oblatus ante viriles annos deceſſiſſet, alium ſe ſubrogaturos promitterent. Sic Ademarus Guillelmi una cum uxore ſua in Formula ſecunda, qua Filium ſuum Geraldum Monaſterio Gellonenſi devovent, id faciunt eò pactò, ut ſi ipſe mortuus fuerit ante adeptum Sacerdotii gradum*, alius Filius locô ipſius ſubrogetur, & ſic unus ſuccedat alteri, donec aliquis Miſſam cantet ex his ſub monachali habitu jam dicto loco ſerviens. *Confer Formulam quartam.*

XII. *Cæterum pueri illi ita, ut diximus, Deo oblati, ſic diſciplinæ regularis legibus tenebantur, ut abſtinentiam à carnibus more adultorum ſervarent. Unde Synodus Aquisgranenſis anno DCCCXVII. ſtatuit cap. 37.* Ut infantes oblati carnem nonniſi causâ infirmitatis manducent. *Alicubi tamen cum eis hac in re diſpenſatum. In habitu nihil à cæteris differebant, præterquam in capello & interula. Udalricus.* Eodem modo quo quilibet Novitius veſtitur, præter quod ei non ſtamineum, *id eſt, camiſium laneum*, ſed pro ſtamineo camiſia, lanea datur. Cùm viſum fuerit domno Abbati, capellum de frocn ejus jubet auferri, & cucullam ei dandam benedicit. *Frocus ſeu (ut alii ſcribunt) floccus cum capello illud ipſum eſt, quod rocbetum appellabant. Hoc ergo primum recipiebant pueri, tempore opportuno cucullam ſuſcepturi. De puerorum oblatione, tametſi eruditè ſcripſerunt non pauci, in primis Menardus noſter in Concordiæ Regularum cap. 65. & Hæftenus; hæc obſervare viſum eſt occaſione ſuperiorum Formularum, quæ hiſtoriæ nonnihil lucis afferre poſſunt.*

VARIÆ LITTERÆ
AD INEUNDAM SUFFRAGIORUM SOCIETATEM.

I. Gaufredi Abbatis Vindocinenſis Epiſtola ad Cluniacenſes, ad ineundam ſuffragiorum ſocietatem.

EGo frater Gaufredus Vindocinenſis Monaſterii qualiſcunque Abbas, veniens ante præſentiam domni Hugonis venerandi Cluniacenſis Abbatis, peto ab illo dari mihi, ſocietatem & loci confraternitatem ſui totiúſque gregis à Deo ſibi commiſſi: ut qui de propria perfectione minùs præſumebam: eorum ſuffragiis æternam vaſerem acquirere vitam. Quod ille clementer ſuſcipiens, & libentiſſimè complens, decrevit generali præceptô, ut, quamdiu vixero, ſi ejus abſentia venero Cluniacum, Capitulo & menſæ totique ordini vice illius præſim: & cùm hac à luce migravero, ita per omnia in ipſo loco pro requie animæ meæ agatur in orationibus & eleemoſynis, ſicut pro uno Abbate illorum profeſſo vel Monacho, cum adjectione tricenarii Miſſarum: Brevium quoque miſſione, ac Regulæ annotatione.

II. Petri Abbatis Cluniacenſis Epiſtola ejuſdem argumenti ad Venetos Senatores.

DIlectiſſimis, nobiſque plurimùm devotis Dominis L. V. D. B. Petro L. atque Baſiliis germanis fratribus Fr. P. C. F. S. indignus cum omni congregatione Cluniacenſi totius ſalutis, totius bonitatis, totius benedictionis plenitudinem. Bonorum omnium inſpiratori cunctorúmque omnipotenti largitori Deo, qui veſtris cordibus tam devotum erga nos noſtrámque congregationem tam ardentiſſimæ charitatis inſpiravit fervorem, grates immenſas reddimus. Etenim, cùm apud Venetiam orationis beati Marci & Viſitationis fratrum gratiâ, eſſemus, non valemus veſtræ devotionis veſtrique obſequii largitatem exprimere. Sed quoniam valde inhumanum eſt tanti beneficii eſſe immemores, ut cætera omittamus, illud dicere & memoriæ mandare volumus, qualiter veſtræ dilectioni ſtatuere & confirmare placuit, ut vos annuatim centum libras candidi incenſi Deo, & beatis ejus Petro & Paulo atque eorum Cluniacenſi Eccleſiæ ob veſtrorum detis remiſſionem peccatorum. Quam ob rem nos conſtituimus propter veſtrorum, qui deceſſerunt, tam marium, quàm fœminarum parentum indulgentiam peccatorum, ut omni annô in craſtinum tranſitus ſancti Benedicti fiat generale officium cum Miſſa, atque ab omnibus Sacerdotibus Miſſa cantetur, & à cæteris Pſalmi ſecundùm morem noſtri Ordinis. De cætero omnipotens Deus vos benedicat, & ad vitam perducat æternam.

III. Ejuſdem Petri Abbatis Cluniacenſis Epiſtola ad Cartuſienſes.

EGo frater Petrus, humilis Cluniacenſium Abbas, nota facio cunctis iſta lecturis quæ ſequuntur. Fratres Cartuſienſes quàm ſignatæ & famoſæ religionis fuerint ſemper, innumeris per orbem diffuſis miraculis clarum eſt. Ea de cauſa a primis promotionis noſtræ ad hoc officium annis, & etiam antea, adhæſit anima mea illis, & ſuper omnes religioſæ profeſſionis congregationes, exceptis commiſſis nobis, ſemper eos & dilexi & veneratus ſum. Non minorem autem ipſi jam ante annos XXX. dilectionem, & ubi eis poſſibile fuit, operis vicem nobis rependerunt. Unde à nobis aſſenſu fratrum in Capitulo Cluniacenſi conſtitutum eſt, ut obeunte fratre Cartuſienſis Ordinis, fiat pro ipſo apud Cluniacum officium & Miſſa in conventu, ſinguli autem Sacerdotes unam Miſſam, alii VII. Pſalmos vel ſepties *Miſerere mei Deus* dicant: in cæteris verò Prioratibus Cluniacenſis Congregationis officium publicum cum Miſſa perſolvatur. Statutum eſt etiam, ut nomina eorum, poſtquam defuncti fuerint, poſt fratres noſtros defunctos in memoriali defunctorum ſcribantur, tam in Cluniaco, quàm in cæteris locis noſtris

IV. Cartuſienſium Epiſtola ad Cluniacenſes

NOs indigni & humiles pauperes Chriſti, qui in eremo Cartuſiæ propter amorem hominis JEſu conſiſtimus, & cæteris præpoſiti noſtri Priores cum fratribus ſuis, nota facimus poſteris iſta, quæ ſequuntur. Domnus Petrus Cluniacenſis Eccleſiæ Abbas, à primis promotionis ſuæ annis quantùm nos dilexerit, quanta charitate nobis aſtrictus fuerit, & nos experti ſumus, & multis manifeſtum eſt. Fratres quoque ejuſdem ſanctæ Congregationis, tam antiquiores, quàm moderni, ex quo domus Cartuſiæ ſumpſit exordium, ſemper nos dilexerunt, & in Chriſto JEſu multùm venerati ſunt, pluribúsque beneficiis noſtram paupertatem ſuſtentaverunt. Unde ne ingrati ſimus tantæ dilectioni, pro modulo noſtro (pauci enim numero ſumus) ut aliquid tamen ſecundùm poſſibilitatem noſtram & morem noſtrum offeramus, congregatis noſtris quibuſcumque præpoſitis, Prioribus, & recitatis litteris, quas præfatus Abbas nuper detulerat, ex voluntate & animo, & ſententia ipſorum in communi capitulo conſtitutum & confirmatum eſt hoc, quod ſequitur. Pro domno Petro Abbate Cluniacenſi, quando eum obire contigerit, in cunctis noſtri ordinis domibus, exceptò anniverſariò, quod in noſtro Martyrologio ſcribitur, idem & par officium fiat, quod pro Priore vel profeſſo fieri conſuevit. Pro cæteris verò Ordinis Cluniacenſis defunctis, præter privatas orationes ſemel in anno generale, tam de Miſſa, quàm de agenda in conventu celebrabitur; à ſingulis quoque Sacerdotibus pro eiſdem defunctis ſingulæ Miſſæ, à non Sacerdotibus pro eiſdem defunctis unum pſalterium, à laicis trecentæ orationes Dominicæ perſolventur.

V. Litteræ communionis, inter Monachos S. Remigii & S. Benigni.

TAlis eſt modus ſocietatis, quæ inter nos monachos ſancti Benigni Divionenſis & monachos ſancti Remigii Remenſis habetur. Cùm aliquis illorum ad nos venerit, quamdiu apud nos manere voluerit, erit ſicut unus ex noſtris; ſimiliter & noſtri apud illos. Pro defunctis verò illorum facimus, ſicut pro noſtris, exceptò, quòd Breves non mittuntur, nec in Kalendario inter noſtros ponuntur. Cùm Brevis illorum ad nos delatus fuerit, ſtatim poſt recitationem fiat officium, & in craſtino Miſſa cum tractu, deinde ſeptem officia, & ſeptem Miſſæ in conventu. Ab unoquoque Sacerdotum Miſſa una pro eis dicetur: ab his, qui Miſſas non cantant, quinquaginta Pſalmi vel quinquagies *Miſerere mei Deus*, aut *Pater noſter* ſi aliud neſcierint. *Verba mea* triginta diebùs poſt matutinos, præbenda una in refectorio totidem diebùs, ſive unus, ſive plures fuerint, & in Kalendario cum familiaribus ſcribentur. Hæc ſocietas confirmata eſt in Capitulo Divionenſis die, feſtivitatis ſanctæ Crucis, præſidentibus Abbatibus Petro ſancti Remigii Remenſis, & Philippo ſancti Benigni Divionenſis, anno Incarnationis Dominicæ milleſſimo centeſſimo ſeptuageſimo quarto.

OBSERVATIONES.

I. *VArias ſpiritualis ſocietatis formulas huc retuli, tum quia pleræque illuſtrium virorum ſunt, tum ut ſumpto inde argumento, ejuſmodi ſocietatum originem, progreſſum, ritúſque illuſtrarem. Etſi enim rem attigerint nonnulli auctores, quædam tamen obſervatu haud indigna prætermiſiſſe mihi videntur, de quibus hic agere aliquod operæ pretium duxi. Fluxit verò mos iſte ex perſuaſione Eccleſiaſticæ communionis, & ex uſu dyptychorum, quæ olim in ſacris obtinebant, ut Symbolum iſtius communionis. Duplex in eis ordo erat, vivorum & mortuorum, quorum nomina inter ſacra recenſebantur. Dyptychorum exemplo inventum eſt apud Monachos Necrologium ſeu liber de mortuis, in quo adſcripta ſunt nomina Fratrum, Benefactorum, & eorum, qui ex condicto in ſocietatem admiſſi erant. Hi ex nomine, quo quiſque menſis die obierant, recitabantur poſt Martyrologii & Regulæ lectionem, ad Primam dicebantur* conſcripti in Regula, *ſeu* in-

In Martyrologio , *aut* in Libro vitæ. *Hinc dicti* Fratres conſcripti *apud ſanctum Gallum.*

2 *Ritus iſte invaluit apud noſtros inde ab ineunte ſæculo ſexto. Teſtes litteræ Theodilanæ ſeu Theodetrudis matronæ, quæ ob donationem Dionyſiano cœnobio factas poſtulavit, ut nomen ſuum* in libro vitæ conſcriberetur, *anno XLIII. Chlotharii Regis. Idem eodem tempore poſtulat Bertchramnus Epiſcopus Cenomanenſis in ſuo teſtamento hîc edito. Inſignis hac de re locus eodem ævo exſtat apud Bedam in epiſtola ad Eadfridum Epiſcopum & ad Congregationem Lindisfarnenſium monachorum, proſaicæ S. Cuthberti vitæ præfixa, in qua præmioli vice ſibi viventi orationes depoſcit, inſuper hæc addit.* Sed & me defuncto pro redemptione animæ meæ, quaſi pro familiaris & vernaculi veſtri, orare, & Miſſas facere, & nomen meum inter veſtra ſcribere dignemini. Nam & tu, ſanctiſſime Antiſtes, hoc te mihi promiſiſſe jam retines: in cujus etiam teſtimonium futuræ conſcriptionis, Religioſo fratri noſtro Gudfrido Manſionario præceptiſti, ut in albo veſtræ ſanctæ Congregationis meum nunc quoque nomen apponeret. *Ita rogatu Caroli M. Alcuinus ab Epiſcopis Synodi Francofurtenſis in communionem ſuffragiorum admiſſus eſt.*

3. *Hæ ſingulorum hominum ſocietates erant: ſed quando primùm Congregationes ſeu Monaſteria cum aliis perpetuas ejuſmodi ſocietates inierunt, non adeò liquet. Mihi verò nihil ſuper his occurrit antiquius, quàm epiſtola 24. S. Bonifacii ad Aldberium Abbatem, in qua petit orari* pro dormientium fratrum animabus, quorum nomina gerulus harum, *inquit*, litterarum demonſtrabit. *Duæ ſunt aliæ ejuſdem argumenti epiſtolæ inter Bonifacianas, quarum una Cinebeardi Epiſcopi ad Lullum, numerô 74. altera eſt Dodonis Abbatis Hernbacenſis ad eundem Lullum ſeu Lullonem Moguntinum Antiſtitem, quæ epiſtola inter Bonifacianas eſt ordine 84. in qua Dodo cum ſua S. Petri Congregatione Monachorum ita loquitur.* Igitur cum ſalutationis officiis humili prece depoſcimus, ut iſtam familiam Chriſti & ſancti Petri in veſtra commemoratione ſemper habeatis & ipſi pro omnibus amicis veſtris, tam Epiſcopis & eorum Clero, quàm Abbatibus & eorum Monachis, ſeu Abbatiſſis & Deo dicatis, in iſta Congregatione S. Petri Oratores veſtros, tam vivos, quàm defunctos, in veſtra mercede commemorare faciatis, ut in ſacris orationibus illorum eam aſſiduè memorare debeant, quatenus per illorum ſuffragia olim optatam adire mereamur patriam paradiſi. Similiter vos deprecamur, ut omnium amicorum veſtrorum nomina, tam vivorum, quàm defunctorum, per præſentem fratrem noſtrum Saganaldum, per Breve ad nos dirigere faciatis, ipſos, ſicut de aliis fratribus noſtris facimus, ita in noſtris aſſiduis orationibus ipſos memorare debeamus. *His litteris inſtituta eſt ſpiritualis orationum ſocietas cum Eccleſia Moguntina, & cum iis omnibus, quos ipſa in ſuam communionem cooptaverat, & quidem non modo in gratiam mortuorum, ſed etiam vivorum.*

4. *Breviæ ſeu Breves illi, de quibus agit Epiſtola, rotuli erant, in quibus ſociorum nomina ultro citròque per gerulos mittebantur. Horum Brevium exempla ſuppeditat Hæftenus in Diſquiſitionum monaſticarum tom. 2. pag. 193. Generales unius anni Breves illi erant, id eſt unius anni mortuos continentes: ſed quando itineris difficultas non obſtabat, ſingulares pro unoquoque mittebantur. Moris verò erat, ut ex iis, ad quæ ejuſmodi ſchedulæ mittebantur, Monaſteriis remitterentur verſus lugubres in funus perſonarum maximè inſignium, qui verſus* Tituli *appellabantur, ut* Titulus S. Remigii &c.

5. *Itaque à ſæculo maximè octavo vulgata eſt in Eccleſiis ac Monaſteriis ejuſmodi orationum communio, talis eſt una in Spicilegii tom. 4. inter Monachos Dionyſianos ac Remigianos anno XXV. Ludovici Pii eô pactô inita, ut* talis *inter eos* fervor charitatis & tanta vis dilectionis maneret, ac ſi in uno (ſi fieri poſſit) converſarentur loco. *Deinde ut* quando aliquis ex ipſis corporis nexibus abſolutus à ſæculo migrâſſet, unuſquiſque eorum infra triginta dies pſalterium plenirer compleret, ac Sacerdotes Miſſas eidem pſalterio congruentes pro eo celebrare ſtuderent; & tres vigilias, id eſt primò & ſeptimo atque triceſimo die, communiter pro eo peragerent. Si verò quidam ex eis, inquiunt, aliqua corporis incommoditate occupatus fuerit, mox ut nobis nunciatum fuerit, omni die, quouſque convaleſcat, aut ab hac luce diſcedat, unuſquiſque quinque Pſalmos pro eo ſollicitè compleat. *Denique* ut nomina defunctorum illorum inter nomina noſtrorum defunctorum inſerantur, ut ſicut pro noſtris, ita etiam pro illis quotidie Deo ſacrificium offeratur. *Præter hæc litteræ ſocietatis inter Gallenſes & Augienſes Monachos tempore Caroli Magni initæ addunt* ſemel in anno commemorationem omnium defunctorum pro annuali ſingulorum, *& quidem XVIII.* Kalend. Decemb. *quo die etiam nunc à nobis celebratur, præter ſolemnem omnium defunctorum memoriam, quæ S. Odiloni originem ſuam refert acceptam.*

6. *Superioribus omnibus formulis hæc fere pro unoquoque mortuo perſolvuntur: Miſſæ, vigiliæ ſeu* agenda *mortuorum, Pſalmorum aliquot per cæteros dies recitatio, vel orationis Dominicæ; præbendæ ſeu annonæ in pauperes erogatio, ſive per totum annum in dies, ſive per continuos triginta dies. Nihil de oratione ſeu ſalutatione Angelica, nihil de communione ſacra. Quippe necdum ita tritus erat ſalutationis Angelicæ uſus, nec prorſus communionis in gratiam multorum, quæ his temporibus ubique recepta eſt. Quidni verò id fieri poſſit? quando operum merita in alium conferri poſſunt? Unde Gregorius Nazianzenus cum Eulalio ſcriptâ ſchedulâ paciſcitur, ut Eulalius ſecum jejunii, Gregorius cum Eulalio ſilentii meritum communicaret. Neque porro quiſquam infitias ire debet, uberiorem meriti portionem refundi in eum, qui ex condicto ſuffragiorum communionem obtinuerit, quàm in alium, qui pro generali ratione Eccleſiaſticæ communionis eadem participat. Sicut orationis, quam quilibet ab alio impetraverit, virtutem peculiariùs meretur, quàm qui pro unitate corporis myſtici ejuſdem orationis fit particeps.*

7. *In litteris ſocietatis inter Monachos ſancti Remigii & ſancti Benigni illud obſervandum, quod nomina eorum vice verſa non adſcribantur inter ſuos, ſed inter familiares. Sic verò diſpoſitum eſt ſancti Benigni vetus Necrologium, ut in duplici aperti codicis pagina idem dies utrinque repetantur; & in uno quidem loci fratres, in alio familiares recenſeantur.*

8. *In Cathedralibus Eccleſiis ejuſmodi ſocietates etiam in uſu erant. Moguntinæ Eccleſiæ exemplum ſuperiùs retulimus. Fulbertus Carnutenſis Epiſcopus aliud de ſua Eccleſia addit in Epiſtola* 110. *ad Lexovienſem Pontificem, ex qua eum ad relaxandas circadas hortatur his verbis.* Optamus etenim potiùs, non parvo tuæ ipſius utilitatis amore ducti, in albo felicis ordinis benefactorum noſtrorum te recenſeri: ut cùm pro illis, tùm etiam pro te juge Domino ſacrificium offerentes, ac humanitatis tuæ beneficia coram illo recitantes, dignum te librô quoque vitæ cœleſtis inſeri prædicemus. *Sed præ cæteris inſigne exemplum eſt in actis Aldrici Epiſcopi Cenomannenſis, qui in Synodo anni DCCCXL. orationes pro ſe inſtituit, ejúſque exemplô, qui Synodo aderant,* pro ſuis confratribus in anno duodecim cantare Miſſas cum oblationibus & reliquis orationibus *ſinguli promiſerunt*: & quandocumque, *inquiunt*, noſtrûm unuſquiſque deceſſerit, Decanus, nomina de ſuis junioribus conſcripta in noſtra per ſingula tempora Synodo deferat, & unuſquiſque noſtrum pro illis Miſſas compleat duodecim cum oblationibus & reliquis orationibus, & vigiliam cum novem Pſalmis & totidem lectionibus & reſponſoriis, unà cum matutinali ſynaxi (*Laudes vocamus*) fideliter pro defunctis fratribus peragat. *Hæc in tomo 3. Miſcellaneorum Paluziano, pag.* 148. *Deinde ſubſequuntur Miſſæ tam pro vivis, quàm pro defunctis: ubi in ſecretis orationibus mentio fit de dyptychis vivorum ac mortuorum.*

9. *Denique: prætermittendum non eſt id, quod legere memini in litteris ſocietatis, anno DCCCCXXVIII. initæ inter Canonicos Eccleſiæ Laudunenſis & ſancti Remigii Monachos,* eo videlicet rationis tenore, ut cùm quilibet utriuſque Congregationis divina vocatione hominem exuerit, omnes hoc audito mox ad tactum ſignorum Eccleſiam adeant, communitérque exitum pro illo decantent, ac veluti ibidem præſens frater obierit, animam ipſius Deo precibûs commendent. Poſtea verò quatuor vigilias ejuſdémque numeri Miſſas, primi ſcilicet, tertii, ſeptimi, ac trigeſimi diei, decantent, omnéſque ſimul integrum canendo pſalterium. Nomen quoque fratris in Catalogo defunctorum annotetur, ſacro altari tempore ſacrificii ſuperponendum. *Hæc erant dyptycha, quæ ob oculos Sacerdotis tempore ſacrificii ob memoriam ponebantur.*

AD-

ADDITAMENTUM VII.

REGULA
S. CHRODOGANGI.

OBSERVATIO CRITICA.

INter vetera monumenta Eccleſiaſtica meritò numeratur Regula S. Chrodogangi ſeu Rodigangi & Irotgangi, qui ex Referendario electus Metenſis Epiſcopus, annò DCCXLIII. vel ſequenti, illamque ſedem ſanctiſſimè rexit usque ad annum DCCLVI. vel DCCLXVII. ſub quo regiminis tempore, hanc Regulam pro Canonicis Metenſibus compilavit. Exiſtimat quidem nunquam non laudandus Mabillonius (*) ſanctiſſimum Epiſcopum, ſuam Regulam, quoad maximam partem, ex Regula Benedictina deſumpſiſſe, cujus quidem ſacri Ordinis ſummum Patronum extitiſſe, variáque Monaſteria condidiſſe ipſe doctiſſimus Auctor probat. Cùm igitur S. Chrodogangus primus ſit, qui Regulam pro Canonicis in communitate viventibus conſcripſit, ſic ad aliarum Regularum conditores recurrere debuit, præſertim ad S. Benedictum, cujus ſacra Regula à tot ſummis Pontificibus & variis Conciliis approbata, ipſa fata in Monaſterio & apud regularis obſervantiæ cultores tunc temporis obſervata fuit. Non enim ante hoc ævum Canonici, extiterunt in unam Congregationem congregati, atque nomen hoc ignotum fuit extra cathedrales Eccleſias, quarum ſoli Clerici ideo ſic nominati ſunt, quia canoni ſeu Matriculæ Eccleſiæ inſcripti erant, non quòd in commune viverent, vel vitam Canonicorum agerent. Hoc variis argumentis probat, vir doctiſſimus Gervardus Dubois Congreg. Oratorii Presbyter & S. Martini Turonenſis Præpoſitus (**) ſic de hac Regula Canonica ſcribens: Nondum igitur Canonici, quos quærimus, illi extiterunt. Neque Canonicos reperio ante inſtitutionem Chrodogangi Epiſcopi Metenſis, qui ex Clero Congregationem fecit, Clericos tanquam in cœnobio collegit, iis præcepta & vitæ canonicæ documenta tradidit, & ex ſtipendiis Eccleſiæ annonam & vitæ ſubſidia ſuppeditavit. Ea Canonicorum prima inſtitutio fuit, hæcque fuit non Canonicorum, ùt quidam malè tradunt, ſed Clericorum reformatio, ſeu clericalis diſciplinæ reſtitutio. Et quidem, poſt promulgatam S. Chrodogangi Regulam, rarò reperiemus communem Canonicorum vitam apud alias Eccleſias cathedrales uſitatam, nam, non niſi ſequentì ſæculò, Collegiatæ Eccleſiæ inceperunt, quando nonnulli Monachi à vita regulari ad Canonicam deſecerunt, præſertim poſt Concilium Aquisgranenſe. Refert autem Willelmus Malmerburienſis (***) Lefricum Exonienſem Epiſcopum apud Lotharingos educatum, tandem Canonicis ſuæ ſtis Cathedralis Eccleſiæ præſcripſiſſe communem vivendi modum, juxta S. Chrodogandi Regulam, nec legimus illam alibi apud exteros introductam fuiſſe, neque in Concilio Aquisgranenſi Canonicis præſcripta Regula communem vivendi modum mandavit. Sed ad S. Chrodogangi Regulam redeamus, quæ triginta quatuor capita continet, juxta hanc novam editionem ex Labbeana Conciliorum collectione deſumptam, quibus arctioris diſciplinæ obſervantia ordinatur. Nam Canonici, quos in ſtrictiſſimo clauſtro includebat, ab omni laicorum conſortio abſtinebant, ſilentium poſt Completorium arctiſſimè obſervabant, in communi refectorio comedebant, & ſub menſa unus ſemper legebat, in communi etiam conclavi dormiebant, ſtrictámque diſciplinam in ordinatiſſimis Monaſteriis uſitatam magna cum obſervantia venerabantur.

(*) Annal. Bened. tom. 2. lib. 23. pag. 189.

(**) Hiſt. Pariſ. pag. 8. fol. 780.

(***) De Geſtis Pontif. Anglorum lib. 2. cap. 6.

Quædam etiam præcepta particularia præſcribit hæc Regula, & præcipuè ſuis Canonicis humilitatem veluti aliarum virtutum fundamentum recommendat, atque

junior

junior Canonicus ſeniori obvius benedictionem petere debuit, nec ſedere niſi ſuperior juſſerit, audebat &c. Dein ſtatuitur cap. XIV. ut Clerici duabus per annum vicibus Epiſcopo peccata ſua confiteantur, nempe initio Quadrageſimæ ante Paſcha, & à medio menſe Auguſto uſque ad Kalendas Novembris, aliis verò diebus confeſſionem ſuam faciant, prout opus habuerint, vel Epiſcopo, vel alii Sacerdoti, quem Epiſcopus deſignaverit: Omnibus verò diebus Dominicis & præcipuis feſtivitatibus, corpus & ſanguinem Domini noſtri JEſu Chriſti, ſi peccata non obſtent, omnes accipiant.

Dein in capite XX. quod de Quadrageſimæ obſervationibus inſcribitur, ſtatutum eſt, ut à Paſchate ad Pentecoſten Clericis carnes comedere liceat, præterquam pœnitentibus, exceptâ duntaxat feriâ ſextâ. A Pentecoſte uſque ad nativitatem Joannis Baptiſtæ bina, ut ante, refectio: ſed abſtinentia à carnibus præſcribitur, quæ S. Joannis Quadrageſima erat. A nativitate S. Joannis ad tranſitum S. Martini bina refectio & uſus carnium, exceptis feria quarta & ſexta. A feſto autem S. Martini ad Natale Domini, abſtinentia erat quotidiana, & una refectio ad Nonam in communi refectorio, & hæc erat tertia quondam Quadrageſima. Poſt natalem porro Domini uſque ad caput Quadrageſimæ, iterum bina refectio & uſus carnium concedebatur, exceptis feriâ quartâ & ſextâ, quibus etiam diebus, ſi dies feſtus in has ferias incidiſſet, tunc Prior carnium eſum permittere poterat, circa quam extraordinariam conſuetudinem adhuc ſæculô octavô permiſſam, ſic notat Mabillonius (****) Novum & inſolens hoc videri poſſit de feria ſexta; tametſi quoddam ejus rei veſtigium hactenus reſtat, cùm Natale Domini incidit in feriam ſextam.

(****) Annal. Ben. tom. 2 lib. 23. p. 83.

Sequenti quoque capite ſtatutum eſt, ut in refectorio ſeptem menſæ inſtituerentur in hunc modum: Prima erat menſa Epiſcopi cum hoſpitibus & peregrinis, ad quam admitti poterat Archidiaconus, & etiam alii Primates Canonici, ſi Epiſcopus mandâſſet. Secundâ menſa erat Presbyterorum, tertia autem Diaconorum, quarta Subdiaconorum; quinta reliquorum graduum, ſexta Abbatum, vel eorum, quos Prior deſignâſſet; ſeptima Clericorum-Canonicorum, qui extra in civitate commanebant, in diebus Dominicis ac feſtivitatibus præclaris.

Atque hæc ſunt, quæ ſæpe laudatus Mabillonius de Regula S. Chrodogangi notavit, cujus plerumque verba produximus, ubi etiam circa eleemoſynas Presbyteris oblatas pro legendis Miſſis & audiendis Confeſſionibus ſic loquitur, quaſi ante medium ſæculi octavi, nulla talis conſuetudo in Eccleſia audita fuerit. Verba ejus ſic ſonant: Capite triceſimo-ſecundo ſtatuitur, ut, ſiquis Sacerdoti pro Miſſa ſua vel pro Confeſſione aliquid in eleemoſynam dare voluerit, hoc Sacerdos à tribuente accipiat, & ex ea quod voluerit, faciat. Nihil fortè antiquius hac de re alibi leges. De reliquo ſeveriſſima eſt hæc Regula in graviter delinquentes, nam graviores culpæ ſtatim corporali vindictâ, exiliô, carcere, vel pœnitentiâ publicâ, excommunicatione, & jejuniis extraordinariis mulctabantur. Quæ omnia ex ipſis Regulæ capitulis clarius innoteſcent.

VERA AC SINCERA
Nulliſque adſcititiis acceſſionibus interpolata
Chrodogangi Metenſis Epiſcopi Regula Canonicorum.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBEE

EX codice manuſcripto vetuſtiſſimo è Palatina Heidelbergenſi Bibliotheca in Vaticanam tranſlato deſcriptum, miſſúmque Româ ſtudiò eminentiſſimi Principis Franciſci Cardinalis Barberini exemplar habuimus. Illud Lector collatum tibi offerimus, non ſolùm cum apographo noſtro ope R. P. Jacobi Sirmondi ex codicibus Andegauensi ac Fiſcanenſi jam dudum expreſſo, ſed etiam cum excuſ-

ſis

ſis à D. Luca D'Acherio O. B. Tomo I. Spicilegii. Ex illa verò diligenti ſedulâque collatione didicimus, argumentiſque validiſſimis evincere parati ſumus hanc, quam primi nos publicæ luci damus, Canonicorum, ut vulgo appellari ſolent, regularium normam illam ipſam eſſe, quam Metenſibus ſuis Canonicis ſpecialiter Chrodogangus propoſuit. Vulgarem autem, quæ extat, ab anonymo quopiam, ut eſſet omnibus per orbem Chriſtianum diffuſis Canonicis communis, nec uni duntaxat civitati affixa, primùm quidem ſpoliatam fuiſſe iis omnibus, quæ ad ſolos Metenſes ſpectare videbantur, tum deindè adſcitis undecumque, mutatiſque in pleriſque priori ordine, non ſatis commodè aſſutis præceptionibus regulari Canonicorum inſtituto congruentibus, præſertim ex Aquiſgranenſi Concilio anno 816. celebrato, locupletatam cenſeo. Neque tu, ſi utramque opellam conferre volueris, aliud opinor, judicabis.

DE CHRODOGANGO EJUSQUE REGULA VETERUM TESTIMONIA.

Sigebertus Gemblacenſis de Script. Eccleſiaſticis, Cap. LXXVIII.

CHrodogangns Metenſis Epiſcopus, Pippini Regis ex ſorore nepos, nobilitatem generis nobilitans fervore ſanctæ Religionis, ſcripſit Regulam, quam ſpecialiter Metenſis Eccleſiæ Clericis obſervandam dedit. Aliam ergo ab ea, quæ excuſa eſt, id eſt, noſtram, quæ Metenſis civitatis pluribus in locis apertiſſima præfert veſtigia.

Paulus Diaconus libro de Epiſcopis Metenſis Eccleſiæ, Tomo II. Francicorum.

JAm hinc vir egregius & omnibûs præconiîs afferendus Chrodogangus Antiſtes eligitur, ex pago Haſbanienſi oriundus Patre Sigrammo, Matre Landratâ Francorum ex genere primæ nobilitatis progenitus. Hic in palatio majoris* Caroli ab ipſo enutritus, ejuſdémque Referendarius extitit, ac demum Pippini Regis temporibûs pontificale decus promeruit. Fuit autem omnino clariſſimus, omnique nobilitate coruſcus, formâ decorus, eloquiô facundiſſimus, tam patriô quàm etiam latinô ſermone imbutus, ſervorum Dei nutritor, orphanorum viduarúmque non ſolùm alor; ſed & clementiſſimus tutor. Cúmque eſſet in omnibus locuples à Pippino Rege, omnique Francorum cœtu ſingulariter electus Romam directus eſt; Stephanúmque venerabiliter Papam, ut cunctorum vota anhelabant, ad Gallias evocavit. Hic Clerum adunavit, & adinſtar cœnobii intra clauſtrorum ſepta converſari fecit, normámque eis inſtituit, qualiter in Eccleſia militare deberent, quibus annonas vitæque ſubſidia ſufficienter largitus eſt, ut perituris vacare negotiis non indigentes, divinis ſolummodo officiis excubarent: Ipſúmque Clerum abundanter lege divina, Romanáque imbutum cantilena, morem atque ordinem Romanæ Eccleſiæ ſervare præcepit: quod uſque ad id tempus in Metenſi Eccleſia factum minimè fuit. Tum pluribûs aliis prætermiſſis, quæ ad fundatas ab eo Eccleſias ſpectant: Rexit Eccleſiam Metenſem annîs viginti tribûs, menſibûs quinque, diebûs quinque. Obiit pridie Nonas Martias in diebus Pippini Regis: requieſcit in Gorzia Monaſterio, quod ipſe à fundamentis extruxit.

* Ita Marcellus, qui & Tudes dicitur, ad diſcrimen Caroli magni ejus nepotis.

Anaſtaſius S. R. E. Bibliothecarius in vita Stephani PP. III.

DUm validè à Longobardorum Rege civitates & provincia iſta Romanorum opprimerentur, ſubitò conjunxit miſſus Pippini Regis Francorum, nomine Chrodogangus Abbas, per quem miſit in reſponſis omnem voluntatem ac petitionem prædicti ſanctiſſimi Papæ ſe adimplere. Et paulò poſt. Extemplo & miſſi jam fati Pippini Regis Francorum conjunxerunt, id eſt, Chrodogangus Epiſcopus, & Autcharius dux, quatenus prædictum ſanctiſſimum Papam, juxta quod petendo miſerat, ad ſuum in Franciam Regem deducerent.

Et

Et ſub finem. Et dum in Francia eſſet poſitus, Chrodogango ſanctiſſimo viro Epiſcopo pallium tribuit, & Archiepiſcopum ordinavit.

INCIPIT PROLOGUS REGULÆ CHRODOGANGI EPISCOPI.

TEMPORIBUS PIISSIMI AC SERENISSIMI REGIS PIPPINI CHRODOGANGUS SERVUS SERVORUM DEI METENSIS URBIS EPISCOPUS.

SI trecentorum decem & octo reliquorúmque ſanctorum Patrum canonum auctoritas perduraret, & Clerus atque Epiſcopus ſecundùm eorum rectitudinis normam viverent, ſuperfluum videretur à nobis exiguis minimiſque, ſuper hac re tam ordinatè diſpoſita aliquid retractari (*a*) & quaſi quidem novi aliquid dici: ſed dum paſtorum ſubditorúmque negligentia & hìs temporibûs nimiùm crevit, quid aliud agendum nobis eſt, qui in tam gravi diſcrimine venimus, niſi ut quantùm poſſumus, ſi non quantum debemus, ad rectitudinis lineam, Deo inſpirante Clerum noſtrum reducamus. Igitur quamvis indignus adeptam hujus ſedis pontificialem cathedram, cúmque officii mei paſtoralis curam invigilare cœpiſſem, & in tantam negligentiam Clerum plebémque deveniſſe conſpicerem, cœpi mœſtus (*b*) conqueri, quid agere deberem: ſed divinô fultus auxiliô, fratrúmque ſpiritualium conſolatione adjutus (*c*) volui neceſſitate compulſus parvum decretulum facere, per quod ſe Clerus ab illicitis coerceat, vitioſa deponat, malè diu longéque uſurpata derelinquat; ut, dum mens ab aſſuetis vitiis vacuatur, faciliùs (*d*) quæ bona optimáque ſunt, inferantur.

(a) Retractare aut dicere.

De Metenſi tantum cogitabat.

(b) Conquirere.

(c) Atque recuperatione provocatus.

(d) Bona & optima quæque ſunt.

Scripturîs enim ſacrîs (*e*) nitentes decernimus, ut omnes ſint unanimes officiis, lectionibúſque ſacris aſſidui, atque ad obedientiam Epiſcopi ſui præpoſitique, ùt ordo Canonicus depoſcit, parati, charitate connexi, zelo bono (*f*) ferventiſſimi, amore conjuncti, à litibus vel ſcandalis ſeu odiô ſemoti. Paſtor eorum quilibet fuerit, non ſolùm de carnalibûs, ſed etiam de ſpiritualibus curàm gerat, & in utraque parte ſagaciſſimam ſollicitudinem, in quo facultas fuerit, habeat: ut & vitia reprimat, & ea radicitus, ut oriri cœperint, ut prævalet, amputare feſtinet; & quod uſibûs humanîs, juxta formam ſubter diſpoſitam neceſſarium fuerit, eis præbere audeat. Ut cùm paſtor paſtorum judéxque vivorum & mortuorum Chriſtus in ultimo tremendóque die in ſede majeſtatis ſuæ diſceptaturus cum omnibus gentibus ſederit, & omnis Clerus eum revelata facie conſpexerit, & ſi non cum ſummis paſtoribus & gregibus ſibi commiſſis pro diſpenſatis talentis multiplicatiſque ſpiritualibus lucris, audire merebimur: *Euge ſerve bone & fidelis*: vel ſaltem hoc concedatur, ut delictorum venia integrum tribuatur. Quia manifeſtum eſt, quibus peccatorum venia ad integrum tribuitur, regni introitus non negatur: quia nec infelix poteſt judicari, cui contigerit qualemcumque partem in paradiſo habere. Sed illis ibidem ſors datur, qui, in quantum poſſunt, per vitæ meritum ad hoc in hujus temporis curriculo, dum licet, currere feſtinant.

(e) Intenti.

(f) Ferventiſſimoque amore.

Intendamus ergo ad hoc animum quantum, poſſumus; quia non poſſumus, quantum debemus, & vita noſtra ad tempus amareſcat in pœnitentia, ne ultio divina, quæ nunc mitis eſt & expectat, poſt ſæviat ad vindictam.

Explicit prologus.

INCIPIUNT CAPITULA.

I. De humilitate. In excuſis 1.
II. De ordine Congregationis Canonicorum. In excuſis 2.
III. Ut in illa clauſtra omnes in unum dormiant. In excuſis 13.
IV. De completorio, vel taciturnitate.
V. De officiis divinis in noctibus. In excuſis 15.
VI. Ut omnes per horas canonicas ad officium divinum veniant. In exc. 24.
VII. De diſciplina pſallendi. In excuſ. 25.
VIII. Ut ad capitulum quotidie veniant.
IX. De opera manuum quotidiana. In excuſis 19.
X. De proficiſcentibus in itinere. In excuſis 27.

XI.

XI. De zelo bono, quem debent ſervi Dei habere. In exc. 39.
XII. Ut non præſumat alter alterum cædere, aut excommunicare. In exc. 37.
XIII. Ut in Congregatione Clericorum non liceat alteri alterum defendere. In exc. 38.
XIV. De confeſſionibus. In exc. 31.
XV. De gravioribus culpis. In exc. 20.
XVI. De eis, qui ſine juſſione junguntur excommunicatis - - -
XVII. De excommunicatione culparum. In excuſ. 33.
XVIII. De eis, qui in quibusdam levioribus delinquunt. In exc. 28.
XIX. Qualis debeat eſſe modus excommunicationis? - - -
XX. De quadrageſima obſervationibus. In exc. 34. 35.
XXI. De menſis ordinandis - - - -
XXII. De menſura cibi. In exc. 8.
XXIII. De menſura potus. In exc. 8.
XXIV. De ſeptimanariis coquinæ. In excuſ. 9.
XXV. De Archidiacono, vel Primicerio. In excuſ. 10.
XXVI. De Cellerario. In exc. 11.
XXVII. De Portario. In exc. 12.
XXVIII. De infirmis Clericis canonicis, qui ſe peculiariùs ad iſtum ordinem junxerunt, & non habent, unde in infirmitate neceſſitatibus ſuis poſſint implere. In exc. 40.
XXIX De veſtimentis Clericorum, vel calceamentis, vel ligno. In exc. 41.
XXX. De feſtivitatibus Sanctorum. In exc. 36.
XXXI. De eo, quòd, qui ad hunc canonicum ſpecialem ordinem hujus Congregationis ſe ſociare vult, de rebus, quas poſſidet, ad Eccleſiam beati Pauli Apoſtoli ſolemnem donationem per præſentem faciat - - -
XXXII. De eleemoſynis. In exc. 42. 43.
XXXIII. Diebus dominicis, vel feſtivitatibus Sanctorum qualiter ad capitulum, ſeu ad miſſam occurrant? - - -
XXXIV. De matricolariis, ut ad lectionem divinam audiendam veniant in ſtatuta Eccleſia in domo - - - -
In excuſis deſunt cùm duo poſtrema capita, tum etiam ex ſuperioribus nonnulla alia cum quam pluribus aliunde ab incerto interpolatore poſtea adjectis.

Incipit Regula Chrodogangi Metenſis Epiſcopi.

Cap. I. *De humilitate.*

Luc. 14. Jac. 4. Prov. 16.

CLAmat nobis ſcriptura divina: Omnis, *qui ſe exaltat, humiliabitur*; & *qui ſe humiliat, exaltabitur.* Et, quantùm enim *humilior fueris, tantùm te ſequitur gloriæ altitudo.* Et quia, *ſuperbis Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Omnis, qui arrogans, immundus eſt coram domino: queincumque enim ſuperbum videns, filium diaboli eſſe non dubites: & (g) quem humilem perſpexeris, Dei filium eſſe omnino credere debes. De multis enim pauca perſtrinximus, ut animos veſtros ad amorem humilitatis, provocemus (h) & à deteſtabili inimicáque Deo ſuperbia retrahamus. Nam dum omne genus humanum Chriſtianorum, atque omne vulgus humilitatem habere conveniat, nimis iniquum peſſimúmque ac deteſtabile eſt, ut qui ſervitio Dei peculiariùs ſe junxerunt, humilitatem derelinquant, & ſuperbiæ, vel diabolicæ tyrannidi ſe ſocient. Idcirco neceſſe eſt, ut qui ſuadente diabolo usque nunc ſuperbus atque elatus vultu (i) vixit in antea, Deo auxiliante, per humilitatem atque charitatem vel obedientiam, ſeu per reliqua bona Dei præcepta reſurgat, quia multò melius eſt per humilitatem cum Chriſto in cœleſtibus regnare, quàm cum diabolo per ſuperbiam in inferno cum reliquis contemptoribus demergi.

(g) Quemcumque.

(h) Deteſtabilem inimicamque Dei ſuperbiam ab eis retrahamus.

Chriſtus in humilitate, diabolus in ſuperbia ſedet.

(i) Et vultu rigidus.

Cap. II. *De Ordine Congregationis Canonicorum.*

ORdines ſuos Canonici ita conſervent, ut ordinati ſunt in gradibus ſuis ſecundùm legitimam inſtitutionem Romanæ Eccleſiæ in omnibus omnino locis, id eſt Eccleſia, vel ubicumque in ſimul ſe conjunxerint, & ratio præſtat; exceptis hîs, quos Epiſcopus in altiore gradu conſtituerit, vel degradaverit certis ex cauſis; reliqui omnes, ùt diximus, ita, ùt ordinati ſunt, ordines ſuos cuſtodiant. Juniores igitur Priores ſuos honorent; Priores (k) juniores ſuos in Deum diligant.

Et hoc & quædam alia ex Regula S. Benedicti expreſſa notavit D. Dacherius.

(k) *Minores.*

In ipſius (l) autem appellatione nominis nulli liceat alium puro nomine appellare, ſed ſecundùm conſtitutionem ſanctæ Eccleſiæ ſedis Apoſtolicæ vocet eum ſuum, priùs addito & miniſterii ſui gradu, qualiſcumque fuerit. Ubicumque autem ſe obviaverit (m) Clerus junior, inclinatus à Priore benedictionem petat; & ſi ſedentem invenerit, tranſeunte majore ſurgat, & det ei locum ſedendi, nec præſumat junior conſedere, niſi ei præcipiat Senior ſuus, ut fiat, quod ſcriptum eſt: *honore invicem prævenientes.* Pueri parvi, vel adoleſcentes in oratorio vel ad (n) menſas cum diſciplina ordines ſuos cuſtodiant, foras au-

(l) *Ipſorum.*

(m) *Clerus junior inclinetur & à*

(n) *Miſſas.*

tem, ubi & ubi (o) cuſtodiam habeant, diſciplinam.

(o) *Et ubicunque fuerit.*

Cap. iii. *Ut in illa clauſtra omnes in uno dormiant.*

ITa inſtituimus, ut in illa clanſtra ille Clerus canonicus, qui ſub ipſo ordine, Deo adjuvante; vivere debent, ut omnes in uno dormiant dormitorio, præter illos, quibus Epiſcopus licentiam dederit, ſecundùm quod ei rationabiliter viſum fuerit, ut in ipſa clauſtra per diſpoſitas manſiones dormiant ſeparatim, & per ſingula lecta ſinguli dormiant, & in dormitorio ſimiliter ſeparatim dormiant mixti cum Senioribus, propter prævidentiam bonam, ut Seniores prævideant, quòd Jniores ſecundùm Deum agant. Et in ipſa clauſtra nulla fæmina introeat, nec laicus homo, præter tantùm, ſi Epiſcopus, aut Archidiaconus, vel Primicerius juſſerint: Ut in refectorio pro refectionis cauſa veniant, relinquant arma ſua ante reſectorium, & ſtatim cùm exierint de refectorio ducantur foras clauſtra: & ſi neceſſe fuerit ad opera facienda, intrent ibi laici homines: at ubi perfectum habuerint opus ſuum, cum ſumma feſtinatione egrediantur foras: & præter cauſam neceſſitatis, ſi coqui Clerici deſunt, & opus fuerit, laici coqui ad coquinandum tantùm ingrediantur, expleto miniſterio ſuo cum celeritate exeant foras.

Et per illas manſiones Ipſi Clerici canonici nullum Clericum eorum habeant ſine præcepto Epiſcopi ſui: & ſi permiſerit, ut habeant, ſic ſit converſatio illorum cum humilitate & Dei timore, qualiter nec Deo, nec Epiſcopo diſpliceant nec illis, qui ſub ſua manu ipſam Congregationem regunt. Et ſi aliter fecerint, ille, qui præeſt, aut excommunicet eos, aut corporalem diſciplinam accipiant. Et in ipſas manſiones intra ipſa clauſtra, nec Clericus, nec laicus bibere, nec manducare, nec dormire non præſumant, niſi ipſi Clerici, qui in ipſa Congregatione ſunt, aut illi Clerici, qui ibidem in ipſo Clauſtro per juſſionem Epiſcopi ſui Senioribus ſuis deſerviunt. Et qui de ipſo Clero unum Clericum in Ipſa clauſtra, ùt diximus, habuerit, hoc prævideat, ut planetam cum reliquis veſtimentis habeat, & diebûs Dominicîs, vel reliquis feſtivitatibûs in Eccleſia Dei veſtiti in ordinibus ſuis ſtent.

Cap. iv. *De completorio, vel taciturnitate.*

UT ad completorium omnis Clerus, qui in ipſa Congregatione eſt, veniat, & omnino omni tempore incipiente nocte primum ſignum ad completorium ſonet: & cum primitus illud ſignum, qui ad hoc ordinatus fuerit, auditum fecerit, ſtatim, ubicunque fuerint, ad eorum clauſtra veniant: & cùm iterum ipſum ſignum audierint, ſic omnes in Eccleſia ſancti Stephani ſint, & tunc in Dei nomine completorium cantent. Et poſtquam completorium cantatum habuerint; poſtea non bibant, nec manducent uſque in craſtinum legitimâ horâ; & omnes ſilentium teneant, & nemo cum altero loquatur uſque manè poſt primam cantatam, niſi, ſi neceſſe fuerit, & hoc cum ſuppreſſione vocis cum grandi cautela, ut de illa alia manſione, quæ juxta eſt, ſua vox non audiatur; & qui de illis ad completorium non fuerit, poſtea illam noctem non præſumat ilia oſtia tundere, nec per ullum locum in ipſa clauſtra ingredi, antequam ad nocturnas veniant. Nec Archidiaconus, nec Primicerius, nec ille Oſtiarius ullum commeatum exinde donare poſſint, ut poſt completorium aliquis ibi ingrediatur, niſi ad nocturnas; niſi tantùm, ſi talis cauſa evenerit, qnod neceſſe ſit, ut hoc ille Archidiaconus, vel Primicerius, vel qui tunc temporis exinde prævideritad ilium Epiſcopum poſſit dicere, pro qua cauſa hoc factum fuiſſet, & ſi ita eſt, quod neceſſe ſit, tunc licentiam habeant introeundi & exenndi.

Hæc Metenſis urbis primaria Baſilica.

Et ſi contigerit, ut opus ſit poſt completorium aliquâ cauſâ in clauſtra nunciare, tunc ad illum cuſtodem de ſancto Stephano veniat, & illi patefaciat, & ipſe hoc in clauſtra nuntiet. Et ſi (quod abſit) evenerit, ut ullus de ipſo Clero, qui ante completorium in civitate venerit, aut antea ibidem fuerit; quod ſi auſus vel præſumptuoſus, aut negligens ſuadente diabolo fuerit, ut in civitate aliqua nocte alicubi maneat, niſi in ſua clauſtra; ſi una vice hoc fecerit, ſi pro vitio factum non eſt, verbîs corripiatur: & ſi iteraverit ipſe Clericus, tunc ipſo die ſit in pane & aqua: & ſi tertia vice hoc ſecerit, tres dies in pane & aqua ſit: & ſi amplius hoc facere præſumpſerit, corporali diſciplinæ ſubjiciatur, ſic, ut cæteri timeant: & ſi aliquid ſuadente diabolo per hoc retardaverint, ut ante completorium in civitatem non veniat, ut licentiam haberet foras clauſtra eſſe, & hoc Epiſcopus, aut Archidiaconus, vel Primicerius inveſtigare potuerint, ille Clericus, qui hoc vitium fecerit, aut excommunicetur, aut corporali diſciplinæ ſubjaceat.

Cap. v. *De officiis divinis in noctibus.*

HIemis temporibus, id eſt à Kalendis Novembris uſque in Paſcha, juxta conſideratione̅ rationis (*p*) amplius de media nocte pauſetur, & jam digeſti ad vigil as ſurgant: finitîs nocturnîs dicant verſum (*r*) *Kyrie eleiſon* & orationem Dominicam, & faciant intervallum: excepto diebus Dominicis, & feſtivitatibus Sanctorum juxta conſiderationem Epiſcopi, vel qui ſub eo (*r*) ſunt, id eſt quadraginta, vel quinquaginta Pſalmos poſſit cantare, qui hoc ordinat, aut, cùm ei viſum fuerit, & hora permiſerit. Et qui Pſalterium, vel Lectionem aliquid indigent (*s*) meditationem inſerviant, & meditent in ipſo intervallo, qui poſſunt capere, & qui non poſſunt in Eccleſia omnes, aut cantent, aut legant; & non præſumat aliquis in ipſo intervallo dormire, niſi infirmitate cogente, (*t*) & hoc per commeatum faciant: & qui aliter fecerit excommunicetur; reliqui omnes ordinem vigiliarum teneant uſque ad *Matutinas* dictas. Hora prima omnes in Eccleſia ſancti Stephani cantent *Primam*.

(*p*) *Octava hora noctis ſurgendum eſt, ut medice.*
(*q*) Exultabunt ſancti in gloria: *Aut* exultent juſti in conſpectu Dei: *deinde*.
(*r*) *Eſt.*
(*s*) *Poſſint mutare ſecundum quod v. f. & pſalterii vel Lectionum, meditationi inſerantur.*
(*t*) *Quem infirmitas cogit.*
Hæc expunxit interpolator aliis additis.

Cap. vi. *Ut omnes per horas canonicas ad officium divinum veniant.*

AD horam divini officii (*u*) mox ut auditum fuerit ſignum, relictîs omnibûs, quælibet fuerint in manibûs, (*x*) qui ſic propinquo de illa domo ſunt, ibidem occurrere poſſint, cum ſumma feſtinatione veniant, & ſi longè ab ipſa Eccleſia aliquis fuerit; ita ut ad opus Dei per horas canonicas occurrere non poſſit, Archidiaconus ita eſſe perpendit, agat opus Dei cum tremore divino, ubi tunc fuerit; & prævideat Archidiaconus, vel Primicerius, vel cuſtos Eccleſiæ, ut illa ſigna horîs competentibûs ſonent.

(*u*) *Cap.* 131. *Concilii Aquiſgr.* Hæc pauca dumtaxat occurrunt verba.
(*x*) *Feſtinanter ad Eccleſiam conveniant.*

Cap. vii. *De* (*y*) *diſciplina pſallendi.*

(*y*) *Diligentia.*

UBique credimus divinam eſſe præſentiam & oculos Domini ſpeculari bonos, & malos; maximè tamen hoc ſine aliqua dubitatione credamus, cùm ad opus divinum adſiſtimus; & ideo ſemper memores ſimus, quod ait Propheta: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Et iterum: *Pſallite ſapienter*, &, *in conſpectu Angelorum pſallam tibi.* Nam ſi, cum (*z*) hominibus potentibus volumus aliqua ſuggerere, non præſumimus, niſi cum humilitate & reverentia; quantò magis Domino Deo univerſorum cum omni humilitate & puritatis devotione ſupplicandum eſt? Illud in timore curavimus, ſecundùm quod Romana Eccleſia tenet, & noſtra Synodus judicavit, ut Clerus noſter in Eccleſia, quando ad opus divinum adſiſtit, niſi infirmitate cogente, baculos in Eccleſia manibûs non teneant.

Pſal. 137.
(*z*) *Bonis h. vel potentibus.*
Expuncta ſunt ab interpolatore quæ ſequuntur cum toto fere capite proximè conſequenti.

Cap. viii. *Ut ad capitulum quotidie veniant.*

NEceſſe eſt, ut quotidie omnis Clerus canonicus ad capitulum veniant, & ibidem Dei verba audiant, & iſtam inſtitutiunculam noſtram, quam propter illorum utilitatem ad eorum animas ſalvandas, Deo auxiliante, fecimus, unoquoque die aliquod capitulum exinde relegant; præter tantùm die Dominico, & feriâ quartâ, & ſexta: Tractatus & alias homilias, vel quod ædificet, audientes ad capitulum legant. Ideo autem quotidie ad capitulum omnes venire conſtituimus, ut & anima verbum Dei audiat, & quod Epiſcopus, vel Archidiaconus, vel quilibet tunc præeſſe videtur, ibidem, quod jubere habet, jubeat; & quod corrigere, corrigat; vel quod faciendum ſit, ordinare ſtudeat. Ipſi autem Clerici cum de *prima* cantata ad manſiones vadunt, ſtatim ſibi parare feſtinent, ut quando ſignum audierint, ad capitulum parati cum celeritate veniant; & omnis Clerus, qui foris claustra eſſe videtur, & in ipſa civitate conſiſtunt, omnibûs diebûs Dominicîs ad capitulum veniant parati cum planetis, vel veſtimentis officialibus, ſicut habet ordo Romanus. Et in ipſis diebus Dominicis, vel feſtivitatibus Sanctorum præclaris omnis ipſe Clerus, ùt diximus, qui foras clauſtra eſt, ad *Nocturnas*, & ad *Matutinas* veniant; & ipſis diebus, ſtationibus ſuis parati cuſtodiant, ut unuſquiſque in officio ſuo ſtet, donec miſſa peragitur; & ſi aliter fecerint, ab Archidiacono, vel Primicerio excommunicentur, aut etiam, ſi neceſſe fuerit, corporali diſciplinæ ſubjaceant. Et in ipſis diebus Dominicis, ut diximus, & feſtivitatibus Sanctorum præclaris, omnes in refectorio cum alio Clero reficiantur ad menſas, quæ eis ordinatæ fuerint.

Cap. ix. *De* (*a*) *opera manuum quotidiana.*

(*a*) *Opere quotidiano.*

OTioſitas inimica eſt animæ; propter eam decernimus, ut ad juſſionem Epiſcopi, vel Archidiaconi, ſeu Primicerii, vel qui ab ipſis ordinantur, Clerus de capitulo ad opera, ubi eis injungitur, exeant, & cum bono animo abſque murmuratione obedientiam ſuam expleant; & quando communem operam non eſt neceſſe facere, poſtea unuſquiſque, quod opus habet, faciat.

Suſque deque vertit omnia interpolator.

Cap. x. *De proficiſcentibus in itinere.*

QUicumque ex Clero in itinere cum Epiſcopo, vel alicubi proficiſcuntur, ordinem ſuum, in quantum iter vel ratio permiſerit, non negligant. Et non eos debent præterire horæ conſtitutæ, tam de officiis divinis, quàm aliunde.

Cap. xi. *De zelo bono, quem debent ſervi Dei habere.* (*b*)

(*b*) *Invicem.*

SIcut eſt zelus amaritudinis malus, qui ſeparat à Deo, & ducit ad infernum, ita eſt zelus bonus, qui ſeparat à vitio, & ducit ad Dominum & vitam æternam. Hunc ergo zelum ferventiſſimo amore exerceant ſervi Dei, id eſt, ut honore ſe invicem præveniant, & infirmitates ſuas ſive corporum, ſive morum patientiſſimè tolerent; & ſi qua vitia (*c*) reprimenda ſunt vel caſtigatio adhibenda, cum his, quibus hoc commiſſum eſt videre, in bonitate conſenceant, & adjutores Dei, ut ait Apoſtolus, exiſtant: qualiter vitia, ſi orta fuerint, poſſint deſtruere, ad meliorem ſtatum unumquemque provocare: quia ſcriptum eſt: *Qui diligitis Dominum, odite malum.* Nam qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Nam ille animam ſuam bene diligit, qui ſe cuſtodit, & alios ad exemplum bonæ converſationis & verbis & operibus (*d*) trahit.

(*c*) *Reperta fuerint.*

Hinc ſupplenda editio vulgata.

(*d*) Mendoſe in editis *tradit.*

Cap. xii. *Ut non præſumat alter alterum cædere aut excommunicare.*

(*e*) VEtetur in hoc canonico ordine omnis præſumptionis occaſio; jubemus atque inſtituimus, ut nulli liceat quemquam parem ſuum excommunicare, aut cædere, quamvis aliquis ſua præſumptione ipſum ad hoc irritet, (*f*) aut in verbis, aut in factis, non eſt ſuum adjudicare, (*g*) ſed ad Priorem veniat: Ille ſecundùm ordinem ipſam cauſam definiat; & qui hoc facere præſumpſerit, ab Epiſcopo, vel ab eo, qui ſub ipſo eſt, judicetur.

(*e*) Forte, *ut vitetur.*

(*f*) *Incitet.*

(*g*) *Adjudicare.*

Cap. xiii. *Ut in Congregatione* (*h*) *Clericorum non liceat alteri alterum defendere.*

(*h*) *Canonicorum.*

OMnimodis cavendum eſt, ut pro nulla occaſione præſumat alter alium defendere, nec quaſi parentelæ obtentu, aut aliquâ amicitiâ, aut familiaritate, id à canonicis præſumatur: quia gravis occaſio ſcandalorum in Congregatione ex hac cauſa oriri ſolet. Quod ſi quis hæc transgreſſus fuerit, acriùs coerceatur, ut cæteri timorem habeant.

Cap. xiv. *De Confeſſionibus.*

HOrtatur nos ſcriptura dicens; *Revela Domino viam tuam & ſpera in eum.* Et iterum dicit. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia ejus.* Et iterum Propheta ait: *Delictum meum tibi cognitum feci, & injuſtias meas non abſcondi.* Et iterum: *Dixi, pronuntiabo adverſum me injuſtias meas Domino; & tu remiſiſti impietatem peccati mei:* Et item: *Confitemini alterutrum peccata veſtra, ut deleantur.* Et alibi; *qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem ea confeſſus fuerit, ſalvavit animam ſuam à morte.* Et Dominus in Evangelio dicit: *Agite pœnitentiam, appropinquat enim regnum cælorum.* Ergo neceſſe eſt, ut dùm modo ſuadente diabolo multa contra voluntatem Dei, vel contra Dei præceptum commiſimus, ut per veram confeſſionem, & veram (*i*) emendationem, ſicut ſcriptura docet, emendare debeamus. Sancti Patres, qui perfecti fuerint, ita conſtituerunt, ut de præſente, (*k*) cùm aliqua cogitatio, mala in corde ſervorum Dei, ſuadente diabolo evenerit, ſtatim per humilem confeſſionem (*l*) ſuo Priori confiteri deberent.

Pſalm. 36.

Pſalm. 105.

Pſalm. 31.

Jac. 5.

Prov. 28.

Matth. 3.

(*i*) *Humilitatem.*

(*k*) *Deinceps.*

(*l*) *Cito Epiſcopo vel Priori.*

Nos modo deſidioſi & fragiles, quamvis per totum eorum veſtigia non ſequamur, neceſſe eſt, ut vel ex aliqua parte, juxta quod Deus poſſibilitatem nobis dederit, eorum veſtigia imitemur; ut per veram confeſſionem, regnum Dei habere mereamur. Ita conſtituimus, ut in anno, vel binas vices Clerus noſter confeſſiones ſuas ad ſuum Epiſcopum purè faciat, eis temporibus, una vice in initio quadrageſimæ ante Paſcha, illa alia vice à medio menſe Auguſto usque Kalend. Novembris; inter his diebus (*m*) cùm Epiſcopus licentiam habuerit, & cui neceſſe fuerit, alio tempore ſuam confeſſionem ad Epiſcopum, vel ad alium Sacerdotem cui Epiſcopus decreverit, facere quandocumque voluerit, & opus habet, faciat. Et cui peccata non impediunt, de Clero omnibûs diebûs Dominicîs & feſtivitatibûs præclarîs debent corpus & ſanguinem Domini noſtri JEſu Chriſti accipere, quia dominus in Evangelio dicit: *Qui manducat carnem meam & bibit ſanguinem meum in me manet & ego in eo.* Nam ſi Indignè quis Sacroſancta myſteria ſumpſerit, hic judicium ſibi manducat & bibit. Et ſi ullus de Clero, quod abſit, quando ſuam confeſſionem ſuo Epiſcopo facit, ut ſic repletus ſit ſpiritu diabolico, quòd auſus ſit de ſuis peccatis aliqua ſuum Epiſcopum celare; & vadit quaſi per alios Sacerdotes ſuas confeſſiones donandô, & vult ſuum Epiſcopum abſcondere ſcelera ſua, quia timet, ut removeat eum Epiſcopus de gradu, &

Quæ ſequuntur, in editis deſiderantur.

(*m*) *Hos dies.*

Joan. 6.

ſi

(n) F *à corpore Domini removeat eum.*

ſi adhuc in gradu non eſt, non accedat ad gradum, vel ad (*n*) corpus Domini promoveat eum, aut illa vitia debeat perſequi. Si Epiſcopus hoc per quodlibet ingenium inveſtigare potuerit, & approbatum ei fuerit corporalem diſciplinam vel carcerem patiatur, vel aliud quod Epiſcopo viſum fuerit, juxta modum culpæ, ut cæteri metum habeant, & in tale ſcelus non cadant: quia, nimis improbus eſt, qui ante Dei oculos peccat, & homini confiteri erubeſcit, ubi Deo miſerante de ipſo peccato debet accipere conſilium ſanitatis.

Hoc apophthegma non omiſit ſubjungere interpolator, ſed altera parte mutilum.

Cap. xv. *De gravioribus culpis.*

SI quis Clericus de ordine canonico (*o*) graviores culpas commiſerit, id eſt homicidium, fornicationem, adulterium, furtum, vel his ſimile unum ex principalibus vitiis commiſerit, corporali caſtigationi primitus ſubjaceat: deinde quando tempore vult Epiſcopus, vel qui ſub eo ſunt, carcerem vel exilium patiatur, ſciens illam terribilem ſententiam Apoſtoli dicentis; *Tradere hujuſmodi hominem in interitum carnis; ut Spiritus ſalvus ſit in die Domini.* Et dum in ipſo carcere eſt, nullus ex Clero in nullo ei jungatur conſortio, neque in colloquin, niſi cui Prior juſſerit: Solus perſiſtens in pœnitentiæ luctu, (*p*) quamdiu Priori viſum eſt. Egreſſus de carcere, ſi Epiſcopo, vel qui ſub eo ſunt, viſum fuerit, agat adhuc publicam pœnitentiam id eſt, ſuſpendatur ab oratorio ſimul & à Miſſa, (*q*) & omnibus canonicis horis veniat ante oſtium Eccleſiæ, ubi Prior juſſerit jacens proſtratus omni corpore ante ipſum (*r*) limen Eccleſiæ, usque dum ingrediuntur omnes, & poſtea erigat ſe, ſtet foras Eccleſiam ante ipſum oſtium, impleat ibi officium ſuum, in quantum poteſt. Egredientibus de Eccleſia ſimiliter proſtratus jaceat, usque dum omnes egrediuntur foras: & jacens, vel ſtans ante ipſum limen cum nullo homine loquatur.

(*o*) *Gravioris culpæ crimen,*

1. Cor. 5.

(*p*) *Pœnitentiæ luctum.*

(*q*) *Menſa.*

(*r*) *Limitem* in edit. minus rectè.

De abſtinentia verò, quamdiu, vel qualiter Epiſcopo viſum fuerit, vel qui ſub eo ſunt, menſura, vel hora, quâ ei viderit competere: neque à quoquam benedicatur, usque dum reconcilietur. Qui dum vocatus venerit ad reconciliandum ante Epiſcopum vel Clerum cum omni humilitate proſtratus omni corpore in terra petat ab omnibus veniam; & Epiſcopus ſecundùm ordinem canonicum eum reconciliet.

Sequentia cum c. 16. omiſit interpolator.

Cap. xvi. *De his, qui ſine juſſione junguntur excommunicatis.*

SI quis Frater (*s*) aliquid præſumpſerit ſine juſſione Epiſcopi, qui ſub eo ſunt, Clerico excommunicato quolibet modo ſe jungere, aut loqui cum eo, aut mandatum ei dirigere, aut literas, ſubjiciatur excommunicationis vindictæ.

(*s*) Fortè *alicui H.*

Cap. xvii. *De excommunicatione.*

SI quis Clericus contumax, aut inobediens, aut ſuperbus, aut ebrioſus, aut detractor, (*t*) aut contradictor, aut rebellis, aut contentioſus, aut murmurans, aut indictum jejunium transgreſſus fuerit, aut ad crucem ſtare juſſus contempſerit, aut increpatus veniam non petierit, aut in aliquo contrario conſiſtens huic parvæ inſtitutiunculæ & præceptis Epiſcopi, vel qui ſub eo ſunt, contemptor repertus fuerit, hic ſecundùm Domini noſtri præceptum admoneatur ſemel & (*u*) ſecundo ſecreto à Senioribus ſuis. Si non emendaverit, objurgetur publicè coram omnibus. Si verò neque ſic ſe correxerit; ſi intelligit qualis pœna ſit, excommunicatione ſubjaceat, ſin autem improbus eſt, aut minùs intelligens, vel incorrigibilis, vindictæ corporali ſubdatur.

(*t*) In editis adduntur, *Bilinguis, fornicator, raptor, fur, increpator.*

(*u*) *Bis, & ter.*

Cap. xviii. *De his, qui in quibusdam levioribus* (*x*) *delinquunt.*

(*x*) *Culpis.*

SI quis in Clero ad opus Dei, vel ad menſam tardè occurrerit, aut pro aliqua cauſa Senior ſuus pſalmodiam vel miſſas cantare ordinaverit, & hoc minimè impleverit, & ſi fregerit quidpiam aut perdiderit, vel aliud quid exceſſerit; & non veniens continuo ante Epiſcopum, aut qui ſub ipſo ſunt, ipſe ultro ſatisfecerit, & (*y*) prodiderit delictū ſuum, dum per alium cognitum fuerit, majori ſubjaceat emendationi, ſecundùm modum culpæ, ſicut Epiſcopo, vel qui ſub eo ſunt, viſum fuerit: Nam ſi ipſe ſponte confeſſus fuerit, leviori ſubjaceat emendationi, ut diximus, ſecundùm modum culpæ.

(*y*) *Vel celaverit.*

Alia quædam adtexuit interpolator.

Cap. xix. *Qualis debeat eſſe modus excommunicationis.*

SEcundùm modum culpæ excommunicationis vel diſciplinæ debet extendi menſura, qui culparum modus in Epiſcopi pendet judicio, vel qui ſub eo ſunt. Neque enim ii, qui in gravibus peccatis incedunt, vel hi, qui in levibus quibusdam delinquunt, æqualiter judicandi ſunt; ſed ſecundùm morbum adhibenda eſt medicina: (*z*) quia nec pius medicus ſanat vulnera, nec qui accipere ſpirituale medicamentum renuerit, ſanitatem ſpiritualis medicamenti conſequi poteſt.

(*z*) F. *Quia aliter nec pius &c. H.*

N 3 Cap.

Cap. xx. *De quadrageſimæ obſervationibus.*

LIcèt omni tempore vita Chriſtianorum ſimplex debet eſſe & ſobria maximè tamen religioſis mentibus convenit, ut hìs diebûs continentiùs vivant, & ſedula ſervitute Deo adhærere contendant. Ideóque decernimus, in illis quadraginta diebus ante Paſcha cum omni puritate mentis & corporis noſter Clerus, Deo jubente, In quantum potuerit, ſe cuſtodiat. De cibi autem & potûs perceptione in quantum Deus auxilium dederit, parcitatem habeant; Id eſt, ut quotidie, exceptîs Dominicîs diebûs à capite quadrageſimæ usque ad ſanctum Paſcha poſt dictam veſperam in refectione ſemper reficiant; & ab illis cibis ſe abſtineanr, vel potu, ſicut Epiſcopus cum ratione cooſtituerit. Et alicubi, neque in ipſa civitate neque in Monaſteriis, vel quibuslibet locîs vel domibûs propriîs his quadraginta diebûs reficiant: niſi fortè, ſi longe (a) fuerit, ut hora competente ad cibum ſuum accipiendum cum Fratribus adeſſe non potuerit: tunc propter illam neceſſitatem licentiam habeat talem cibum ſumere, ſicut reliquus Clerus; & hoc provideat, ut horas competentes non antecedat.

(a) Pro utilitatis cauſa.

Lectioni verò Fratres in hac quadrageſima (b) à *prima* dicta usque ad *tertiam* plenam vacent, & foras clauſtra, niſi tantùm per illas Eccleſias, quæ infra domum ſunt, non egrediantur: niſi ſi neceſſe fuerit, & Epiſcopus, aut qui ſub ipſo eſt, judicaverit, ut fiat, quod fiendum eſt. Et poſt *tertiam* tunc temporis capitulum habeanr.

(b) Exceptis diebus Dominicis ſuis.

A Paſcha autem usque ad Pentecoſten bis in die reficiant, & carnem manducandi licentiam habeant, niſi pœ[illegible]entes, præter tantùm (c) ſexta feria. A Pentecoſte verò osque ad nativitatem ſancti Joannis Baptiſtæ ſimiliter bis in die reficiant, & à carne abſtineant usque ad ipſam miſſam. A nativitate verò ſancti Joannis usque ad tranſitum ſancti Martioi, ita ſicut antea bis in die reficiant, quarta, & ſexta feria à carne abſtineant. A Ipſo verò tranſitu ſancti Martini usque ad natalem Domini à carne omnes abſtineant, & usque ad nonam jejunent omoibûs hìs diebûs, & in refectorio reficianr. Poſt natalem Domini usque in caput quadrageſimæ, ſecundâ, & quartâ, ſextáque feriâ in refectorio ad nonam reficiant, reliquîs hìs diebûs duabûs vicibûs in eodem reſectorio reficiant. A carne verò quarta & ſexta feria hìs temporibûs abſtineant. Et ſi dies feſtus in his duabus feriis talis venerir, ſi permiſerit Prior, carnem manducent.

(c) Et poſtea faciāt, quod congruum fuerit, ſive in legendo, ſive in operando. In editis c. 35. hic additur titulus. *De temporibus in quibus ſemel aut bis in die Clericis reficiendum eſt.*

Pro infirmitate verò Cleri noſtri conſideravimus, ut ſi in quarta vel ſexta feria, ſeu in reliquis aliis temporibus, quales conſtituimus, ut à carne abſtineanr, neceſſe eſt, licentiam habeat Epiſcopus, aut qui ſub ipſo ſunt, pro eorum infirmitatibus, vel neceſſitatibus, aut feſtivitatibus conſiderationem mittere, ſicut ille præviderit, quod bene ſit.

Mihi autem Anghilramno, Archiepiſcopo, atque Capellano excellentiſſimi Regis Caroli addi placuit, quia dum nos, & Clerus noſter à Pentecoſte usqne ad octavas ipſius Paſcha ſecundum vel adventum Spiritus ſanctI devota mente celebrare videmus, ut his Sacratiſſimîs octo diebûs Clerus ſancti Stephani Proto-Martyris, vel noſter, licentiam habeat carnem edendi, exceptîs illîs, qui pro compendio animarum ſuarum & pœnitentia indicta ſe abſtinere voluerint.

Cap. xxi. *De menſis ordinandis.*

PRima menſa Epiſcopi cum hoſpitibus & cum peregrinis ſit; & ibidem Archidiaconus vel quibus Epiſcopus juſſerit, ſedeant. Secunda menſa cum Presbyteris. Tertia cum Diaconibus. Quarta cum ſubdiaconibus. Quinta cum reliqnis gradibus. Sexta cum Abbatibus, vel quos juſſerit Prior. In ſeptima reficiant Clerici canonici, qui extra clauſtra in civitate commanent, in diebus Dnminicis vel Feſtivitatibus præclarIs. Cùm autem hora reficiendi venerit, & ſignum ad refectorium ſonuerit, tunc Fratres cum feſtinatione illuc adveniant, & ſimul in refectorium introeant, ſimulque orent, & verſum dicant; & cùm Epiſcopus, vel alius Sacerdos benedictionem ſuper menſas tradiderir, omnes, *Amen*; Reſpondeant: &, ut diſpoſitus ordo eſt, unusquisque ad ſuam menſam accedat.

Clerus verò In refectorio omnino ſilentium teneat, interim quod exinde foras egrediuntur; qualiter illam lectionem divinam poſſit audire & in corde meditari. Quia ſic eſt neceſſe, ut quando cibum corporalem recipit, & tunc anima cibo ſpirituali reficiatur. Et lector, & cellerarius, & portarius, vel ſeptimanarius, vel qui miniſtrant, quando Epiſcopus cum Clero In refectorio reficit, antequam Fratres in reſectorium veniant, mixtum de pane & potu accipiant, ut grave eis non ſit jejunium ſuſtinere, interim quod Clerus reficit. Nam lector legar, usque dum juſſerir Prior, ut expleat lectionem. Illud omnino cavendum eſt, *ut neque Sacerdotes, neque Diaconi, neque Subdiaconi, vel quilibet de Clero cibum, nec aliud quod ad manducandum vel bibendum pertinet, ſine juſſione Epiſcopi de refectorio*

feſtorio portet. Et hoc cavendum eſt, ut ante legitimam horam, niſi illi, qui hoc providere debent, neque ad manducandum, neque ad bibendum in refectorium intrare non debent ſine juſſione Epiſcopi, aut qui tunc tempore præeſt: neque Cellerarium contra rationem inquietare; ſed horis competentibûs petant, quæ petenda ſunt, & dentur, quæ danda ſunt.

In ipſo autem refectorio, neque laicus, neque Clericus, niſi qui in ipſa Congregatione ſunt, manducent, aut bibant, ſine juſſione Epiſcopi, aut qui ſub eo ſunt. Et in clauſtra, ubi Clerus ad capitulum venit, vel in refectorio nullus de Clericis ſervitoribus, qui ſuo Seniori ibi ſubjecti ſunt, ingrediatur, niſi ſi neceſſe fuerit, aut Epiſcopus, vel qui ſub eo ſunt, juſſerit.

Cap. xxii. *De menſura cibi.*

QUando Clerus noſter (*d*) bis in die reficit per tempora conſtituta, ſicut ſuperius ſcriptum eſt, panem, quod ſufficiet, accipiat. Pulmentum verò ad ſextam. Carnem inter duos miniſtrationem unam, & cibaria una accipiant: & ſi cibaria non habent, tunc duas miniſtrationes de carne, aut de lardo habeant. Ad cœnam autem, aut unam miniſtrationem de carne inter duos, aut una cibaria habeant.

(*d*) *Una aut bina vice & quadam alia* inſeruit interpolator.

Illo tempore, quando quadrageſimalem vitam debent ducere, tunc ad ſextam inter duos Fratres portionem de formatico, & cibaria accipiant, & ſi piſces habuerint, aut legumen, vel aliud quid, addatur & tertium. Et ad cœnam inter duos cibaria una, aut portionem de formatico accipiant, & ſi Deus amplius dederit, cum gratiarum actione percipiant. Quando autem in die una refectio fuerit, tunc cibaria una inter duos, & proportionem de formatico & miniſtrationem unam de legumine, aut aliud pulmentum accipiant: & ſi contigerit, quòd illo anno glandis, vel fagina non eſt, & non habent, unde liceat menſuram de carne implere poſtea, prævideat Epiſcopus, juxta quam Deus poſſibilitatem dederit, aut de quadrageſimali, aut (*e*) aliunde, unde conſolationem habeant.

(*e*) *Alimento, aut alio.*

Cap. xxiii. *De menſura potûs.*

QUando bis in die edendum fuerit, Presbyteri ad ſextam tres calices accipiant, ad cœnam duos; Diaconi, qui in gradu ſunt ad ſextam tres, ad cœnam duos; Subdiaconi ad ſextam duos, ad cœnam duos; reliqui gradus ad ſextam duos, ad cœnam unum.

Quando autem in die una refectio fuerit, ſicut antea in hora ſexta, quando bis manducabant, tantos calices accipiant, & quod ad cœnam accipiebant de potu; hoc Cellerario remaneat; & omnino caveant ebrietatem.

Si verò contigerit, quòd vinum minus fuerit, & iſtam menſuram Epiſcopus implere non poteſt, juxta quod prævalet, impleat; illi autem Fratres non murmurent, ſed Deo gratias agant, & æquanimiter tolerent: Nam ſi eſſe poteſt, ut tantùm habeant, tunc pro nullo modo non remaneat. Et illis, qui ſe à vino abſtinent, prævideat Epiſcopus, vel qui ſub eo eſt, ut tantùm habeant de cerevïſia, quantùm de vino habere debuerant: Et ſi Epiſcopus voluerit ad ſupra ſcriptam menſuram aliquid potûs addere, in ejus poteſtate conſiſtat, & de cerevïſia eis conſolationem faciat. Nam quando aliqua refectio causis exigentibûs venerit, non ampliùs conſentimus ad unam refectionem, quam ùt ſupra ſcriptam menſuram tres calices accipiant, & hoc ſuperfluum nobis videtur; quia vinum apoſtatare facit etiam ſapientes, quia ubi ebrietas eſt, ibi flagitium atque peccatum eſt. Et hoc admonemus, ut Clerus noſter ſobriam omnino ducat vitam; & quia perſuadere non poſſumus, ut vinum non bibant, vel hoc conſentiamus, ut ſaltem in illis ebrietas non dominetur: quia omnes ebrioſos Apoſtolus à regno Dei extraneos eſſe denuntiat, niſi per dignam pœnitentiam emendaverint. (*f*)

(*f*) *Habeant canoni. hortos olerum, unde cum cæteris additamentis aliquod pulmentum quotidie ſibi viciſſim miniſtrent:* Vulg. ex con. Aquisgranenſi.

Cap. xxiv. *De ſeptimanariis coquinæ.*

CLerici canonici ſic ſibi invicem ſerviant, ut nullus excuſetur à coquinæ officio, niſi (*g*) ægritudo, aut in cauſis gravis utilitatis præoccupatus fuerit: quia exinde major merces & charitas adquiritur. Imbecillibus autem procurentur ſolatia, ut non cum triſtitia hoc faciant, ſed habeant omnes ſolatia ſecundùm modum Congregationis, aut poſitionem loci.

(*g*) *Ægritudine aut cauſa g. 18;*

Archidiaconus verò, & Primicerius, vel Cellerarius, ſeu illi tres cuſtodes Eccleſiarũ, unus de ſancto Stephano, alius de ſancto Petro, tertius de ſancta Maria, qui in majoribus utilitatibus occupati ſunt, iſti excuſentur à coquina; cæteri autem ſibi ſub charitate invicem ſerviant.

Hos expunxit interpolator ùt minus inſtituto ſuo neceſſarios.

Egreſſurus de ſeptimana Sabbato munditias faciat; vaſa miniſterii ſui, quæ ad miniſtrandum accepit, ſana &, munda Cellerario reconſignet, & ſi aliquid ex illis minuatum fuerit, ad capitulum die Sabbati veniam petat, & vaſa, vel quod minuatum eſt, in loco reſtituat, & juxta quam Epiſcopus, vel qui ſub ipſo eſt, judicaverit, pœnitentiam agat.

Cap.

(*h*) *Prapoſito.*

Cap. xxv. *De Archidiacono, vel* (*h*) *Primicerio.*

OPortet eos eſſe prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbas: id eſt, ut ſint ſapientes in bonum; & ſimplices in malum; & docti (*i*) Evangelia & ſanctorum Patrum inſtituta canonum, ut poſſint docereClerum in lege divina & hujus parvæ inſtitutionis. Et ſic ſe conforment Clero, ut non tantùm verbîs capacibûs; ſed etiam exemplô ſimplicioribus divina præcepta demonſtrent: qui Apoſtoli debent ſemper ſervare formam in qua dicit: *Argue, obſecra, increpa*, id eſt miſcens temporibus tempora, terroribus blandimenta; id eſt indiſciplinatos & inquietos debent duriùs arguere: obedientes autem & mites & patientes, ut in melius proficiant, obſecrare: negligentes & contemnentes & ſuperbos, ut increpent, & corripiant, neque diſſimulent peccata delinquentium, ſed mox, ut cœperint oriri, radicitus, ut prævalent, amputent, memores periculi Heli Sacerdotis (*k*) de Silo; & honeſtiores quidem atque intelligibiles prima & ſecunda admonitione verbîs corripiant; improbos autem ac duros corde ac ſuperbos, vel inobedientes verbere & corporis caſtigatione in ipſo initio peccati coerceant, ſcientes ſcriptum. *Stultus verbis non corrigitur;* Et iterum: *Percute Filium tuum Virga, & liberabis animam ejus a morte.*

(*i*) *Evangelica præcepta.*

(*k*) *De Filiis ſuis.*

Et quidquid per ſe juſtè & rationabiliter ſecundùm canonicam inſtitutionem, vel hujus parvæ inſtitutionis non potuerint definire, omnino Epiſcopo patefaciant; & ipſe ſecundùm Dei voluntatem, quod caſtigandum eſt, caſtiget. Qui Archidiaconus vel (*l*) Primicerius in omnibus omnino actibus vel operibus ſuis ſint Deo & Epiſcopo fideles & obedientes & non ſint ſuperbi, neque rebelles, vel contemptores; ſed caſti & ſobrii, patientes, benigni, atque miſericordes, & ſemper ſuperexaltet miſericordia judicium, ut ipſi idem conſequantur. Diligant Clerum, oderint vitia, in ipſa autem correptione prudenter agant, & ne quid nimis, ne dum cupiunt eradere æruginem, frangatur vas; Meminerint calamum quaſſatum non conterendum. In quibus non dicimus, ut permittant nutrire vitia, ſed prudenter & cum charitate ea amputare feſtinent.

(*l*) *Primiſiarius.*

Caveant, ne, dum aliis prædicaverint, ipſi reprobi efficiantur: intendentes illud Dominicum præceptum; & qui in oculo Fratris tui feſtucam videbas, in tuo trabem non vidiſti: Ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc perſpicies, ut educas feſtucam de oculo Fratris tui.

Qui Archidiaconus, vel Primicerius ſi reperti fuerint, quod abſit, ſuperbi aut elati, aut contradictores, vel contemptores canonicæ & hujus parvæ inſtitutionis, ii ſecundùm Dominicum præceptum admoneantur ſemel & iterum: ſi non emendaverint, ab Epiſcopo ſecundùm modum culpæ judicentur. Quod ſi neque ſic correxerint, de ordinibus ſuis ejiciantur, & alii, qui digni ſunt, & voluntatem Dei vel Epiſcopi ſui ſecundùm divinum præceptum impleverint, in locis illorum ſubrogentur.

Cap. xxvi. *De Cellerario.*

CEllerarius verò debet eſſe timensDeum, ſobrius, non vinolentus, non contentioſus, non iracundus, ſed modeſtus, moribûs cautus & fidelis, (*m*) quidquid acceperit, ſub cura ſua ad opus Clericorum fideliter cuſtodiat, (*n*) & ſine juſſione Epiſcopi ſui, aut qui ſub ipſo eſt, nihil faciat: & non ſit prodigus nec extirpator ſubſtantiæ Clericorum, qui ſi fuerit, ſine dubio in die judicii redditurus erit Deo rationem: Nam ſi bene miniſtraverit, gradum bonum ſibi adquiret.

(*m*) *Non ſuperbus, non tardus, non prodigus, non ſuperfluus diſſipator.*

(*n*) *Sine ordine, non remiſſus.* Nonnulla alia ſubjiciuntur in excuſis. c. XI.

Cap. xxvii. *De Portario.*

POrtarius unus cum ſuo juniore annum, aut amplius, ſi Epiſcopo placuerit, (*o*) portas, clauſtra, vel oſtia cuſtodiat. Qui Portarius ſit (*p*) ſobrius, patiens, qui ſciat accipere reſponſum & reddere, (*q*) & fideliter cuſtodiat portas, ſive oſtia clauſtri, & contra hunc tenorem facere non præſumat; quod ſi fecerit, excommunicetur. Claves verò portarum ad completorium Archidiacono reddat: & ſi Archidiaconus alicubi eſt, qui ſub ipſo eſt, ipſas claves recipiat. Cuſtodes verò Eccleſiarum, qui ibi dormiunt, vel in manſiones juxta poſitas, teneant ſilentium, ſicut cæteri Clerici, in quantum poſſunt: & poſt *completorium* non manducent nec bibant, & non permittant ingredi eos, qui foras clauſtra poſt *completorium* remanſerint: nec eos qui intra clauſtra ſunt egreſſi per oſtia ſibi commiſſa. Quod ſi fecerint ab Epiſcopo, vel qui ſub eo ſunt, judicentur.

(*o*) *Portas clauſtra, ſeu clauſtra*

(*p*) *Frater probabilis vita.*

(*q*) *Cui officium eſt*, & quæ ſequuntur in editis. c. 12. uti quæ hic leguntur, ut & pleraque alia deſunt.

Cap. xxviii. *De infirmis Clericis Canonicis, qui peculiariùs ad iſtum ordinem junxerunt & non habent, unde in infirmitate neceſſitatibus ſuis poſſint implere.*

SI aliquis ex Clero infirmatur, quid ad hunc ordinem ſe peculiariùs junxerint, & non habuerint, unde in infirmitate neceſſitatibus ſuis poſſint implere; poſt Epiſcopum habeat de illis maximam cu-

ram

Hæc nomina omiſſa in excuſis c. 40. & aliis pleriſque locis.

ram Archidiaconus & Primicerius, & caveant, ne negligantur infirmi, ſed ſicut revera Chriſto, ita eis ſerviatur. Quia ipſe dixit: *Infirmus fui & viſitaſtis me*; &: *quamdiu feciſtis uni ex minimis iſtis, mihi feciſtis.*

Ergo omnia neceſſaria, quidquid ipſis infirmis expedièrit, & opus fuerit, eis omnino & abſque ulla retardatione adimpleri curentur; quia in ipſis reſpicit, quidquid ipſi minùs habuerint aut neglecti fuerint. Et ſine dubio in diem tremendum judicii, quando ſederit Rex vivorum & mortuorum in Sede Majeſtatis ſuæ, de omnibus his rationem erunt redditùri, qualiter eis miniſtraverunt. Et ſi ipſe Archidiaconus vel Primicerius ad plenum non habeant, unde poſſint ptocurare neceſſitatibus eorum, hoc omnino Epiſcopo innoteſcant, & ipſe ſecundùm Dei timorem & amorem prævideat, ut hoc, quod expedit ipſis infirmis, ut habeant, unde eis neceſſitatibus illorum procurent.

Quibus infirmis ſint manſiones deputatæ ſuper ſe rationabiliter diſpoſitæ, condignæ, & aptæ, ubi eſſe poſſint, dum de infirmitatibus ſuis convaleſcunt. Et ſit unus ex Clero deputatus, timens Deum, qui circa ipſos infirmos maximam curam gerat de omnibus neceſſitatibus eorum, & habeat ſolatium, ſi opus eſt, juxta quod conſtituerit Prior, ut abſque murmuratione & negligentia ſerviatur Infirmis. Et ſciat, ſi bene miniſtraverit, gradum bonum ſibi (r) adquiret.

(r) *A Deo acquiri.*

Sed & ipſi infirmi conſiderent in honore Dei ſibi ſerviri & non ſuperfluitate ſua contriſtent, ſervientes ſibi. Qui tantùm infirmi portandi ſunt: at ubi meliorati fuerint, redeant ad ordines ſuos. (s)

Addit interpolator.

(s) *Et hoc dicendum eſt, quod infirmo licet omni hora cibum & potum ſumere, quando deſideraverit vel poſcit ſi oportune non poſcit.*

Cap. xxix. *De veſtimentis Clericorum, vel calceamentis, vel lignâ.*

Illa media pars Cleri, qui Seniores fuerint, annìs ſingulìs accipiant cappas novas, & veteres, quas præteritô annô acceperunt, ſemper reddant, dum accipiunt novas. Et illa alia (t) medietas Cleri illas veteres cappas, quas illi Seniores annìs ſingulìs reddunt, accipiant, & illi Seniores illas cappas, quas reddere debet, non commutent. (u) Sarciles accipiant illi Presbyteri, qui ibidem in domo aſſiduè deſerviunt, & illi Diaconi VII. qui in eorum gradu conſiſtunt, aut lanam, unde ipſos ſarciles binos in anno habeant: & ille alius Clerus unusquiſque ſingulos. Camiſiles autem accipiant illi Presbyteri, & Diaconi annìs ſingulìs binos: Subdiaconi camiſile & dimidio, & illi qui in reliquis gradibus ſunt, ſingulos. Calceamenta verò omnis Clerus annìs ſingulìs pelles baccinas accipiant ſolas paria quatuor. (x)

(t) *Pars dimidia.*

(u) *Et unusquiſque Cleri Senioris annis ſingulis tres camiſiles accipiunt, & unusquiſq. Cleri junioris annis ſingulis duos camiſiles accipiunt.*

Canſiles dicuntur in Andegavenſi MS. c. Vaccinas.

(x) Soleas Add. vulg. *Et veſtimenta in tranſitum S. Martini & camiſiles in Paſcha & calceamenta in Kal. Septembribus habeant*

De ligna conſideravimus, ut de quatuor libras dedenatios poſſint comparare ligna ſufficienter & annum: Ipſa ligna de illos telloneos quod eis in civitate, vel in villabus ſunt, ſint comparata, hoc eſt, quatuor libræ ad hoc mittantur. Et Kal. Maji ipſum telloneum accipiant, & tunc ipſa ligna comparent. Et illas cappas, & illos ſarciles, & illa calceamenta de illos telloneos ſuperiùs nominatos, quod exinde ſuperat, & de illo calciatico, quod ille Epiſcopus annìs ſingulìs ad illum Clerum reddere conſuevit, & de eorum eleemoſyna, quod ad ipſum Clerum ſpecialiter Deus dederit, ſint comparata. Et ſi aliquid exinde fuerit aliud, quod eis neceſſe eſt, comparent, aut in eorum camera recondant. Et, ſi ibidem ad hoc comparandum ſufficientet non habuerint, ille Epiſcopus hoc prævideat, & mittat, unde hoc totum adimpletum ſit ad eorum neceſſitatem, ſicuti ſuperiùs ſcriptum eſt.

Quæ verò ad ligna pertinent, omiſit.

Ipſa autem veſtimenta, illas cappas, & ſarciles, ad tranſitum ſancti Martini accipiant: illos camiſiles, viginti dies poſt Paſcha accipiant: illa calceamenta Kal. Septembris habeant. Et ſi aliquis ex ipſo Clero de Eccleſia tale beneficium acceptum ab Epiſcopo habet; ut exinde poſſint procurare neceſſaria ſua, id eſt cappas & calceamenta.

Cap. xxx. *De feſtivitatibus Sanctorum.*

Illud intimare complacuit, ut nos & Clerus noſter feſtivitatibus Domini & ſanctæ Mariæ, vel duodecim Apoſtolorum, ſeu & reliquorum ſanctorum, quas uſus eſt in iſta provincia annìs ſingulìs celebrare, in quantum Deus poſſibilitatem dederit, illud officium divinum diu noctùque facere procuremus. Et Epiſcopus (y) in Nativitate Domini & Paſcha Domini (z) in domo ipſis Clericis refectionem faciat, ſi ad præſens eſt, & ſi abſens, his diebus eſt, tunc in eorum refectorio habeant refectionem ſufficienter, ſicuti ſuperiùs ſcriptum eſt. Et poſtquam de refectorio exièrint, in (a) caminata bibant duas vices, aut tres, qualiter conſolatio ſit, & ebrietas non dominetur.

(y) *Vel qui ſub eo eſt.*

(z) *Et Epiphania & Paſcha & clauſo Paſc. & Aſcenſ. Domini & Pentecoſte & feſtivitatibus Sanctorum Provincia ſua.*

(a) *Caminada.*

Et Epiphania Domini, & media Paſchâ & clauſum Paſchæ, & Aſcenſione Domini, & Pentecoſte & natalitiìs Epiſcopi, iſtos dies Epiſcopus eis in refectorio ad ſextam, refectionem faciat. Et de illis feſtivitatibus, unde Abbatias in iſta civitate vel foras propinquas habemus, ſicut conſuetudinem habuerunt,

refectionem ad Clerum facere, hoc omnino non remaneat, in quantum poſſibilitas fuerit.

Alia in eorum loco ſubrogavit interpolator.

Et ille Archidiaconus, vel qui tunc ſub manu Epiſcopi præeſſe videtur, hoc recipiat, & ille Clero exinde in refectorio refectionem faciat: & quod ſupereſt, ad eorum opus Cellerario reſervetur. Et ille Archidiaconus de ſua actione, quod ipſe ad eorum opus prævidet, purificationem ſanctæ Mariæ & omnium Apoſtolorum, & ſancti Joannis Baptiſtæ, & ſancti Remedii eis refectionem faciat ad ſextam in refectorio.

Integrum caput prætermiſit interpolator cum quibusdam aliis.

Cap. XXXI. *De eo, quod, qui ad hunc Canonicum ſpecialem ordinem hujus Congregationis ſe ſociare vult, de rebus, quas poſſidet, ad Eccleſiam B. Pauli Apoſtoli ſolemnem donationem per præſentem faciat, reſervato tamen tempore vitæ ſuæ uſufructuario ordine.*

Licèt legamus antiquam Eccleſiam ſub tempore Apoſtolorū ita unanimem concordémque extitiſſe, & ita omnia reliquiſſe, ut ſinguli prædia ſua vendentes ad pedes Apoſtolorum pretia ponerent; ut nullus eorum ſibi aliquid proprium dicere auderet, ſed erant illis omnia communia, unde & habere dicebantur cor unum & animam unam: quotidie enim circa domus panem frangentes, quod in commune accipiebant, tam viri quàm fœminæ, ſeu parvuli, omniſque vulgus ardore fidei accenſi, atque in amore religionis provocati cunctis cum gratiarum actione ſufficientiam præbebant: ſed quia noſtris temporibûs perſuaderi non poteſt, ſaltem vel hoc conſentiamus, ut ad aliquantulamcumque ſimilitudinem converſationis eorum noſtros animos contrahamus, quia nimis inertis, tepidæque, ac remiſſæ devotionis eſt, ut, quod, ſicut diximus, omne vulgus pro Dei nomine conſenſit, nos qui peculiariùs canonicis ordinibus inſervire debemus, quantulamcumque in partem hanc perfectionem non conſentiamus. Et ſi omnia relinquere non poſſumus, ſic ad uſum tantum noſtra teneamus, ut dimiſſa, volumus nolumus, fuerint; non ad hæredum noſtrorum carnalium atque parentum, ſed ad Eccleſiam, cui Deo auctore in commune deſervimus, de cujus rebus ſtipendia habemus, locô hæreditariô relinquamus. Ut, ſi cum illis perfectis pro perfecta abrenuntiatiône ſæculique hujus contemptu corona non tribuitur; vel peccatorum venia, ſicut minimis, miſericordiâ divinâ concedatur. Quia ſanctus Proſper vel alii ſancti Patres, ſecundùm divinam auctoritatem ſanxerunt, ut illi

Seu potiùs Julianus Pome-

Clerici, qui de rebus Eccleſiæ vivere cupiunt, res proprias, quas habent, per inſtrumenta chartarum; Deo & Eccleſiæ, cui deſerviunt, condonent: & ſic rebûs Eccleſiæ licentiùs abſque maxima culpa utantur; ut ſic de rebus Eccleſiæ ipſi Clerici gaudent; ita & Eccleſia de rebus ipſorum Clericorum cum pauperibus ſuis ſic aucta atque meliorata gratuletur. Ita tamen ut ipſi Clerici, dum advivent, ſi ita placuerit, res ſuas uſufructuario ordine per beneficium Eccleſiæ habeant, ut omnia ſint communia, & (*b*) propter obitum eorum ad Eccleſiam vel ad canonicum ordinem: cui ante datæ fuerant, revertantur. Similiter Indicantes ut illi Clerici, qui de facultatibus ſuis ſufficientiam habent, de ipſis rebus propriis vivere debeant, ſi tamen infirmi fuerint, ut in omnibus ad integrum Eccleſiæ Dei, cui deſerviunt, dare noluerint, & ſic ipſius Eccleſiæ in amore, Chriſti gratuita ſervitute, ſeduláque modulatione impendant; & ſciant ſe pro hac re, quia rebus Eccleſiæ, ſicuti cæteri Canonici, utuntur, ſpecialem miſericordiam à Deo recepturos, cui de propriis rebus inſerviunt: quia ſi ea, quæ accepturi erant, pro eorum ordinibus de eleemoſyna diſpenſatori reliquerit, nihil habentibus conferenda ſine peccato poſſident ſua: quia & ipſi quodammodo relinquunt ſua, quando propriis contenti rebus, nihilque ſe jure debere arbitrantur recipi. Quod ſi putant ideo accipi debere eorum, quæ conferentur Eccleſiæ, portionem: nec eam videantur abjicere, quia non poſſint ſua relinquere, quod eis deforme ſit, inter ſuos, pauperes reddi: noverint eſſe deformius, poſſeſſuros de eleemoſynis pauperum paſci. Hoc enim providendum eſt, ut non gravetur mater Eccleſia, quam conſtat quotidie ſubventioni pauperum, viduarúmque, atque orphanorum, ſimúlque egentium, Canonum juſſione conſtrictam, debere eſſe ſemper intentam.

nunc de vita contemplativa.

(*b*) Lege *& poſt obitum.*

Hæc valdè inter cæt.

Igitur quicumque ſe ad hunc ordinem Canonicum, quem modò utcumque recuperare cupimus, ſicut in parvulo decretulo, quod digeſſimus, intimavimus, ſe ſociare voluerit, & de rebus, quas habet, ſolemniter donatione præſentem donet ad Eccleſiam B. Pauli ad opus Dei, vel Clericis ibidem deſervientibus, faciat & precariam, ſi ita ei placuerit, exinde ab Epiſcopo accipiat in ea ratione, ut dum advivet, ipſas res uſufructuario ordine habeat, & poſt (*b*) objectum ejus cum omni integritate, omnique ſuperpoſito ad Eccleſiam, cui datæ fuerint, vel ip-

(*c*) Lege *obitum*, ut ſupra *H*,

ſius

ſius Congregationis ipſas res abſque ullius conſignatione vel exſpectata traditione revertantur. Et liceat ei de omni mobili ex ipſis rebus, quamdiu vivit, & in ipſo ordine conſiſtit, eleemoſynas tam in pauperes, quàm ad ipſam Congregationem, quàm etiam ubicumque voluerit facere, & neceſſitates ſuas explere. Et, ſi aliquod de ipſo mobili poſt obitum ejus ſuperfuerit, media pars in eleemoſyna, ejus in pauperes vel promiſſas ejus, aut, ubi voluerit, ambulet, Archidiacono vel Primicerio, vel cui ipſe vivens rogaverit, diſpenſante, & illa media pars in ipſius eleemoſyna ad Clerum vel ad ipſam Congregationem revertatur. Et ipſi Clerici de ipſis rebus, quas in precarias habent, neque de terris, neque de vineis, aut ſilvis, pratis, domibus, ædificiis, mancipiis, accolabus, vel quibuslibet rebus immobilibus minuendi, aut vendendi, aut communicandi poteſtatem non habeant; excepto ùt diximus, de illa fructa, vel quod ibidem laborare potuerint, viventes faciant, quod voluerint. Quod ſi contigerit, ſuadente diabolo, ut aliquis ex his Fratribus, qui ipſas res per precarias habuerint, ut aliquo crimine grave, aut leve incidat, pœnitentiam, juxta quod Epiſcopus ei judicaverit, agat; tamen de rebus, quas per precariam poſſidet, expoliatus pro hac re eſſe non debeat. Si quis autem eôdem modô, quod ſuprà inſtituimus, ad hanc Congregationem, tam unus ex Abbatibus noſtris, quàm quilibet extraneis Clericis ſe ſociare deſideraverit, eo tenore, ut alii Fratres fecerunt, faciat. Quòd ſi aliter fuerit, qui ſe eis voluerit ſociare, & omnia ad integrum perfectionis gratiâ derelinquere: Epiſcopus provideat eis neceſſaria; qualiter opus bonum, quod Deo inſpirante cœpit, adimplere valeat.

CAP. XXXII. *De eleemoſynis.*

DE eleemoſynis accipiendis ita conſtituimus, ut ſi aliquis uni Sacerdoti pro miſſa ſua vel pro confeſſione (d) aut infirmitate, ſeu pro quolibet charo ſuo aut vivente aut mortuo aliquid in eleemoſyna dare voluerit, hoc Sacerdos à tribuente accipiat, & exinde, quod voluerit, faciat. Si autem ad omnes Sacerdotes ſub tali conditione, ſeu pro quolibet modo aliquid in eleemoſyna dare voluerit, hoc omnino tam ad omnes Sacerdotes, quàm ad omnes Canonicos veniat, & omnes hanc eleemoſynam communem habeant. (e) Similiter & illæ eleemoſynæ, quæ in commune ad omnem Clerum veniunt, omnes in commune habeant, & pſalmodiam, vel miſſas pro ipſis eleemoſynis, ùt Epiſcopus inſtituerit, faciant. Ideo autem menſuram Sacerdotibus de eleemoſynis recipiendis ad opus proprium fecimus, quia nimis grave pondus exiſtimavimus eis eſſe, ſi tam ingentia onera (f) peccantium ſolis illis Sacerdotibus contingeret portare. Quia faciliùs Dei miſericordiam plures impetrant pro peccatoribus, quàm unus, quamvis ſtudioſus, & unusquisque de propria conſcientia debet metuere; quantò magis de alienis peccatis non debet ſibi ſupra vires ſarcinam peccatorum cumulare.

(d) Aut Clerico pro pſalmis & hymnis ſeu pro ſe ipſo

(e) Pro illo faciant.

(f) Peccaminum.

Has eleemoſynas Archidiaconus, aut Primicerius recipiant, & in neceſſitatibus Fratrum, ut eis opus fuerit; & Epiſcopus judicaverit, ipſas expendant: & ſi aliquid exinde ſuperfuerit, in veſtiariis Fratrum recondant.

CAP. XXXIII. *Diebus Dominicis vel feſtivitatibus Sanctorum qualiter ad capitulum, ſeu ad miſſam occurrant.*

IN diebus dominicis, vel feſtivitatibus Sanctorum, aut quando juſſerit Pontifex, vel qui ſub eo ſunt, manè poſt *primam* cantatam omnes induantur veſtimenta, officiales cum planetis, ſicut ordo Eccleſiaſticus habet, & ſint parati & abſque mora ad officium cum feſtinatione occurrant. Ut autem auditum fuerit primum ſignum, omnes ad capitulum veniant, & audita lectione, ſub uno accedant ad Eccleſiam; & facto ſecundo ſigno cantent tertiam, & reſidentes in ordinibus ſuis exſpectent Pontificem, ſicut mos eſt Romanæ Eccleſiæ, & nullus poſtea exinde de ordine ſuo exeat, usque dum omnia expleverit; niſi qui cum Pontifice comitantur in obſequio, aut illi, qui in aliqua utilitate occupati fuerint, ſi talis eſt, quod omnino non poſſit dimitti, & hoc innoteſcat Epiſcopo, vel qui ſub eo ſunt. Si quis de Clero de quolibet ordine, tam Sacerdotum, quàm Diaconorum aut Subdiaconorum, vel Acolytorum tunc præſens non fuerit paratus ut officium ſuum impleat, & aliqua negligentia, vel retardatio per ipſum acciderit, niſi ob cauſam gravis infirmitatis, in craſtino à vino, vel potu privetur. Si autem per deſidiam, aut contemptum iteraverit, ab Epiſcopo, vel qui ſub eo ſunt, acriùs coerceatur, ita ùt cæteri timorem habeant. Nam reliquis diebus ad capitulum, ut ſuprà in iſto tenore præfiximus, ita veniant.

Si autem ſtatio publica fuerit per illas Eccleſias forenſes, & Fratres ibidem vigiliam celebraverint, peracta vigilia cum omni decore manè revertant in clauſtra, ut

ut omnino ad capitulum veniant: ſi autem negligens retardaverit, & ad capitulum non fuerit: prima & ſecunda vice per hoc caſtigetur: Si autem non emendaverit, illa die quando ad capitulum non venerit, à vino abſtineat uſque in craſtinum.

Hoc & præcedens capitulum abſunt à vulgatis.

Cap. xxxiv. *De matriculariis ut ad lectionem divinam audiendam veniant in ſtatuta Eccleſia in domo.*

Dum de corrigenda vita Clericorum Canonicorum rebus neceſſariis, ùt nobis juxta mediocritatem noſtram & capacitatem ſenſûs per Dei adjutorium viſum fuit, deſcripſimus, venimus ad matricolarios tam domi, quàm & in ſuburbanis; quia non, ſecundùm inſtitutionem antiquæ Eccleſiæ eorum eſſet converſatio; ſed ſub magno quodam periculo, & negligentiâ, & ut ita dixerim abſque prædicatione & confeſſione erant in quadam ſecuritate poſiti, neque ad domum ad ſtationem publicam ad audiendum verbum Dei veniebant, neque in reliquis ſtationibus, ſed erant omnes ſedentes unusquisque in loco ſuo. Propterea unà cum conſenſu Fratrum ſpiritualium conſtituimus, ut bis in menſe per totum annum de quatuordecim in quatuordecim dies in ſabbato omnes matricularii tam qui in domo ſunt, quàm illi, qui per cæteras Eccleſias infra civitatem, vel vicis matriculas habent ad conventum ſtatutum omnes in Eccleſia in domo veniant, manè primo expectantes in ordinibus ſuis, uſque dum ſignum pulſaverit horæ tertiæ: tunc veniens Epiſcopus, ſi in aliis utilitatibus occupatus non fuerit, & jubeant legere lectionem, de tractatibus, vel homiliis ſanctorum Patrum congruas, quæ ædificent audientes, & doceant eos viam ſalutis, qualiter ad vitam æternam, Deo auxiliante, perveniant.

Dicta *tertia*, ſi Epiſcopus non venerit, tunc Presbyter cuſtos Eccleſiæ ſancti Stephani in vices illius juxta capacitatem ſuam & legat & doceat eos viam ſalutis, & videat omnino Presbyter, ut hora conſtituta, ſi Epiſcopus ibidem non venerit, non prætereat ut hoc adimpleat, quod hic ſcriptum eſt, & ipſi Presbytero confeſſiones ſuas bis in anno faciant ipſi matricularii una vice in quadrageſima; aliâ in Miſſa ſancti Remedii uſque in tranſitum ſancti Martini. Et ſi ſuadente diabolo aliqua vitia, ſcandala inter eos orta fuerint, ut neceſſe ſit, confeſſionem ſuam dare qui hoc perpetraverit in proximo conventu, ubi lectionem audiunt: finita lectione faciat confeſſionem ſuam puriter ipſi Presbytero, & ſi ipſe non vult confiteri peccatum ſuum, & hoc celaverit: & ſi per alium inventum fuerit, ille qui delictum abſcondit, à Presbytero, qui eis verbum Dei annunciat, ſecundùm modû culpæ excomunicetur, aut corporali vindictæ ſubdatur. Et per ſingulas matriculas ſi Primicerius matricularum de ipſis, qui ſuper eos curioſè agat: & ſi aliquis ex ipſis celare voluerit ſcelera ſua, & Primicerius ipſorum hoc inveſtigare potuerit, nullatenus abſcondat Presbytero, qui eis lectionem legit: & ſi fecerit, ſimiliter ille, qui hoc commiſerit, ab ipſo Presbytero judicandus eſt; & ſi hoc ipſe Presbyter per ſe emendare non potuerit, innoteſcat Archidiacono, vel Primicerio, ut ipſi hoc corrigant rationabiliter ſecundùm modum culpæ: & ſi opus fuerit in notitiam Epiſcopi veniant, ut ipſe hoc emendet.

Ut diximus, omnes omnino matricularii ſtatutis diebus ad lectionem veniant, & neceſſitates ſuas tam animæ, quàm corporis ipſi Presbytero patefaciant: & ipſe hoc aut per ſe emendet aut Priores ſuos innoteſcat . . . . Et ſi aliquis de ipſis matriculariis remanſerit, qui non venerit ad lectionem, niſi infirmitate cogente, corripiatur ſemel & ſecundò, & ſi non emendaverit, excommunicetur: & ſi ampliùs hoc ex contemptu fecerit, ejiciatur de matricula, & alius, qui verbum Dei vult audire, mittatur in loco ipſius. Et conſtituimus eis, ut in eleemoſyna noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum de domo accipiant omni tempore, quando ad illam lectionem audiendam venerint ſinguli ſingulos panes, & portionem de lardo illa una vice: illa alia vice portionem de formatico; per totum annum ſic faciant, ùt diximus qui ibidem de ipſis matriculariis venerint. Et in quadrageſima duas vices accipiant vinum cum pane inter quatuor ſextarium unum. In cœna domini accipiant vinum cum pane ſupradicta menſura, & portionem de lardo, & formatico. Et conſideravimus, quod octo modia de pane cocto ad unâ vicem ad hoc habeat: & illa vice quando lardum debent accipere, accipiant baccones ſex; quando formaticum accipiunt in unaquaque vice penſa una. Hoc colligit de frumento per annum modia CC. de illo frumento ſit, qui de Warmacienſe venit, & accipiat illud, quando exinde venit. De lardo baccones LX. accipiat ipſis Kal. Januar. de formatico penſas XII. accipiat ipſa Miſſa ſancti Martini. De vino modia XIV. accipiat ipsâ Miſsâ ſancti Martini. Et hoc totum accipiat Archidiaconus vel Primicerius: & videant, quòd hoc ſic diſpenſet, qualiter

liter Deo placeat, & conſtitutum habemus, & merces noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum, vel qui hoc faciunt, exinde decreſcat, & ad ligna comparandum, unde ipſum panem faciant, donet Epiſcopus de denariis uncias duas & dimidiam Kal. Majas. Et ſi aliquid ſuperaverit de hoc, quod ſuperius diximus, aliis pauperibus, cui neceſſe eſt, Archiepiſcopus vel Primicerius, aut cui juſſerint, tribuat.

Explicit.

ADDITAMENTUM VIII.

REGULA CANONICORUM REGULARIUM.

OBSERVATIO CRITICA.

CUm Regula Aquisgranenſis pro Canonicis *in eodem* Concilio *edita circa annum DCCCXVI. nimis ſit prolixa, nec unquam à ſummis Pontificibus approbata fuerit: ſic & illam bis additamentis adjicere ſuperſedemus; ne hæc ſecunda codicis Regularum Holſtenii pars, in nimiam molem excreſcat. Et quidem hæc ſequens Regula, Conſtans LXXVI. capitibus & ex S. Chrodogangi & Aquisgranenſis Concilii Regulis deſumpta, apertè nobis tradit diſciplina* Canonicam *Sæculò nonò Eccleſiâ uſitatam, utpote utriusque Regulæ quaſi* Compendium*, & ex aliis ſacris Canonibus conſarcinata. Hinc etiam & illam immediatè Regulæ S. Chrodogangi ſubjungit Clariſſ. Labbeus in ſua Conciliorum collectione ex optimis codicibus manuſcriptis Antegavenſi & Piſcanenſi deſcriptam, quamvis nomen Auctoris haud reperire valuerit. Nolumus hanc Regulam Amalario Diacono Eccleſiæ Metenſis adſcribere, etiamſi certum ſit, illum, ad componendam Regulam Canonicam à Ludovico Imperatore ordinatum fuiſſe, atque in hunc finem ex ipſo Palatio librorum copiam accepiſſe, prout Mabillonius in ſuis annalibus Benedictinis tom. 2. variis in locis inſinuare videtur. Hoc unum aſſeremus Auctori notam fuiſſe Regulam S. Chrodogangi, ad quam refert frequenter integra capita, quamvis, in Concilio Aquisgranenſi, nulla memoria S. Chrodogangi reperiatur, quando Regula illa famoſa pro Canonicis utriusque ſexûs compoſita fuit.*

CANONICORUM REGULA AB ANONYMO QUOPIAM INTERPOLATORE.

Ex Chrodogangi norma, Concilii Aquisgranenſis capitulis, atque aliunde conſarcinata.

Temporibus piiſſimi Pippini Chrodogangus ſervus ſervorum Dei, Metenſis urbis Epiſcopus.

PROLOGUS.

SI trecentorum, &c. *pag. 96. Ne fruſtra non neceſſariis repetitionibus chartas diſperdere videamur.*

CAP. I. *De humilitate.*

Clamat nobis divina Scriptura, &c. *Supra pag. 97.*

CAP. II. *De ordine Congregationis Canonicorum.*

Ordines ſuos ita conſervent, &c. *ſupra pag. 97.*

CAP. III. *De eo quod in congregandis Canonicis modus diſcretionis tenendus ſit.*

Ca-

Cavendum ſummopere Præpoſitis, &c. *Videſis capitulum* 118. *Aquisgranenſis Concilii celebrati an.* 816. *ſub Ludovico Pio Imp.*

Cap. iv. *De eo quod non debent Clerici in Congregatione Canonica Conſtituti ſtipendia ſuperflua accipere, aut exigere, ſed neceſſaria.*

Sanctorum Patrum ſententiæ docent &c. *cap.* 120. *Conc. Aquisgranenſis.*

Cap. v. *De his qui in Congregatione ſibi commiſſa ſolummodo ex familia Eccleſia Clericos adgregant.*

Sunt nonnulli qui tantum ex familia Eccleſiaſtica Clericos, &c. *Vide cap.* 119. *Aquisgr.*

Cap. vi. *Qui Clerici in Congregatione Canonica conſtituti Eccleſiaſtica accipere debeant ſtipendia.*

Quia ſanctorum Patrum &c. *cap.* 120. *Aquisgr.*

(g) *Divi-tatur.*

Cap. vii. *De eo quod in Congregatione Canonica æqualiter cibus & potus* (g) *accipiatur.*

Solet in pleriſque Canonicorum Congregationibus irrationabiliter, &c. *cap.* 121. *Aquisgr. ejuſdem.*

Cap. viii. *De menſura cibi & potus.*

Quando Clerus una aut bina vice in die reficit, accipiant à minore usque ad maximum quatuor libras panis; & quando bis in die reficit, pulmentum ad ſextam, unam miniſtrationem de carne inter duos, &c. *ſup. pag.* 103. & *cap.* 122. *Concilii Aquisgranenſis.*

Cap. ix. *De ſeptimanariis coquinæ.*

Clerici Canonici ſic ſibi invicem ſervient, &c. *ſup. cap.* 24. *Reg. Chrodog. pag.* 103.

Cap. x. *De Archidiacono vel Præpoſito.*

Oportet enim eos eſſe prudentes, &c. *ſupra cap.* 25. *Chrodog. pag.* 104.

Cap. xi. *De Cellerario.*

Cellerarius debet eſſe timens Deum, & *ſup. cap.* 26. *Chrodog. ibid.* & *cap.* 140. *Aquisgr.*

Cap. xii. *De Portario.*

Portarius unus cum ſuo juniore, &c. *ſup. cap.* 27. *Chrodog. ibid.* & *cap.* 143. *Conc. Aquisgr.*

Cap. xiii. *De eo quod diligenter munienda ſunt clauſtra Canonicorum, in quibus dormiunt Canonici.*

Præpoſitorum cura ſit ut ſubditorum mentes, &c. *cap* 117. *Conc. Aquisgr.* &c. *ex Regula Chrodogangi cap.* 3. *pag* 98.

Cap. xiv. *De his quæ à Clero in nocte de lecto ſurgente primum dicenda atque operanda ſunt.*

Nocturnis horis cùm ad opus Divinum de lecto ſurrexerit Clericus, primum ſignum ſibi ſanctæ Crucis imprimat, per invocationem ſanctæ Trinitatis, deinde dicat verſum, *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Deine Pſalmum, *Deus in adjutorium meum intende*, totum cum *Gloria.* Et tunc provideat ſibi corpoream neceſſitatem naturæ, & ſic ad oratorium feſtinet, pſallendo Pſalmum. *Ad te levavi animam meam*, cum ſumma reverentia & cautela intrans; ut aliis orantibus non impediat. Et tunc proſtratus in loco congruo effundat preces in conſpectu Domini magis corde quàm ore, ita ut illius vox vicinior ſit Deo, quàm ſibi. Ita dicendo, *Gratias tibi ago, Omnipotens Pater, qui me dignatus es in hac nocte cuſtodire & deprecor clementiam tuam miſericors Domine, ut concedas mihi diem venturum ſic peragere in tuo ſancto ſervitio cum humilitate & diſcretione, qualiter tibi complaceat ſervitus noſtra.*

Hæc unde mutuatus ſit, nondum didicimus.

Et tunc omnes ſint præparati ſtantes in loco ſuo in choro perordinem, ut noviſſimum ſignum ceſſaverit cum ſumma humilitate & honeſtate referant laudes Deo in conſpectu Angelorum ejus. Et ſic alicui frequens tuſſis aut Phlegma à pectore aut naribus excreſcit poſt dorſum projiciat, aut juxta latus, cautè tamen & curioſè, ut infirmis mentibus non vertatur in nauſeam, & ſemper quod projicitur, pede conculcetur, ut cum ad orationem curvantur, veſtimenta eorum non ſordidentur. Et infra Eccleſiam, & in omni conventu, ſeu & in porticu hoc obſervandum eſt, ut, quod ſpuitur, ſemper pedibûs conculcetur.

Cap. xv. *De officiis divinis in noctibus.*

Hiemis verò temporibus, id eſt à Kalendis Novembris usque in Paſcha, juxta conſiderationem rationis octavâ horâ noctis ſurgendum eſt, ut modicè amplius de media nocte pauſetur, & jam digeſti ad vigilias ſurgant. Poſt finitas nocturnas dicant verſum: *Exultabunt juſti in conſpectu Dei*, deinde *Kyrie eleiſon*, & ora-

orationem Dominicam, & faciant intervallum, exceptis diebus dominicis & feſtivitatibus Sanctorum, juxta conſiderationem Epiſcopi, vel qui ſub eo eſt, id eſt, ut XL. aut L. Pſalmos poſſint cantare, ſecundùm quod viſum fuerit, & hora permiſerit; & qui pſalterii vel lectionis aliquid indigent, meditationi inſerviant & non præſumat aliquis in ipſo intervallo dormire, niſi quem infirmitas cogit, & hoc per commeatum fiat, & qui aliter fecerit, excommunicetur. Reliqui omnes ordinem vigiliarum teneant usque ad matutinas dictas, & in ipſo intervallo ſummum ſilentium fiat tam in voce, quàm & in actu vel inceſſu, ſeu ſono alicujus rei, ut liceat unicuique absque alterius inquietudine peccata ſua cum gemitu, ſuſpirio & lacrymis Domino confiteri, & veniam vel remiſſionem pro ipſis ab omnipotente Deo orando & petendo poſtulare.

Cap. xvi. *De vigiliarum antiquitate.*

Antiqua eſt vigiliarum devotio, *ex cap. Aqu.* 129. *& Iſidori lib.* 1. *offic. c.* 22.

Cap. xvii. *De matutinis.*

De matutinorum antiquitate &c. *cap.* 130. *Aquigr. & Iſidori lib.* 1. *offic. cap.* 23.

Cap. xviii. *De hora prima.*

Convenientes Clerici ad primam canendam in Eccleſiam completo officio ipſo ante Pſalmum quinquageſimum donent Confeſſiones ſuas viciſſim dicentes: *Confiteor Domino, & tibi, Frater, quod peccavi in cogitatione, & in locutione, & in opere, propterea precor te, ora pro me*: & ille reſpondet: *Miſereatur tui omnipotens Deus, indulgeat tibi peccata tua, liberet te ab omni malo, conſervet te in omni bono, & perducat te ad vitam æternam*: & ille dicit: *Amen.* Supplici corde pro ſe certatim orantes hoc ſibi facient. Hoc expleto conveniunt ad capitulum quotidie, & ex iſta inſtitutione, quam propter illorum utilitatem Deo auxiliante fecimus, in unoquoque die aliquod capitulum relegant præter diem Dominicam & quartam & ſextam feriam & ſolennitates Sanctorum; in quibus relegant tractatus & alias Homilias vel quod ædificet audientes. Ideo quotidie ad capitulum omnes Clericos convenire conſtituimus, ut anima verbum Dei audiat; & Epiſcopus, vel Archidiaconus, vel qui in loco eorum præeſſe videtur, ibidem quod jubere habet, jubeat, & quod faciendum ſit, ordinare ſtudeat. Poſt lectionem recitetur ætas, menſis & lunæ, & nomina Sanctorum, quorum feſta craſtinus excipiet dies. Et poſtea pariter dicant verſum. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Quem ſequatur oratio à Priore ita; *Ipſi & omnes ſancti Dei intercedant pro nobis peccatoribus ad Dominum, ut mereamur poſſidere vitam æternam Amen.* Deinde dicatur verſus: *Deus in adjutorium meum intende*, tribus vicibus, Priore incipiente, & cæteris reſpondentibus, ſubjungentes, *Gloria Patri*, & poſtea *Kyrie eleiſon* & orationem Dominicam. Deinde, *Et ne nos inducas in tentationem*: & *veniat ſuper nos, reſpice in ſervos tuos*, pariter usque in finem Pſalmi, ſubjungentes: *Gloria.* Deinde Prior dicit: *Dirigere & ſanctificare & cuſtodire digneris, Domine JEſu Chriſte Fili Dei vivi, hodie corda & corpora noſtra & ſenſus noſtros, in via & lege tua, & in operibus mandatorum tuorum, & pedes noſtros dirige in viam ſalutis, in viam juſtitiæ tuæ, ut hìc & in perpetuum te adjuvante ſalvi eſſe mereamur, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas Deus per infinita ſecula ſeculorum*, deinde, *Adjutorium noſtrum*, reſpondent alii, *In nomine Domini qui fecit cœlum & terram.*

(Vide ſupra p. 99. cap. 8. Reg. Chrod.)

Poſthæc qui culpabilis eſt, poſtulet veniam, & ſecundùm modum culpæ judicium recipiat. Quisquis verò veniam poſtulat pro culpa, quantum plus ſe humiliat & ſe culpabilem aſſerit, tantum miſericorditer ac levius à Priore judicetur. Neceſſe eſt enim, ut omnes noſtræ negligentiæ, id eſt cogitationum, linguæ vel operis in præſenti vita per veram confeſſionem & humilitatem ſemper judicentur, & non poſt mortem reos nos faciant.

Cap. xix. *De opere manuum quotidiano.*

Surgentes à capitulo vadant aut ſimul aut ſeparatim ad opus ſibi injunctum, ut ratio præſtat cuſtodientes ſilentium & decantent Pſalmos ſuos aut bini aut ſinguli, juxta quod congruum eſt. Nihil aliud loquentes, niſi fortè de ipſa arte neceſſe fuerit dicere caute, & quando inceperint opus ſuum dicant: *Benedictus es Domine Deus, qui adjuviſti me, & conſolatus es me, Amen. Miſereatur noſtri omnipotens Deus, Amen.* Et quando communia opera non eſt neceſſe facere, unusquisque quod opus habet, faciat, quia otioſitas inimica eſt animæ. (Vid. cap. 9. Reg. Chrodogangi.)

Cap. xx. *De tribus horis diei.*

Horam tertiam & ſextam & nonam Daniel &c. *Vide cap.* 126. *Aquisgr. & cap.* 19. *lib.* 1. *officiorum S. Iſidori.*

Cap. xxi. *De hora veſpertina.*

Veſpertinum diurni finis officium &c. *Ex cap.* 127. *Aquisgr. & S. Iſidori lib. cap.* 20.

Cap.

Cap. xxii. *De completis.*

De completis autem celebrandis, &c. *cap.* 128. *Aquisgr.* &. 21. *off. Iſidori.*

Cap. xxiii. *De recepto ſilentio poſt completum.*

Explcto completo ſummum ſilentium fiat, & orationes ſecretæ fiant, cum recordatione peccatorum, & poſtea gratias agant Deo dicendo: *Gratias ago tibi Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui me dignatus es in hac die cuſtodire per tuam ſanctam miſericordiam, concede mihi hanc noctem mundo corde & corpore ſic pertranſire: Qualiter manè ſurgens gratum tibi ſervitium perſolvere poſſim, per Chriſtum &c.* Et cum magna cautela ambulent in Eccleſia & dormitorio, & cum ad proprium ſtratum venerint, dum ſe collocaverit Clericus dicat Pſalmum: *Deus in adjutorium meum intende* totum cum *Gloria*, & poſtea dicat verſum: *Pone Domine cuſtodiam ori meo & oſtium circumſtantia labiis meis.* Sicut mane ſurgens poſtulavit ſibi labia à Domino aperiri, ſic requieſcens roget poni ori ſuo à Domino cuſtodiam.

Cap. xxiv. *De eo quod horas Canonicas Canonici religiosè obſervare debent.*

Studeant ſummopere Canonici &c. *cap.* 131. *Aquisgr. pag.* 486.

Cap. xxv. *De diligentia Pſallendi.*

Ubique credimus divinam eſſe præſentiam, &c. *ſup. cap.* 7. *Chrod. pag.* 9).

Cap. xxvi. *De eo quod non pompaticè ſtandum eſt in Eccleſia.*

Mox autem audito ſigno omnes Canonici feſtinent ad Eccleſiam & non pompatice aut inhoneſte vel incompoſite, ſed cum timore Dei ingrediantur eam: nec cum baculis aut (*k*) cambutis aut fuſtibus in choro &c. *cap.* 134. *Aquisgr.*

(*k*) Al. *Cambucis*

Cap. xxvii. *De proficiſcentibus in itinere.*

Quicumque ex Clero, &c. *ſupra cap.* 10. *Chrod. pag.* 100.

Cap. xxviii. *De his qui in quibusdam levioribus culpis delinquunt.*

Si quis ex Clero, & *ſupra cap.* 18. *Chrod. pag.* 101.

Cap. xxix. *De gravioribus culpis.*

Si quis Clericus de Ordine canonico, &c. *ſup. cap.* 15. *Reg. Chrod. ibid.*

Cap. xxx. *De reconciliatione pænitentis capitale crimen.*

Ordo pœnitentiam agentis publicam ſic eſt. Suſcipies eum quarta feria mane in capite quadrageſimæ, id eſt, in capite jejuniorum, & cooperies eum cilicio, & orabis pro eo, & includes eum usque in cœnam Domini, qui eo die præſentatur in gremio Eccleſiæ. Qui dum vocatus venerit ad reconciliandum, ante Epiſcopum vel Clerum cum omni humilitate proſtrato omni corpore ſuper terram ante apſidam petat ab omnibus veniam & Epiſcopus, vel qui ſub eo eſt, det orationes ſuper eum ad reconciliandum, in quinta feria cœnæ Domini.

Cap. xxxi. *De Confeſſione.*

Hortatur nos ſcriptura, &c. *ſupra cap.* 14. *Chrod.*

Cap. xxxii. *Ordo ad pænitentiam accipiendam & confeſſionem faciendam.*

Hæc eſt ratio pœnitentiæ & confeſſionis noſtræ quæ coram Deo & ſacerdotibus ejus à nobis pariter agendæ ſunt. Id eſt in unoquoque anno tribus vicibus, id eſt in tribus quadrageſimis populus fidelis ſuam confeſſionem ſuo Sacerdoti faciat, & qui plus fecerit melius facit; & monachi in unoquoque Sabbato confeſſionem faciant cum bona voluntate Epiſcopo aut Priori ſuo. (*l*) Quando volueris confeſſionem facere peccatorum tuorum viriliter age, & noli erubeſcere, quia inde venit indulgentia, unde fit confeſſio & ſine confeſſione non eſt indulgentia. In primis proſterne te humiliter in conſpectu Dei in terra ad orationem & roga beatam Mariam cum ſanctis Apoſtolis & Martyribus, & Confeſſoribus, ut ipſi intercedant pro te ad Dominum, ut Deus omnipotens dignetur tibi dare ſapientiam perfectam & ſcientiam & intelligentiam veram, ad confitenda peccata tua, & poſtea ſurge cum fiducia & vera credulitate, & dic illi: *Serve Dei credis in Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ?* Reſp. *Credo.* Interr. *Credis in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum?* Reſp. *Credo.* Interr. *Credis quod iſtæ tres perſonæ, quas modo diximus, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, tres perſonæ ſunt & unus Deus?* Reſp. *Credo.* Interr. *Credis quod in ipſa carne in qua nunc es, recipere habes quod egiſti, & quod egeris ſive bonum ſive malum?* Reſp. *Credo.* Interr. *Credis reſurrectionem & vitam eſſe tibi poſt mortem?* Reſp. *Credo.* Interr. *Vis dimittere omnia mala illis omnibus qui in te peccaverunt, ut Deus dimittat tibi omnia peccata tua, dicente eodem Domino in Evangelio: Si remiſeritis hominibus peccata eorum, remittentur vobis peccata?* Reſp. *Volo.* Poſtea require eum diligenter, ſi ſunt ſecum opera mala, quæ ſeparant hominem, ut ait Apoſtolus, à Regno Dei, & hæc ſunt mala cogitatio, malus ſermo & otioſus, odium, invidia, detractio, maledictio, convitium, turpiloquium, ſcurrilitas, diſſimulatio, adulatio, mur-

(*l*) *Et Clerici Canonici in tertio Sabbato.* ex cod. Andeg.

mu-

muratio, cupiditas carnalis, elatio, deſidia, pigritia, inhonoratio bonorum, inhonoratio cognatorum, inhonoratio dierum dominicorum & ſanctarum ſolemnitatum, ignorantia, negligentia, vana gloria, iracundia, avaritia, falſa teſtificatio, ſomnolentia, intemperantia in cibis, rapina; gula, ebrietas, comeſſatio, fornicatio, adulterium, ſacrilegium, ſuperbia, perjurium, furtum, homicidium & his ſimilia. Et poſtqam confeſſus fuerit ſua peccata, ſi vult dimittere ea, da ei pœnitentiam: & ſi non vult, non des ei pœnitentiam, quia non potes. Et ſi vult dimittere ipſa peccata, fac ei confiteri ea, & ad ultimum dicere: *Multa ſunt peccata mea in factis, in verbis, in cogitationibus.* Tunc da ei pœnitentiam canonicè menſuratam. Et poſtea effunde ſuper eum orationes & preces. Cavendum eſt utique, ne hi, qui in gravibus peccatis incidunt, & hi, qui in levioribus quibusdam delinquunt, æqualiter judicentur, ſed ſecundùm morbum adhibenda medicina.

Cap. xxxiii. *De excommunicatione culparum.*

Si quis Clericus contumax, &c. *ſup. cap.* 17. *Chrodeg. pag.* 101.

Cap. xxxiv. *De quadrageſimæ obſervationibus.*

Licet omni tempore vita Chriſtianorum, &c. *ſup. cap.* 20. *pag.* 102.

Cap. xxxv. *De temporibus in quibus ſemel aut bis in die Clericis reficiendum.*

A Paſcha autem usque ad Pentecoſten &c. *ſupra ibidem.*

Cap. xxxvi. *De feſtivitatibus Sanctorum.*

Illud intimare complacuit, &c. *ſupra cap.* 30. *pag.* 105.

Aliis verò diebus feſtis ſicut moris eſt Eccleſiæ, juxta quod meliùs Prælati poſſunt, Clericis ſuis cibum potúmque miniſtrent: & illud interea caveant Prælati, ne id, quod dare debent aut poſſunt, qualibet diſſimulatione aut tenacitate ſubtrahant, ne paupertatis occaſione compulſi per diverſa vagari ac ſe turpibus implicare negotiis cogantur, relictóque Eccleſiaſtico officio incipiant indiſciplinatè vivere, & propriis voluptatibus deſervire. Et Prælati qui eis neceſſaria largiendò à Domino remunerari poterant, diſtrictè & ſeverè judicentur.

Cap. xxxvii. *Ut non præſumat aliquis alterum cædere aut excommunicare.*

Vetetur in hoc ordine canonico, &c. *ſupra cap.* 12. *pag.* 100.

Cap. xxxviii. *In Congregatione Canonicorum nulli liceat alterum defendere.*

Omnibus modis cavendum eſt, &c. *cap.* 13. *ibidem.*

Cap. xxxix. *De zelo bono quem debent ſervi Dei habere invicem.*

Sicut ex rebus amaritudinis, &c. *cap.* 11. *ibidem.*

Cap. xl. *De infirmis canonicis.*

Si aliquis ex Clero infirmatur, &c. *cap.* 28. *pag.* 104.

Cap. xli. *De veſtimentis & calceamentis Clericorum.*

Illa dimidia pars Cleri, qui Seniores fuerint &c. *ſupra cap.* 29. *pag.* 105.

Cap. xlii. *De eleemoſynis accipiendis.*

Si aliquis uni Sacerdoti &c. *ſupra cap.* 42.

Cap. xliii. *De menſura Sacerdotibus de eleemoſyna accipienda & facienda.*

Nimis grave eis eſſe &c. *ſupra ibidem.*

Cap. xliv. *De cura quam in populo ſibi commiſſo habere debent Clerici.*

Cavendum nobis eſt, ne in periculum per noſtram negligentiam, ut ita dixerim absque baptiſmo & confirmatione, & confeſſione, & prædicatione, in quadam ſecuritate poſitus incurrant noſter populus. Unde conſtituimus, ut bis in menſe per totum annum de quinto decimo in quinto decimo die verbum ſalutis ei prædicetur. Qualiter ad vitam æternam Deo auxiliante perveniat. Ut ſi omnibus Feſtis & Dominicis diebus aſſiduata fuerit prædicatio, utilior eſt, & juxta quod intelligere vulgus poſſit, ita prædicandum eſt.

Cap. xlv. *Cui committi debeant ſtipendia pauperum.*

Evangelicis atque Apoſtolicis inſtruimur documentis, &c. *Cap.* 141. *Aquisgr.*

Cap. xlvi. *De Præpoſitis.*

Quamvis omnes qui præſunt &c. *cap.* 139. *Aquisgr.*

Debent igitur cunctæ Congregationi utiles eſſe, & de miniſterio ſibi commiſſo fideliter prodeſſe, ea verò quæ Fratribus dare debent cum charitate tempore opportuno incunctanter præbeant. Quatenus à Domino de fideli adminiſtratione gradum bonum ſibi adquirant.

Cap. xlvii. *Quales vice Prælatorum in Congregatione fungi debeant.*

Oportet Eccleſiæ Prælatos, &c. *cap.* 138. *Aquisgr.*

Cap. xlviii. *De pueris nutriendis cuſtodiendisque.*

Solerter Rectores Eccleſiarum &c. *cap.* 135. *Aquisgr.*

Cap. xlix. *Ut omnes Canonici ad completorium conveniant.*

Expletis religioſiſſimo obſequio &c. *cap.* 136. *Aquisgr.*

Cap. l. *De cantoribus.*

Studendum ſummopere &c. *cap.* 137. *Aquisgranenſ.*

Cap. li. *Quales ad legendum & cantandum in Eccleſia conſtituendi ſunt.*

Tales ad legendum &c. *cap.* 133. *Aquisgranenſ.*

Cap. lii. *Modus correptionis.*

Quamquam contemptores &c. *cap.* 134. *Aquisgranenſ.*

Cap. liii. *Ut Canonici cucullas Monachorum non induant.*

Reprehenſibilem &c. *cap.* 125. *Aquisgranenſ.*

Cap. liv. *Ut in cultu veſtium diſcretionem teneant Canonici.*

Quærere nos potius Deum cultu cordis quàm corporis &c. *cap.* 124. *Aquisgr.*

Cap. lv. *Quod à Prælatis gemina paſtio ſit ſubditis impendenda.*

Solerter Prælatis ſatagendum eſt, &c. *cap.* 123. *Aquisgranenſ.*

Cap. lvi. *De familiaritate à Clericis mulierum extranearum devitanda.*

Prima quidem temperamenta &c. *cap.* 98. *Aquisgranenſ. ex Epiſt. S. Hieron. ad Oceanum.*

Inde mando atque remando, ut hoſpitiolum (*) Canonicorum aut raro aut nunquam mulierum pedes terant. Vir autem ſive mulier, cùm ad Dominum converſi fuerint poſt peccatum ſuum, quod adinvicem commiſerunt, nec in una villa unquam pœniteant, nec ſit inter eos ſalutatio, aut beneficium, nec viſus, nec colloquium, ſi non caſus intervenerint; nec de uno fonte, ut vulgo dicitur, potum bibant, nec alumnus inter utrumque concurrat, nec munuſculum quidem nec colloquium, ut diximus, nec recordatio alterius in mente ſua requieſcat: ſed cùm adfuerit, cito venia à Deo petatur. Meminiſſe debent Canonici, quod nec Davide ſanctiores, nec Salomone ſapientiores poſſunt eſſe. Meminiſſe debent, quod Paradiſi colonum de poſſeſſione ſua mulier ejecit.

(*) Ex S. Hier. in Ep. ad Nepotianum con. Aquisgr. c. 49. ante medium.

Cap. lvii. *De Clericis non manentibus in ſuo propoſito.*

Qui ſemel in Clero deputati ſunt, aut Monachorum vitam expetierunt, ſtatuimus neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam, & hoc tentantes, & non agentes pœnitentiam, quo minus redeant ad hoc, quod propter Deum primitus (*c*) inceperunt anathematizari.

(*c*) *Elegerunt ex* cod. Andeg.

Cap. lviii. *De humiliatione facienda propter Deum carne.*

Multitudines & officia &c. *cap.* 95. *Aquisgr. ex Epiſt. S. Hieron. ad Paulinum.*

Cap. lix. *De iracundis doctoribus.*

Iracundi doctores &c. *cap.* 33. *Aquisgranenſ. ex cap.* 40. *lib. III. Sententiarum S. Iſidori.*

Cap. lx. *De doctrina & exemplis doctorum.*

Tam doctrina &c. *cap.* 20. *Aquisgr. ex cap.* 36. *lib. III. Sent. ejusdem ſancti.*

Cap. lxi. *De taciturnitate.*

Omni tempore in Eccleſia tam à populo quàm à Clero ſummum ſilentium fiat, excepto hoc, quod ad laudes Dei pertineat. Videamus, quod ait Propheta: *Dixi: cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* Item: *poſui ori meo cuſtodiam, obmutui & humiliatus ſum à bonis.* Hic oſtendit Propheta, ſi à bonis eloquiis propter taciturnitatem debet interdum taceri, quantò magìs à malis verbis propter pœnam peccati debet ceſſari? Inde ſancta Scriptura dicit: (*d*) Qui enim in Eccleſia verboſari fecerit, & pro ſe & pro aliis malam redditurus eſt rationem in die judicii. Ergo quamvis de bonis & ſanctis eloquiis propter taciturnitarem rara loquendi in Eccleſia concedatur licentia, quia ſcriptum eſt: *In multiloquio non deerit peccatum*; Et alibi: *Mors & vita in manibus linguæ.* Nam loqui & docere magiſtro conceditur, tacere & audire diſcipulo convenit. Qui hanc taciturnitatem in Eccleſia minimè cuſtodierit, ſed fregerit, ſit in ipſo die pœnitens in aqua & pane: & ſi iterum, tribus diebus pœniteat in pane & aqua. Et ſi tertia vice iteraverit, ſeptem diebus ut ſupra pœniteat. Et ſi amplius hoc facere præſumpſerit, corporali diſciplinæ ſubjiciatur, ut cæteri timeant.

(*d*) Auguſt. Serm. 215. de tempore *ante mor dium. H.*

Cap.

Cap. lxii. *De ebrietate à Clero vitanda atque deteſtanda.*

Dominus in Evangelio dicit : *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda veſtra crapula.* Et Apoſtolus dicit : *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Salomon verò dicit : *Luxurioſa res eſt vinum, & tumultuoſa ebrietas.* Quicumque in his delectatur, non erit ſapiens. Nullum ſecretum eſt, ubi regnat ebrietas. Alibi dicitur : *Operarius ebrioſus non locupletabitur, vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes.* Et alibi : Diligentes ſemper ſe inebriari vino noli provocare in Congregationem tuam. Vinolentos Sacerdotes & Apoſtolus damnat, & vetus lex prohibet, qui Altari ſerviunt, vinum & ſiceram non bibent. Sicera Hebræo ſermone omnis potio nuncupatur, quæ inebriare poteſt. Quidquid inebriat, & ſtatum mentis mutat, fuge ſimiliter ut vinum.

Qui cupis eſſe bonus, & vis dignoſcere verum,
Ut mortis ſocium ſic mordax effuge vinum.
Nulla febris hominum major quàm viteus humor,
Surdeſcunt aures, balbutit denique lingua.
Dic mihi dic, ebrie an vivis, an morte gravaris.
Pallidus ecce jaces, corpus ſine mente quieſcit.
Non bona, non mala, non dura, & non mollia ſentis.

Cavete Fratres, in omnibus ebrietatem, quia magna ſubverſio animi eſt. Nam ſicut ignis facilè incendit ſtupas & leviores paleas; ita ebrietas corrumpit animam & dejicit eam in grande peccatum. Dominus per Prophetam ait : *Væ illis, qui manè ſurgunt ad ebrietatem ſectandam, & ad potandum vinum usque ad veſperam.* Et in alio loco dicitur : *Væ his, qui potentes ſunt ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem.* Baſilius dicit, plurimi namque homines per vinum maximam debilitatem corporis contraxerunt, nec potuerunt conſequi priſtinam firmitatem. Ebrioſus putat ſe aliquid optimum agere, cùm fuerit præcipitio devolutus. Fratres chariſſimi, nolite inebriari, nolite bibendo immoderate nomina veſtra de cœlo delere. Sunt multi, quod pejus eſt, qui non ſolum ſe inebriant, ſed etiam alios adjurant, ut amplius quàm expedit, bibant. O infelix, qui hoc facis; non tibi ſufficit, quod ipſe peris, niſi adhuc inſuper & alios perdas? Non tibi ſufficit, quod in illam ebrietatem incurris, adhuc & alios tecum trahis. Non ſufficit miſero ebrioſo in ebrietate ſeipſum mergere, niſi & alios ſecum conetur involvere. Nolite Fratres, nolite hoc malum facere. Audite Apoſtolum dicentem : *Neque ebrioſi regnum Dei poſſidebunt.* Ebrius enim nec Patrem, nec Matrem, nec amicum, nec inimicum agnoſcit, neque bona & mala diſcernit, nec ignem, nec gladium timet. Si falſi Fratres & perſecutores ſunt, qui Deum & Eccleſiam contemnunt, nec bona nec mala diſcernunt, nec gladium præſentis vitæ, nec ignem gehennæ futuræ metuunt. Quando homo (e) ebrius fuerit, cor ſuum & membra deliberate non poteſt.

(e) *Ebrioſus*

Cap. lxiii. *De Clericis.*

Itaque omnes &c. *cap.* 99. *Aquisgr. ex cap.* 1. *lib. II. Officiorum S. Iſidori.*

Cap. lxiv. *De regulis Clericorum.*

His igitur lege Patrum cavetur &c. *cap.* 100. *Aquisgranenſ. cap.* 2. *lib.* 2. *Offic. S. Iſidori.*

Cap. lxv. *De generibus Clericorum.*

Duo ſunt genera Clericorum &c. *c.* 101. *Aquisgr. ex cap.* 3. *lib. II. Offic. S. Iſidori.*

Cap. lxvi. *De Sacerdotibus peccantibus.*

Presbyter aut Diaconus, qui in fornicatione aut perjurio, aut furto, aut homicidio captus eſt, deponatur, non tantum communione privetur : dicit enim Scriptura : *Non judicabit Dominus bis in idipſum.*

Cap. lxvii. *Ut Presbyter habeat unam Eccleſiam.*

Presbyter non amplius quàm unam Eccleſiam habeat, ſicut & vir unam uxorem.

Cap. lxviii. *Ut Clerici nuptialia convivia vitent.*

Presbyteri, Diacones, Subdiacones, vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia non eſt, alienarum nuptiarum convivia evitent, neque his cæteris admiſceantur, ubi amatoria cantica cantantur, aut ubi obſcœni motus corporum choris & ſaltationibus efferuntur. Ne auditus & obtutus ſacris myſteriis deputatus turpium ſpectaculorum atque verborum contagione polluatur.

Cap. lxix. *De eo quod non per ambitionem Sacerdotium appetendum.*

Sicut qui invitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris eſt Altaribus admovendus : ſic qui ultro ambit, vel importunus ſe ingerit, eſt procul dubio repellendus.

Nam qui nititur ad altiora conſcendere, quid agit niſi ut creſcendo decreſcat ? cur non perpendit, quia benedictio illi in maledictum convertitur ?...

Cap. lxx. *De eo quod removentur Presbyteri de officio ſuo.*

Hi Presbyteri, qui in presbyterio ſuo filios genuerunt, removeri ab officio ſuo debent.

Cap. lxxi. *Pro infirmis orare & ungere eos oleo præcipitur.*

Jacobus Apoſtolus ſcripſit : *Infirmatur quis in vobis? &c.* Quod non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui ſancto Oleo perungui poſſunt, quo ab Epiſcopo confecto, non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet in ſua aut in ſuorum neceſſitate ungendis. Nam idcirco de Presbyteris dictum eſt, quia Epiſcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non poſſunt. Cæterum ſi Epiſcopus poteſt, aut dignum ducit à ſe viſitatum & benedicere & tangere Chriſmate, ſine cunctatione poteſt, cujus eſt Chriſma conficere. Pœnitentibus iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta neganrur, quomodo unum genus poſſe putatur concedi ?

Cap. lxxii. *Oblationes in domibus offerri non oportet.*

Non oportet in domibus oblationes celebrari ab Epiſcopis, vel à Presbyteris.

Cap. lxxiii. *Quomodo benedicendi ſunt ſponſus & ſponſa.*

Cum precibus &c.

Cap. lxxiv. *De ſolennitatibus præcipuis colendis.*

In ſolennitatibus præcipuis, id eſt, in Natali, & in octavis, & in Epiphan. Domini, & in Paſcha, & in Aſcenſione Domini, & in Pentecoſte, & in ſanctorum Feſtivitatibus, id eſt ſancti Stephani, beati Joannis Evangel. & in Feſtivitate Infantium, & in Purificatione, & in Aſſumptione ſanctæ Mariæ. Similiter in beatorum Apoſtolorum Feſtis & ſancti Joannis Baptiſtæ, & ſancti Laurentii, & ſancti Martini, ſive & in Natali cujuslibet Sancti, cujus honor in qualicumque parœcia ſpecialis celebratur plenarium officium celebretur, & bis reficiatur.

Cap. lxxv. *De decimis dividendis.*

Sacerdotes populi ſuſcipient decimas &c.

Cap. lxxvi. *Ut Presbyteri per diverſa ab Epiſcopis, aut à Laicis indiſcretè non mittantur.*

Statutum eſt, ut Presbyteri, ſicut hactenus factum eſt, indiſcretè per diverſa non mittantur, nec ab Epiſcopis, nec ab aliis Prælatis, nec etiam à Laicis, ne fortè propter eorum abſentiam fiant animarum pericula, & Eccleſiarum, in quibus conſtituti ſunt, negligantur officia.

Cap. lxxvii. *De illis, qui ſoli Miſſas contra canonicam auctoritatem canere præſumunt.*

Statutum eſt, ut nullus Presbyterorum ſolus Miſſam celebrare præſumat, quia nec verba Domini Salvatoris, quibus myſteria corporis & ſanguinis ſuis diſcipulis celebranda tradidit, nec Apoſtoli Pauli documenra declarant, nec in ipſis Actibus Apoſtolorum, ſi enucleatim leganrur, ita fieri debere ullo modo invenitur. Nam etſi interrogatus hujusmodi corporis & ſanguinis Domini ſolitarius conſecrator fuerit, quid reſpondere poterit ? Quibus enim dicit : *Dominus vobiſcum*, aut à quo illi reſpondetur. *Et cum Spiritu tuo:* vel pro quibus ſupplicat Deum, dum dicit : *Memento Domine, famulorum famularúmque tuarum, & omnium circumſtantium*, cùm nullus circumſtet ? quæ conſuetudo Apoſtolicæ & Eccleſiaſticæ auctoritati contraria eradicanda & funditus extirpanda eſt, à domini Sacerdotibus, & ſi quis hoc deinceps facere præſumpſerit, gradus ſui periculo ſubjacebit.

Cap. lxxviii. *Ut Presbyteri inconſulto Epiſcopo non conſtituantur in Eccleſiis, vel de Eccleſiis expellantur.*

Statutum eſt, ut ſine auctoritate, vel conſenſu Epiſcoporum Presbyteri in quibuslibet Eccleſiis non conſtituantur, nec inde expellantur, & ſi quis deinceps hoc facere tentaverit, Synodali ſententiâ diſtrictè feriatur.

Cap. lxxix. *De libris, quos unuſquiſque ſecum in Eccleſia habere debet.*

Hi ſunt libri, quos habere debet unusquiſque Sacerdos in Eccleſia ſua, per quos ſcilicet Miſſas & Epiſtolas, ſeu etiam, Evangelium, vel Baptiſterium, ſeu pœnitentiam, aut circulos annorum, ſive lectiones nocturnales legere poteſt. Si quis tales non habuerit, ab Eccleſia degradetur, quia in illo completur, quod in libris legitur : *Canes muti non poſſunt latrare :* iſti ſunt mali Presbyteri, qui concupiſcunt accipere paſtorale miniſterium Eccleſiæ, nec tamen poſſunt ad populum prædicare.

Cap.

Cap. lxxx. *De non ſuſcipiendis alterius Eccleſiæ Clericis, & de ſuſceptoribus eorum abſque literis commendatitiis, vel teſtibus Clericis in eadem Eccleſia militantibus.*

Jam conſtitutum eſt, quod non liceret in alterius civitatis Eccleſia, vel in poteſtate laicorum Clericos militare; ſed ibidem permanere, in qua principio meruerunt miniſtrare; extra eos qui miſſi à patria ad aliquam Eccleſiam pro neceſſitate venerint. Qui verò Epiſcopórum, aut laicorum, poſt hoc conſtitutum alterius Eccleſiæ Clericum ſuſceperit, niſi ad excuſandum rationabiliter, placuit à communione ſuſpendi, & eum, qui ſuſcipit, & qui ſuſceptus eſt, quouſque Clericum ad ſuam fecerit reverti Eccleſiam.

Cap. lxxxi. *Epiſtola cujuſdam Deicolæ in Chriſti nomine miſſa ad Sacerdotes & Clericos prædicationis atque inſtructionis cauſa ipſis directa.*

Dilectiſſimis Sacerdotibus Eccleſiarum Chriſti Præſulibus & cunctis Clericis in eiſdem ubique ei famulantibus, & Deicolis omnibus in totum mundum degentibus æternam in Domino Salvatore noſtro ſalutem.

Noverit igitur dilectio veſtra, quod ſemper ſollicitus ſum, & valdè noſſe deſidero de ſalute & ſanitate ac vita veſtra: Deus autem omnium noſtrûm veſtrumque pium adimpleat deſiderium in gloriam & vitæ ſanctæ diſciplinam. Ego cùm ſimus Dominicæ plebis ſuperna miſeratione Rectores, ſtudioſius nos convenit Dei præſidium pro eorum ſæpe cogitare ſalute, qui nobis commiſſi eſſe videntur: Ne de creditis fruſtratiſque, quod abſit, animabus inſidiis antiqui hoſtis ante omnium paſtorem niſi ſuccedat præveniendo de offenſis correctio, diſtrictam cogamur ſolvere rationem. Unde rogamus vos, ut juſte & pie ſanctéque viventes cæteris fidelibus in exemplum ſitis & caſto corde & corpore ſub regula canonica vivatis. Et præterea peto, ut & conſidereetis & ante mentis & corporis oculos ſemper habeatis, quid ſumus nos & vos. Nonne homines ſumus? & unde homines niſi de humo? & quid eſt humus niſi pulvis, & cinis? & quid erimus, niſi quod dictum eſt: *Chriſtus cùm apparuerit, ſi bene egerimus, ſimiles ei erimus*, hoc eſt in immortalitate & æternitate? Abnegemus chariſſimi Fratres, quod ſumus ut incipiamus eſſe quod non ſumus; ergo omne bonum à ſummo Deo ſperandum eſt, quia *niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant, qui ædificant eam: & niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilant qui cuſtodiunt eam.* Nos ergo petamus, quæramus, pulſemus, *qui petit accipit, & qui quærit invenit & pulſanti aperietur.* Cogitemus ſemper ultimum noſtri exitus diem. Ornemus finem noſtrum, & componamus diligenter vitam noſtram, & quantùm incerti ſimus de obitus noſtri die, tantùm parati ſumus in actione noſtra bona, ut, quandocumque venerit, nos ſemper paratos inveniat.

Conſideremus & penſemus, quia diſtrictus venturus eſt Judex, qui non ſolùm operum, ſed cogitationum exactor apparebit. Laboremus in opere Dei quantùm poſſumus, quantùm debemus, quoniam ut ait Apoſtolus: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Qua de re ſatagendum eſt nobis, omnibus fidelibus, ut ad ipſam gloriam fideliter curramus. Veſtram quoque, ô Sacerdotes Fratréſque dulciſſimi, moneo ſolertiam, ut reminiſcamini, quàm magna ſuſcepta habeatis onera animarum. Namque curam ſuſcepiſtis. Ideo ſecuritatem vitæ deponite, quæ inutilis eſt animæ & corpori. Quoniam, qui animas ſuſceperunt ad regendum, parare ſe debent ad rationem reddendam in conſpectu Dei. Idcirco, in quantùm prævaletis tam verbô quàm exemplô, ut prædiximus, admonere non ceſſetis vobis commiſſas oves, ut in judicio cum Propheta abſoluti dicere poſſitis: *Domine juſtitiam tuam non abſcondi in corde meo, veritatem tuam & ſalutare tuum dixi.* Diem ultimum cogitate & Regulam veſtram conſervate, villicationem veſtram penſate, quia de omnibus, qui veſtra negligentia periêrint, rationem eritis reddituri in die judicii. Et ut de negotio lucrum reportetis & præmium, oportet vos magis prodeſſe, quàm præeſſe. O ſpiritales Sacerdotes, diligite Clerum & populum veſtrum, & nullas vobis æſtimetis propinquiores eſſe parentes, quàm qui vobiſcum in domo & in opere Dei morantur, quia ubi amor & dilectio eſt ſpiritalis, ibi Deus mediator inhabitat; qui dixit: *In hoc cognoſcent omnes, quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Veſtram quoque fragilitatem humiliter conſiderate & infirmorum curam patienter portate. In imperio veſtro moderati ſitis, ut Regula docet, ſimiliter moneo, ut opera, quæ injungitis, diſcernatis & temperetis. Diſcretionem ſemper cogitate, ut quod fecerint ſubjecti veſtri abque murmure faciant, ut & animæ ſalventur, & corpora ſupra modum non graventur. Moneo & omnes Clericos vobis ſubjectos, ut vobis humiliter obediant & Regulam Canonicam pro viribus adimplere ſatagant, & abs-

P 3 que

que murmuratione imperio veſtro ſubjaceant, Dominóque dulciter ſerviant. Omnis homo poteſtatibus ſublimioribus ſuisque Præpoſitis ſubditus eſſe debet, quantò magis ſervi Dei obedire humiliter Præpoſitis, ſuis debent? Moneo etiam & Regulæ Canonicæ memores ſint, ejusque præcepta ante oculos ſemper habeant. Nam quis ſcit, quid contingat ſibi vel aliis in hac vita? aut quis unquam inobediens ad bonum finem pervenit? Nobis verò pavor incutitur non modicus, dum legimus multorum Sanctorum in fine fuiſſe periculum, & poſt tantos labores conquiſitos etiam de ſummis ad ima fuiſſe præcipitatos, quorum caſus noſter debet eſſe profectus. Siquidem & primum hominem per inobedientiam cecidiſſe legimus. Multa ſiquidem atque innumerabilia de his colligi poſſunt, ſed nobis iſta modo ſufficiunt, ut in his caveatis, ne inobedientiam in aliquo incurratis. Non vos delectent deliciæ ſuperfluæ, niſi quantum corpus ſuſtentari videtur, & non quantùm voluntas humana appetere tentat. Nolite eſſe cultis veſtibus adornati, ſed ſimplici modo neceſſitatibus corporis contenti, ſic habeatis diſciplinam, ut non amittatis animam. Nolite eſſe oblivioni dediti, nec ulla ſecuritate hebetati, ſed tam corporis quàm animæ alimenta præparate vobis & Clericis ſubjectis veſtris, ut læti vobiſcum Chriſto ſerviant, ſub cujus ſervitio ſe tradiderunt; ut in futuro mercedem recipiatis & vocem domini audiatis, ubi dicitur: *quia ſuper pauca fidelis fuiſti, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Ad quod gaudium me peccatorem, & vos omnes unà cum omnibus nobis commiſſis, Dominus & Salvator noſter, præcibus omnium Sanctorum ſuorum perducere illæſos in vita æterna dignetur, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Cap. LXXXII. *Alia Epiſtola ad Epiſcopum.*

In Andegavenſi codice nomen illius Epiſcopi exprimitur. *Baldinus Epiſcopus.*

Dulciſſimo Domno meo Epiſcopo in Chriſti, nomine ſalutem perpetuam.

Pater dulciſſime, bene valeas in Chriſto, & illi ſemper placeas. Saluto te, & per te omnes Clericos tuos. Conſolare & conforta eos in ſervitio Domini noſtri JEſu Chriſti, in quantum prævales. Moneo prudentiam tuam, ut peccantes arguas coram omnibus, ut timorem cæteri habeant. Qui enim proximorum mala reſpicit, & tamen ſilentio linquam premit, eis mortis Auctor fit, quò eos, quos poterat, curare noluit. Nos ergo, qui in periculoſo ordine conſtituti ſumus, attendamus ne ſimus inutiles ſervi, illiùs ſemper memores ſimus mandati, quod dixit: *hoc eſt mandatum meum, ut diligatis invicem.* In hoc enim mandato omnium ſalus conſiſtit. Hoc cunctis perneceſſarium eſſe conſtat, & maximè his, qui gregem Chriſti regendum accipiunt. Quapropter, Paſtor chariſſime, gregem, quem accepiſti ad regendum, diligenter erudire ſtudeto, & ſanctis admonitionibus per paſcua vitæ deducere ſatage. Habes in omni opere bono Chriſtum adjutorem, ſanctum quoque, cui militas, interceſſorem. Sicut gubernationem & diſpenſationem in domo Domini habere videris, ita tibi ſubjectos bonis moribus ornare contende, & eos in divina laude devotiſſimè fac conſiſtere, & quod Angeli ſemper agunt in cœlis, hoc tui Cleri jugiter faciant in Eccleſiis. Tuum eſt præcipere, illorum obedire; tuum eſt præire, illorum ſubſequi. Omnium itaque in ſervitio Dei una debet eſſe voluntas, ut una fiat in regno Dei remuneratio. Nullis horis canonicis ſe divinis ſubtrahat laudibus, ne propter aliquam negligentiam alicujus locus in conſpectu Dei vacuus inveniatur, & verba Dei in Eccleſiis intimo cordis affectu proferantur, & cum magna reverentia Dei omnipotentis officia celebrentur, omne verò miniſterium Chriſti humiliter & devotè impleatur; Omnis quoque inobedientia in ſæculi neceſſitatibus fideliter & ſtrenuè peragatur. Fiat quidem inter omnes concordiſſima pax & ſanctiſſima charitas & devotio vitæ Regularis. Seniores bonis exemplis & ſedula admonitione erudiant juniores, illósque diligant ut Filios, & illi quaſi Patres eos honorificent, illorúmque omni alacritate obediant præceptis. Tua verò venerande Paſtor, converſatio omnibus ſit exemplum ſalutis. Cave, ut nec minimus quis in tua ſcandalizetur vita, ſed ædificetur & roboretur in via veritatis, quia tibi ex illorum ſalute merces judicabitur æterna. Cani capilli extremum denuntiant properare diem. Quapropter paratus eſto omni hora, in occurſum Domini Dei tui. Dilectio fraterna & eleemoſynæ miſerorum & vitæ caſtitas præparant tibi gradum in cœlo. Feſtivis diebus, veniente ad Eccleſiam populo, fac eis prædicare verba Dei, & quocumque vadis, Clerici, qui ſervitium Dei pleniter peragant, tecum eant, ſobrietate ornati, non ebrietate adſtricti. Quorum honeſtas vitæ aliis ſit doctrina ſalutis, curamque omnium ubique habeas, & maximè pauperum, viduarum, & orphanorum, & audias in die tremendo à Domino cum aliis eleemoſynam facientibus. *Quamdiu feciſtis uni ex his minimis mihi feciſtis.*

ſtis. Eſto miſeris ùt Pater, & cauſam ad te clamantium diligenter diſcute, & parce in te peccantibus, ut Deus tuis parcat peccatis. Eſto juſtus in judiciis & miſericors in debitis: magiſter virtutum, moribus honeſtus, verbis jucundus, vita laudabilis, in omni opere Dei devotus; Cleros quoque cohortare, ut ſanctas Scripturas diligentiſſimè legant. Non confidant in linquæ notitia, ſed in veritatis intelligentia, ut poſſint contradicentibus veritati reſiſtere. Sunt enim tempora periculoſa, ut Apoſtolus prædixit. Quia multi pſeudo-Doctores ſurgent introducentes ſectas, qui Catholicam fidem impiis adſertionibus maculare nitantur. Ideo neceſſe eſt Eccleſiam plures habere defenſores, qui non ſolum vitæ ſanctitate, ſed etiam doctrinâ veritatis caſtra Dei viriliter defendere valeant. Has verò piæ admonitionis litterulas non quaſi neſcienti direxi, ſed ut veræ charitatis, quæ eſt in meo pectore, fidem oſtenderem. Omnipotens Deus te tuóſque chariſſimos Cleros in omni bono proficere faciat, & ad beatitudinem æternæ gloriæ venire concedat, qui regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Cap. lxxxiii. *De doctrinæ diſcretione.*

Non omnibus una eadem doctrina &c. *cap. 23. Aquiſgr. ex c. 43. lib. III. ſententiarum S. Iſidori & ex prologo lib. III. paſtoralis S. Greg. Papæ, &c.*

Cap. lxxxiv. *De Clerico derelinquente Clericatum ſuum.*

Si quis verò Clericus relicto officii ſui ordine, laicam voluerit agere vitam, vel ſe militiæ ſæculari tradiderit, excommunicationis pœnâ feratur.

Cap. lxxxv. *De eo quod non facilè ejiciatur unus de ordine Canonico.*

Silveſter dicit, non Acolytus adverſus Subdiaconum, non Exorciſta adverſus Acolytum, non Lector adverſus Exorciſtâ, non Oſtiarius adverſus lectorem det accuſationem aliquam. Et non Subdiaconus, Acolytus, Exorciſta, Oſtiarius, Lector filios habentes & uxorem, & omnino Chriſtum prædicantes, niſi in teſtimoniis ſeptem, & non damnabitur Diaconus niſi in XXXVI & non damnabitur Presbyter niſi in XLIV.

Cap. lxxxvi. *De eo quod Canonici debent ſe præcavere ante transformationes dæmonum.*

Admonendi ſunt Clerici Canonici, ut ſint cauti, ne à dæmonibus in cogitationum ſubtilitate ſeducantur. Propterea & forma diaboli inter Clericos obſervetur, ut ſi quis ad eos veniat, ſive vir ſive mulier ſit, ſive ſenex, ſive juvenis, etiamſi notus, ſive ignotus ſit, ante omnia oratio fiat, ut nomen Domini primum invocetur, quia ſi fuerit aliqua transformatio dæmonis, continuo oratione facta deſugiet. Si verò in cogitatione eorum ſuggeſſerint dæmones, aliquo modo laudari aut extolli debeant, non adquieſcent eis. Sed tunc magis ſemetipſos humilient in conſpectu Domini, & pro nihilo ducant, cùm ſibi aliquid illicitum ſuggeſſerint. Venerunt dæmones ad quemdam Monachum nomine Or, in ſpecie cœleſtis militiæ & habitu Angelorum, currus igneos agentes plurimo apparatu, tanquam magnum aliquem Regem deducentes, isque, qui à cæteris, út Rex haberi videbatur, dicebat ad eum. *Impleſti omnia; ô homo, tantùm ſupereſt tibi, ut adores me. Sed ſi adoraveris me, transferam te ſicut Heliam*: & Monachus Or hæc audiens dicebat in corde ſuo. Quid eſt hoc? quotidie ego Salvatorem meum, qui eſt Rex meus, adoro. Hic ſi eſſet ille, quem adoro, quomodo hoc à me poſceret, quod indeſinenter me facere ſciret? Poſt hæc reſpondit ad ipſum: *Ego habeo meum Regem, quem quotidie ſine intermiſſione adoro, tu autem non es Rex meus.* Et continuò ille inimicus ad hæc verba nusquam comparuit.

Item Fortunatus Epiſcopus ex quodam homine immundum ſpiritum excuſſit. Qui malignus ſpiritus cùm veſperaſcente jam die ſecretam ab hominibus horam cerneret, peregrinum quempiam eſſe ſe ſimulans circuire cœpit civitatis plateas & clamare: *O virum ſanctum Fortunatum Epiſcopum! Ecce quid fecit. Peregrinum hominem de hoſpitio expulit. Quæro ubi requieſcere debeam, & in civitate ejus non invenio.* Tunc quidam in hoſpitio cum uxore ſua & parvulo filio ad prunas ſedebat. Qui vocem audiens, & quid ei Epiſcopus fecerit requirens, hunc invitavit hoſpitio, & ſedere eum ſecum juxta prunas fecit. Cúmque viciſſim aliqua confabularentur, idem malignus ſpiritus parvulum filium invaſit, atque in easdem prunas projecit, ibique mox ejus animam excuſſit. Qui orbatus miſer vel quem ipſe ſuſceperit, vel quem Epiſcopus expuliſſet, agnovit.

Hic

Hic deſinit Andegavenſis *codex teſte Sirmondo, qui vidit, exſcripsitque. At verò in Fiſcanenſi codice ſpatiô aliquô vacuô interjectô adjectum fuiſſe, & alterum longiuſculum* Caput, *quod eſt* 122. *Concilii Aquisgranenſis* de menſura cibi & potûs. Illud quoque &c.

In eodem codice Fiſcanenſi Mſ. *reperta ſunt, quæ ſequuntur ad libellos pœnitentiales ſpectantia, neque alibi, quod ſciam, edita.*

Bonifacius Archiepiſcopus edidit.

QUomodo poſſumus pœnitentiam VII. annorum in uno anno pœnitere. Triduanam pro XXX. diebus & noctibus cantatio Pſalmorum C.XX. Pſalterio pro XII. menſibus. Pro uno die H.O. Pſalmos & vicibus *Pater noſter.* Item pro uno die IV. vicibus, *Beati immaculati* & VI. vicibus, *Miſerere mei Deus* & V. vicibus, *Pater noſter.* & LXX. vicibus proſternens ſe in terra cum *Pater noſter* dicat iojectione. Faciat ſic pro uno die. Si vult minùs pſallere, tamen vult patere, proſternat ſe frequenter in oratione C. vicibus, & dicat: *Miſerere mei Deus, & dimitte delicta mea.* Faciat hoc pro uoo die. Qui vult confiteri peccata ſua, cum lacrymis confiteri debet. Quia lacrymæ veniam non poſtulant, ſed merentur. Roget Presbyterum, ut miſſas cantet pro eo, niſi ſint crimina capitalia, quæ debet ante lavare cum lacrymis. Cantatio unius Miſſæ poteſt XII. dies redimere. Decem Miſſæ IV. menſes; viginti Miſſæ VIII. menſes. Triginta Miſſæ XII. menſes poſſunt redimere. Si vult Confeſſor eſſe cum lacrymis. Deo gratias

ADDITAMENTUM IX.

REGULÆ TRES SANCTO AUGUSTINO ATTRIBUI SOLITÆ.

OBSERVATIO CRITICA.

I*N hoc colimant omnes viri docti, S. Auguſtinum nunquam pro viris Regulam ſcripſiſſe, quamvis tres Regulæ ſub ejus nomine circumferri ſoleant. De quibus lubet audire Judicium Eminentiſſimi Cardinalis Bellarmini, in Tractatu de Scriptoribus Eccleſiaſticis ſic ſcribentis* : Ex tribus Regulis ſola tertia eſt certa S. Auguſtini; ſed fœminis data, non viris: habetur enim in Epiſtola CIX. Reliquæ duæ non videntur Auguſtini. *Hanc veram & ſinceram S. Auguſtini Regulam, ex ejusdem Epiſtola ad ſororem miſſa deſumptam, jam in tertia parte codicis Regularum Holſtenius retulit integram, eámque inter Regulas Sanctimonialibus præſcriptas primô locô collocavit, ad quam etiam & nos quasdam obſervationes more ſolito rite appoſuimus.*

Cùm verò in Monaſtico Anglicano tom. 2. *omnes has tres Regulas in uno tractatu compactas invenerimus, ſed diſtinctis capitibus ordinatas; ſic & easdem juxta eundem ordinem exhibere voluimus. Et quidem prima Regula eadem eſt ac illa, quæ conſenſoria Monachorum dicitur, & quam Holſtenius in ſecunda parte codicis edidit, eámque jam pridem viri doctiſſimi graviſſimique Auguſtino adjudicabant; iisdem enim verbis, atque eodem capitulorum numero ordinatur, ac laudata conſenſoria Monachorum. Pari quoque modo de ſecunda Regula dicendum eſt, quæ etiam ab omnibus S. Auguſtino adjudicatur, nam eadem eſt, ac Regula incerti Auctoris, iisdem verbis & capitulis conſtans, & in codice Holſteniano immediate poſt conſenſoriam Monachorum collocata. Si denique tertiam Regulam conſideremus, & illam longe diverſam à vera & ſincera S. Auguſtini Regula ab Holſtenio edita reperiemus; de qua jam ſuo loco plura obſervavimus. Cùm verò & hæc tertia*

Re-

Regula à hodiernis Canonicis Regularibus diverſimode exhiberi ſoleat, nam & eadem Monachii anno 1660. *prodiit, Præpoſito in Weiren nuncupata, decem ſolum capitibus conſtans, & alibi ſæpius alio ordine diſtributa, ſic & illam XIV. capitibus comprehenſam hic exhibemus, quia ſecundùm hunc ordinem, & illa à Canonicis Regularibus, per Angliam & Scotiam, obſervata fuit.*

Regula prima, quam Divus Pater Aurelius Auguſtinus Fratribus, ſeu Monachis, qui ſimul & communiter vivere Spopondiſſent, præſcripſiſſe dicitur.

CAPUT I.

COmmuni diffinitione decrevimus apud nos, quod nunquam poſtmodum ab aliquô poterit infringi, Reſidentibus in Monaſterio in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti, omnibus placuit, ſecundùm Apoſtolicam traditionem, unum ſentire in Domino, & communiter poſſidere, ſicut ſcriptum eſt: *Unum ſentire in Dominô*, & nemo quidem proprium vendicet, quidquam; ſed ſicut ſcriptum eſt in Actibus Apoſtolorum: Habentes
Act. 2. & 3 omnia communia, nemo quidquam eſſe ſuum dicebat, quod à nobis ſcriptum eſt. In Domino ergo jure obſervationis nos teneamus, quoniam Lege ſcriptum eſt:
Matth. 10. & 24. *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.*

CAPUT II.

SI quis autem venire deſiderat ad Congregationem Fratrum, qui unum eſſe videntur: non ignoret Evangelium dictum, quod dixit: Vendat omnia ſua, & eroget egenis & pauperibus. Et iterum:
Matth. 19. *Abneget ſemetipſum ſibi, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Et ne tractet in corde ſuo de victu aut veſtitu, & cæteris quæ neceſſaria ſunt corpori, ipſo Do-
Luc. 9. mino præmonente in Evangelio & dicente: *Nolite cogitare dicentes: quid edetis aut quid veſtiemini? hæc enim gentes cogitant.*
Matth. 6. *Scit Pater veſter, quia horum omnium indigetis. Quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia apponentur vobis.*

CAPUT III.

VErumtamen antequam ſtatuat eſſe in Monaſterio, probet propoſitum Fratrum, atque exemplum, & ipſi probentur in omni converſatione ab illo, qui Prior eſt, & cæteris conſentientibus propter illud, quod Scriptura docet & admonet, dicens: *Amicum noli cito comprobare.*

CAPUT IV.

SEd ſi contigerit, ut aliquis ex qualibet cauſa neceſſitatis, à Monaſterio fuerit abſtractus: ne vel mente concipiat ſecum aliquid ferre de his omnibus, quæ in Monaſterio fuerunt: ſive etiam, quæ ſecum aliquando attulerat, ſive ea, quæ cum Fratribus acquiſierat: quia certum eſt, Fratres nihil habere, poſſidere, dare vel accipere debere, ſine Superioris licentia. Quod ſi propinquus vel amicus, vel quilibet Fratrum aliquid offerre voluerit, primò quidem Priori inſinuetur, & ſic ſuſcipiatur, ſi ipſe mandaverit: de quo tamen nihil fiat aliud, niſi quod Priori placuerit vel permiſerit: quoniam valdè verendum eſt, ne ſibi eveniat, quod ſcriptum eſt: *Vir mutabilis in lingua, incidit in mala.* Prov. 13. Et iſtum, ut nullum de Fratribus ſecum provocet: ne magis deſtructor quàm ædificator Monaſterii videatur, propter id, quod ſcriptum eſt: *Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui mecum non congregat, diſpergit.* Matth. 12. Et quicunque provocatus ab aliquo, de Monaſterio voluerit abſcedere, aut indicet Præpoſito: cui utique de his, quæ in communi decrevimus, nihil eſſe cenſeo ſubtrahendum: quia ſcriptum eſt: *Pacifici ſint tibi multi: ſed unus eſt de mille, ſit tibi Conſiliarius.* Eccleſ. 6. 6.

CAPUT V.

IGitur hæc quæ ſcripta ſunt, cum ſumma diligentia obſervanda ſunt à Præpoſito uſque ad omnes Fratres. Et ſi quis ab aliquo doctrinam audiverit, præter quam in Monaſterio conſecutus eſt ab eo, qui ſe credidit: hanc autem ſuſcipiat, & eam non ſubtrahat doctori: quia ſcriptum eſt, omne quod manifeſtat, lux eſt. Si enim bona fuerit, collaudanda eſt; ſi verò prava, reprobanda.

CAPUT VI.

DE his autem Fratribus, qui in unitate conſiſtunt: ſi quis ſubito adverſus Præpoſitum altercatus fuerit, non ſolùm ſemel ſed ſecundo & tertio, ut Evangelium docet, licet exorare. Si autem noluerit ſe emendare, ille cui injuria irrogata eſt poſt pœnitentiam vel ſecundam correctionem, quæ non revocaverit, contuma-

cem denunciet & illum Præpoſito: ne per taciturnitatem ille & Frater ſuus periclitetur, ſicut Salomon ait: *Qui occultat inimicitiam inſtruit dolum.*

CAPUT VII.

SI verò, ut fieri ſolet incurſio repentina ſupervenerit, aut hoſtilitas: ut impoſſibile ſit, Fratribus in unum fugam petere propter inſecutionem inimicorum, & poſtmodum Deo favente evaſerint, & potuerint pervenire, ubi Præpoſitum eſſe cognoverant, velut filii ad patrem feſtinare debebunt. Nec ullo modo poterunt ſeparari, quos divina charitas ſociavit, quia ſcriptum eſt: *Perfecta dilectio foras mittit timorem.* 1. Joan. 3.

CAPUT VIII.

SI quis autem, quod ſuperiùs diximus, cauſa neceſſitatis detinet id, quod à Monaſterio ſecum portavit: neceſſe habebit, ubi Præpoſitus ſuus eſt, illud proferre: quia non poterit ſibi retinere, quod per pactum ad omnes pertinet, & Deo utique eſt conſecratum. Sed ſi cogitaverit de his aliquid retinere, contra dictum Apoſtoli agere videtur, qui ait: *Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis vos.* Rom. 13.

CAPUT IX.

OMnia quæ in iſto libro continentur, omnes Fratres obſervent, atque ſe ſubſcribant, qui boni eſſe deſiderant. Verùm propter illos hæc ſunt cauta, id eſt, ſcripta, qui in omnibus ſtabiles eſſe noſcuntur.

D. Patris Aurelii Auguſtini Regula ſecunda,

Confratres & Monachos de modo ac tempore orandi, pſallendi, legendi, operandi, vivendi & converſandi inſtruens.

CAPUT I.

ANte omnia, Fratres chariſſimi, diligatur Deus: deinde proximus. Qualiter autem oporteat nos orare, vel pſallere, deſcribimus: id eſt, in matutinis dicantur Pſalmi octuaginta octo cum debitis Antiphonis, Verſibus, & Reſponſoriis. Ad primam, tertiam dicantur ſui Pſalmi, Antiphonæ duæ, lectiones duæ. Simili modo ad ſextam & nonam dicantur ſui Pſalmi, cum debitis Reſponſoriis, & Antiphonis. Hoc idem in Veſperis & Completorio ſervetur. Ad lucernarium autem Pſalmus unus, Reſponſorium unum, tres Antiphonæ, lectiones tres. Et opportunò poſt lucernarium, omnibus ſedentibus, legantur lectiones Nocturnæ autem lectionis menſe Novembri, Decembri, Januario, & Februario, Antiphonæ duodecim, Pſalmi ſex, lectiones tres: Martio, Aprili, Septembri, Octobri, Antiphonæ decem, Pſalmi quinque, lectiones tres: Majo, Junio, Julio, & Auguſto, Antiphonæ octo, Pſalmi quatuor, lectiones duæ.

CAPUT II.

OPerentur à mane uſque ſextam, & à ſexta uſque ad nonam vacent lectioni: & ad nonam reddant codices. Et poſtquam refecerint ſive in horto, ſive ubicunque fuerint, opus faciant uſque ad horam lucernarii. Nemo ſibi aliquid vendicet proprium, ſive in veſtimento, ſive in quacumque re. Apoſtolica enim vita optamus vivere. Nemo cum murmure aliquid faciat, ut non ſimili judicio murmuratorũ pereat. Fideliter obediant: hi Patrem ſuum poſt Deum honoraverunt: Præpoſito ſuo deferant honorem, ſicut decet ſanctos. Sedentes ad menſam taceant, audientes lectiones, ſi autem aliquid opus fuerit, Præpoſitus eorum ſolicitus ſit. Sabbatho & Dominica, ſicut conſuetudo eſt, qui volunt, vinum accipiant. Act. 2. & 4.

CAPUT III.

SI opus fuerit ad aliquam neceſſitatem mitti, duo eant. Nemo extra Monaſterium ſine præcepto manducet, neque bibat. Non enim hoc ad diſciplinam pertinet Monaſterii. Si opera Monaſterii mittantur Fratres vendere, ſolicitè caveant, ne quid faciant contra præceptum, ſcientes, quoniam exacerbant Dominum in Sanctis ſuis. Si aliquid emant ad neceſſitatem Monaſterii, ſolicitè & fideliter, ut ſervi Dei, agant.

CAPUT IV.

OTioſum verbum apud illos non ſit. Mane ad opera ſua ſedeant: poſt orationem *tertiæ* eant ad opera ſua: non ſtantes fabulas contexant, niſi fortè aliquid ſit pro utilitate animæ: ſedentes ad opera taceant: niſi neceſſitas operum exigeret, ut loquatur quis.

CA-

CAPUT V.

SI quis autem non omni virtute, adjuvante miſericordia Dei, hæc conatus fuerit implere, ſed contumaci animô deſpexerit: ſemel atque iterum commonitus, ſi non emendaverit, ſciat ſe ſubjacere diſciplinæ Monaſteriæ ſicut oportet. Si autem talis fuerit ætas ipſius, vapulabit. Hæc in nomine Chriſti fideliter & piè obſervantes, & vos proficietis, & nobis non parva lætitia erit de veſtra ſalute. Hæc ſunt, quæ ut obſervetis, præcipimus in Monaſterio conſtituti.

D. Patris Aurelii Auguſtini Regula tertia, in qua latiùs tradidit ea, quæ ad communem Clericorum vitam pertinent: quæ à nonnullis inter Sermones, de communi vita Clericorum enumeratur.

Math. 22 ANte omnia, Fratres chariſſimi, diligatur Deus: deinde proximus, quia iſta præcepta ſunt principaliter nobis data. Hæc igitur ſunt, quæ ut obſervetis, præcipimus in Monaſterio conſtituti.

CAPUT I.

PRimum, propter quod in unum eſtis congregati, ut unanimes habitetis in domo, & ſit vobis anima una & cor unum in Deo. Et non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia. 12. q. 1.

CAPUT II.

ET diſtribuatur unicuique veſtrum à Præpoſito veſtro victus & tegumentum: non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes: Sed potius unicuique, ſicut unicuique opus fuerit. Sic enim legitis in Actibus Apoſtolorum: Quia erant illis omnia communia, & diſtribuebatur unicuique ſicut cuique opus erat.

CAPUT III.

QUi aliquid habebant in ſæculo, quando ingreſſi ſunt Monaſterium, libenter velint illud eſſe commune. Qui autem non habebant, non ea quærant in Monaſterio, quæ nec foris habere potuerunt.

CAPUT IV.

SEd tamen eorum infirmitati, quod opus eſt, tribuatur: etſi paupertas eorum, quando foris erat, nec ipſa neceſſaria, poterat invenire. Tamen non ideo ſe reputent eſſe felices, quia invenerunt victum & tegumentum, quale foris invenire non poterant: nec erigant cervicem, quia ſociantur eis, ad quos foris accedere non audebant, ſed ſurſum cor habeant, & terrena vana non quærant: ne incipiant eſſe Monaſteria divitibus utilia, non pauperibus: ſi divites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur.

CAPUT V.

RUrſus etiam illi, qui aliquid eſſe videbantur in ſæculo, non habeant faſtidio Fratres ſuos, qui ad illam ſanctam Societatem ex paupertate venerunt. Magis autem ſtudeant non de parentum divitum dignitate, ſed de pauperum Fratrum ſocietate gloriari. Nec extollantur, ſi communi vitæ aliquid de ſuis facultatibus contulerunt: nec de ſuis divitiis magis ſuperbiant, quia eas in Monaſterio partiuntur, quàm ſi eis in ſæculo fruerentur. Alia quippe quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant: Superbia verò etiam bonis operibus inſidiatur, ut pereant. Et quid prodeſt diſpergere dando pauperibus, & pauperem fieri, cùm anima miſera ſuperbior efficitur divitias contemnendo, quàm fuerat poſſidendo.

CAPUT VI.

OMnes ergo unanimiter & concorditer vivite, & honorate in vobis Deum invicem, cujus templa facti eſtis.

CAPUT VII.

ORationibus inſtate horis & temporibus conſtitutis.

CAPUT VIII.

IN Oratorio nemo aliquid agat, niſi ad quod factum eſt, unde & nomen accepit: ut ſi fortè aliqui etiam præter horas conſtitutas, ſi eis vacat, orare voluerint, non eis ſint impedimento, qui ibi aliquid agendum putaverint.

CAPUT IX.

PSalmis & hymnis cùm oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertur in voce.

CAPUT X.

ET nolite cantare, niſi quod legitis eſſe cantandum. Quod autem non ita ſcriptum eſt, ut cantetur, non cantetur.

CAPUT XI.

CArnem veſtram domate jejuniis & abſtinentiâ eſcæ, quantùm valetudo permittit.

CAPUT XII.

QUando autem aliquis non poteſt jejunare, non tamen extra horam prandii aliquid alimentorum ſumat, niſi cùm ægrotat.

CAPUT XIII.

CUm acceditis ad menſam, donec inde ſurgatis, quod vobis ſecundùm conſuetudinem legitur, ſine tumultu & contentionibus audite: ne ſolæ vobis fauces ſumant cibum, ſed & aures eſuriant Dei verbum.

CAPUT XIV.

QUi infirmi ſunt ex priſtina conſuetudine, ſi aliter tractantur in victu, non debet aliis moleſtum eſſe, nec injuſtum videri, quos fecit aliqua conſuetudo fortiores. Nec illos feliciures putent, quia ſumunt ipſi: Sed ſibi potiùs gratulentur, quia valent, quod non valent illi.

CAPUT XV.

ETſi eis, qui venerunt ex moribus delicatioribus ad Monaſterium, aliquid alimentorum, veſtimentorum, operimentorum datur, quod aliis fortioribus, & ideo felicioribus, non datur, cogitare debent, quibus non datur, quantum de ſua ſæculari vita illi ad iſtam deſcenderint, quamvis uſque ad aliorum, qui ſunt corpore firmiores, frugalitatem pervenire nequiverint, nec debent velle omnes, quod paucos vident amplius, non quia honorantur, ſed quia tolerantur accipere: ne contingat deteſtanda perverſitas, ut in Monaſterio, ubi quantum poſſunt, fiunt divites laborioſi, fiant pauperes delicati.

CAPUT XVI.

SAnè quemadmodum ægrotantes neceſſe habent minus accipere, ne graventur: ita poſt ægritudinem ſic tractandi ſunt, ut citius recreentur, etiam ſi de humillima ſæculi paupertate venerunt, tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod divitibus anterior conſuetudo.

CAPUT XVII.

SEd cùm vires priſtinas reparaverint, redeant ad feliciorem conſuetudinem ſuam, quæ famulos Dei tantò ampliùs decet, quantò minùs indigent: ne cibi eos teneat voluptas jam vegetatos, quos neceſſitas levârat infirmos. Illos exiſtiment ditiores, qui in ſuſtinenda parcitate fuerint fortiores. Melius eſt enim minùs egere, quàm plus habere.

CAPUT XVIII.

NOn ſit notabilis habitus veſter, nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus.

CAPUT XIX.

QUando proceditis, ſimul ambulate: cùm veneritis, quò itis, ſimul ſtate.

CAPUT XX.

IN inceſſu, ſtatu, & in omnibus motibus veſtris nihil fiat, quod cujuſquam offendat adſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem.

CAPUT XXI.

OCuli veſtri, etſi jaciuntur in aliquam fœminatum, non figantur in illa. Neque enim quando proceditis, fœminas videre prohibemini; ſed appetere, aut ab ipſis appeti velle, criminoſum eſt. Nec ſolo tacito affectu, ſed & aſpectu appetitur, & appetit concupiſcentia fœminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos. Quia impudicus oculus, impudici cordis eſt nuntius. Et cum ſe invicem ſibimet, etiam tacente lingua, conſpectu mutuo corda nunciant impudica, & ſecundùm concupiſcentiam carnis alterutro delectantur amore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit caſtitas ipſa de moribus. Nec putare debet, qui in fœminam oculos figit, & illius in ſe diligit fixum, ab aliis ſe non videri, cùm hoc fecerit. Videtur omnino, & à quibus ſe videri non arbitratur. Sed ecce lateat, & à nemine hominum videatur: quid faciet de deſuper inſpectore, quem latere nihil poteſt? An ideo putandus eſt non videre, quia tantò videt patientiùs, quantò ſapientiùs? Illi ergo vir ſanctus timeat diſplice-

ſplicere, ne velit fœminæ malè placere. Illum cogitet omnia videre, ne velit fœminam malè videre. Illius namque & in hac cauſa commendatus eſt timor, ubi ſcriptum eſt: *Abominatio eſt Domino defigens oculum.*

CAPUT XXII.

QUando ergo ſimul eſtis in Eccleſia & ubicunque, ubi fœminæ ſunt, invicem veſtram pudicitiam cuſtodite: Deus enim qui habitat in vobis, etiam iſto modo cuſtodiet vos ex vobis.

CAPUT XXIII.

ET ſi hanc, de qua loquor, oculi petulantiam in aliquo veſtrûm adverteritis, ſtatim admonete, ne cœpta progrediantur, ſed de proximo corrigantur. Si autem & poſt admonitionem iterum vel alio quocunque die idipſum eum facere videritis, jam velut vulneratum, ſanandum procedat, quicunque hoc potuerit invenire. Priùs autem & alteri vel tertio demonſtrandum, ut duorum vel trium poſſit ore convinci, & competenti ſeveritate coerceri. Nec vos judicetis eſſe malevolos, quando hoc indicatis. Magis quippe innocentes non eſtis, ſi Fratres veſtros, quos indicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis. Si enim Frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari, cùm timeret ſecari: nonne crudeliter abs te ſileretur, & miſericorditer indicaretur? Quantò ergo potiùs debes manifeſtare, ne deterius putreſcat in corde? Sed antequam aliis demonſtretur, per quos convincendus eſt, ſi negaverit: prius Præpoſito oſtendi debet, ſi admonitus neglexerit corrigi: ne forte poſſit, ſecretius correctus, non innoteſcere cæteris. Si autem negaverit, tunc neganti adhibendi ſunt alii: ut jam coram omnibus poſſit non ab uno teſte argui, ſed à duobus vel tribus convinci. Convictus verò, ſecundùm Præpoſiti, vel etiam Presbyteri, ad cujus diſpenſationem pertinet, arbitrium debet emendatoriam ſubire vindictam. Quam ſi ferre recuſaverit, etiam ſi ipſe non abſceſſerit, de veſtra Societate projiciatur. Non enim hoc fit crudeliter, ſed miſericorditer, ne contagione peſtifera plurimos perdat.

CAPUT XXIV.

ET hoc quod dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris inveniendis, prohibendis, judicandis, convincendis, vindicandiſque peccatis diligenter & fideliter obſervetur cum dilectione hominum & odio vitiorum.

CAPUT XXV.

QUicunque autem in tantum progreſſus fuerit malum, ùt occultè ab aliquo literas vel quodlibet munus accipiat, ſi hoc ultro confitetur, parcatur illi, & oretur pro illo. Si autem deprehenditur, atque convincitur, ſecundùm arbitrium Presbyteri vel Præpoſiti graviùs emendetur.

CAPUT XXVI.

VEſtes veſtras in unum habeatis ſub uno cuſtode vel duobus, vel quot ſufficere potuerint ad eas excutiendas, ne à tinea lædantur. Et ſicut paſcimini ex uno cellario, ſic induamini ex uno veſtiario. Et ſi fieri poteſt, non ad vos pertineat, quod vobis indumentum pro temporis congruentia proferatur, utrum recipiat hoc unuſquiſque, quod depoſuerat, an aliud quod alter habuerat: dum tamen unicuique prout opus eſt, non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones & murmura oriuntur, cùm quæritur aliquis deterius ſe accepiſſe, quàm priùs habuerat, & indignum ſe eſſe, quod non ita veſtiatur, ſic ut alius Frater ejus veſtitur: hinc vos probate, quantum vobis deſit in illo interiore ſancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis. Tamen ſi veſtra toleratur infirmitas, ut hoc recipiatis, quod poſueritis: in uno tamen loco, ſub communibus cuſtodibus habete, quod ponitis.

CAPUT XXVII.

ITa ſanè, ut nullus ſibi aliquid operetur: ſed omnia opera veſtra in unum fiant majori ſtudio & frequentiori alacritate, quam ſi vobis ſingulis feceritis propria. Charitas enim, de qua ſcriptum eſt, quod non quærit, quæ ſua ſunt, ſic intelligitur, quia communia propriis, non propria communibus, anteponit. Et ideo quantò amplius rem communem quàm propria veſtra curaveritis, tantò vos amplius proficere noveritis: ut in omnibus, quibus utitur tranſitura neceſſitas, ſemper emineat, quæ permanet, charitas.

CAPUT XXVIII.

COnſequens ergo eſt, ut etiam qui ſuis Filiis aut neceſſitudine aliqua ad ſe pertinentibus, in Monaſterio conſtitutis, aliquam contulerit veſtem, ſive quodlibet aliud inter neceſſaria deputandum, non occultè accipiatur, ſed ſit in poteſtate Præpoſiti, ut in rem communem redactum, cui neceſſarium fuerit, præbeatur.

CAPUT XXIX.

QUod ſi aliquis rem ſibi collatam celaverit, furti judicio condemnetur.

CAPUT XXX.

INdumenta veſtra, ſecundùm arbitrium Præpoſiti, laventur, ſive à vobis ſive à fullonibus, ne interiores animæ ſordes contrahat mundæ veſtis nimius appetitus.

CAPUT XXXI.

LAvacrum etiam corpori, cùm infirmitatis neceſſitas cogit, minimè denegetur. Fiat ſine murmure de conſilio medicinæ, ita ut, etiam ſi nolit, jubente Præpoſito faciat, quod faciendum eſt pro ſalute. Si autem velit, & fortè non expedit, ſuæ cupiditati non obediatur. Aliquando enim, etiam ſi noceat, prodeſſe creditur, quod delectat. Denique ſi latens eſt dolor in corpore, famulo Dei dicenti, quid ſibi doleat, ſine dubitatione credatur. Sed tamen, utrum ſanando illi dolori, quod delectat, expediat: ſi non eſt certum, medicus conſulatur.

CAPUT XXXII.

NEc eant ad balnea, ſive quocunque ire neceſſe fuerit, minùs quàm duo vel tres. Et ille, qui habet aliquo eundi neceſſitatem, cum quibus Præpoſitus juſſerit, ire debebit.

CAPUT XXXIII.

ÆGrotantium cura, ſive poſt ægritudinem reficiendorum, ſive aliquâ imbecillitate, ſive etiam febribûs laborantium, uni alicui debet injungi, ut ipſe de Cellario petat; quod cuique opus eſſe proſpexerit.

CAPUT XXXIV.

SIve autem qui Cellario, ſive qui veſtibus, ſive qui codicibus præponuntur, ſine murmure ſerviant Fratribus ſuis.

CAPUT XXXV.

COdices certa hora ſingulis diebus petantur: extra horam qui petierit, non accipiet.

CAPUT XXXVI.

VEſtimenta verò & calceamenta quando indigentibus, fuerint neceſſaria dare non differant, ſub quorum cuſtodia ſunt, quæ poſcuntur.

CAPUT XXXVII.

LItes autem nullas habeatis, aut quam celerrimè finiatis: ne ira creſcat in odium & trabem faciet de feſtuca & animam faciat homicidam. Sic enim legitis: *Qui odit Fratrem ſuum, homicida eſt.* 1. Joan. 3.

CAPUT. XXXVIII.

QUicunque convicio, vel maledicto, vel etiam criminis objectu aliquem læſit: meminerit ſatisfactione quàm citiùs curare, quod fecit: & ille qui læſus eſt, ſine diſceptatione dimittere. Si autem invicem ſe læſerint, invicem ſibi debita relaxare debebunt propter orationes veſtras: quas utique quantò crebriores habetis, tantò ſanctiores habere debetis. Melior eſt autem, qui, quamvis irâ ſæpe tentatur, tamen impetrare feſtinat, ut ſibi dimittat, cui ſe feciſſe agnoſcit injuriam: quam qui tardiùs iraſcitur, & ad veniam petendam tardiùs inclinatur. Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, ſine cauſa eſt in Monaſterio, etiam ſi inde non projiciatur.

CAPUT XXXIX.

PRoinde vobis à verbis durioribus parcite: quæ ſi emiſſa fuerint ex ore veſtro, non pigeat ex ipſo ore proferre medicamenta, unde facta ſunt vulnera.

CAPUT XL.

QUando autem neceſſitas diſciplinæ in moribus coercendis dicere vos verba dura compellit, ſi etiam ipſi vos modum exceſſiſſe ſentitis: non à vobis exigitur, ut à veſtris ſubditis veniam poſtuletis: ne apud eos, quos oportet eſſe ſubjectos, dum nimium ſervatur humilitas, regendi frangatur authoritas: Sed tamen petenda eſt venia ab omnium Domino, qui novit etiam nos, quos plùs juſtò fortè corripitis, quantâ benevolentiâ diligitis. Non autem carnalis, ſed ſpiritualis inter vos debet eſſe dilectio.

CAPUT XLI.

PRæpoſito tanquam Patri obediatur: multò magis Presbytero, qui omnium veſtrum curam gerit.

CAPUT XLII.

UT ergo cuncta iſta ſerventur, & ſi quid ſervatum minus fuerit, non negligenter prætereatur, ſed ut emendandum corrigendúmque curetur: ad Præpoſitum præcipuè pertinebit, ut ad Pres-

Presbyterum, cujus eſt apud vos major authoritas, referat, quod modum vel vires ejus excedit.

CAPUT XLIII.

IPſe verò, qui vobis præeſt, non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſerviente felicem. Honore coram vobis Prælatus ſit vobis, timore coram Deo ſubſtratus ſit pedibus veſtris. Circa omnes ſeipſum bonorum operum præbeat exemplum, corripiat inquietos, conſoletur puſillanimes, ſuſcipiat infirmos, patiens ſit ad omnes. Diſciplinam libens habeat, metuendus imponat, & quamvis utrumque ſit neceſſarium, tamen plus à vobis amari appetat, quàm timeri, ſemper cògitans Deo ſe pro vobis redditurum eſſe rationem. Unde vos magìs obediendo, non ſolum veſtri, ſed etiam ipſius miſeremini, qui inter vos quantò in loco ſuperiore, tantò in periculo majore verſatur.

CAPUT XLIV.

DOnet Dominus, ut obſervetis hæc omnia, tanquam ſpiritualis pulchritudinis amatores; & bono Chriſti odore de bona converſatione fragrantes, non ſicut ſervi ſub lege, ſed ſicut liberi ſub gratia conſtituti.

CAPUT XLV.

UT autem vos in hoc libello, tanquam in ſpeculo poſſitis inſpicere, ne per oblivionem aliquid negligatis, ſemel in ſeptimam vobis legatur. Et ubi vos inveneritis ea, quæ ſcripta ſunt, facientes, agite gratias Domino, bonorum omnium largitori. Ubi autem ſibi quicunque veſtrûm videt aliquid deeſſe, doleat de præterito, caveat de futuro: orans ut debitum dimittatur & in tentationem non inducatur, Amen.

Forma ſecundùm quam beatus Auguſtinus communem ſocietatem dedit eis, qui ſuo Fratrúmque ſuorum conſortiis conjungi optabant.

OMnes quivis per gratiam baptiſmi Fratres ſumus in Chriſto, & unum Patrem habemus in cœlo, ſi ejus præceptis, prout poſſumus, obſequimur, procul dubio tunc maximè unimur, quando orationibus, & beneficiis invicem noſmetipſos copulamus, quemadmodum & in primitiva Eccleſia, quibus cor unum erat, & anima una. Quorum amore plures accenſi mente, poſſeſſiones, & facultates rerum vendentes, congregatis cum Matre JESU Chriſti in unum pretia deferebant gaudentes, ſicque iſte nihilominus Deo inſpirante, eorum exemplô commonitus, noſtris optat conjungi conſortiis, idcirco damus ei communem ſocietatem vivendi nobiſcum: quantum autem à Domino promereri poſſumus, & noſtrum eſt largiri, quatenus cum electis à remuneratore omnium bonorum præmia repromiſſa percipere mereamur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

ADDI-

ADDITAMENTUM X.

ANTIQUÆ CONSUETUDINES
CANONICORUM REGULARIUM
DE
MONTEFORTI.

OBSERVATIO CRITICA.

CUm omnes Regulæ S. Auguſtino adſcriptæ, non ſufficerent ad conſtituendam Viris Eccleſiaſticis vitam verè regularem; ad hunc defectum ſupplendum, Sæculô undecimô & ſequentî, varia ſtatuta apud Canónicos Regulares introducta ſunt, arctiſſimam diſciplinam præſcribentia; prout ſequentes conſuetudines antiquæ teſtantur. De quibus quidem audiendus eſt doctiſſimus illarum Editor, Edmundus Martene, qui illas primum edidit in ſuo Theſauro novo Anecdotorum, Tom. IV. atque obſervatione prævia adornavit. Et quidem illis temporibus rarò fit memoria alicujus Regulæ à S. Auguſtino exaratæ, neque Sacer Ordo ſub ipſius nomine nunc florens, ſub una eademque diſciplina regulari vigebat; quælibet enim congregatio ſua ſtatuta condidit; prout varia exempla teſtantur. Sequioribûs ergo Sæculîs tot Regulæ Magno S. Auguſtino attributæ ſunt; primi enim Auguſtiniani Ordinis Inſtitutores, probè conſcii, S. Auguſtinum nullam viris præſcripſiſſe Regulam, ex ipſius piis operibus, aliorúmque SS. Patrum ſcriptis ſua ſtatuta & conſuetudines condiderunt; quemadmodum viri doctiſſimi affirmant, qui etiam ſupra allatam tertiam Regulam ipſo ſanctiſſimo Eccleſiæ Doctori abjudicant. Hinc etiam animadvertere debemus, quòd, liber inſcriptus: De vita Eremitica ad Sororem, & ſub nomine S. Auguſtini in Appendice Tomi ſecundi Operum Antverpiæ Anno 1590. inſertus, non ad ipſum, ſed ad S. Ælredum Abbatem Rievallenſem pertineat, ſub cujus etiam nomine Holſtenius in ſuo Codice collocavit, & quidem ultimo loco. Parî quoque modô diſcurrendum eſt, circa Sermones quoſdam ad Fratres in Eremo; cùm certum ſit, eosdem exaratos fuiſſe à quodam Auguſtiniano Eremita poſt Sæculum decimum quartum, cùm & tales Sermones omnino indigni ſint tanto Doctore. Vide eorum cenſuram, ſub finem ſexti Tomi novæ editionis operum S. Auguſtini, pag. 305.

ANTIQUÆ

ANTIQUÆ CONSUETUDINES CANONICORUM REGULARIUM MONASTERII S. JACOBI DE MONTEFORTI IN DIOECESI MACLOVIENSI.

Ex MS. Codice Eccleſiæ Turonenſis.

Admonitio prævia.

CONſuetudines Canonicorum Regularium Monaſterii ſancti Jacobi de Monteforti in Diœceſi Maclovienſi damus ex MS. Codice annorum circiter 500. Bibliothecæ inſignis Eccleſiæ Turonenſis, in quo cum ejuſdem Monaſterii Necrologio continentur. Ex his facilè intelliges, qualis fuerit prima Canonicorum Regularium inſtitutio, quanta viræ auſteritas, quàm dura abſtinentia, quàm ſeverum jejunium, ſilentium quàm ſtrictum, quàm arcta ſolitudo: adeo ut à Ciſtercienſium prima vivendi ratione vix in ulla re diſcreparent, quorum uſus etiam his in Conſuetudinibus paſſim inſeruntur: id quod ad marginem annotare non prætermittimus. Ingentem hunc auſterioris vitæ rigorem hodie compenſant Canonici Regulares variis erga proximi ſalutem officiis, ac internarum virtutum floribus, quarum odore univerſam Eccleſiam demulcet Gallicana congregatio reformata. Porro in gratiam lectorum has Conſuetudines ſub certis diſtinximus capitulis, quibus ſuum cuique præfiximus titulum.

Cap. i. *De Prima.*

APparente aurora, factô ſignô à Priore, Fratres de ſtratis ſurgentes præparent ſe, & in clauſtrum exeant, totiſque manibûs pergentes ad Eccleſiam, aſpergant ſe aquâ benedictâ, exceptâ Dominicâ. Et ingreſſi Eccleſiam, unuſquiſque, prout Deus inſpiraverit, orabit. Statim autem ſubſequente ſonitu horæ Primæ, ſi quis orandi, vel alicujus neceſſitatis cauſâ alicubi diverterint, in choro conveniant, & ſtent aut ſedeant in ſtallis ſuis, donec ſignum remaneat. Et tunc faciant eandem orationem quam ad vigilias fecerunt, & eodem modo: quâ finitâ, revertantur ad ſedes ſuas, & inchoëtur *Prima*. Sciendum quoque, quod in hymno, cùm *Deum precemur ſupplices* dixerint, moderatè inclinabunt. Abbas etiam, ſi adfuerit, tam ad hanc horam, quàm ad completorium *Confiteor* dicet.

Cap. ii. *De Miſſis.*

CAntata regulari *Primâ*, exeant in clauſtrum, Sacerdote interim ad celebrandam Miſſam cum miniſtris ſe præparante. Deinde ad convocandum Fratres pulſetur modicè ſignum. Qui cum venerint, inchoëtur Miſſa. Et notandum, quod in ſuppelliciis privatis diebûs miniſtri ſerviunt. Nam Feſtis diebus, quibus non laboramus, duæ Miſſæ celebrantur; prima in mane, ſecunda in Albis poſt *Tertiam*. Septimo decimo Kalendas Octobris hic ordo Miſſarum incipit, & uſque ad Paſcha producitur. Hoc etiam tempore, diebus quibus novem lectiones facimus, & laboramus, poſt *Primam* ſummo mane dictam, induant ſe miniſtri Albis, ſicut ante *tertiam* illis diebus, quibus non laboramus; & adjuvent eos præcedentis ſeptimanæ Miniſtri. Dictâ denique Miſſâ, ſubjunctâque Primâ de S. Maria, exeant Fratres in clauſtrum, vacantes lectioni, atque confeſſioni uſque ad *Tertiam*. Interim quoque poſſunt Miſſas celebrare privatim qui volunt. Sed & Sacerdos & Subdiaconus qui in præterita ſeptimana majoris Miſſæ hebdomadarii fuerint, parati Miſſam pro defunctis ex more perſolvant.

Cap. iii. *De Tertia.*

CAntata Miſſa pro defunctis, ſonet Secretarius *Tertiam*, & dimiſsô ſignô, ſoláque oratione Dominica ad nutum Abbatis ſeu Prioris terminata, inchoënt *Tertiam*. Fiet autem hæc oratio tam ante iſtam, quàm ante alias horas diei ab inclinis, ſeu etiam ſub formas, prout tempus dictaverit. Poſt Regularem horam diei ſubſequatur Tertia de S. Maria: quâ finitâ, Prior pulſet ſignum ad convocandum Fratres in capitulum, nec dimittat illud niſi ad nutum Abbatis, ſi adfuerit.

Cap. iv. *De Capitulo.*

DImiſsô autem ſignô, exeant eo ordine, quô ſtant in Choro, & bini procedentes intrent capitulum. Quò ingreſſi,

ingreſſi, antequam ſedeant, versùs orientem inclinent. Advenienti Abbati aſſurgant omnes, & inclinent illi, ante quos tranſierit: Priori verò aſſurgant tantùm: quô reſidente, reſideant. Sed & ille, qui juxta Abbatem ſeſſurus eſt, humilietur profundè de loco ſuo versùs Abbatem, & ſic reſideat; & ita faciat in omnibus locis, qui juxta eum ſedere voluerit, excepto in Eccleſia. Nam ibi Fratres ei non ſupplicant, nec ad menſas, neque in dormitorio, ſed nec nocturno tempore. Lector veniens ante analogium, aperiat librum, dehinc inclinet ſe ad benedictionem. Poſt primam lectionem non dicat *Tu autem Domine*. Sed poſtquam dixerit: *Et aliorum plurimorum Sanctorum*, ſurgant Fratres, & vertant ſe ad orientem, dicentes verſum, id eſt *Pretioſa in conſpectu Domini*, Sacerdote hebdomadario inchoante; qui, dum dixerit *Gloria Patri*, proſternantur aut incurventur ſuper genua ſecundùm tempus; Superiores, ſcilicet, qui ſunt in ſede Abbatis, & ii, qui ſedent hinc & inde juxta ingreſſum capituli versùs orientem; cæteri autem incurventur vel proſternantur ex adverſo. Quando Sacerdos dixerit: *Et ne nos inducas in tentationem*, erigantur, & ſtent ſicut ad initium verſus, ſcilicet *Pretioſa*, donec incipiatur collecta, id eſt *Dirigere*, & tunc incurventur ſuper genua. Quæ incurvatio fiet omni tempore eodem modo ad hanc collectam. Lector quoque ita ſe incurvet vel proſternat ante analogium, ſicut illi qui ſunt juxta ingreſſum capituli. Dictô autem *qui fecit cœlum & terram*, reſideant; ita tamen, ut priùs aſſideat, qui tenet capitulum. Poſtquam omnes reſederint, incipiat lector lectionem pro tempore legendam, ſive de Regula, ſive de Evangelio. Quâ finitâ dicat: *Tu autem Domine*, & tunc pronuncietur anniverſarium, ſi affuerit. Quod ſi quod breve pro defuncto ipſo die legendum fuerit, ſtatim ſubjungatur: quibus pronunciatis, ſi præbenda prò eis fuerit, dicat lector, habet præbendam, vel habet præbendas, quot ſcilicet annotatas viderit. Deinde dicat, qui tenet capitulum, *anima ejus*, vel *animæ eorum*, ſi plures fuerit, & *animæ omnium fidelium defunctorum requieſcant in pace*: & reſponſo ab omnibus *Amen*, lector accipiens tabellam, legat breve, Diaconos & gradu inferiores vocans Fratres: domnos verò vocans Presbyteros: ſeipſum autem non aliter nominet, quàm Fratrem cujuslibet ſit Ordinis. Et dum breve recitatur, qui nomen ſuum intellexerit, inclinet. Cui autem hebdomada aliqua aſcripta fuerit, ſi intelligit illam propter aliquam incommoditatem non poſſe complere; poteſt inde miſericordiam in capitulo quærere. Nam extra non debet facere. Poſtea inclinet lector, & eat in locum ſuum, & dicto *Benedicite* ab eo, qui tenet capitulum, fiat ſermo, ſi faciendus eſt. Quod ſi aliquis poſt *Benedicite* advenerit, dum aſſidens inclinaverit, dicat *Benedicite* ſubmiſſa voce, ita ut illi poſſint reſpondere *Dominus*, qui circa eum ſedent.

Cap. v. *De correctione culparum.*

Facto autem ſermone, nemo loqui præſumat, neque veniam petat, donec ille, qui tenet capitulum, dicat, loquamur de ordine noſtro. Poſtea verò, qui ſibi in aliquo conſcius fuerit transgreſſione communis ordinis aliquos offendiſſe; ſtatim de ſede ſua ultroneus ſurgens, & ante ſedem Abbatis proſtratus, paulo plùs ſuper dextrum latus vergens, nihilque adhuc dicens, in terram tantùm faciem demittat. Tenenti autem capitulum, eùmque interroganti, quid dicitis? Reſpondeat proſtratus *mea culpa*. Et ad juſſum illius erectus; humiliter confiteatur culpam ſuam, & pœnitentiâ pro voluntate tenentis capitulum ſuſcepta, inclinet, nec inde ſe moveat, donec ei dicatur: *Ite ſeſſum*. Deinde fiant clamationes ſi faciendæ ſunt. Qui autem clamat, non quærat circuitiones in clamatione ſua; ſed apertè dicat, ille hoc fecit, & qui clamatus fuerit, mox ut audierit nomen ſuum, non reſpondens in ſede ſua, eat petere veniam, & ſecundùm quod ante deſcripſimus, proſternens ſe & erigens, ſi reum ſe cognoverit; de teliquo emendationem promittat. Si autem ſe culpabilem non intelligit, qui eum clamavit, ipſam clamationem non repetat. Et ſciendum eſt, quod qui clamatus fuerit, non faciet clamorem ipſo die ſuper illum, qui eum clamavit. Quando autem aliquis ſurgit ad judicium clamatus ab alio, quotiens clamabitur, in ipſo judicio, totiens ſatisfaciat, qui dum in terra jacuerit, nemo loquatur. At poſtquam erectus fuerit, dicatur ab eo in ipſo judicio, quod dicendum eſt, nec compellatur ſurgere poſtquam reſiderit, niſi aliqua rationabilis cauſa in ipſo capitulo contra eum poſtea ſuccreverit. Si quis ſponte in judicium venerit, ſub una venia confiteatur omnes negligentias, quas confeſſurus eſt. Quod ſi alius eum clamando ſurgere compulerit, illo clamore pertractato, ſi de ſe ipſo aliquid dicere voluerit, iterum petat veniam. Porro ſi plures in ſimul fuerint in judicio; qui prior fuerit, priùs loquatur: & cum loquutus fuerit, ſtatim judicetur, & de judicio dimittatur, niſi fortè Abbas eum remanere fecerit,

cerit, vel quemlibet ex ipſis, cæteris dimiſſis, ut majus judicium ſuſtineat, ſi majorem cæteris culpam habet. Similiter judicentur ſingulariter cæteri, & ſingulariter dimittantur. Nemo præſumat loqui in ipſo capitulo, niſi clamando alium, vel clamatus ab alio, præter Abbatem, & Priorem, & quosdam de Senioribus quibus Abbas conceſſerit, niſi fortè juſſus vel interrogatus ab eo, qui capitulum tenuerit, vel aliquid de Ordine quæſiturus. Quod ſi fortè aliquis juſſu Abbatis ſalvationem Epiſcopi vel Abbatis capitulo præſentaverit; humilient ſe, pro Epiſcopo quidem ponendo manus usque ad terram; ſed ad ſalvationem Abbatis inclinent ſe tantùm. Similiter inclinent, quando Abbas indicit eis facere aliquam communem orationem. Similiter inclinent, quos voluerit promovere, vel degradare, vel in gradum ſuum reſtituere, ſeu quos decernit ligare per pœnitentiam vel ſolvere; & ſimiliter omnes quibus aliquid juſſerit facere. Nullus clamet aliquem ex ſola ſuſpicione, niſi de hoc quod audierit vel viderit. Quando aliquis clamatus verberandus fuerit, poſtquam ab Abbate exui juſſus fuerit reſideat in eodem loco, in quo ſtat; & depoſitis veſtibus usque ad tunicam per caputium tunicæ exerat brachia ſua, & totum corpus denudet usque ad cingulum, & ſic conſiſtens nihil dicat niſi *mea culpa, ego me emendabo*, quod crebriùs repetat. Qui indutus ad juſſionem tenentis capitulum & erectus, non ſe moveat, donec dicatur, *ite ſeſſum*; & tunc inclinans eat in locum ſuum. Hoc etiam caveatur, ne aliquis extra capitulum loquatur alicui, vel ſignificet de culpis ſeu de ſecretis cauſis, quæ recitantur in capitulo.

Cap. vi. *De ritu admittendi ad ſocietatem.*

QUod ſi Epiſcopus, vel Abbas, vel etiam Rex aliquando capitulum intraverit; aſſurgentes ei inclinent, cùm ante eos tranſierit. Si verò Societatem quæſierit, aſſurgentibus omnibus, concedatur ei per librum, & reſponſo *Amen*, ſimiliter Abbas quærat ab eo partem beneficii ſui. Et poſtquam demoratus fuerit, quantùm ei placuerit, deducat eum ad hoſpitium Prior, vel cui Abbas juſſerit, antequam conventus egrediatur, niſi Abbas eum usque in finem capituli retinere voluerit. Quod ſi Monachus, vel Clericus, vel etiam Laicus fuerit; ſimiliter recepta ſocietate à quolibet Fratre deducatur.

Nullus, ex quo Fratres ingreſſi ſunt capitulum, exeundi licentiam quærat, niſi aliquis obedientialis fuerit, aut neceſſitas naturæ compulerit; aut cui Abbas non indixerit. Iſti namque cum neceſſe habuerint, ſolent pro officio ſuo licentiam exeundi quærere.

Cap. vii. *De Confeſſione.*

TRactatis igitur quæ tractanda ſunt, ſurgentes omnes vertant ſe ad orientem, & ſic, qui tenet capitulum, dicat: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini*, & reſponſo ab omnibus, *Qui fecit cælum & terram*, inclinent ad orientem, & exeant omnes, niſi aliquis revocetur cauſâ confeſſionis in die quo non laboramus. Nam omni tempore lectionis ante prandium & etiam in intervallo ante *Primam*, qui, ante ictum fecerint ſignum, poſſunt confiteri. In qua confeſſione, petat veniam qui confeſſurus eſt: Poſtquam reſidentes, dicat Prior: *Benedicite*, & reſponſo *Dominus*, ſubſequatur Prior: *Deus ſit nobiscum*, & reſponſo *Amen*, confiteatur breviter culpas, pro quibus veniam petiit. Quibus dictis ſtatim ſubſequatur de his & omnibus aliis peccatis meis me reum confiteor & veniam poſtulo, tunc Prior facta ejus abſolutione, injungat pœnitentiam: deinde poteſt eum confortare, monere, increpare; prout viderit ei expedire, ſi voluerit; breviter tamen.

Cap. viii. *De labore manuum.*

FInito capitulo & præparatis Fratribus ad laborem, pulſetur tabula à Priore vel Subpriore, ſi Prior juſſerit, ad cujus ſonitum conveniant omnes, exceptis infirmis, & variis officiis deputatis: Servitor tamen infirmorum, niſi apparatu infirmorum retentus fuerit, & cantor, & ſacriſta, & hoſpitalis, & magiſter novitiorum, ſicut & alii conveniant. Si quis pro qualibet cauſa remanſerit, oſtendat neceſſitatem ſuam Subpriori, & quod juſſerit, faciat. Quod ſi juſſerit remanere, provideat Prior laboris, ipſo Fratre commonente, quid facere debeat, poſtquam illud compleverit, pro quo remanet. Ferramenta & alia Inſtrumenta ad laborem neceſſaria Prior dividat, prout viderit expedire. Exeuntes autem ſequantur (Priorem) vel quem Prior juſſerit. Pervenientes autem ad laborem, non multiplicentur inter ſe ſigna, nec præſumant loqui, niſi de ipſo labore breviter, & neceſſario & ſilenter cum Priore ſeorſum à Fratribus. Sed & Prior raro loquatur abſente Abbate: præſente verò, ob reverentiam ipſius rariſſimè. Non pauſent, nec digrediantur alicubi quacunque neceſſitate ſine licentia. Sed ſi contigerit digredi, expleta neceſſitate, ad laborem citiùs

citius revertantur. Sed ſi Lector, ſervitores, vel aliquis alius mixtum accepturus ibi fuerint, auditô ſignô ad mixtum, quærant à Priore licentiam eundi: Quid etiam poſt mixtum facere debeant, interrogent. Cum repauſaverint ſecundùm quod qualitas aëris vel ſitus loci permiſerit, circa Priorem repauſent: Et ſciendum, quod tempore laboris nec legere, nec librum ad laborem deferre cuiqnam liceat. Auditô ſignô ad horam, intermittant opus, etiamſi ibi horam dicturi ſunt. Si Prior ſignum non audierit, qui audit, ſignificet ei. Ceſſante verò ſigno, oratio Dominica ad nutum Prioris præmiſſa, Sacerdos hebdomadarius, ſi affuerit, incipiat horam: quod ſi deſuerit, alius aliquis, cui Prior innuerit, incipiat. In qua videlicet hora ita proſternantur aut incurventur ſicut in Eccleſia. Quod ſi propter aëris intemperiem, vel aliam aliquam rationabilem cauſam, ad opera egredi non potuerint; ab ipſo Priore opus, quod fiat in clauſtro, diligenter provideatur: pro quo tamen opere de hora non remanebunt; quâ finitâ, revertantur ad opus. Revertentes autem de labore, ponant inſtrumenta, quæ detulerunt, ubi ad laborem præparari ſolent, & reddantur Priori.

Caput IX. *De mixto.*

SI dies prandii fuerit, ad mixtum percutiatur cymbalum tribûs ictibus ante ſextam à ſervitore. Si autem jejunii & lectionis poſt Sextam. Si verò laboris & jejunii, totidem ſignum in Eccleſia. Quô auditô, menſæ Lector & alii mixtum accepturi veniant in refectorium. Quod ſi aliquis eorum deſuerit, qui præſens eſt, non exſpectet: Si duo vel plures affuerint, qui inferioris eſt gradus dicat *Benedicite*: qui majoris, *benedicat*. A capite verò jejunii usque ad Paſcha, exceptis Dominicis, & in tribus diebus rogationum & quatuor temporum & vigiliis Domini & Sanctorum mixtum non ſumunt.

Caput X. *De abſtinentia & jejuniis.*

AB eſu carnium & ſaginiminis abſtinere ſtatuimus. Ab idibus Septembris usque ad Paſcha ſingulis diebûs exceptis Dominicis jejunamus. In Adventu verò exceptis diebûs novem lectionum ſicut in quadrageſima abſtinemus. A Paſcha usque ad Pentecoſten non jejunamus, exceptis tribus diebus rogationum & die lytaniæ majoris, ſi infra hebdomadam Paſchæ non occurrerit, in quibus tamen, quæ nobis apponuntur, cum gratiarum actione percipimus. In ſexta feria poſt octavas aſcenſionis & Sabbatho ſancto Pentecoſten ſicut in quadrageſima jejunamus. Quarta autem feriâ & ſextâ & Sabbatho infra hebdomadam Pentecoſten, ſicut in rogationibus. A Pentecoſten usque ad idus Septembris ſextâ feriâ jejunandum ſtatuimus ſicut in rogationibus. Cæteris autem diebus, exceptis in vigiliis & quatuor temporum jejuniis, bis in die reficimus, Vigilias verò in quadrageſimali victu obſervamus.

Caput XI. *De veſtimentis.*

VEſtimenta ſecundùm Abbatis providentiam donentur Fratribus, quæ Religioni & paupertatis ſuæ competant profeſſis. De quorum colore aut groſſitudine pauperes Chriſti non murmurent. Sufficiant ergo Fratribus ſecundùm noſtræ domûs inſtituta viventibus tunicæ duæ, pellicea una, ſuppellicium, ſive pelles vel pallium, cappa, femoralia, caligæ, pedules, & propter laborem ſcapulare. Lectualia verò hujusmodi ſufficiant, culcitra de floccis linea, ſive laneolum capitale auriculare linteum.

Caput XII. *Quibus horis laborandum ſit.*

OMnibûs diebûs, quibûs jejunamus, quibûs operari licet & vacat, ſemel in die poſt capitulum, quod poſt *Tertiam* tenetur, ad *Nonam* usque laboramus. Diebus verò, quibus non jejunamus bis in die, à capitulo ſcilicet quod poſt *Primam* tenetur usque ad *Tertiam*, & à *Nona* usque ad *Veſperas* laboramus.

Caput XIII. *De ſilentio.*

OMnibus tam Clericis, quàm laicis continuum injunctum eſt ſilentium intra totius manſionis noſtræ ambitum, niſi propter latrones, vel impetum ignis & his ſimilia. Excipiuntur verò hi, quorum ſollicitudini exteriora domûs regenda commiſſa ſunt. Cum Abbate autem & Priore de neceſſariis loqui poterunt, ſi verò quælibet perſonæ, vel quilibet extranei, vel conſanguinei advenerint, non debent Fratres quærere licentiam loquendi cum eis.

Caput XIV. *De refectione.*

POſt horam præveniat Prior pulſare cymbalum. Quod ſi fortè cibus nondum paratus fuerit, non pulſetur, donec paratum ſit. Nec Fratres abluant manus, ſed interim ſint in lectione, donec cymbalum percutiatur: quod & ad omnes refectiones ſimiliter teneatur. Lotîs igitur manibûs & terſîs, intrent refectorium & venientes ante ſedes ſuas, inclinent ſe verſus principalem menſam, deinde eri-

gan-

gantur, & ſic ſtent, donec Abbas veniat. Si autem diu moratus fuerit, quod omnino cavere debet, ſedeat interim, qui voluerit. Cùm ergò Abbas venerit, aſſurgant ei, & inclinent, qui inclinet ſe ante ſedẽ ſuam, antequam pulſet campanam, quæ tamdiu pulſetur ad utramque refectionem, donec ſecundùm congruam exſpectationẽ Fratres adveniſſe poſſe æſtimabit. Qua dimiſſa, dicat conventus: *Benedicite*, & dicto verſu, cùm dixerint *Gloria Patri*, inclinet ſe chorus contra chorum dicentes: *Gloria Patri. Kyrie eleyſon. Pater noſter.* Cum autem Sacerdos dixerit & *ne nos inducas*, erigat ſe, & ſtans contra principalem menſam dicat: *oremus, benedic Domine &c.* faciens unam crucem, & ſic compleat benedictionem. Poſt hæc Lector veniens ad locum conſtitutum, *jube domne* dicat, & inde non moveat, donec Abbas benedictionem finiat: quâ acceptâ, lectum eat. Poſtea Fratres ingrediantur menſas. Porro ſervitores provideant, ut quod ſcutellas potuerint ante *Gloria Patri* per menſas diſponant, nec tranſeant ante fratres & retro dũ in circuitu fuerint: at cùm erecti fuerint, poſſunt perficere, quod inceperant. Appoſitô itaque cõmunî cibô, ſi cellarius voluerit ſuperaddere pro miſericordia illis, de quibus indictum eſt ei ab Abbate, ipſemet deferat eis, vel deferri faciat, & ſicut voluerit, tribuat. Hoc idem faciat & minutis. Cœpta ergo Lectione, Fratres diſcooperiant panes, Abbate primùm diſcooperiente. Ex hinc nullus exeat de refectorio, nullus incedat comedendo, nullus ibi abluat ſcyphum, ſed liniat qui voluerit, nullus tergat manus, vel cultellum ad mapullam, niſi priùs cum pane terſerit. Qui voluerit ſal accipere cum cultello accipiat: qui bibit, utraque manu ſcyphum teneat. Si quis viderit aliquid alicui deeſſe, requirat à ſervitore: quodſi alius non adverterit, ipſe, cui deeſt, juxta ſe ſedenti ſignificare poterit. Qui aliquid apponit, & cui apponitur invicem ſibi inclinent. Cui Abbas aliquid miſerit, priùs inclinet deferenti; deinde aſſurgens humiliet ſe verſus Abbatem. De cibo communi nemo dividat alicui. Quod ſi cui aliquid ſuperadditum fuerit; niſi pro minutione vel infirmitate ei datum fuerit à cellario, tantùm dare poteſt juxta ſedenti ad dextram vel ad ſiniſtram. Illi verò nulli dare debent. Si autem uni tantum dederit, ille dare poteſt juxta ſe poſito, ſed ultra non procedat, ſi quis de comedentibus vel ſervitoribus aliquô modô offenderit, petat veniam ante gradum, & facto ſonitu ab Abbate cum cultello ſurgat, & inclinet ſe; & redeat ad locum ſuum. Remotis ſcutellis, colligant ſervitores coclearia, incipientes à menſa Abbatis; de hinc à ſiniſtra parte, id eſt, à menſa Prioris. Poſt hæc ad juſſum Abbatis dicat Lector: *Tu autem*, & reſponſo à conventu *Deo gratias*, percutiatur campana ab Abbate ictu uno, & tunc cooperiant, quod ſupereſt de pane: Moxque ſurgentes ſtent ante menſas eo ordine, quo ante refectionem ſteterunt. Iterũ Abbas pulſet campanam: deinde dicatur verſus à conventu, quem cantor incipiet, dimiſsâ campanâ. Quo dicto, inclinent & exeant cantantes *miſerere mei Deus*, quem incipiat cantor, illis cum eo cantantibus, qui ſunt in dextro choro in Eccleſia; ſecundum verò verſum dicat ſiniſter chorus, & ſic cantent alternatim bini & bini euntes, junioribûs ſcilicet præeuntibûs; ita tamen ut Abbas ſolus eos ſequatur. Quod ſi alius Abbas affuerit; eant ambo ſimul. Ingredientes verò chorum decantent *miſerere mei Deus*, ſtantes ſicut ad cæteros Pſalmos, usque *Gloria Patri*: & tunc proſternantur ſuper formas, vel inclinent ſecundùm tempus. Finitis gratiis, recedant, niſi Veſperæ pro mortuis agendæ mox ſubſequi debeant.

CAPUT. XV. *De coquina.*

NULlus ingrediatur coquinam, excepto cantore & ſcriptoribus ad planandam tabulam, aut faciendum incauſtum, ad exſiccandum pergamenum, & ſacriſta pro accendendo lumine in Eccleſia, vel prunis in thuribus, vel in patella ponendis. Sed nec iſti intrare debent, ſi in calefactorio ignem ſufficienter invenerint. Poteſt & pro officio ſuo infirmarius intrare, & quem coquus vocaverit ad ponendum ſuper ignem caldarium, vel deponendum.

CAPUT XVI. *De refectorio.*

REfectorium ſimiliter nullus ingrediatur, niſi per illud ad aliquam officinarũ tranſitus fiat, excepto infirmario & coquis & ſervitoribus pro officio miniſterii ſui, & cæteris omnibus, cùm bibere indiguerint, & ſervitores Eccleſiæ pro ſalino.

CAPUT XVII. *De calefactorio.*

CAlefactoria poſſunt ingredi, ad quæ ſæpiùs diximus facienda, ad ſotulares ungendos, ad ſe minuendum, ad calefaciendum: quod honeſtè faciendum eſt.

CAPUT XVIII. *De auditorio.*

AUditorium numquam ingrediantur; ſed ſi aliquo opus habuerint, quærant ſignô vel ſonitu ad oſtium, & tunc ſi conceſſum fuerit, ingrediantur; comple-

pletóque, pro quo ingreſſi ſunt, citò exeant, niſi detineantur.

Caput xix. *De dormitorio.*

DOrmitorium ingrediantur, quotiens opus habuerint. Intrantes verò domum neceſſariam, quantùm poſſunt obſcondant vultus ſuos in caputiis ſuis. In dormitorio non ſedeant, niſi quando ſe calceant & diſcalceant, & quando mutant tunicas vel femoralia, niſi aliqua rationabilis cauſa interfuerit; & tunc in lectis ſuis vel in ſuppedaneis exuentes & induentes ſe honeſtè, ne nudi appareant. Nullus lectum aſcendat rectus, ſed de ſponda divertat pedes ſuos in ipſum lectum, nullus ibi veſtes excutiat, nec ſigna faciat, niſi ob neceſſitatem.

Caput xx. *De tempore æſtatis.*

A Paſcha usque ad idus Septembris poſt matutinale officium Fratres redeant ad lectos, quodam Fratre, ſi opus fuerit, lucernam præferente. Expanſô autem die, cùm ſignum à Priore factum audièrint, præparati omnes in clauſtrum exeant: pexique ac loti intrantes Eccleſiam aſpergant ſe aquâ benedictâ, exceptâ Dominica Die; & facta oratione, prout cuique Deus donaverit, redeant in clauſtrum, & factô intervallo ante *Primam*, ſi dies laboris fuerit, præparent ſe cum ſuis adjutoriis, qui volunt ante miſſam cantare. Cæteri autem poſſunt interim ad confeſſionem ire, orare, & legere, & qui miſſam pro defunctis ex conſuetudine debet, ſicut ſupra dictum eſt, cum ſuo ſervitore perſolvat. Eâ finitâ, pulſet ſacriſta *Primam*, & mox omnes in chorum conveniant, & facta trina oratione ſicut ad vigilias, cantent *Primam*, dehinc eant in capitulum, poſt hæc ad laborem usque ad ſignum ante *Tertiam*, quo audito, præparent ſe qui miſſam ſunt cantaturi: quibus præparatis, pulſetur & cantetur *Tertia*, poſt *Tertiam* miſſa: poſt miſſam ſedeant in clauſtro. Cùm hora fuerit percipiendi mixtum, pulſetur cymbalum eô modô, quô diximus. Poſt *ſextam* eant in refectorium, poſt refectorium ad Eccleſiam pergentibus nullus fiat ebrius, nec quando poſt verſum exierint, vel quando poſt *Nonam* in refectorium, vel quando poſt *Completorium* in dormitorium, ſive etiam quando capitulum egrediuntur. Exeuntibus de Eccleſia præter ſacriſtam, nullus ſe ſeparet à conventu, donec intrent dormitorium: limen nullus exeat ſine licentia, excepto ſacriſta, cellario, hoſpitali, & cuſtode infirmorum, ſi tunc affuerint, cauſa officii ſui: Servitores verò poſt refectionem cantantes *miſerere mei Deus*, divertant in capitulum, verſum complentes: deinde intrent dormitorium. Factô verò ſignô ad ſurgendum feſtinent, quorum officiô competit parare aquam in lavatorio ad lavandum manus, & in refectorio ad portandum. Cæteri verò parati, & manus abluti, aut intrent chorum, aut ſedeant in clauſtro, donec ſignum pulſetur.

Caput xxi. *De bibere poſt Nonam.*

DIcta *Nona*, eant in refectorium præeuntibus junioribus eo ordine, quô ſtant in choro, bini & bini incedentes; Prior verò ſequatur ſolus, abſente Abbate; vel Subprior, ſi Prior defuerit. Qui venientes ante ſedes ſuas inclinent, & facta benedictione, ſic ſe agant ſicut ad bibere poſt *Veſperas*. Poſtquam biberint, repercutiat Prior campanam, & ſurgentes exeant in clauſtrum; terminatîs lectionibûs, cæteris prævisîs, quæ ad opus Dei pertinent, eant in dormitorium & præparentur ad laborem. Quibus præparatis, pulſetur tabula, & eant. Ante *Veſperas* revertantur. Poſt *Veſperas*, ſicut ſuperiùs diximus, percuſsô cymbalô, accedant ad cœnam.

Hic ordo ſervabitur à Paſcha usque ad idus Septembris omnibûs diebûs, quibûs laboramus & non jejunamus. Cæteris verò diebûs fiat ſicut hyeme, exceptâ vigiliâ Pentecoſten. Poſt *Veſperas* ſedentes in clauſtro tam hyemali, quàm æſtivo tempore, non altè legant vel cantent. Non ſignificent, niſi de neceſſariis, nec jungantur ſimul, ſed ſeparatim ſedentes, aut lectioni vacent, ut orationi Priore autem percutiente cymbalum, conveniant in refectorium ad bibendum, & inclinantes ante ſedes ſuas, ſicut faciunt ad prandium, expectent poſt campanulæ ſonitum potus benedictionem, quam dicat hebdomadarius, & ſic reſideant in locis ſuis. Qui verò poſtea occurrerit, veniens ante menſam majorem quærat licentiam bibendi: quâ perceptá inclinet ibi, & eat ſeſſum; & cum viderit, qui ſedet ad majorem menſam tempus congruum, percutiat uno ictu campanulam, ad quem ſurgentes Fratres ſtent ſicut priùs ante menſas ſuo ordine, & dictô ab hebdomadario, qui benedictionem fecit, *ſit nomen Domini benedictum*, & reſponſo *ex hoc nunc & usque in ſæculum*, exeant in clauſtrum.

Caput xxii. *De collatione ante Completorium.*

SEcretario ſignum collationis pulſante, intrent Fratres capitulum, & ſedentes expectent Abbatem: Quo adveniente, ſurgant omnes, & inclinent illi, ante quos tran-

tranſierit: Priori verò aſſurgant tantùm: quo reſidente, reſideant. Tunc Lector ad nutum Abbatis dicat: *Jube domne*, & legat, interim qui biberi defuerit, ſolus & ſine licentia in refectorio poteſt bibere etiam in ſcapulari. Nam quicumque alio tempore lectionis ſeu laboris poſt prandium bibere voluerit, licentiam quærens ab illo, quem Priorem invenerit, ducat quemlibet ſecum. Abbas non quærat licentiam bibendi vel minuendi, neque Prior, niſi ab Abbate, ſed nec Subprior, niſi ab Abbate vel Priore. Lectione igitur finita, ſurgant omnes; & ſtantes verſi ad orientem dicat Abbas: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini*, & reſponsô: *qui fecit cœlum & terram*, & inclinantes omnes ingrediantur Eccleſiam.

CAPUT XXIII. *De fine Completorii.*

DIcto *Completorio* Regularis horæ, circa finem *Completorii* B Mariæ provideat cui injunctum fuerit, & accendat lumen in laterna, vel in abſconſa ante Fratres, ſi neceſſe fuerit, deportanda. Quô accenſô, & ſuper gradum presbyterii collocatô, redeat ad locum ſuum. Finito autem Completorio de S. Maria, eat Abbas per medium chorum; & Priores ordinentur poſt eum: facientes trinam orationem. Si Abbas, vel Prior, & Subprior defuerint: ille qui horam compleverit, ſimiliter faciat, & manens in loco Prioris terminet orationem: quâ terminatâ, aſpergat ſingulos aquâ benedictâ ordinatim egredientes: & Fratre, cui injunctum eſt, lumen præferente, ponant omnes capitia in capitibus ſuis, & nusquam divertentes præter ſacriſtam ingrediantur dormitorium: unde nullus, niſi per licentiam exeat, excepto ſacriſta, cellario, hoſpitali, & cuſtode infirmorum, ſine tunica verò, & caligis non debent jacere.

CAP. XXIV. *Quibus diebus duæ miſſæ dicantur.*

IN die Natalis Domini, in Circumciſione, in Epiphania, in die Paſchæ & tota hebdomada, in omnibus ſolemnitatibus S. Mariæ excepta Purificatione . . . . . . feſtivitate S. Mariæ Magdalenæ, & S. Laurentii, ſanctique Auguſtini, Michaëlis Archangeli, omnium Sanctorum, & B. Martini, S. Nicolai, in dedicatione Eccleſiæ & omnibus diebus Dominicis cantantur duæ miſſæ, exceptâ Dominicâ in Ramos palmarum, & vacant Fratres lectioni. Aliis omnibus feſtis una tantum canitur miſſa, exceptis, quæ eveniunt in Quadrageſima, ſcilicet S. Gregorii, & S. Benedicti, ſi ante Palmas occurrerit, & vadunt Fratres ad laborem.

CAPUT XXV. *De pueris.*

STatuimus quoque nos, ultra pueros infra annos maturos, non admiſſuros, neque ad ſcholarem diſciplinam, neque ad converſionem, donec omnium moderatrix Dei ſapientia conceſſerit aliqua nobis Religionis loca. Hoc idem de ægrotis in articulo infirmitatis laborantibus. Sed ne quisquam Fratrum ſylvaticum opus cujuslibet emat, aut in itinere à foro ſecum deferat, prohibemus.

CAPUT XXVI. *De ſuffragiis pro defunctis.*

FRatri defuncto tam laico, quàm Clerico debent, qui Sacerdotes ſunt unusquisque X. privatas miſſas; qui autem inferioris ordinis ſunt ſinguli V. Pſalteria: laicorum verò unusquisque DCC. Pater noſter & L. ſimiliter pro ſorore. Si verò alius moriatur, antequam hæ orationes perſolvantur, reincipiantur à capite pro utroque defuncto ſimul, & usque ad præfinitum numerum terminetur.

CAPUT XXVII. *De Fratribus Laicis & converſis.*

DOmino quoque cooperante ſtatuimus, & inconvulſe tenere decrevimus, quòd nullum, poſtquam in laicum Fratrem & converſum à nobis ſuſceptus fuerit: in Canonicum recipiemus, maximè ſi ille per ſe hoc petere præſumpſerit. Quicumque etiam ex propria electione, vel protervia de aliquo rudi propter decorem inſitum indumentum ſibi fieri poſtulaverit. - - - - Sed ſi difficilis res habetur, ſeorſim & humiliter à diſcipulo magiſter, vel ſolus vel cum paucis conveniatur; ut nemo Fratrum in ſilentio conſiſtens quoslibet loquentes auſcultare conſueſcat, ut tabula à laico Fratre labori Præpoſito manè poſtquam excitati fuerint, oratione completa, ſcilicet *Pater noſter*, *Credo in Deum*, *miſerere mei Deus*, pulſetur, ut nemo pannos ſuos, niſi mora itineris vel ſqualor languoris compulerit, ad abluendum per ſe mittere aſſueſcat.

CAUT XXVIII. *De multis in Monaſterio vitandis.*

DE quacumque, etiam notabili offenſa, alius alium ſuſpectum habuerit, ſecundùm Regulam noſtram Abbati vel Priori priùs indicetur. Quisquis etiam in itinere vel quocumque loco hujusmodi

Digitized by Google

modi proximo ſuo detrahenti aſſociatus fuerit : Scriptura ſacra commonente, triſtis eidem exhibeatur facies. Nullus etiam ſine ſapientûm conſilio fidem ab aliquo ſæculari de converſione facieuda exigere præſumat, ut nemo Fratrum alius cum alio infra ambitum manſionis, niſi in præſentia magiſtri loquatur ; quo exiſtente in aliquo itinere, id hora priore fieri licet, exceptîs verbîs quæ ad alicujus rei indicium pertinent. Ut nullus cum ira quidpiam maledicat. Nemo coquina pannos excutiat, caput abluat aut radat; ſed neque cum aliquo, niſi ad tres Præpoſitos domus, de aliqua re conqueratur. Nemo ſolus habitaculum fœminarum vel ſine licentia ingrediatur, aut loquatur. Nullus inconſultè extraneis ſecreta domûs reſerat, ſeu coram ſæcularibos ; & ſic, quò mioùs cautè geſta reprehendere audeat, propter hæc enim & Cham filius Noë reprobatos eſt. Nemo absque licentia magiſtri aliquid præter communem cibum apponere audeat, niſi fortè infirmus, aut hoſpes, aut minutus fuerit, exceptis illis, quos propter priſtinam conſuetudinem ſuam Regula noſtra miſericorditer excludit. Semel & ſimul omnibus injungendo familiares veſtros à vobis ſupervenientibus ſalutandos, unusquisque veſtrum de rebus incertis, potiùs æſtimando, quàm affirmando loqui diſcat. Nullus in opere ſuo alicunde murmurare audeat. Nullus extra refectoriom comedere aut bibere, aut extra dormitorium jacere domî exiſtens præter ægrotos præſumat. Nullus exceptis cœnobii Præpoſitis aliquid vendere, vel emere, vel accommodare, vel mutare ſine licentia audeat : Sed neque aliquid tribuat aut recipiat, niſi cum licentia. Frater nugigerulus aut ſuſurro penitus à vobis, ne contagione peſtifera plurimos perdat, removeatur, aut nullus Fratrem ſuum, quamvis in obedientia ſibi commiſſa erraverit, in faciem redarguere audeat. Sed ſecundùm Regulam Præpoſito priùs eventus rei oſtendatur, qualiter ſit intelligendom quod ait Dominus, *ſi peccaverit in te Frater tuus*, & quod non ſit contrarium Apoſtolo dicenti, *peccantes coram omnibus argue*, ut cæteri metum habeant. Quod *Amen*; *Deo gratias*, *habemus ad Dominum dignum & juſtum eſt*, *Pater noſter*, ante & poſt cibi perceptionem preſſis labiis à Fratribus dicenda ſunt. Ut etiam locô trinæ orationis *Pater noſter* cum *Credo in Deum* poſt *Completorium* ante *Matutinas* & ante *Primam* laici quotidie decantare debeant. Ut inter *Libera nos à malo*, & *pax Domini ſit ſemper vobiscum*, memoria à ſingulis pro ſtabilitate loci & ordinis habeatur. Nullus etiam Fratri ſuo culpam emendatam objiciat. Si quis Fratrum, Abbate & capitulo ei, quidquid legitimum eſt, offerente, ad Archiepiſcopum vel Epiſcopum querimooiam de quacumque re facere præſumpſerit ; prout viſum foerit Abbati, XL. dies pœniteat. Si ad aliquem potentem, X. dies. Si ad alium Abbatem, XX. dies ſatisfaciat. Prohibemus, ut etiam de familia noſtra nemo Fratri à conventu per Regularem diſciplinam ejecto communicet. Sed neque ſi omnino talis diſceſſerit, quisquam pannos ejus accipere, aut emere audeat, nec conductum præbeat. Poſtquam Frater ad lectum poſt *Completorium* venerit, nec ante ſtratum, nec ſupra diu reſideat ; ſed corporis neceſſitatibus completis ; ſtatim ſe in cubiculo ſuo collocet. Quicumque etiam in capitulo, ubi peccata delenda ſunt, protelare audeat remurmurando, veritati reſiſtendo, nequicquam reveritus fuerit, & in contumacia illa diutius præſtiterit ; illi qui prudentiores habentur adverſus hujusmodi cum Abbate inſurgant.

Caput XXIX *Ritus emittendæ profeſſionis.*

NOvitius probatus facturus profeſſionem ſuam accedat ad altare, & dicat ter *ſuſcipe me Domine*, *ſecundùm eloquium tuum, & vivam*; *& non confundas me ab exſpectatione mea*, petens veniam qootiens finiêrit ipſum verſum. Deinde proſternat ſe ante altare, Abbate inchoante Antiphonam *ſuſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui*, quam Fratres finiant, ſubjonctóque primo verſu Pſalmi, ſcilicet *Magnus Dominus* cum *Gloria Patri*, eandem reincipiant. Quâ finitâ, ſubjungat Abbas *Pater noſter. Et ne nos. Salvum fac ſervum tuum. Mitte ei, Domine, auxilium de ſancto. Eſto ei, Domine, turris. Nihil proficiat inimicus in eo. Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum.*

Deus qui non mortem peccatorum, ſed pœnitentiam & emendationem vitæ ſempee inquiris, ſuppliciter deprecamur, ut huic famulo tuo N. ſæcularibus actibus renunciaturo largæ tuæ pietatis gratiam infundere digneris, quatenus caſtris tuis inſertus, ita tibi militando ſtadium præſentis vitæ percurrere valeat, ut bravium æternæ vitæ remunerationis te donante percipiat. Per Dominum.

Poſtea ſurgens Novitius legat profeſſionem ſuam hoc modo : Ego Frater N. promitto, Deo auxiliante, ſubjectionem & obedientiam Domino N. Abbati & ſucceſſoribus ſuis, & ſtabilitatem huic Eccleſiæ ſanctæ Dei genitricis Mariæ, & canonicam vitam ſecundùm Regulam S. Auguſtini Patris noſtri.

Et ponat eam ſuper altare oſculans illud. Deinde proſternat ſe, & incipiat

Ab-

Abbas Antiphonam *Confirma hoc, Deus*; quam Frutres finiant. Quâ finitâ, Abbas ſubjungat benedictionem.

Deus qui famulum tuum à ſaculi vanitate converſum ad ſuperna vocationis accendis amorem, pectoribus noſtris purificando illabere, & gratiam in eo, qua in te perſeveret, infunde; ut protectionis tua munitus praſidiis, quod te donante promiſit, impleat; & ſua profeſſionis executor effectus, ad ea qua perſeverantibus in te dignatus es promittere, gaudia pertingat. Per Dominum noſtrum.

Poſtea ſurgat Novitius, & donet ei Abbas per Regulam communem ſocietatem Congregationis, dicens, *ſuſcipiat te Deus Pater in numerum fidelium ſuorum, & nos licèt indigni ſuſcipimus te in orationibus noſtris: concedátque tibi per unigenitum ſuum mediatorem Dei & hominum locum bene vivendi, & inſtantiam bene perſeverandi, & ad aterna vita hareditatem fideliter perveniendi, & ſicut nos hodie charitas fraternitatis ſpecialiter conjungit in terris, ita divina pietas, qua fraterna dilectionis eſt auctrix & amatrix, cum fidelibus ſuis conjungere dignetur in cœlis. Per eundem.*

Ecce quam bonum & quam jucundum habitare Fratres in unum. Kyrie eleiſon III. Pater noſter. Salvum fac ſervum tuum. Mitte ei auxilium de Sancto.

Oremus.

PRatende Domine, miſericordiam tuam famulo tuo, dextramque cœleſtis auxilii, ut & te toto corde perquirat, & qua dignè poſtulat, aſſequatur.

Alius Ordo ad faciendam profeſſionem.

NOvitius volens profeſſionem facere, poſt offerendam veniat ante altare, & conventus in circuitu; & dicat Novitius volens flectendo genua tertio hunc verſum, *ſuſcipe me, Domine, ſecundùm eloquium tuum, & vivam; & non confundas me ab exſpectatione mea:* Fratribus reſpondentibus tertiò, *ſuſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui, ſecundùm nomen tuum Deus, ſic & laus tua in fines terra, juſtitia plena eſt dextra tua. Gloria.* Denique Novitio proſtrato, dicuntur hi Pſalmi: *Magnus Dominus, miſerere mei Deus, ecce quam bonum.* Quibûs finitîs, incipiat Prælatus, vel cui ipſe juſſerit lytanias, & in fine dicant: *Pater noſter. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera. Salvum fac. Mitte ei, Domine. Eſto ei Domine. Nihil proficiat. Domine, exaudi, Oremus, Omnipotens ſempiterne Deus, miſerere famulo tuo. Deus, qui non mortem peccatoris, ſed pœnitentiam & emendationem vita, &c.* Tunc ſurgens Novitius, legat chartam ſuam hoc modo.

Ego Frater ill. offerens trado me ipſum Deo & Eccleſia ſancta ill. & promitto obedientiam ſecundùm Canonicam Regulam S. Auguſtini Domino ill. praſata Eccleſia Abbati & ſucceſſoribus ejus, quos ſanior pars Congregationis canonicè elegerit; nec non & corporis mei ſtabilitatem.

Et ponat eam ſuper altare, Prælato dicente cum Fratribus Antiphonam *confirma hoc Deus tertiò.* Poſtea Prælatus donet Novitio ante ſe ſtanti communem ſocietatem Congregationis dicens hanc orationem S. Auguſtini: *Ante omnia Fratres chariſſimi, diligatur Deus, deinde proximus, quia iſta pracepta ſunt nobis principaliter data. Hac ſunt qua ut obſervetis, pracipimus in Monaſterio conſtituti. Primum propter quod eſtis in unum congregati, &c.* Sequitur integra ſancti Auguſtini Regula, quam profeſſo Novitio totam perlegebat.

ADDITAMENTUM XI.

REGULA
B. PETRI DE HONESTIS
PRO CANONICIS REGULARIBUS
ECCLESIÆ PORTUENSIS SCRIPTA.

OBSERVATIO CRITICA.

INter primaria Canonicorum Regularium hodierni Inſtituti monumenta jure merito numerari debet hæc præſens Regula, quæ, etiamſi peculiares Conſtitutiones pro Canonicis Regularibus cœnobii Portuenſis conſcriptas contineat, tamen brevi tempore ad alias Canonicas tranſivit, ac tandem tanquam perfecta vitæ Canonicæ norma ubique recipi meruit. Piiſſimi enim viri jam à tempore Concilii Aquiſgranenſis conati ſunt introducere, vitam Regularem *apud quarundam Eccleſiarum Canonicos, in quem quidem finem varias condiderunt Conſtitutiones, quæ ſæculo undecimo & ſequenti conſtituebant illuſtriſſimum Canonicorum Regularium Ordinem, ſub nomine S. Auguſtini & protectione adhuc florentem :* Cujus ſanctiſſimi Doctoris Regulas ipſi imputatas *quemadmodum* & antiquas ſacri Ordinis conſuetudines *jam ſupra adduximus.*

Et quidem, fateri debent omnes æqui juſtique amatores Innocentium II. Papam, primum fuiſſe, qui modernam Auguſtinianam Regulam Canonicis Regularibus præſcripſit, edito ea de re decreto in Concilio Lateranenſi Generali anno MCXXXIX. teſte Euſebio Amort de Diſcip. Canonic. pag. 333. *qui etiam agnoſcit has ſequentes* Conſtitutiones Portuenſes *à Canonicis Regularibus ſuſceptas fuiſſe, priusquam communis Regula Auguſtiniana in eorum uſum adoptata erat. Hoc ipſum agnoſcit hujus Regulæ ſive Conſtitutionum Auctor* B. Petrus de Honeſtis, *qui longe ante Innocentii 2di tempora ſcripſit, in Prologo aſſerens, ſe nullibi Regulam pro Canonicis vitam communem agentibus reperiſſe, adeóque ad Portuenſium Fratrum preces & requiſitionem, compoſuiſſe hanc præſentem Regulam tanquam perfectam Canonicorum Regularium normam. Nec ſane ſupponere poſſumus, hos piiſſimos Canonicos in Scriptis SS. Patrum apprimè verſatos, ignoraſſe famoſam S. Auguſtini Epiſtolam ad ſororem, ſed eandem haud Canonicis Regularibus adeoque idoneam exiſtimaſſe, licèt & illi poſtea in ſuum uſum adoptaverint, & ideo Canonici Regulares Auguſtiniani appellati. Hinc meritò primi Canonici Regulares has eaſdem Conſtitutiones, pro perfecta* vitæ Regularis *norma ſuſcipere cœperunt, earúmque obſervantiam ubique recommendare voluerunt etiam poſtquam* ſancti Auguſtini Regulam communem *ſuſceperant. Sic Innocentius III. Papa ex Canonico Regulari in Summum Pontificem evectus anno MCXCVIII. ad Canonicos S. Magni Ripenſes ſcribens, ſtatuit :* Ut Ordo Canonicus, qui ſecundùm Beati Auguſtini Regulam & Institutionem Fratrum Portuensium in eodem loco noſcitur Inſtitutus, inviolabiliter conſervetur. *Celebres ergo erant* Conſtitutiones Portuenſes, *quas compoſuit* B. Petrus de Honeſtis, *nobilis Ravennas Clericus & Sacerdos, qui anno MC. in territorio Ravennenſi apud* Portum Adriaticum *voto nuncupato, Monaſterium ingreſſus vitam Regularem excolere cœpit, atque anno MCXV. rogantibus reliquis Canonicis, has Conſtitutiones Canonicas condidit, quas poſt biennium Summo Pontifici Romano Paſchali II. obtulit, à quo & dicto anno MCXVII. confirmationem accepit, anno MCXIX. defunctus non ſine magna ſanctitatis fama, prout ejusdem Religioſiſſimi viri Epitaphium à*

Rubeo

Rubeo lib. 5. Hiſt. Ravennat. allatum teſtatur, atque Ughellus in ſua Italia ſacra refert. Hallucinantur ergo illi, qui S. Petro Damiano has Conſtitutiones attribuunt, eáſque operibus ejuſdem inſerere voluerunt, præſertim, Petrum de Honeſtis Damianum *appellantes. Sanctiſſimus enim ille Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis Monachus erat Benedictinus, & quamvis Canonicorum ſicuti & aliorum Clericorum reformationi acriter inſudaverit, nunquam tamen ſe* Canonicum *vel* Clericum *ſed ſemper Monachum nominat, cujus etiam ætas probibet eum extitiſſe bujus Regulæ vel Conſtitutionum Auctorem, cùm ab omnibus Hiſtoricis ejuſdem annus obitualis deſignetur MLXXII. longe ante Paſchalis II. Papæ tempora, cui* B. Petrus de Honeſtis *has Conſtitutiones nuncupavit, quemadmodum & ipſius Epiſtola teſtatur. Nulla igitur bujus erroris aſcribi poteſt alia ratio, niſi quòd uterque ſanctus fuerit Patria* Ravennas, *idem nomen* Petri *in ſacro lavacro adeptus, atque unus æquè ac alter ex Chriſtiana bumilitate in ſuis Epiſtolis ſe ſubſcribere ſolerent* Petrum Peccatorem, *bæc verò omnia clarius innoteſcent ex Epiſtola prævia & ipſo Prologo Regulæ, quæ quidem exerte probant* B. Petrum de Honeſtis *exiſtere verum barum Inſtitutionum Canonicarum Auctorem, quas nunquam laudandus Euſebius Amort loco citato ex vetuſto codice circa ſæculum XII. Scripto inſignis Canonicæ S. Nicolai prope Paſſavium eruit, atque Reipublicæ litterariæ communicavit, cum boc ſequenti titulo.*

Regula Canonicæ Inſtitutionis, ſive Conſtitutiones Portuenſes à B. Petro de Honeſtis Canonico Regulari conſcriptæ, & à Paſchali II. ſummo Pontifice approbatæ ac confirmatæ Anno 1117.

* * *

EPISTOLA

Ad Paſchalem ſummæ Sedis Pontificem, in qua ei ſequens opus deſtinatur emendandum.

PAſchali Dei nutu ſummæ & Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo Petrus Peccator Clericus cum confratribus ſuis in Chriſto ſalutem, & omnem obedientiam. Cùm veſtræ Beatitudini Petri vicem in Eccleſia gerere gratia divina contulerit, non irrationabiliter credimus, quæcunque in Eccleſiis ſtatuuntur ubilibet facienda, veſtræ auctoritatis judiciis pro juſto vel reprobari, vel confirmari debere. Quapropter hanc Canonicæ Inſtitutionis normam ex plurimis, ùt in ſequentibus (a) patebit, collectam, & pro noſtri temporis fragilitate diſcretivè ſtatutam Majeſtati veſtræ præſentandam, mandavimus, ut eam perſpectam, & ubi oportuerit, emendatam hujus Apoſtolicæ ſedis authoritate firmatam, atque ſuſceptam, nobis remittatis, de cætero veſtra præceptione tenendam. Bene valete.

(a) *Sequenti.*

Incipit prologus ſequentis operis.

DIvini cultûs amore in unum collecti Patres chariſſimi cæpiſtis nobiſcum diligenter inquirere, utrùm quis ſanctorum Patrum propheticæ, & Apoſtolicæ doctrinæ ſervans exempla, & ſcrutans interna, Clericis in unum commorantibus certam, fixámque & ſufficientem Regulam & ordinis Canonici, ſingularũ varietatum quoque negotia continentem dictaverit, ubi ſicut Monachis in Regula Monachica (b) ſic & (c) Clericis modus converſandi, ſingula neceſſaria faciendi, ac quæque (d) & ordini Canonico congruentia exhibendi haberetur certiſſimus. Quæ omnia ſic diſpoſita, ùt veſtro ſacro conventui viſa ſunt, fore neceſſaria, quia invenire nequiviſtis, divina inſpirante gratia hæc ſingula nobiſcum pro captu & viribus veſtris partim ex divinæ Scripturæ, aut ſanctorum Conciliorum authoritate, partim ex uſu quorundam Religioſorum virorum, aut locorum, partim, prout meliùs arbitrari potuimus, cæpiſtis ſtatuere, ſtatuta veſtræ ſolummodo Con-

(b) *Monaſtica.*
(c) *Sic Clericis.*
(d) *Debita quæque &.*

gregationi tradere, & tradita ſemper tenenda mandare, quibus ſervandis cùm ſanctitas veſtra ſatis intenderet, cæpit ſuper quibusdam eorum oblivione & diverſitate (e) in memoria oriri dubietas. Qua (f) de re charitati veſtræ mihi injungere placuit, ut hæc omnia, quæ vel ex authoritate divinarum Scripturarum, ſeu ſanctorum Conciliorum, vel ex conſuetudine Regularium locorum, ſive virorum, vel ex veſtræ Devotionis Religioſo affectu, aut provido arbitrio nobiscum (g) noſtris ſiquidem ſervanda tradidiſtis, in unum digeſta tranſcriberem, ne alicujus occaſione ignaviæ (h) vel mutari, vel relinqui unquam ſtatuta deberent. Et ideo licet tantæ rei me imparem, & quaſi inſcium noverim, elegi tamen magis veſtris præceptionibus, ſuperbiam declinando, obtemperare, quàm invidorum carpentes irriſiones evitare. Hæc ergo quia ad pleniorem divinæ Legis obſervationem ſancti Spiritûs favente gratia conſcripſimus (i) conſcripta veſtræ ſolummodo Congregationi, prout petiſtis, ſervanda tradidimus, & ſi incompoſita, tamen quia à vobis (k) ſtatuta & veſtro rogatu, juſſúque dictata ſunt, benignè ſuſcipite, ſuſcepta ſervate, ut per iſta ad altiorum præceptorum verticem ſcandere, & poſtremo cœleſtis Regni gloriam conſequi valeatis adjuvante Domino noſtro JEſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

(e) *Immemorem.*
(f) *De te*
(g) *Veſtris.*
(h) *Vel relinqui.*
(i) *Conſcripta.*
(k) *à nobis.*

INCIPIUNT CAPITULA.

I. *Quòd Clericorum ordo Levitarum & Apoſtolorum vices teneat, & eorum vitas imitari, propriis quoque facultatibus, nec non voluntatibus renunciare debeat?*
II. *Quid præ omnibus Canonici imitari debeant?*
III. *Quòd his exemplis Fratres commoniti propriis facultatibus & voluntatibus renuntiaverint.*
IV. *Quòd unus præeſſe cæteris debeat.*
V. *Qualis eſſe debeat, qui ad Prioratum eligitur?*
VI. *Ut poſt Prioris obitum intra tres vel quatuor hebdomadas eligatur alius!*
VII. *Qualiter ordinetur electus?*
VIII. *Quid Prior poſt ordinationem ſui facere debeat!*
IX. *Qualiter & in qua ætate Parentes filios ſuos Eccleſiæ tradere valeant. Et de probatione & ſuſceptione Laicorum, qui poſt annos XIV. ſe Clericos fieri poſtulaverint.*
X. *De ſuſceptione Clericorum omnium, non ordinatorum, & ordinatorum, notorum quoque & incognitorum.*
XI. *Ut in aggregandis Fratribus modus teneatur pro quantitate Eccleſiaſticæ facultatis.*
XII. *Ut noviter ſuſcepti cæteris ſubeſſe non erubeſcant.*
XIII. *Quòd Prior minimos etiam, & nuper ingreſſos aliis præficere debeat, ſi hoc Fratrum utilitas depoſcat.*
XIV. *Qualiter ſubjecti Prælatis obedire debeant?*
XV. *Quòd Canonici nihil habere, vel poſſidere, dare, vel accipere ſine ſui Prioris licentiâ debeant.*
XVI. *Quomodo Fratres ad ſe venientes alloqui debeant?*
XVII. *Si Fratres litteras mittere vel ſuſcipere debeant?*
XVIII. *Si hi, qui litterati ſunt, dictare aliquid audeant, vel docere alios?*
XIX. *Quòd Prælati animas & corpora ſubditorum regere debeant.*
XX. *De clauſtro, & ejus officinis.*
XXI. *De ædificiis familiæ.*
XXII. *De interiori clauſtro & diſtrictione Fratrum.*
XXIII. *De foras mittendis Fratribus.*
XXIV. *Ut Clerici non mittantur foras ad ea, quæ per laicos fieri poſſunt.*
XXV. *Quòd juſſu Prioris liceat Fratribus in hortis laborare vel tale aliquid operari.*
XXVI. *Quid foras mittendi, cùm egrediuntur, vel regrediuntur, facere debeant.*
XXVII. *Quales Fratres ad viſitandos infirmos, ad concordiam faciendam, ad animas exhortandas, vel ad aliquod bonum diſpenendum mitti debeant.*
XXVIII. *Si ad Parentes ire oporteat?*
XXIX. *Quòd Fratres cum Fratribus privata Concilia facere non debeant.*
XXX. *De carnali dilectione non habenda, & de Diſciplina taliter vel aliter peccantium.*
XXXI. *De his, qui voluerint ſub habitu Canonico actiorem vel ſolitariam vitam ducere.*
XXXII. *De virtute ſilentii.*
XXXIII. *Ut in Eccleſia, Refectorio, & Dormitorio ſilentium teneatur.*
XXXIV. *Quòd omni tempore à veſperis uſque in mane, cùm ad capitulum veniunt, teneatur ſilentium.*
XXXV. *Quòd in quibusdam diebus extra dictum modum teneatur ſilentium.*
XXXVI. *Quod tempore ſilentii in clauſtro ſine ſono fiant omnia absque inevitabili neceſſitate.*

CAPI-

CAPITULUM I.

Quòd Clericorum ordo Levitarum, & Apoſtolorum vicem teneat, & eorum (*l*) vitas imitari, propriis quoque facultatibus, nec non voluntatibus renunciare debeat.

(*l*) *Vitam.*

CLericorum ordinem in Eccleſia Tribus Leviticæ locum tenere, & Apoſtolicæ dignitatis jura ſervare, & officia gerere, nemo ſanum ſapiens dubitat. Unde certum eſt eos Levitarum, & Apoſtolorum Regulas, & vitas imitari debere, quorum noſcuntur locum tenere, dignitatem habere, & officia gerere. Quæ enim lex Levitis, & quæ à Domino Regula datur Apoſtolis, hæc eadem Catholicis pariter Clericis uſque in finem mundi, vices eorum ſupplentibus, indicta nequaquam ambigitur. Equidem quod Levitis interdicitur adhuc in umbra gradientibus, quomodo nobis conceditur jam in veritate perſiſtentibus? cùm multa legamus illis fuiſſe permiſſa, quæ nobis procul dubio ſunt prohibita. Aaron itaque & Filiis ejus cæteriſque Levitis à Domino dicitur: *In terra filiorum Iſrael nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos; ego enim pars & hereditas veſtra in medio filiorum Iſrael;* & paulò poſt ſubſequitur: *Filiis Levi dedi decimas omnes Iſraelis in poſſeſſionem pro miniſterio, quo ſerviunt mihi in tabernaculo fœderis;* Et de iiſdem poſt pauca: *Nihil aliud poſſidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in uſus eorum, & neceſſaria ſeparavi.* Et hæc quidem in veteri. In novo autem Teſtamento, quid cuique ſui diſcipulatûs perfectioni adhærere volenti dixerit, audiamus: *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me.* Et alibi: *Qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et in alio loco, cùm Apoſtolos ad prædicandum mitteret, prohibuit eis dicens: *Nolite poſſidere aurum, vel argentum.* Quod ſe Petrus implêſſe evidenter oſtendit, dicens: *Argentum & aurum non eſt mecum.* Hoc etiam cæteros Apoſtolos feciſſe teſtatur idem Petrus, cùm pro ſe, & aliis condiſcipulis ſuis interrogat Dominum, dicens: *Domine ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* Cui, & in quo omnibus idem facientibus reſpondens Dominus dixit: *Amen dico vobis, quòd vos, qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, in regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede Majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael, & omnis, qui reliquerit, domum, aut Patrem, aut Matrem, aut Fratres, aut agros propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Hæc Levitis, & hæc Apoſtolis mandata ſunt, utriſque una Regula, & eadem lex præcipitur: utriſque poſſeſſio tollitur, terrena facultas interdicitur. Qui ergo alii Regulâ, & lege iſta tenentur, niſi Clerici, qui Levitarum Domini, & diſcipulorum Chriſti locum tenent, miniſterium implent, vices ſervant, ordines habent? Ad hoc etiam mandatum tenendum, & perpetuo implendum Eccleſiis ſuis pretia peccatorum, vota & oblationes fidelium, primitias ac decimas rerum Deus dari inſtituit, quatenus hi, qui divino cultui mancipati propriis facultatibus expoliantur, ſibi ſtatuta perpetuo ſtipendia haberent, unde vivant, Eccleſiæ ſerviant, & pauperum neceſſitatibus ſubminiſtrent, atque ſtudioſiùs quoque ſui ordinis miniſteria impleant, nulliùſque rei vel neceſſitatis occaſione ab his unquam ſe ſeparent, aut ſæcularibus negotiis intendant.

Ex his igitur patenter oſtenditur, Chriſto militantibus Clericis fore illicitum, & terrenas facultates tenere, & res Eccleſiæ ſumere, in ſæculo patrimonium habere, & Eccleſiarum portionem ſuſcipere. Cui ſententiæ confirmandæ aptatur illud Apoſtoli: *Nemo militans Deo implicet ſe negotiis ſæcularibus, ut placeat ei, cui ſe probavit.* Et illud Salomonis: *Væ peccatori gradienti duabus viis.* Quapropter qui Chriſti diſcipulatum ſequi voluerit, ſæcularibus negotiis renunciare debebit, & qui ſemel ſacer effectus de ſacro vivere cœpit, jam ad vivendum ſacris uti præcipitur, ſed ne ſoli hoc ſuper vita & Regula Catholicorum Clericorum videamur ſentire accedant, & alii teſtes in idem conſentientes viri religioſiſſimi & omni ſcientia pleniſſimi, Hieronymus videlicet, Auguſtinus, & Proſper, & quid ſuper hoc dixerint, vel intellexerint. Audiamus Hieronymum ad Nepotianum de vita & moribus Clericorum inter cætera ſcribit, dicens: Clericus, qui Chriſti ſervit Eccleſiæ, interpretetur primò vocabulum ſuum & nominis definitione prolata nitatur eſſe, quod dicitur; Si enim *Cleros* græcè, latinè *Sors* appellatur, propterea vocantur Clerici, qui de ſorte ſunt Domini, vel quia Dominus ipſe ſors (*m*) idem pars Eccleſiarum eſt, & quia vel ipſe Clericus pars Domini eſt, vel Dominum partem habet, talem ſe exhibere debet, ut ipſe poſſideat Dominum, & ipſe poſſideatur à Domino. Qui

(*m*) *Id eſt.*

poſſidet Dominum, & cum Propheta dicit: *Pars mea Dominus*, nihil extra Dominum habere poteſt, quod ſi quippiam aliud habuerit, præter Dominum, pars ejus non erit Dominus. v. g. (*n*) (Si aurum) ſi argentum, ſi poſſeſſiones, ſi variam ſuppellectilem, cum iſtis partibus Dominus pars ejus fieri non dignatur. Si autem ego pars Domini ſum & funiculus hæreditatis ejus, nec accipio partem inter cæteras tribus, ſed quaſi Levita & Sacerdos vivo (*o*) (de) decimis, & Altari ſerviens Altaris oblatione ſuſtentor; habens victum & veſtitum his contentus ero, & nudam crucem nudus ſequar; & poſt pauca in eadem Epiſtola eidem ſcribit dicens: Procuratores atque diſpenſatores domorum alienarum, atque villarum quomodo poſſunt eſſe Clerici, qui proprias jubentur contemnere facultates? hucuſque Hieronymus. Auguſtinus autem in nono decimo capitulo libri de verbis Domini ſic ſcribit dicens: Venerunt (*p*) & Publicani ad Joannem, ut baptizarentur ab eo, & dixerunt ad eum: *Magiſter quid faciemus*? At ille dixit eis, nihil amplius exigatis, quàm quod conſtitutum eſt vobis; & poſt pauca interrogaverunt eum & milites, *quid faciemus & nos*? Ait illis Joannes: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, ſed contenti eſtote ſtipendiîs veſtris. Hic jam cognoſcere ſe debet omnis homo, qui militat, non enim tantum de militantibus his loquitur Scriptura, qui armatâ militiâ detinentur; Sed quiſquis militiæ ſuæ cingulò utitur, dignitatis ſuæ miles aſcribitur. Atque ideo hac ſententia poteſt dici, v. g. militibus & protectoribus, cunctiſque rectoribus & quicunque ſtipendia ſibi publicè data conſequitur, ſi amplius quærit, tanquam calumniator & concuſſor Joannis ſententiâ condemnatur; & paulò poſt addit dicens: Nam & Clericus Catholicus hac ſententia retinetur, ſi enim non contentus ſtipendiis fuerit, quæ de Altario, Domino jubente, conſequitur, ſed exercet mercimonia, interceſſiones vendit, viduarum munera libenter amplectitur, hic magis negotiator videtur eſſe, quàm Clericus, & eſt: (*q*) Quæ ut facta ejus magis loquetentur, quàm lingua, in domo ipſa Epiſcopi ſtatuit Monaſterium Clericorum (*r*) (ubi nemini licebat habere aliquid proprium, ſicut ipſe teſtatur dicens: Volui habere in domo iſta Epiſcopi Monaſterium Clericorum) ecce quomodo vivimus? nulli licet in Societate noſtra habere aliquid proprium, ſed fortè aliqui habent, nulli licet. Si qui habent, faciunt, quod non licet. Hoc Auguſtinus. Sed nunc quid inde beatus ſenſerit Proſper, audiamus:

(*n*) *Si autem* deeſt.
(*o*) Deeſt.
(*p*) *Autem.*
(*q*) *Qui.*
(*r*) Deſunt omnia.

Proinde quem poſſidendi, inquit, delectat ambitio, Deum, qui poſſidet, omnia, quæ creavit, expedita mente (*s*) poſſideat, & in eo habebit, quæcunque habere ſanctè deſiderat, ſed quoniam nemo poſſidet Deum, niſi qui poſſideatur ab eo, ſit ipſe primitus Dei poſſeſſio, & efficietur ei Deus poſſeſſor, & portio; & paulo poſt ſubjungit, dicens: Quid ultra quærit, cui omnia ſuus (*t*) conditor ſit? aut quid ei ſufficit, cui ipſe non ſufficit? & poſt pauca in eodem capitulo: Quis, inquit, cui Deus dignatur eſſe poſſeſſio, aliquid aliud quærit, aut quis pro amore illius omnia, quæ putantur magna, non contemnit? Ergo qui Deum vult poſſidere, renuntiet mundo, ut ſit illi Deus beata poſſeſſio, nec renuntiat mundo is, quem terrenæ poſſeſſionis delectat ambitio, quia, quamdiu ſua non relinquit, mundo, cujus bona retinet, ſervit, & utique non poteſt mundo ſervire, ſimul & Deo. Ac ſic propterea voluit Deus cultores ſuos omnibus renuntiare, propter quæ diligitur mundus, ut excluſa cupiditate mundi divina in eis charitas poſſit augeri, vel perfici. Et ideo decimas, atque primitias, frugum primogenita, & ſacrificia pro peccato, vel vota, quæ ſibi Deus juſſit offerri, Sacerdotibus ac Miniſtris diſtribui debere conſtituit, ut devotiſſimo populo neceſſaria miniſtrante ipſi Creatori ac Paſtori ſuo liberis mentibûs miniſtrarent. Hucuſque Proſpet.

Nunc jam igitur iſta de propriis facultatibus renunciandis ſufficiant; quòd autem Fratres Chariſſimi propriis (*u*) voluntatibus renunciare debeatis, evidenter Dominus in Evangelio oſtendit, dicens: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum* (*x*) (*& tollat crucem ſuam,*) *& ſequatur me, &, qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam, & qui perdiderit eam propter me, inveniet eam.* Et in alio loco: *Non veni facere voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me.* Et alibi ſacrâ perdocemur Scripturâ: *Fili avertere à voluntatibus tuis.* Nam ſicut alibi dicitur: voluptas habet pœnam, neceſſitas parit coronam. Et alio loco præcipitur: *Poſt concupiſcentias tuas non abeas*, quas qui ſequuntur, quid de eis per Prophetam dicitur, audiant: *Corrupti & abominabiles facti ſunt in voluntatibus ſuis*, unde idem Propheta voce Prælatorum ſuſcepta ſcribit, dicens: *Subjecit populos nobis, & gentes ſub pedibus noſtris.* His ergo exemplis Patres commoniti aliis pro Deo ſubeſſe non recuſemus, ſed prorſus noſtris voluntatibus (*y*) renunciantes Chriſti voluntatem alieno ſed ſpirituali ac diſcreto arbitrio in omnibus exſequamur.

(*s*) *Poſſidet.*
(*t*) *Creditor.*
(*u*) *Etiam.*
(*x*) Deſunt.
(*y*) *Renunciatis.*

CAPI-

CAPITULUM II.

Quid præ omnibus Canonici imitari debeant?

ANte omnia igitur Propheticîs, Evangelicîs, & Apoſtolicis monitîs edocemur, Dominum Deum noſtrum toto corde, tota anima & tota virtute, & proximos noſtros, ùt nosmetipſos, diligere. Ex his enim duobus mandatis univerſa lex pendet & Prophetæ. Non ergo occidant, non aliquem odio habeant, non adulterent, furtum non faciant, alienam rem non concupiſcant, falſum teſtimonium non dicant, quidquid ſibi fieri optant, hoc alteri exhibeant, & quod ſibi nolunt, alteri non faciant: Non ſint ſuperbia tumidi, luxuriæ & ebrietati non ſerviant, Fratribus non detrahant, libidini, & impudicitiæ penitus reſiſtant, iracundiam temperent, invidiam abjiciant; Non ſint vaniloqui, non pigri, non ſuſurrones, non murmuratores, non ſomnolenti, non vinolenti, non nimis edaces, non maledici. Maledicentibus benedicant, perſequentibus & calumniantibus ex affectu orationis ſuffragium præbeant, malum pro malo non reddant, ſed bonum pro malo reſtituant, vindictam non requirant, læſi non lædant, omnem injuriam & offenſam dimittant, ſolis occaſum iracundiæ occaſu præveniant. Juramenta absque inevitabili neceſſitate nec aliis faciant, nec ab aliis exigant, fraudes & doloſitates caveant, uſuris nequaquam inſerviant, malum ſibi, bonum verò ſoli Deo attribuant, diſcordiam fugiant, diſcordantes ad concordiam revocent, audiant dicentem Apoſtolum: *Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, ſed induimini Dominum noſtrum JEſum Chriſtum.* Sobrie & juſtè, ac piè vivant, ab omni malo declinantes, & facientes bonum. Sæculi negotia cuncta prorſus abjiciant, illud attendentes Apoſtolicum: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut placeat ei, cui ſe probavit.* Ament præterea jejunium, pauperes recreent, hoſpites colligant, nudos veſtiant, infirmos viſitent, mortuos ſepeliant, tribulantibus ſubveniant, dolentes conſolentur, cum flentibus fleant, cum gaudentibus gaudeant, charitatem non derelinquant, pacem, ſi fieri poteſt, cum omnibus habeant; diem judicii timeant, vitam æternam per omnia concupiſcant, ſpem ſuam Deo committant, amori Chriſti nihil præponant, Prælatorum ſuorum imperiis per cuncta obediant, proprio Epiſcopo in omnibus ſecundùm Canonum inſtitutionem obtemperent, poſtremò ſpiritualibus doctrinis operam tribuant, lectionibus, Pſalmis, Hymnis, canticis, & cæterorum bonorum operum exercitiis (z) jugiter inſiſtant. (a) Adverſos revocent, converſos vitâ & doctrinâ ad meliora pertrahant, Religionem ac propoſitum ſuum nequaquam illicitîs actibûs deturpent, contubernia fœminarum nullatenus appetant. Vanis oculis, infræni lingua, tumido quoque ac petulanti geſtu & diſſolutis renibus non incedant, ſpectaculis & pompis ſæcularibus non interſint. Aleæ, aut quibuslibet venationibus minimè inſerviant, pretioſis veſtes ſeſe habere non delectent, turpium lucrorum occupationes nequaquam appetant. Sæcularia officia prorſus abjiciant, pro divinæ medicinæ beneficiis munera non ſuſcipiant, per ambitionem honorum gradus non ſubeant. (b) (Dolos & conjurationes non faciant, mulierum ac puerorum amicitias privatas non habeant) pudorem & verecundiam mentis ſimplici habitu, inceſsúque prætendant, obſcœnitatem non ſolùm operum, ſed & verborum penitus execrentur. Viduarum & Virginum frequentes viſitationes fugiant, caſtimoniam inviolati corporis perpetuò conſervare ſtudeant, nullóque jactantiæ ſtudio ſemetipſos extollant. Poſtremò vitiis omnibus reſiſtant ac renuncient, virtutibus adhæreant, atque eas ſemper poſſideant, legi divinæ, & ſanctarum Scripturarum monitis obtemperent, corpus caſtigent, delicias non ament, iram non perficiant, tempus iracundiæ non ſervent; fictam pacem non tribuant, veritatem corde & ore proferre ſtudeant. Orationibus & officiis divinis aſſiſtentes hoc cordibus pſallant, quod ore proferunt; actus vitæ ſuæ omni hora cuſtodiant, cogitationes malas ad Chriſtum allidant, & Senioribus ſuis patefaciant. Verba vana, aut otioſa vel riſui apta nullatenus proferant, multiloquium, riſúmque & maximè excuſſum fugiant dicente Domino in Evangelio: *Væ vobis, qui ridetis, quoniam flebitis.* Et in Propheta: *Stultus in riſu exaltat vocem ſuam.* Lectioni & orationi ſine intermiſſione incumbant. Præterita mala ſemper Deo in oratione cum gemitu confiteantur, & ab his penitus deſiſtant. Carnis deſideria non perficiant, voluntatem propriam odio habeant, & Chriſti voluntatem in omnibus impleant. Prælatorum ſuorum ordinationibus & juſſis non reſiſtant etiam ſi ipſi, quod abſit, aliter agant, recolentes illud Domini præce-

(z) *Vigilanter*

(a) *Averſos.*

(b) Deſunt.

Digitized by Google

præceptum dicentis : *Quæ dicunt, facite, quæ faciunt, facere nolite.* Juniores ſpiritualiter diligant, Seniores honorent, pto inimicis in Dei amore exorent, invicem ſe diligant, viciſſim ſibi ſecundùm ordinem charitatis officiò ſubminiſtrent. Gravitatem non ſolùm in loquendo vel operando, ſed & in eundo vel ſtando teneant, decorem morum, ſanctitatem, & honeſtatem non ſolum actionum ſed & locutionum habeant, omnes, quibus ſe junxerunt, ſale Sapientiæ condiant, & eos ſuis exemplis ad meliora trahant. Poſtremò omnia, quæ veteris vel novi teſtamenti ſeries narrat, conſiteantur, & credant, ſervent, & doceant. Ad hoc ergo Fratres chariſſimi, & his ſimilium obſervatinnem hæc omnia, quæ veſtra me charitas ſcribere compulit, vobis ſacienda ſtatuiſtis, quorum etſi aliqua videantur quaſi alia, pro his tamen ſervandis, & animabus ſalvandis, honeſtæque converſationis moribus imitandis ſunt inventa. Iſta ergo benigne, rogo, ſuſcipite, (*c*) quatenus per hæc ad plenioris arcem ſanctitatis, & ad ſummam Religionis perfectionem, & poſt vitæ præſentis labores ad gloriam ſempiternæ beatitudiois pervenire mereamini.

(c) Suſcepta ſervate, & in ſervando perſiſtite.

CAPITULUM III.

Quòd hìs exemplìs Fratres commoniti propriis facultatibus & voluntatibus renuntiaverint.

HIs vos diviuarum Scripturarum monitis Fratres chariſſimi! & ſanctorũ Patrum parentes exemplis cuncta ſæculi negotia, & mundum cum pompis ſuis reliquiſtis, propriis rebus & voluntatibus ac terrenis facultatibus renunciâſtis, & hanc, Regulam in Societate veſtra perpetuo tenendam ſtatuiſtis, quatenus, qui hic voluntatis propriæ deſideriis reſtitiſtis, & rebus ſæcularibus renunciâſtis, illic ſanctæ veſtræ voluntatis pleniſſima deſideria effectu comprehendatis, & perennis vitæ inæſtimabiles & aſſiduas delicias ſine fine poſſideatis.

CAPITULUM IV.

Quòd unus præeſſe cæteris debeat.

QUòd autem in unaquaque Congregatione Canonica unus eligendus ſit, qui cæteris præeſſe debeat, & uſus Eccleſiaſticus divinitus inſpiratus exigit, & in veteri, & in novo Teſtamento evidenter oſtenditur, cùm Moyſen & poſt Moyſen Joſue omnibus Filiis Iſrael, & Aaron cæteris Levitis, Petrum quoque cæteris diſcipulis Dominus præpoſuerit.

CAPITULUM V.

Qualis eſſe debeat, qui ad Prioratum eligitur.

QUalis eſſe debeat, qui præfertur, trina Domini interrogatio & trina Petri maniſeſtè monſtrat reſponſio ; cùm enim paſcendarum ovium cura illi committitur, ter Dominus interrogat Petrum, ſi diligat ; & ter Petrus reſpondet, quia amat, & ter (*d*) jubet ut paſcat ; trinam igitur interrogationem trina Petri de dilectione reſponſio & trinam ejus reſponſionem trina paſcendi gregis injunctio ſequitur. Sed nunc quomodo trina dilectio in eligendis haberi debeat, videamus. Trinam itaque dilectionem ille habet, qui Dominum, & quæ Domini ſunt, mente credit & amat, voce confitetur, & prædicat, opere imitatur & ſervat. Trina autem tunc fit interrogatio, cum ſicut debemus, exquiſrimus, providemus, & diſcutimus, utrùm eligendus hanc trinam dilectionem habeat. Quod ſi cordis fidem & dilectionem competens ſermo & actus ſoris oſtendat, trinæ interrogationi jam (*e*) ſatisfecit trina reſponſio. Cui (*f*) eoim bene tet paſcendis gregis cura injungitur, quia quiſquis oves paſcendas ſuſcipit, cordis jugì vigilantia proſpicere, vocis officio munere & defendere, & actuum exemplìs ſemper eas ad Chriſtum debet pertrahere. Illi ergo rectè paſcendi gregis cura injungitur, qui in mente plenam habet fidem, & dilectionem interius, & in vnce perfectè monendi, liberè arguendi, prudenter exhortandi ſcientiam, & poſſibilitatem exterius, & qui opere, quæcunque loquitur, ſervat, & ſequitur.

(d) Dominus.

(e) Satisfacit bina.

(f) Etiam.

Nec

Nec quiſquam pro qualibet culpa, ſi jam ſatisfecerit, in hoc officio recuſandus eſt, cùm & Petro poſt trinæ negationis lacrymabilem ſatisfactionem, quia trina in eum dilectio ſtatuit gregis, à Domino injuncta ſit paſtio. Hæc igitur dilectionis forma Fratres chariſſimi! in primo Paſtore non ab alio, quàm à Chriſto præſignata in eligendis eſt providenda, non ſolùm in Prioribus, ſed & omnibus perſonis in Eccleſia præferendis.

CAPITULUM VI.

Ut poſt Prioris obitum intra tres vel quatuor hebdomadas eligatur alius.

SAnctitas veſtra, dilectiſſimi Fratres! ſummopere rogo, ſemper ut ſtudeat, ne quandoque hæc veſtra Congregatio ultra tres vel quatuor hebdomadas Priore viduata remaneat, ſed intra hunc terminum collectis in unum Fratribus, & diligenter ſuper eligendo pertractatis, omnibus, & ſi ſit cunctorum minimus, ille tamen eligatur concorditer ab omnibus, qui fide & ſanctitate præſtantior, diſcretione prudentior, charitate ferventior, ſcientia quoque, ſi fieri poteſt, ſit plenior, quique Fratrum animas & corpora ſapienter cuſtodire, regulariter regere ſciat & valeat. Quod ſi in eligendo ex diverſitate perſonarum orta fuerit inter Fratres diſcordia, in tantùm, ut ultra ſtatutum terminum differatur electio, tunc Prælati Eccleſiæ (*g*) ſtatuta in communi oratione cum jejunio eum eligant, quem ad hoc meliorem cognoverint, & cujus electioni plures ac meliores Fratres conſenſerint.

(*g*) *Statuto in communi, cum oratione & jejunio.*

CAPITULUM VII.

Qualiter ordinetur electus.

CUm ergo Prior ordinatur, præparatîs ad Miſſam officiis & perſolutis horæ tertiæ laudibûs Fratribûs aſtantibus proſternat ſe in medio is, qui ordinandus eſt; Cui Præpoſitus, vel major Presbyter per juſſum & conſenſum Fratrum dicat iſta vel his ſimilia verba: *Frater N. injungunt hoc Fratres tui ex obedientia, ut de cætero corporibus & animabus eorum ſecundùm Dominum ſubminiſtres.* Ad quæ ille hæc vel alia ſimilia ſubſequenter reſpondeat: *Quia voluntati Dei, & juſſioni veſtræ parere debeo, onus, quod impenitus, non recuſo, ſed pro charitate ſuſcipio & ſecundùm Deum portare promitto*, móxque à Fratribus reſpondeatur: *Suſcepimus Deus.* Et cætera, ùt mos eſt cum *Gloria*, & *Kyrie* ter, & oratione Dominica, & capitulis competentibus, deinde ſequatur hæc vel alia ſimilis oratio.

Oratio ſuper Priorem.

OMnipotens ſempiterne Deus benignitatis tuæ clementiam ſuppliciter petimus, ut hic famulus tuus ſemper ſibi tuæ opis ſentiat adeſſe ſuffragium, quatenus gregem tuum ſic in præſenti regat, atque cuſtodiat, ut in futuro felicitatis æterna præmia cum ipſo pariter percipere valeat. Per Dominum noſtrum &c. Et exinde in loco Prioris ſedeat, & Prioratûs ſui officium gerat.

CAPITULUM VIII.

Quid Prior poſt ordinationem (*h*) ſui facere debeat.

(*h*) *Suam.*

ORdinatus itaque Prior Fratrum in Congregatione jam ſuſceptorum & animas, & corpora Canonicè regere, & ſuſcipiendos, debet Canonicè ſuſcipere. Primò itaque qualiter Fratrum ſuſceptio, deinde qualiter ſuſceptorum gubernatio fieri debeat, oſtendamus.

CAPITULUM IX.

Qualiter, & in qua ætate parentes Filios ſuos Eccleſiæ tradere valeant? & de probatione & ſuſceptione Laicorum, qui poſt annos quatuordecim ſe Clericos fieri poſtulaverint.

SI quis fidelis Laicus filium ſuum intra ætatem annorum quatuordecim per devotionem Eccleſiæ offerre, & divino cultui mancipare voluerit, præſente Priore cum Fratribus repræſentet eum ante Altare in his vel ſimilibus verbis: *Ego N. fideli animo hunc Filium meum N.* (*i*) *do omnipotenti, & his Sanctorum pignoribus trado, & veſtræ Fraternitati in omnibus aſſocio, ac Sanctitati* (*k*) (*veſtra*) *nutriendum committo.* Ponátque ſuper Altare chartulam eadem verba continentem. Poſt hæc puero proſtrato vel poſito ante Altare dicatur verſus: *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam* cum *Gloria*, & *Kyrie* & oratione Dominica & capitulis congruentibus. Sequatur oratio competens, quæ habetur in ſequentibus. Poſt tres itaque vel quatuor ablactationis annos, ſi ſic parvus offertur, Clericus effectus ab omnibus diligatur (*l*) (ùt Frater & pro ætate ſua nutriatur) ùt Filius. Poſt annos verò quatuordecim non poteſt eum Pater offerre, niſi Filius voluerit, hujus enim (*m*) ætatis omnibus, invitis quoque parentibus, licitum eſt habitum Religionis ſuſcipere, quem elegerint. Qui ergo ſui juris ſunt, vel in ſe, vel in ſua tradendo, & ſe frequenter ad Clerum veſtrum ſuſcipi poſtulaverint, non indiſcretè ſuſcipiantur, quia ſecundùm Apoſtolum non omni Spiritui credendum eſt, ſed magis probetur, utrùm ex Deo. Probationis autem modum & tempus certum non ſtatuimus, ſed in prudentia & arbitrio Prioris, vel pariter Fratrum ſemper ſtatuendum dimittimus. Aliter namque probandi ſunt parvi, aliter magni: aliter ſani & fortes, aliter infirmi & debiles: aliter divitiis & delitiis, aliter laboribus & inopiis aſſueti: aliter quorum vita ſecura, vel dubia, licentia certa ſive incerta, voluntas nota vel incognita, quorum omnium diſtinctione perſpecta Prioris diligentia vigilanter oſtendat, & prudenti arbitrio modum & tempus probationis ſecundùm quod cuique convenit, ſtatuat. Qui probati ſi ſuſcipiendi videntur, legalem ante ómnia de patrimoniis & rebus ſuis, ſi habeantur, diſpoſitionem faciant, ea vel propinquis relinquentes, vel pauperibus erogantes, vel Eccleſiæ offerentes. Quâ factâ, & frequenter priùs Regulâ, quam ſervaturi ſunt, auditâ deducantur in Chorum, & Clerici ſecundùm uſum & ordinem efficiantur. Poſt hæc præſentibûs Fratribûs proſtrati in medio legant chartulam hæc continentem vel ſimilia verba: *Ego N. meipſum omnipotenti Deo offero, & ſervitium, & ſtabilitatem meam his Sanctorum pignoribus: obedientiam quoque Prælatis hujus Eccleſiæ ſecundùm Deum & ordinem veſtrum in eo promitto.* Móxque Fratres *Deo gratias* reſpondentes ſubjungant verſum: *Suſcepimus Deus &c. Gloria*, & *Kyrie* ter & oratione Dominica & capitulis competentibus. Deinde hæc oratio ſequatur, vel ſimilis.

(*i*) Deo.
(*k*) Deeſt.
(*l*) Deſunt.
(*m*) *Hominibus.*

Oratio ſuper Profeſſum.

FAmulum tuum Domine quæſumus pro tui nominis amore ſæculo renunciantem benignè ſuſcipias, & Spiritûs tui gratia perſundas, qua confirmatus & peccatis omnibus abſolutus promiſſa perſeveranter impleat, & ad vitam æternam perveniat. Per Chriſtum Dominum &c.

Deinde conjunctus, Fratribus ſub omnibus ante ſe ingreſſis hilariter maneat, & (*n*) auditum ordinem ſemper implere, & fideliter tenere ſtudeat. Quòd ſi ante quatuordecim annos orbatus parentibus venerit, teneatur inter pueros, & nutriatur: poſt hanc autem ætatem facta diſpoſitione, ſi quid habet, & ad Clericatum, & ad profeſſionem modô ſuperiùs comprehensô ſuſcipiatur.

(*n*) *Suſceptum.*

CAPITULUM X.

De ſuſceptione omnium Clericorum non ordinatorum (*o*) (& ordinatorum) notorum quoque & incognitorum.

(*o*) Deſunt.

SI quis verò Clericus non habens ordines nec Eccleſiæ alicui profeſſione propria, vel paterna traditus veſtro collegio ſe ſociari periêrit, & in petendo perſeveraverit, probetur primò, ut ſupra ſignificavimus. Deinde Regulâ perlectâ vel audita vel intellectâ, ſi cuncta ſe ſervaturum promiſerit, Epiſcopi aut etiam Archidiaconi, ſeu Archipresbyteri ſui aquiſitâ licentiâ per conſenſum earundem perſonarum illius Epiſcopatûs, in cujus Diœceſi ſe recipi deprecatur, ſuſceptio-

ſceptionis ei aditus non negetur. Quòd ſi majores vel minores etiam gradus habuerit, poſt probationem factam & Regulam freqoenter auditam Canonicè petitus, ac dimiſſus ſuſcipiatur ad profeſſionem, ſecundùm quod ſuperius diximus. Si autem peregrinus ſeu de incognitis partibus Clericus ſe recipi rogaverit, non cito audiatur, nec quandoque ejus petitioni annuatur, niſi habeat commendatitias, quæ certæ ſint ſui Epiſcopi, literas, in quibus vita & votum, gradus & Epiſcopalis licentia innoteſcat. Is ergo curâ diligentiſſimâ per prolixa tempora probatus in omnibus, Regulâ quoque frequenter auditâ, ſi ſuſcipi debeat, præſentis Eccleſiæ Epiſcopo permittente, ſecundùm ſuperiorem modum profeſſione facta ſuſcipiatur in Fratrum collegio.

CAPITULUM XI.

Ut in aggregandis Fratribus modus teneatur pro quantitate Eccleſiaſticæ facultatis.

PRælati Eccleſiarum ſummopere ſtudeant, ne in Congregatione ſibi cōmiſſa vel plures admittant, quàm Eccleſiæ facultas exigat, vel eos, quibus poteſt ſufficere, avaritiæ causâ relinqoant. In minimis namque locis pauci admittendi ſunt numero, ſed magni ſcientiâ, virtute & merito, ut, quod Fratrum paucitas denegat, multitudo ſcientiæ, virtutis, & meriti ſubminiſtret.

CAPITULUM XII.

Ut noviter ſuſcepti cæteris ſubeſſe non erubeſcant.

SUſcepti itaque Fratres aliis ante ſe ingreſſis, licèt minoris gradûs, vel ætatis aut licentiæ ſint, ſubeſſe tamen non erubeſcant, ſed ſub ipſis ferre jugum obedientiæ non recuſent; quia ſatis meliùs eſt hic humiliari, ut in futuro exaltemur, quàm hìc exaltari, unde poſtremo humiliemur. Et quantò plus hìc pro Chriſti nomine ſubjicimur, tantò plus in futuro ſine dubio exaltabimur. Quapropter nulli unquam recuſandum eſt humilibus etiam & abjectis perſonis reverentiam ferre, in quibus veraciter Chriſto cognoſcimur miniſtrare.

CAPITULUM XIII.

Quòd Prior minimos etiam & nuper ingreſſos aliis præferre debeat, ſi hoc Fratrum utilitas depoſcat.

(p) *ut præſint.*

QUod ſi Prior de minimis etiam, & noper ingreſſis aliquos (*p*) ſi præſint, poſſe Congregationi prodeſſe cognoverit, non ſolùm eos præferre non interdicimus, ſed & mandamus, quoniam Præpoſiti Eccleſiaſtici non ſunt perſonaliter conſtituendi, vel eo ordine, quo ſuſcepti ſunt in Fratrum collegio, ſed pro vitæ meritis & donorum ſpiritualium prærogativis, ut hi ſemper præſint, qui verbo doctrinæ & opere Sanctitatis & bonos ad meliora animent, & malos à perverſitate revocent.

CAPITULUM XIV.

Qualiter Prælatis ſubjecti obedire debeant?

OMnia, quæcunque ſecundùm Deum & ſanctam Fratrum converſationem Prælati mandaverint, ſubditi quoque humiliter, libenter, & ſine mora ſuſcipiant, alacriter impleant, & diligenter, ac ſine murmuratione perficiant; *hilarem*, namque ait Apoſtolus, *datorem diligit Deus.* Sicut ergò hilarem diligit, ita ſine dubio triſtem, & murmurantem odit. Et ideo murmurationem & inobedientiam omni loco & tempore, ùt ratio exigit, damnandam penitus eſſe cenſemus. Quapropter nihil à Fratribus cum triſtitia & murmuratione fiat, ſed cuncta Seniorum mandata feſtinè percipiant, & cum alacritate perficiant. Quod ſi etiam impoſſibile videatur, quod injungitur, ſuſcipere quidem hoc Fratres non recuſent exemplo Chriſti commoniti, qui Patri obediens mortem etiam ſuſcipere non recuſa-

cuſavit. Verùm qui hujus perfectionis normam ſequi non poſſunt, cùm præcepti obſervatione gravari incipiunt, & ad impoſſibile veniunt, Senioribus ſuis hoc humiliter denunciant, quos Prælati non ſpernant, ſed vinculô importabilis oneris ſolvant, ne quod abſit, ſi aliter fecerint, & illi importabile onus levi deponant, ut credo, peccato, & iſti ex numero eorum efficiantur, de quibus dictum eſt: *Imponunt onera gravia & importabilia, digito autem ſuo nolunt ea movere.*

CAPITULUM XV.

Quòd Canonici nihil habere, vel poſſidere, dare vel accipere (*q*) (ſine ſui Prioris licentia) debeant.

(*q*) Deſunt.

CUm hujus noſtræ Congregationis Fratres non ſolùm facultatibus ſed & voluntatibus propriis in ipſa ordinis ſuſceptione renunciaverint, & ſe per promiſſam obedientiam penitus aliorum poteſtati & imperiis in Chriſto & pro Chriſto ſubdiderint, certum eſt, eos nihil habere, vel poſſidere, dare vel accipere ſine ſui Prioris licentia debere. Quod ſi propinguus vel amicus quilibet Fratrum cuiquam aliquid offerre voluerit, primo quidem Priori inſinuet, & ſic ſuſcipiatur, ſi ipſe mandaverit, de quo tamen nihil fiat aliud, niſi quod Priori placuerit.

CAPITULUM XVI.

Quomodo Fratres ad ſe venientes alloqui debeant?

SI qui advenientes cum aliquo Fratrum loqui quæſierint, & Prior ex charitatè vel neceſſitate conceſſerit, tribuatur ei ſocius prudens & providus, in quo nulla ſit mali ſuſpicio, quo præſente quidquid audiendum eſt, audiat, & quidquid reſpondendum, reſpondeat. Si quid tamen ſecretiùs dici oporteat, illis non negetur, de quorum ſtabilitate nequaquam ambigitur. Pueris autem & his, quorum vita dubia eſt: minimè concedatur, niſi teſtis, ut dictum eſt, affuerit.

CAPITULUM XVII.

Si Fratres litteras mittere, vel ſuſcipere debeant.

SI quando Prior neceſſarium viderit aliquem Fratrum cuiquam litteras mittere, ipſe eas fieri, factas perlegi, perlectas, à quo voluerit, portari præcipiat. Quod ſi cuiquam eorum litteræ ab aliis miſſæ deferantur, non is, cui mittuntur, ſed aliquis de Prælatis eas ſuſcipiat Priori dandas. Quas cùm Prior apertas perlegerit, illi etiam, cui miſſæ ſunt, & aliis oſtendat, ſi oportuerit.

CAPITULUM XVIII.

Si hi, qui litterati ſunt, docere aliquid audeant.

SI qui Canonicorum humilia ſentientes, non arrogantiam habentes in tantum fuerint litteris eruditi, & divinarum Scripturarum ſcientiâ pleni, ut inde aliquid utilitatis aliis afferre valeant, & Prior juſtum probaverit, & neceſſarium viderit, omni prorſus invidiæ & odii fomite remoto concedat eis vel præcipiat in his laborare, quorum ſcientiam magis neceſſariam, utilémque proſpexerit.

CAPITULUM XIX.

Quòd Prælati animas & corpora ſubditorum regere debeant.

PRælati itaque Eccleſiarum jugi cura ſuper ſibi commiſſos Fratres invigilent, & eorum non ſolùm animas, ſed & corpora ſic regere, tueri, & paſcere ſtudeant, ut nullius neceſſitatis cauſâ peccandi occaſionem inveniant, & ſicut eis cuncta neceſſaria Prælati ſubminiſtrare non deſiſtunt, ita & ab his cauſâ inſtantiſſimâ totius ordinis obſervationem indeſinenter exquirant. Sed cùm omnis fere obſervatio

tio ordinis intra clauſtri mœnia principaliter fieri ſoleat, ubi grex Dominicus communiter commorari & Majorum juſſis obtemperare (r) percipitur, ante omnia quid ſit clauſtrum, & quæ in eo officinas fieri oporteat, conſcribamus, ut prius (s) quæ in his agenda ſunt, liberiùs (t) perſequamur.

(r) *Præcipitur.* (s) *Poſt.* (t) *Proſequamur.*

CAPITULUM XX.

De Clauſtro & ejus Officinis.

QUid ſit clauſtrum, ipſa ſui nominis explanatione cognoſcitur; clauſtrum namque dicitur clauſum atrium, eo quod Eccleſiæ atrium muris vel aliis parietibus undique claudendum ſit, intra quod cunctæ Canonicorum officinæ, & omnia uſibûs eorum ædificia neceſſaria fiant, id eſt, Sacrarium, Armarium, Capitulum, Veſtiarium, Dormitorium, Digeſtorium, Calefactorium, Refectorium, Coquina, Cellarium, Molendinum, Piſtrinum, & Camera, loca quoque ſenum & infirmantium, loca quoque, ſi fieri poteſt, puerorum & adoleſcentium ſub munitiſſima adhuc diſciplina manentium, ne fortè ſi morentur cum Fratribus, impedimento ſint legentibus, ac meditantibus. Quod ſi hoc non poteſt fieri in remotiori parte clauſtri eos eſſe ſub Magiſtro, & cuſtode Prior inſtituat, ubi ſub eorum arcta cuſtodia manentes, quæcunque neceſſaria ſunt, addiſcant, & quæ mandantur, perficiant.

CAPITULUM XXI.

De ædificiis Familiæ.

FIant extra hæc intra ejuſdem clauſtri mœnia ab his perparùm disjuncta ædificia, ubi omnes artifices ac laboratores Eccleſiæ, cunctáque prorſus familia omnes neceſſitudines habere, & quique ſui officia gerere, vel quæ ad officia ſua gerenda pertinent, conſervare valeant.

CAPITULUM XXII.

De inferiori clauſtro, & de diſtrictione Fratrum.

CLauſtrum verò inferius Canonicis deputetur ſolummodo, ubi ipſi ſine omni inquietudine commorantes Deo fideliter ſerviant, propoſiti ſui rectum tramitem teneant, ordinem proprium impleant, Prælatorum juſſis inceſſanter obediant, viciſſim ſibi charitatis officio ſecundùm ordinem ſerviant, & ab univerſis illicitis & ordini ac propoſito eorum contrariis penitus abſtineant. Quiſque ergo loco ſibi deputato ſedeat, Præpoſiti ſui juſſis obtemperans, nec inde ei ad aliam partem ſine illius præcepto declinare liceat, quoniam inſtabilitatis vitium eſt, cùm non urget neceſſitas, nunc eſſe hìc, nunc illic, nunc (u) iſto, nunc illo jungi, & confabulari, & hoc ſine dubio inſtinctu diaboli agitur, ut Fratres, qui legere, & inde meditari, pſallere & orare, aut aliquid aliud operari debuerant, ab his averſi ad inania peccando deducantur, ne (x) proficiant. Quapropter hoc vitium à Fratribus abſcindatur radicitus, & qui eo in conventu utitur, ſic inde judicetur, ut de cætero alii nequaquam hoc attentare audeant. Sint ergo Canonici gravitatis amici, dicente Propheta: *In populo gravi laudabo te.* Nec citò in verbum prorumpant, nec cito de loco ſe moveant, niſi cum Prælati præceptio mandat, vel ordo aut neceſſitas, ſeu divinæ legis obedientia poſtulat. Ambulantes verò non curſim, aut indecenti, ſeu tumido greſſu incedant, verba autem ſcurrilia, vana, & otioſa, riſúmque moventia nuſquam, ſi poteſt fieri, proferant, confabulationibus nequaquam incumbant, excuſſum riſum non ſolùm in clauſtro, ſed & in omnibus locis à ſe penitus abſcindant, recolentes illud Evangelicum: *Væ vobis, qui ridetis, quoniam flebitis.* Illud (y) etiam Salomonis: *Riſus dolore miſcebitur; & ſtultus in riſu exaltat vocem ſuam.* Sanctis verò lectionibus vacent, divinis officiis, aliíſque ſacris doctrinis pro Prioris juſſu diſcendis inſiſtant: Pſalmis, Hymnis & Canticis ſpiritualibus incumbant: privatis quoque orationibus, ſi vacet, cum licentia tamen, intendant, faciant quandoque, & aliquid operis in clauſtro decentius fieri, quod Fratres legentes vel pſallentes aut de divina Scriptura meditantes, vel aliis ſacris doctrinis inſiſtentes nequaquam impediat; de clauſtro verò ſine Prioris, vel ejus vice fungentis licentia nequaquam

(u) *Cum iſto, nunc cum illo.* (x) *Perficiant.* (y) *Enim.*

exeant; egreſſi ultra, quàm ſibi ſtatutum fuerit, absque inevitabili neceſſitate morari non audeant: Soli nunquam eant, bonóſque eis Prælatus ſocios tribuat, ſine quibus, nec ipſi alios, nec alii ipſos alloquantur.

CAPITULUM XXIII.

De foras mittendis Fratribus.

TAles Fratres, optimîs tamen deputatîs ſociîs, Prælati pro quolibet negotio gerendo ſeù reſponſo reportando vel accipiendo foras mittere ſtudeant, in quibus nulla ſit mali ſuſpicio, & qui injuncti negotii cauſam prudenter agere, & ſapienter perficere valeant; foras ergo euntes nihil indecens, nihil reprehenſibile, nihilque prorſus ordini, ac propoſito ſuo contrarium dicant aut faciant, ſed potius omnes, quibus ſe junxerint, ſale ſapientiæ condiant, & ad meliora ſanctæ converſationis exemplîs trahant. Virorum autem ſecreta conſilia his, qui foras mittuntur, non negamus, ſi oporteat, illis tamen, de quorum vita & ſtabilitate non ambigitur; de mulierum verò ſecreta allocutione non meum, ſed Hieronymi conſilium audiant dicentis: Si propter officium Clericatûs aliqua mulier viſitatur, nunquam domum ſolus introeas, ſolus cum ſola ſecreto, vel absque arbitro vel teſte non ſedeas; ſi familiarius eſt aliquid loquendum, habet nutricem, Majorem domûs, Virginem, Viduam, maritatam, non eſt tam inhumana, ut nullum præter te habeat, cui ſe credere debeat, non ergo mulierum ſecreta allocutio Clericis conceditur, niſi fortè probatis Presbyteris, cùm earum confeſſiones ſuſcipiant; Matres tamen & Sorores vel Amitas, & eas tantùm perſonas, in quibus nulla eſt mali ſuſpicio, Fratres vitæ probabilis alloqui non negamus.

CAPITULUM XXIV.

Ut Clerici foras non mittantur ad ea, quæ per Laicos poſſunt fieri.

QUod ſi tales & tam fideles Laici ex ipſa Familia habeantur, per quos omnia vel quædam exteriora negotia poſſint prudenter fieri, ad ea, quæ per ipſos valent perfici, Clerici nequaquam mittantur.

CAPITULUM XXV.

Quòd juſſu Prioris liceat Fratribus in horto laborare, vel aliquid tale operari.

QUod ſi talis ſit locus, & Prior ad uſus Fratrum aliquos de Congregatione ſibi com̃iſſa quandoque in hortis laborare, vel aliquid tale, quod oporteat, alibi operari, mandaverit, mandantis fideliter præceptum, & alacriter & ſine mora impleatur acceptum.

CAPITULUM XXVI.

Quid foras mittendi, cùm egrediuntur, vel regrediuntur, facere debeant.

CUm verò aliquis Clericus pro injuncti causâ mandati egreditur, inclinato capite benedictionem petat, cui Prior benedicens dicat: *Angelus Domini bonus comitetur tecum, & omnipotens Dominus proſperum faciat iter tuum*, vel aliquid aliud ſimile. Ubi autem ille reſponderit: *Amen*, abſcedat dicens: *Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me* cum *Gloria Patri*, ſive alia ſimilia. Completâ igitur ſui itineris causâ rediens Eccleſiam adeat, ut, cùm breviter oraverit, exeat, & inclinato capite Fratribus, & ſi liceat, benedictione petita mox ad Priorem pergat, & ab eo itidem benedictione ſuſcepta, quid fecerit, & quid ſibi de injuncto mandato contigerit, humiliter reſerat. Mane verò ſive poſt Nonam is, qui de via venit, accedat in capituli medio, & coram Fratribus ſe corde, voce, & actione peccáſſe pronunciet, flexiſque genibus, & corpore proſtrato dicat: *Mea culpa peccavi*, & Fratres reſpondeant: *Parcat tibi Deus*. Qui tandiu genua flectens

hoc

hoc dicat, & Fratres hoc reſpondeant, quouſque Prælatus eum ſtare præcipiat, & pro admiſſorum qualitate ſatisfactionis injungat ſententiam, ſive in Pſalmis, ſine in jejuniis vel aliis aliquibus obedientiis, ſi Priori placuerit. Quod ergo pro admiſſorum ſatisfactione ſibi injungitur, quâ horâ, vel quo tempore Prior juſſerit, impleat. Quod ſi perpauci Pſalmi ſunt, mox ùt de Capitulo egreditur, antequam benedictionem petat, eorum numerum exſolvat: quô perſolutô egrediens benedictionem more ſolito exquirat. (e) (z) Quicumque ergo foras diriguntur, hunc modum in eundo, & redeundo tenere debebunt.

(z) *Quandocunque.*

CAPITULUM XXVII.

(a) Quales Fratres ad viſitandos infirmos, ad concordiam faciendam, ad animas exhortandas, vel ad aliquid bonum diſponendum mitti debeant.

(a) *Qualiter.*

SI autem Fratres propter officium Clericatûs infirmos viſitare, concordiam inter diſcordes facere, aut aliquem locum pro exhortandis animabus, vel rebus aliquibus in bono diſponendis ire oporteat, de ſapientioribus, & ſanctioribus Fratribus duo vel tres, aut plures, ſi neceſſe ſit, præcipiat ire Prælatus, ut quæcunque neceſſaria viderint, ſanctè & ſapienter perficiant. Qui ſi longè pergere debeant, in eundo & redeundo, ùt ſuperius dictum eſt, faciant.

CAPITULUM XXVIII.

Si ad Parentes ire oporteat.

SI quem Fratrum Patrem vel Matrem, aut propinquos ſuos viſitare Prior ſive ex charitate, ſive ex aliqua neceſſitate permiſerit, tali eum Magiſtro vel Socio deputet; cujus præſentiam timeat, & cui reverentiam ferat, à quo & in cavendis cuſtodiam, & in neceſſitatibus ſolatium, & in omnibus ſuffragium habere valeat. Quod ſi talis eſt perſona, de qua nulla ſit ſuſpicio ſine Magiſtro eum, non tamen ſolum ire concedatur; nunquam enim Frater aliquis ſolus, nec etiam pueris vel perverſis hominibus aſſociatus ad aliquem locum, niſi ſit firmiſſimus, & in perfectione probatus ire permittatur. (b) Qui euntes & redeuntes in benedictione petenda, & ſatisfactione exhibenda, modum ſuperiùs comprehenſum ſervent & teneant.

(b) *Sed ſocios bonos & probi teſtimonii viros, ſi fieri poteſt, Prior tribuat, cum quibus Fratres ſecurè mittantur, qui euntes &c.*

CAPITULUM XXIX.

Quòd Fratres cum Fratribus privata Concilia facere non debeant.

SI qui Fratres cum quibuſdam aliis Fratribus, vel unus cum uno privata conſilia facere præſumpſerit, exceptis Priore & Præpoſito ac Presbyteris, quibus Prior confeſſiones dandas inſtituerit, & ſemel, bis, & ter commoniti non corriguntur, Regulari correctioni velut ordinis prævaricatores ſubjaceant.

CAPITULUM XXX.

De carnali dilectione non habenda, & de diſciplina taliter vel aliter peccantium.

QUod ſi quiſquam in hoc ſacro collegio (c) aliquem immoderatè & carnaliter dilexerit, ejúſque cauſam diligentiùs, quàm aliorum curaverit, vel præ cæteris defendere ſeu laudare contra ordinem præſumpſerit, vel puerum ſive juvenculum aliquem uſque ad impudicum tactum inſecutus fuerit, & hoc ad Fratrum cognitionem pervenerit, multis duris ac patentibus verborum ac verberum correctionibus coarctatus, ac diuturnis jejuniorum ac orationum laboribûs fatigatus talem hujus offenſæ diſciplinam ad tempus ſuſtineat, ut cæteri hoc (d) (etiam) excogitare pertimeſcant, unde in conventu tanta ſemper debet eſſe cuſtodia, ut pueri & juvenculi facilè juvenibus non credantur, niſi illis, quorum vita in omnibus invenitur probatiſſima. Si tamen, quod abſit, (e) hoc cuiquam contigerit, & congregationi occultum fuerit, verùm ad unius vel quorundam agnitionem

(c) *Aliquam.*

(d) Deeſt.

(e) *Quod.*

nem pervenerit, hoc Priori ſolummodo nuntiandum fore decernimus, ut per ipſum correctus occultis medicinæ fomentis ſanetur, qui occultè deliquerit. Si quis verò hoc vel alio modo peccavit, & à nemine deprehenſus fuerit, & ipſe peccatum ſuum agnoſcens Priori revelaverit, quia ipſe ſe deprehendit & recognovit, levioris diſciplinæ ſatisfactione ſanabitur. Quod ſi verecundia ductus vel terrore perterritus hoc Priori revelare noluerit, alicui Presbyterorum, quem Prior Fratrum confeſſiones ſuſcipere mandaverit, hoc manifeſtet, & ſecundùm ipſum judicium de peccato ſuo pœnitentiam faciat. Et cavendum, quòd is, qui ſine omni accuſatione peccatum ſuum manifeſtaverit, leviori; is verò, qui accuſatus non negaverit, aliquantulum majori; qui autem accuſatus negaverit, cùm tandem convictus vel confeſſus fuerit, ſatis acriori vindictæ ſubjacere debebit; illa tamen peccata, quæ turpia ſunt & obſcœna ſeu gravia, & quorum exempla multùm officiunt, niſi ad aures tantorum venerunt, ut jam celari non poſſint occulta ſatisfactione ſanari debebunt. Quòd ſi celari nequeunt, manifeſta, ùt jam dictum eſt, curatione ſanentur; quæ autem levia ſunt & minuta, atque aperta & quæ omnes fere ex fragilitate frequentant, ſecundùm præſcriptum modum manifeſta accuſatione & ſatisfactione in capitulo emendanda cenſemus.

CAPITULUM XXXI.

De his, qui voluerint, ſub habitu Canonico (f) acriorem vel ſolitariam vitam ducere.

(f) Arctiorem.

Si qui Fratres ſub eodem Canonico habitu acriorem vel ſolitariam vitam ducere optaverint, Prælatis ſuis devotione propria inſinuare debebunt, quorum curæ & ſtudio pertinebit, qualitatem reſpicere perſonarum, ne illi fortè hoc aggredi cupiant, qui ex debilitate naturæ, ætatis, aut diuturnitate conſuetæ debilitatis inſuetum vigiliarum atque jejuniorum pondus portare non poſſunt; hìs ergo perſpectis illis quidem non interdicimus annuendum, qui cùm velint & quærant, virium ſubminiſtrante vigore hoc valeant. Verùm ſi hoc Eccleſiæ detrimentum vel Confratribus ſpirituale ſeu corporale inſerat damnum conſulimus penitus denegandum. Pro his itaque (g) (rebus) quibus erit hoc perpetuum vel temporaliter concedendum, habeatur in remotiori loco undique munita & clauſa Eccleſia, circa quam fiant cellulæ, in quibus hi tales commorentur ſecundùm Prioris juſſum viventes, & ejus in omnibus ſequentes arbitrium.

(g) Deeſt.

CAPITULUM XXXII.

De virtute ſilentii.

His ita præmiſsìs de ſilentio, quidquid Domini conceſſu Fratres propoſuerunt, ſubjungamus. Non ſolùm namque Clericis ſed & Chriſtianis Laicis ſilentii virtus tenenda eſt, niſi propria vel aliena neceſſitas ſive charitas corporalis vel ſpiritualis loqui compelleret; cùm enim ceſſante neceſſitate vel charitate verbum quis emittit, otioſum eſt, à quo cavendum fore Dominus in Evangelio teſtatur dicens: *De omni verbo otioſo* (h) (*quod loquuti fuerint homines, de eo*) (i) *reddent rationem in die judicii.* Quid autem ſit verbum otioſum Apoſtolus prohibendo exponit dicens: *Inutilis ſermo de ore veſtro non procedat.* Quapropter ut ab illicitis abſtinere poſſimus, à licitis quandoque ceſſandum eſt. Ad tollenda igitur de ore veſtro verba illicita juſtum eſt, ut deſignemus certa loca & tempora, ubi & quando à licitis etiam ſecundùm propoſitum veſtræ ſanctitatis abſtinere debeatis.

(h) Deſunt.

(i) Reddatis.

CAPITULUM XXXIII.

Ut in Eccleſia, Refectorio, & Dormitorio ſilentium teneatur.

In Eccleſia igitur, cùm ad divina officia peragenda intramus, & ſtamus, & Regularis uſus, & majorum authoritas, divini quoque officii reverentia, debere teneri ſilentium inſinuat. Idem etiam in Refectorio, cùm ad manducandum, vel communiter bibendum & in Dormitorio, cùm ad ſimul dormiendum intramus, vel ſtamus, regularis cautela monſtrat eſſe tenendum.

CAPI-

CAPITULUM XXXIV.

Quòd omni tempore à Veſperis usque in mane, cùm ad Capitulum veniunt, teneatur ſilentium.

A Veſpertinis horis omni tempore usque in alterum diem, cùm mane Fratres ſecundùm morem de Capitulo egrediuntur, ſummum ſilentium teneant; æſtivo autem tempore, id eſt, à Paſcha usque ad autumnale æquinoctium ab hora ſexta usquequo poſt Nonam de Capitulo egrediuntur, Fratres itidem ſileant. Hyemali verò tempore, id eſt, ab æquinoctio autumnali usque ad Paſcha ſi bis Fratres reficiant, ab hora ſexta, quousque poſt Nonam de Capitulo egrediantur; ſi ſemel, quousque poſt Nonam non ſolùm Fratres ſed & ſervitores pranſi de Eccleſia & poſtea de Capitulo egreſſi fuerint, ſilentium teneant. In quadrageſima tamen ab hora Nona usquequo die altera ſolvatur Capitulum, itidem ſileotium teneatur.

CAPITULUM XXXV.

Quòd in quibusdam diebus extra dictum modum ſilentium teneatur.

PRæter hæc ſanctitati veſtræ ſtatuere placuit, ut in ſummis Feſtis & toto die Paraſceve ſilentium in clauſtro non ſolvatur. In præcipuis quoque & popularibus feſtis ac cunctis Dominicis diebus omnes omoino, quousque de Capitulo poſt Nonam egrediantur, ſilentium teneant, niſi uſus vel ordo Eccleſiæ, charitas, aut neceſſitas loqui compellant.

CAPITULUM XXXVI.

Ut in tempore ſilentii in clauſtro ſine ſono fiant omnia absque inevitabili neceſſitate.

QUotiens in clauſtro tenetur ſileotium, absque certa neceſſitate ſine ſonu legendum, & pſallendum, & quidquid ibi agitur, agendum eſt.

Explicit Liber Primus.

INCIPIT
PROLOGUS LIBRI SECUNDI.

HIs ſuper quibusdam Fratrum obſervationibus pertractatîs, modum quoque binæ & unius refe-
(k) *Uſus.* ctionis, abſtinentiam inſuper, & (k) uſum carnis, ovorum, & caſei, piſcis & olei, atque vini, pulmentorum quoque qualitatem & numerum certámque panis & vini meoſuram (l) quemadmodum omnia Fratres Chariſſimi divina gra- (l) *Quod.*
tia inſpirante nobiscum tenere ſtatuiſtis, ſcribere inter has alias veri ordinis Regulas procuravimus.

INCIPIUNT CAPITULA.

I. *Quomodo vivendum ſit intra Octavas Nativitatis, Apparitionis, & Reſurrectionis.*

II. *Quomodo vivendum ſit ab Octavis Reſurrectionis usque ad Pentecoſteu, & Octavis Nativitatis usque ad Epiphaniam.*

III. *Qualiter vivendum ſit ab ipſo die S. Pentecoſten usque ad Nativitatem S. Joannis Baptiſta.*

IV. *Qualiter vivendum ſit à Nativitate S. Joannis Baptiſta usque ad æquinoctium autumnale.*

V. *Qualiter vivendum ſit æquinoctio autumnali usque ad Calendas* Novembris *& ab Octava Epiphania usque ad Septuageſimam.*

VI. *Quod jejunandum ſit à Calendis Novembris usque ad Nativitatem Domini, & à ſeptuageſima usque ad S. Paſcha.*
VII. *De jejunio quatuor temporum & vigiliarum.*
VIII. *De uſu ovorum & caſei.*
IX. *Quale jejunium occaſione feſti ſolvi debeat.*
X. *Si occaſione feſti alicujus carnis uſus reddi debeat.*
XI. *Quæ ſint legitima jejunia.*
XII. *Quibus diebus à vino & pulmentis ſimul vel à pulmentis tantummodo vini uſu reſervato abſtineatur.*
XIII. *De diſcretione habenda in reddendo vino, ſive pulmento & ex quibus cauſis diſcretio hæc fieri debeat.*
XIV. *Si in legitimi jejunii diebus feſtum novem lectionum veniat.*
XV. *Quod cæteris diebus duo Fratribus pulmenta parentur.*
XVI. *De uſu piſcium & olei.*
XVII. *De menſura panis ac vini & de æqualitate pulmentorum.*
XVIII. *De Lectore hebdomadario.*
XIX. *De hebdomadariis coquinæ, & mandato in Sabbathis faciendo, & charitate exhibenda.*
XX. *De mandato in cœna Domini exhibendo.*
XXI. *De veſtimentis & calceamentis ac Lectualibus Fratrum.*
XXII. *De ægrotantibus & morientibus.*
XXIII. *De cuſtodia eorum infirmorum, qui invaleſcunt, & de medicina eis non neganda.*
XXIV. *De uſu balnearum & ſanguinis diminutione.*
XXV. *De ſenibus & itidem de infirmis.*
XXVI. *De pueris & adoleſcentibus, qui nutriuntur.*
XXVII. *Si qui artis grammaticæ diſciplina erudiri debeant.*
XXVIII. *De Laicis litteratis in grandiori ætate ſuſceptis.*

CAPITULUM I.

Quomodo vivendum ſit intra octavas Nativitatis, Apparitionis, & Reſurrectionis?

AB ipſo Dominicæ Nativitatis, Apparitionis, & Reſurrectionis die usque in earundem octavis omne jejunium excluſiſtis, ſed & carnē Fratribus comedendam nequaquam interdixiſtis, exceptis 4. & 6. feriâ (m) in 4. tamen feria uſum ſaginminis non abſtuliſtis.

(m) *In Quibus tantum uſum ſanguinis non abſtuliſtis.*

CAPITULUM II.

Quomodo vivendum ſit ab octava Reſurrectionis usque ad Pentecoſten, & ab octava Nativitatis usque ad Epiphaniam?

AB octava verò Reſurrectionis & Nativitatis usque ad Pentecoſten & Epiphaniā omne itidem jejuniū abſtuliſtis, exceptis illis diebus, in quibus jejunandum fore vel authoritas præcipit, vel uſus monſtrat Eccleſiæ intra hos tamen Paſchales & Natalitios dies 4. & 6. feria (n) carnis eſum, ùt in aliis temporibus, abnegaſtis, ſed ſaginminis uſum 4. feriâ & Sabbatho conceſſiſtis.

(n) *Ac Sabbatho carnis eſum, ut in aliis temporibus, abnegaſtis, ſed ſanguinis uſum 4. feria & ſabbatho conceſſiſtis.*

CAPITULUM III.

Quomodo vivendum ſit ab ipſo die S. Pentecoſten usque ad Nativitatem S. Joannis Baptiſtæ.

AB Ipſo die S. Pentecoſten, usque ad Nativitatem S. Joannis Baptiſtæ carnis uſum & (o) ſaginminis dimiſiſtis, & 2. 4. & 6. feriâ jejunandum propoſuiſtis.

(o) *Sanguinis.*

CAPITULUM IV.

Qualiter vivendum ſit à Nativitate S. Joannis Baptiſtæ usque ad æquinoctium autumnale?

A Nativitate (p) autem S. Joannis Baptiſtæ usque ad feſtum S. Matthæi carnis & ſaginminis uſum 4. & 6. feriâ ac Sabbatho intercluſiſtis, & ſexta feria jejunandum ſtatuiſtis.

(p) *Sanguinis.*

CA-

CAPITULUM V.

Qualiter vivendum ſit ab æquinoctio autumnali usque ad calendas Novembris, & ab octava Epiphaniæ usque ad ſeptuageſimam ?

A Feſtivitate S. Matthæi usque ad calendas Novembris & ab octavis Epiphaniæ usque ad ſeptuageſimam 2. 4. & 6. feria jejunandum indixiſtis, & eisdem feriis ac Sabbatho carnis & ſaginis uſum intercluſiſtis.

CAPITULUM VI.

Quod jejunandum ſit à calendis Novembris usque ad Nativitatem Domini, & à ſeptuageſima usque ad S. Paſcha.

A Calendis Novembris usque ad Nativitatem Domini & à ſeptuageſima usque ad S. Paſcha uſu carnis & (q) ſaginis penitus intercluſo ſemel in die reficiendum devotio veſtra firmavit.

(q) Sanguinis.

CAPITULUM VII.

De jejunio quatuor temporum & Vigiliarum.

QUarta & ſexta feria ac Sabbatho quatuor temporum & in vigiliis aliisque jejuniis antiquitus & univerſaliter inſtitutis ſine dubio non ſolùm Canonicis ſed & omnibus Chriſtianis jejunandum eſt. Cæteris verò diebus atque temporibus bis vobis in die reficiendum indulſiſtis.

CAPITULUM VIII.

De uſu ovorum & caſei.

A Quinquageſima usque ad S. Paſcha & ab Adventu usque ad Nativitatem Domini, & in cunctis legitimis jejuniis omni remota occaſione ovorum & caſei uſum vobis penitus abſtuliſtis ; ab ipſo autem die S. Pentecoſten usque ad Nativitatem S. Joannis Baptiſtæ, & à calendis Novembris usque ad Adventum Domini & à ſeptuageſima usque ad (r) quinquageſimam quarta & ſexta feria ab ovis & caſeo niſi feſtum in novem lectionibus venerit, abſtinendum cenſuiſtis.

(r) Quadrageſimam.

CAPITULUM IX.

Quale jejunium occaſione feſti ſolvi debeat.

HIs Fratres ſuperaddendum putavi, quæ & quibus ex cauſis jejunia ſolvi, & quæ ſemper inviolabiliter cuſtodiri debeant ; omni tempore & die, quô feſtum vel octava in novem lectionibus celebramus, binæ refectionis uſum nulla vetat authoritas, exceptis legitimi jejunii diebus atque temporibus.

CAPITULUM X.

Si occaſione feſti alicujus carnis (ſ) uſus reddi debeat?

(ſ) & ſanguinis.

A Prima Dominica poſt Reſurrectionem usque ad Pentecoſten & ab octava Dominicæ Nativitatis usque ad Epiphaniam & ab octava Epiphaniæ usque ad ſeptuageſimam & à Nativitate S. Joannis usque ad calendas Novembris, ſi feria (t) (ſecunda vel quarta aut Sabbatho) feſtum vel octava in novem lectionibus venerit (u) carnis uſum conceſſiſtis, exceptis legitimis jejuniis, ut præmiſſum eſt.

(t) ſexta, reliqua deſunt.

(u) Sanguinis uſum non abſtuliſtis, ſi autem ſecunda vel quarta feria aut Sabbatho venerit, legitimis exceptis jejuniis, carnis uſum conceſſiſtis, ut præmiſſum eſt.

CAPITULUM XI.

Quæ ſint legitima jejunia.

TEmpora igitur legitimi jejunii ſunt à quarta feria quinquageſimalis hebdomadæ, quæ dicitur caput jejunii usque ad S. Paſcha. Quatuor tempora quoque &

& vigiliæ à SS. Patribus ſtatutæ, & ſi qua alia perenniter tenenda ſancta indixit vel indictura quandoque eſt Eccleſia, in quibus omnibus ſi feſtum in novem lectionibus venerit, celebrari quidem debet, ſed jejunium ſolvi non poteſt.

CAPITULUM XII.

(x) Pulmento.
(y) uſura ſervata.

Quibus diebus à vino & (x) pulmentis ſimul, vel à pulmentis tantummodo vini (y) uſu reſervato abſtineatur?

CUm in omnibus legitimi jejunii diebus Canonicis à vino & pulmentis abſtinendum fore ſuaderet Religio & id loci hujus poſitio & noſtri temporis fragilitas in conventu poſſe ſervari non ſinat, hoc rogamus & monemus chariſſimi, ut his cum parcitate utentes & vitium in nobis concupiſcentiæ perimamus, & corporis vires ſic ſuſtentemus, quo ordinem noſtrum plenè ſervare, & in laude Dei Miniſterium & officium noſtrum gratanter viriliterque implere poſſimus. In his tamen perpaucis diebus, id eſt, in antiquitus & univerſaliter ſtatutis vigiliis, & in ſexta feria à quinquageſima uſque ad Paſcha & in ſexta feria quatuor temporum à vino & pulmentis abſtinendum cenſuiſtis, crudas tantum herbas & poma, ſi habeantur, Indulſiſtis. In quarta feria autem quatuor temporum, & in ſexta feria calendis Novembris uſque ad Nativitatem Domini, & in quarta feria totius quadrageſimæ, & præcedentis hebdomadæ pulmentis ablatis vini tantummodo uſum cum pomorum & herbarum additamentis indulſiſtis.

CAPITULUM XIII.

De diſcretione habenda in reddendo vino ſive pulmento & ex quibus cauſis diſcretio hæc fieri debeat.

DIſcretionem tamen fieri in aliquibus horum non negamus, ſi Prior fore neceſſarium viderit, quæ ſi fiat die, quô vinum interdictum eſt, vini tantummodo uſum reddi ſufficiat. Si autem fiat die, quô vino conceſsô pulmentum intercluditur, unius pulmenti conceſſio ſufficiat; die verò, quô vini & unius pulmenti uſus conceditur, ſi oportuerit, addi & aliud pulmentum non negaſtis. Sunt enim dies quidam, in quibus unum ſolummodo pulmentum Fratribus tantum cenſuiſtis, ſcilicet ſexta feria à Pentecoſten uſque ad Nativitatem S. Joannis Bapt. & à ſeptuageſima uſque ad quinquageſimam, & quarta feria à calendis Novembris uſque ad Nativitatem Domini & Sabbatho quatuor temporū; hanc igitur diſcretionem in uno vel in pluribus faciat vel cauſa magni laboris, vel æſtus, aut frigoria major ſolito nimietas, vel præcedentia ſeu ſequentis diei, id eſt, impletum ſeu implendum jejunium, vel imminentis feſtivitatis laborioſè & optimè exhibendum officium vel Paſchalis aut feſtivi temporis celebratio, vel nimia Fratrum imbecillitas, ſive advenientium Fratrum neceſſaria charitas.

CAPITULUM XIV.

Si in legitimi jejunii diebus feſtum novem lectionum veniat.

QUod ſi feſtum populare in his diebus in novem lectionibus celebrandum venerit, vino & uno aut ſi feſtum præcipuum fuerit, duobus vel tribus quadrageſimalibus pulmentis uti conceſſiſtis.

CAPITULUM XV.

Quod cæteris diebus duo Fratribus pulmenta parentur.

HIs igitur ſupradictis jejuniorum diebus, exceptis cæteris diebus ſive jejunii ſive binæ refectionis, ſi facultas ſuppetat, duo fratribus parentur pulmenta, verùm in præcipuis feſtivitatibus & in ſummis ſolemniis tria Fratribus pulmenta, ſi fieri poſſit, præbenda ſtatuiſtis.

CA-

CAPITULUM XVI.
De uſu piſcium & olei.

Uſus autem piſcium & uſus olei nullo tempore, nullóque die excluditur, quô alicujus pulmenti & vini uſus conceditur.

CAPITULUM XVII.
De menſura Panis, & vini, & de (z) æqualitate pulmentorum.

(z) *Qualitate.*

MEnſuram panis ac vini & pulmentorum æquè Frattibus minoribus, & majoribus dandam & uſus Regularium locorum indubitantet expoſtulat, & Majorum, ùt credo, ſanxit auctoritas; quamvis enim in Apoſtolorum actibus Lucas teſetat, dicens: *Diſtribuebatur autem ſingulis, prout unicuique opus erat*; hæc tamen par & ſufficiens cunctis eſt ſtatuenda menſura, qua, & ſi quibusdam ſuperflua uti non licet, niſi in ſufficientia; quod autem minus egentibus vel plus abſtinentibus teſiduum fuerit, hoſpitalis Frater ſingulis diebus id pauperibus erogandum ſuſcipiat. Diebus itaque jejuniorum ſingulisFratribus unam libram panis (a) perpenſam & tres vini: diebus verò binæ refectionis panis unam, & mediam, & vini quinque, ſicut ipſi experti eſtis nobiscum, vobis viſum eſt poſſe ſufficere; pulmentorum autem æqualitatem coquinæ hebdomadarii, ſi aliter nequeunt, pro arbitrio diligenter provideant, ſi tamen alicui vel per incuriam, vel per juſſum ex diſcretione aliquid plus vel delicatius apponitur, nullus protſus inde murmurare præſumat.

(a) *Propenſam.*

CAPITULUM XVIII.
De Lectore hebdomadario.

LEcturus per omnem hebdomadam Frater die Dominica, expletâ Miſſâ, adhuc Presbytero altari aſtante accedat in medio, & inclinato capite dicat ter: *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam*, Fratribus idem reſpondentibus, & poſt vicem tertiam, *gloria Patri* ſubſequentibus. Deinde Presbyter præſentibus ſecundùm morem verſiculos & orationem perficiat: hic itaque per totam bendomadam Fratribus manducantibus & religioſè ſilentium tenentibus omni ſono & murmuratione remota divinas Scripturas perlegat, & poſt Fratrum tefectionem cum ſervitoribus pariter prandeat. Servitores igitur ſic omnia omnibus ſubminiſtrent, ut nullius neceſſitatis occaſione aliquem prorumpere in vocem oporteat, ſi quid tamen quærendum eſt, ſignô magis quàm voce petatur. Priori verò, vel cui Ipſe juſſerit, aliquotiens Fratres reficientes pro ædificatione breviter & planè alloqui non interdicitur. Fratribus quoque ad collationem in capitulo ſero convenientibus idem Lector de Sanctorum vitis & Patrum collationibus lectionem ſemper redditurus eſt, qui Sabbatho cum in refectorio lectionem ad mandati charitatem ſero perfecerit adhuc Fratribus ſedentibus ante Prioris menſam accedens reverentiam exhibeat, & ſic lectionis ſuæ hebdomadam compleat.

CAPITULUM XIX.
De hebdomadariis coquinæ & mandato in Sabbathis faciendo, & de charitate exhibenda.

HEbdomadarii verò coquinæ Sabbatho congregatis Fratribns in capitulo ad ſonū tabulæ pro mandato faciendo hi, qui egreſſuri ſunt, accedant in medio, & incurvati Fratribus reverentiâ exhibeant; deinde per Priorem, vel vice ejus fungentem inchoatis Antiphonis Frattum pedes abluant, & abſtergant. Hi verò, qui intraturi ſunt, aquam ad lavandum deferant, & poſt ablutionem projiciant, deinde exeuntes ante capitulum aqua per alios Fratres allata & gauſape porrecto manus abluant, & abſtergant, poſt hæc, qui pedes lavarunt, aquas ad manus abluendum, qui verò detulerunt aquas, gauſape afferant ad abſtergendum. Fratrum ergò manibus ablutis, qui egreſſuri ſunt, accedant in medio, & incurvati dicant tribus vicibus: *Benedictus es Domine, qui adjuviſti me, & conſolatus es me*, Fratribus idem reſpondentibus & *Gloria Patri* tertiam vicem ſubſequentibus; deinde completa

oratione ſecundùm morem cum verſiculis in locis ſuis ſedeant, dum qui intraturi ſunt, in medium veniant, & incurvati dicant tribus vicibus: *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina.* Fratribus idem reſpondentibus. Completis itaque cum oratione verſiculis ibidem incipiatur lectio, ſed in refectorio priùs à Fratribus ex more charitate exhibita compleatur, ut jam diximus, verùm in vigiliis ſummorum feſtorum, & in ſummis ac majoribus feſtis, ſi in Sabbatho veniunt, mandatum relinquendum, charitatis tamen uſum & introitum & exitum hebdomadariorum in his ſtatuiſtis exhibendum. Præter hæc in ſummis & magnis ſolemniis eorúmque vigiliis charitatem ſero ad collationem fieri propoſuiſtis, ita ut per Priorem in ſummis, per Præpoſitum verò fiat in præcipuis; & cavendum, ut in feſtis ac vigiliis lectio ad dies eoſdem, & in ſabbathis ad mandati & diei Dominicæ miniſterium, ſi habeatur, pertineat.

CAPITULUM XX.

De mandato in cœna Domini exhibendo.

CUm itaque mandatum, ut diximus, in ſabbathis ſoleat fieri, in cœna tamen Domini ob reverentiam Magiſtri noſtri, & Domini, qui die eadem id mandans exhibuit, honeſtiſſimè ubique Eccleſia celebrandum ſumma devotione inſtituit, quod vos ſequentes chariſſimi in lavandis pedibus advenientium pauperum & eleemoſynis dandis præcipuè vobis per totum hunc diem vacandum cenſuiſtis (*b*) viris quoque laicis converſis poſt cœnam in Capitulo deductis itidem per vosmet agendum & in refectorio charitatem exhibendam ſtatuiſtis. Poſt hæc mandatum Clericorum die eodem per Priorem agatur, & Præpoſitum: cætera verò agantur pro ejuſdem diei uſu & ordine.

(*b*) *Veſtris.*

CAPITULUM XXI.

De veſtimentis & calceamentis, ac Lectualibus Fratrum.

VEſtimenta & calceamenta nec non & lectualia æſtivo & hyemali tempore, quot & qualia ſunt neceſſaria, Veſtiarius præbere Fratribus ſummoperè ſtudeat, in quibus dandis & loci ſitum, temporis quoque, & ſingularum perſonarum qualitatem proſpiciat. In frigidis namque locis plura indumenta, in calidis verò præbenda ſunt pauciora, & quæ nec nimio decore nec inſolita vilitate canonicum habitum dehoneſtent; in noſtris igitur partibus viſum eſt vobis ſingulis Fratribus ſingulas pelles agninas, & ſingulas capras unum diploidem, duo paludamenta, duas interulas, duo paria femoralium, duo caligarum pro æſtu & frigore competentium, duo pedulium, unum ſubtelarium poſſe ſufficere; habeant & in lectis culcitram, capitale, linteolum, cultram, & coopertorium ovinum, ſive leram, habeant præter hæc ſinguli unam, vel ſi fieri poteſt duas cottas lineas & ſingulas ovinas, ſive agninas pellicias, ſi facultas ſuppetat, & neceſſitas exigat. His igitur omnibus Fratres pro neceſſitate, & temporis qualitate tamdiu utantur, quamdiu in ſufficientia neceſſitatis decenter aptari poſſit & reparari. Ille verò, cui ex neceſſitate ultra communem Regulam aliquid conceſſum fuerit, non ſuper hoc lætetur, ſed doleat, ſibi infirmanti concedi per indulgentiam, quod firmioribus negatur ex Regula. Quidquid enim Prior cuiquam neceſſarium viderit, hoc ſibi exhibere debebit, quod alteri, ſi neceſſarium non eſſe perſpexerit, negabit, etiamſi ipſe quæſierit, hinc enim Lucas in Apoſtolorum actibus ſcribit dicens: *Diſtribuebatur autem prout unicuique opus erat.* Singulis itaque pro viribus, pro ætate, pro neceſſitate ac qualitate ſua miniſtrandum eſt, unde ſi Prior hac diſcretione perſpecta quibusdam aliter, quàm ſtatutum fuerit, fieri præcipiat, non inde fit in Congregatione murmuratio, quia apertè divinæ legi eſt obvius, qui vel invidia, vel gulæ illecebris infirmorum conſuetudinem exigit, quam ſibi neceſſariam non ſentit. Illis tamen, qui ab hac infirmorum conſuetudine valent, ad iſtam firmitatis virtutem conſurgere, ſed ut delicatiùs vivant, ſe ſic eſſe patiuntur, ſine dubio & hic peccatorum cumulatur magnitudo, & illic pœnarum præparatur atrocitas.

CAPITULUM XXII.

De ægrotantibus, & morientibus.

STatuatur intra clauſtra Canonicorum domus ad ſuſtentationem infirmorum, ubi Fratres congruenter neceſſitatibus eorum ſubminiſtrare, & illos viſitare, ac divi-

divinarum Scripturarum frequenti admonitioue valeant conſolari; non tamen paſſim omnibus ad eos accidere liceat, niſi his quibus à Priore præcipitur, nec Prior alios mittat, niſi qui vel eis utiliter miniſtrent, vel eos ſapienter conſolentur, & ædificent; hi ergo ſi febrem continuare vel languorem increſcere proſenſerint, tum advocato Priore ſeu Præpoſito, & Presbyteris ad hoc officium deputatis plenam de peccatis ſuis Confeſſionem faciant, ſicque præmiſſa de præteritis culpis ſecundùm Prioris juſſum ſatisfactione, & in futuro ſui emendatione ſuſceptâque ab omni conventu benedictione & peccatorum abſolutione fideliter per eos, quibus injunctum eſt, cuſtodiautur, ut eos in cunctis neceſſitatibus ſuis miniſtros aptiſſimos habeant, qui ſemel ſaltem in die cum viſitantibus ſe Fratribus confeſſionem faciant, atque orationis benedictionem ab eis ſemper exquirant; quod ſi languor magis magiſque increverit, per Presbyteros aquâ benedictâ aſperſi oleô ſanctô perungantur, & Chriſti corporis ac ſanguinis perceptione muniantur. Fratres quoque ſtudioſè & ſuppliciter pro eorum liberatione & abſolutione in communi Dei exorent clementiam, quod ſi ad occaſum venerint, item jactetur ibidem aquâ ſanctâ, adducatur quoque crucis ſignum, cùmque ab ipſis, ſi fieri poſſit, adoratum fuerit, ponatur & maneat ibi, usque ad eorum tranſitum; deinde aſſiſtentes Fratres juncta ſecundùm ordinem officia peragant; qui, ut obièrint loci veſtiantur interulis, & ſuper eas cottis lineis, pedéſque inducantur calceolis, poſt hæc involuti linteolis pro more ponantur in lectis; cætera verò fiant de ipſis portandis & ſepeliendis & de officiis gerendis, ſicut in ordine continetur, quibûs expletis Fratres eorum pœnitentiam intra ſeptimum vel trigeſimum diem in Miſſis, Pſalmis, eleemoſynis, ſive jejuniis perficiant, de Miſſis autem & Pſalmis intra centeſimum vel annum cantandis, & de vigilus exhibendis, ac de pauperibus ex eorum particulis paſcendis, & de anniverſariis celebrandis ac (c) de eundo ad tumulos cuncta fiant, prout Prior ſtatuerit, vel uſus aut ordo docuerit.

(c) Deferendo ad

CAPITULUM XXIII.

De cuſtodia eorum infirmorum, qui invaleſcunt, & de medicina eis non neganda.

Si autem ægrotantes Fratres in valeſcere cæperint, ſic per eos, quibus Prior injunxerit, usque ad ſanitatis reſtaurationem cuſtodiantur, regantur, & paſcantur, ut nullius rei indigentia, & uullius neceſſitatis occaſione murmurare valeant; Ipſi tamen, quæ habere nequeunt, deſiſtant penitus exigere. Quod ſi ea, quæ uoxia ſunt, requirant, eorum voluntati nequaquam annuatur; aliquando enim, ùt dicit B. Auguſtinus, etiamſi noceat, prodeſſe tamen creditur, quod delectat: qua in re pro infirmorum cuſtodia etiam iu talibus medici conſulantur, nou enim medicinæ fomenta, quæ à Deo credimus eſſe conceſſa, infirmis neganda ſunt, ſi ſubminiſtret facultas, cùm tamen animarum medicina præceſſerit; nec minori curâ cuſtodiendi ſunt infirmi tempore recreationis, quàm tempore languoris, tunc enim cuſtodiuntur, ne pejorentur, nunc autem recreantur, ut meliorati in ſtatum priſtinum reſtaurentur. Qui ubi tempus reſtaurationis advenerit, præſentibus Fratribus in capitulum veniant, & accedentes in medio accuſent ſe ſuper peccatis & negligentiis ſuis, & ordinis corruptionibus, quæ omnia infirmitatis occaſione contraxerint, & ſic ſecundùm modum ſuperiùs deſcriptum ſatisfactionis ſuſcepta ſententia ad propria loca & Fratrum ſocietatem & ordinis obſervationem redeant; ſi quis autem quietem vel delicatiorem vitam diligens ad ordinis obſervationem venire diſtulerit & hoc cuſtodi in veritate clarnerit, tam acri diſciplinæ ſubjaceant, ut cæteri hoc agere pertimeſcant. Non tamen hæc ita dicimus, ut eos in ordinis obſervatione Fratribus jungi velimus, antequam valeant, ſed ne vitium gulæ aut ſimulationis incurrant. Quapropter cuſtos ſummopere ſtudeat, ut ſi fieri poſſit, nec ante plenam valetudinem eos ad ordinis obſervationem redire, nec ubi verè potuerint, hoc eos differre permittat.

CAPITULUM XXIV.

De uſu balnearum & ſanguinis diminutione.

Si quibus Fratrum balnearum vel minutionis uſus pro conſervatione vel reſtauratione ſanitatis neceſſarius fuerit, exhibendos eſt eis, etiam ſi ipſi noluerint, quatenus per corporeæ ſalutis confirmationem fortiores inveniantur iu omnem

ordi-

ordinis obſervationem. Si qui tamen hoc ex vitio vel frequentiùs, quàm oporteat, quæſierint, nequaquam eis majorum prudentia annuat; minutorum autem cuſtodia ſit usque in tertium diem hoc modo; qui minuendi ſunt, poſt Tertiam vel quadrageſimali tempore poſt Nonam minuantur. Die igitur illa & nocte ſequenti officiis intereſſe non compellantur, Pſalmos tamen aliquantos cantare moneantur. A Prima autem diei ſecundi usque ad Primam diei tertii officia quidem audire, non tamen facere conſtringantur; at poſt primam diei tertii in capitulum veniant, & pro negligentiis ſuis ſeſe accuſantes ſatisfactionis ſententiam ſuſcipiant, & in ordines ſuos exinde redeant, attamen usque ad hanc horam pro facultate domûs largioribus & valentioribus epulis paſti, vel in domum infirmorum, vel in privatis locis ſub cuſtode permaneant; uſus quoque balnearum, ſi qua cuſtodia neceſſaria fuerit, non negetur.

CAPITULUM XXV.
De ſenibus & itidem de infirmis.

STatuatur & alia domus, ubi ſenes maneant, cum jam & frigiditate naturæ & debilitate nimia ſervare communem Regulam non permittuntur; hi ergo pro ætate, pro neceſſitate, & debilitate à cuſtodibus ſuis regantur, paſcantur & ſuſtententur, qui neque jejuniorum, neque vigiliarum Regulæ, ſicut nec infirmi, ſubjaceant, nec officiis intereſſe compellantur, ſi nequeunt. Attamen Pſalmos cantare & orare moneantur. Quod ſi facultas ſuppetat, fiat ibi capellula inter domos utrorumque, ubi ipſi Miſſas, aliáque officia breviata, ſi Priori placuerit, audiant.

CAPITULUM XXVI.
De pueris & adoleſcentibus, qui nutriuntur.

PUeri verò, & adoleſcentes, qui in Congregatione Canonica nutriuntur, & erudiuntur, ſub uno conclavi optimis deputati magiſtris commorentur, à quibus ſic arctiſſimè conſtringantur, ut nemini eorum in aliqua parte vel alicubi ſine majoris cuſtodia liceat pergere, qui omnes non ſolùm diſcipuli, verùm etiam magiſtri deputentur Seniori probatiſſimo, qui eos otiis vel confabulationibus vacare nequaquam permittat, ſed in bonis moribus inſtruat, in converſatione nutriat, in cunctis Eccleſiaſticis diſciplinis erudiat, ut Eccleſiæ utilitatibus ipſi quandoque parere & ad Eccleſiaſticos gradus digne valeant Promoveri. Hi ergo ſemper divinis officiis interſint, & in choro majoribus Fratribus erecti aſſiſtant, & ibidem tempore ſedendi in ſubſelliis ſuis ſedeant, cunctáque ſecundùm uſum & ordinem faciant, in capitulo quoque cum Fratribus conveniant, ſed inde egredientes ſtatim cum Seniore & Magiſtris ſuis ad ſcholas properent, & quæ neceſſaria ſunt addiſcere ſtudeant. In refectorio quoque quique in parte & in loco ſuo erecti coram Fratribus manducent ad menſam. In dormitorio etiam cum (*d*) confratribus dormiant, ita ut eorum lecti, majorum lectis habeantur intermixti. In ſcholis itaque ſint ſemper cùm ſilentium non tenetur, Fratribus autem ſub ſilentio manentibus in ſtatuto loco clauſtri ſint ſub Senioris & Magiſtrorum ſuorum cuſtodia, omnem ordinem pro poſſibilitate ſua ſervantes, & divinorum officiorum diſciplinis ac ſanctis lectionibus inſiſtentes, & tamen usque ad annos ſexdecim jejuniorum Regulæ non ſubjacebunt. In ſcholis autem ſint usque ad annos ſexdecim, vel quousque hymnos, Pſalmos, cantum, & ſecundùm uſum (*e*) Scripturam optimè legere didicerint. Exinde autem de ſcholis educti cum Fratribus, ſecundùm ordinem, quo in Congregationem admiſſi ſunt, maneant. Quod ſi Prior in quadam clauſtri parte ſcholas teneri congruum vel neceſſarium viderit, hoc ipſe, quod magis expedire cernitur, niſi Fratribus contrarium fuerit, faciat.

(*d*) *Fratribus.*

(*e*) *Scripturarum.*

CAPITULUM XXVII.
Si qui artis grammaticæ diſciplina erudiri debeant.

QUod ſi Prior aliquos horum vel etiam majorum ardentiores in Dei ſervitio, ac vera Religione, & paratiores ad omnem obedientiam & ordinis obſervationem, & ad adjuvandum fortiores, ad diſcernendum providiores, & animabus

Fra-

Fratrum ac corporibus utiliores eſſe in veritate perſpexerint, & eos facilioris ingenii & prudentioris conſilii veraciter cognoverit, ſi ipſe juſtum judicaverit, contemptis libris turpibus & fallacibus ad divinas Scripturas (*f*) diſcernendas & intelligendas artis grammaticæ diſciplina eos erudiri præcipiat. In his itaque perſonarum nulla fiat acceptio, ſive proſpectio, niſi Eccleſiæ vel animarum ſuarum utilitas aliter depoſcat.

(*f*) *Diſcendas.*

CAPITULUM XXVIII.

De laicis litteratis in grandiori ætate ſuſceptis.

SI quos viros litteratos in grandiori ætate Fratres ſuſceperint, & eos Prior poſt primum vel ſecundum annum in cantandi diſciplina fruſtra laborare viderit, inutili labore ſublevatos eos ad (*g*) alia habeant, quæ magis competant, & Fratribus ſint utiliora.

(*g*) *Alia adhibeat.*

Explicit Liber ſecundus.

INCIPIT.
PROLOGUS LIBRI TERTII.

HIs igitur de variis Canonicorum negotiis præmonſtratis horarum qnoque Canonicarum numerum atque myſterium, qnas divino ſpiritu afflati SS. Patres inſtituerunt, ſicut à majoribus noſtris didicimus & uſus habet Eccleſiæ, pluréſque alias neceſſarias Fratrum obſervationes (*b*) obedientias quoque locationes, & laicorum ſuſceptiones proſequamur.

(*b*) *obedientiarum quoque locationes.*

INCIPIUNT CAPITULA.

I. *De ſeptem horis Canonicis antiquitus ſtatutis & de Prima novo tempore adjuncta.*
II. *De Nocturnis Vigiliis.*
III. *De matutinis Laudibus.*
IV. *De Prima.*
V. *De Tertia, Sexta & Nona.*
VI. *De hora Veſpertina.*
VII. *De Completorio.*
VIII. *Unde horarum iſtarum officia conficiantur?*
IX. *Quæ dicantur Feſta privata, quæ popularia, quæ præcipua, quæ ſumma?*
X. *De ordine Lectionum totius anni.*
XI. *De ordine Miſſarum.*
XII. *De hora collationis.*
XIII. *Quâ horâ noctis vigilias agere debeamus?*
XIV. *Quo ordine vel tempore agantur matutina & cætera horæ?*
XV. *De his quæ in capitulo agenda ſunt, vel dicenda.*
XVI. *De ſummis Feſtis in capitulo nunciandis & de confeſſione ac remiſſione viciſſim danda.*
XVII. *De plurimis Fratrum neceſſariis obſervationibus.*
XVIII. *Quòd Prior ſuper his & omnibus debeat eſſe ſollicitus.*
XIX. *De Præpoſito.*
XX. *De minoribus Præpoſitis ſtatuendis, ſeu Magiſtris, & de diſciplina peccantium.*
XXI. *De obedientias tenentibus, ſive ſuſcipientibus.*
XXII. *De Sacriſta.*
XXIII. *De Camerario.*
XXIV. *De Cellerario.*
XXV. *De Refectorio & Refectorario.*
XXVI. *De Veſtiario.*
XXVII. *De Procuratore rerum exteriorum.*
XXVIII. *De cuſtode rerum mobilium.*
XXIX. *De Negotiatore Eccleſiæ.*
XXX. *De obedientia familiarium.*
XXXI. *De clauſtro & porta Canonicorum cuſtodienda.*
XXXII. *De colligendis hoſpitibus, & quibuſque advenientibus.*
XXXIII. *Quod abſentibus Priore & Præpoſito minores Præpoſiti vicem eorum ſupplere debeant.*
XXXIV. *Quod ex his ad majorem præceptorum obſervationem aſcendere & vitæ perpetuæ gaudia percipere quis valeat.*

CAPITULUM I.

De ſeptem horis Canonicis antiquitus ſtatutis & de Prima novo tempore (*i*) adjuncta.

(*i*) *Adinventa.*

SEptem horas antiquitus ſtatutas teſtatur David Pſalmographus, dicens: *Septies in die laudem dixi tibi*, nt tot eſſent laudum exhibitiones in die, quot & ipſi dies. Nec enim vetuſtas merebatur octavæ horæ habere celebrationem, quæ nondum mortuorum perennem meruerat habere reſurrectionem. Has ergo ſeptem horas, id eſt, vigilias matutinas, Tertiam, ſextam, Nonam, Veſperas, & Completorium ſingulis diebus Canonici debent antiquorum ſequendo veſtigia devotione nimia celebrare. Prima quoque licèt novo tempore ſit ſtatuta, non tamen debet minori devotione venerari; has itaque octo horas Spiritus ſanctus per antiqnos & modernos Patres in Eccleſia diebus ſingulis celebrari inſtituit, ut quia dies decurſionibus viginti quatuor horarum perficitur, ſingulæ tres horæ proprias Laudes haberent, quarum exhibitione Trinitas ſancta ſemper coleretur, & noſter int[illegible]or homo peccato cogitationis, locu[illegible] actionis ſemper purificaretur, quo & ipſe digniùs Trinitati adhærere mereretur, quæ & ideo ad octonarium ſurgunt, ut univerſale reſurrectionis gaudium præſignent, in quo à peccatis omnibus liberi ipſius Trinitatis myſterium pleniſſima cognitione videbimus, & exinde cum ipſa ſine fine gaudebimus.

CAPITULUM II.

De nocturnis Vigiliis.

HÆ igitur horæ certis diei horis ob certi cauſam myſterii celebrari ſtatutæ ſunt; vigiliæ namque ideo in nocte aguntur, quia vaſtator Angelus nocte pertranſiens Ægyptiorum primogenita percuſſit, Iſraelem à dominatu eorum eripuit, & Dominus JEſus Chriſtus in nocte ſævientium Judæorum eſt oequitiæ traditus, Chriſtianus quoque populus in nocte Paſchæ principaliter baptizatus ab animarum morteeripitur; ne ergo Ægyptiorum periculis, & Judænrum nequitiæ miſceantur, néve Iſraeliticæ (*k*) liberationis & noſtræ per Baptiſmum, Dominicæ quoque traditionis horam Laudibus vacuam relinquamus, & ut cum Paulo & Sila nocturnæ Laudis orationibus abſolvamus & ut vigilantes, ſi Dominus eâ horâ venerit, inveniamur, valde nobis opportunum eſt, ut nocturnis exſurgentes horis ſacris orationibus & divinis Laudibus inſiſtamus, quòd ſe feciſſe teſtatur David dicens: *Memor fui tu nocte nominis tui Domine*, & paulo poſt in eodem Pſalmo: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi*, & Eſaias, *de nocte*, inquit, *vigilat ſpiritus meus ad te Deus*, & Dominus ad nocturnas vigilias in Evangelio nos exhortans dicit: *Beati ſunt ſervi illi, quos, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes*, & quod ipſe verba confirmaret exemplis, teſtatur Evangeliſta: *JEſus erat in oratione pernoctans.*

(*k*) *Liberationis.*

CAPITULUM III.

De matutinis Laudibus.

MAtutinæ autem Laudis officium licèt novo tempore primitus; ùt quidam ferunt, in Bethleemitico Monaſterio, ubi Dominus pro ſalute noſtra de Virgine natus eſt, ſtatutum fuerit, tamen omnis Eccleſia conſuetudinem cultûs ejus gratanter ſumpſit, & ſolemniter celebrat, quod S. Spiritu non dubitatur factum, ut hora illa, quam Dominus ſplendore ſuæ Reſurrectionis perluſtravit, & qua (*l*) novæ gratiæ lux & ſol juſtitiæ fidelibus ortus eſt, divinis Laudibus, & dignis ſemper excoletur officiis, nam & ideo Dominus quaſi in fine noctis & in exordium diei à mortuis reſurgere voluit, ut nobis patenter oſtenderet, quod per reſurrectionem ejus vetuſtatis caligo finem acciperet, & lux novitatis ac gratiæ aditúsque felicitatis æternæ inveniret exordium; hoc etiam tempore, teſtante beato Iſidoro, à fidelibus ſpes futuræ reſurrectionis creditur, quando juſti à morte, quaſi à ſopore ſomni, reſurgentes æternæ lucis & felicita-

(*l*) *Noſtra.*

licitatis principio ſicut ſol fulgere incipiant; quod temporis apud antiquos venerationi fuiſſe teſtatur & ille vetus Pſalmographus dicens: *In matutinis meditabor in te, quia fuiſti adjutor meus*, & illud: *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua*, & alibi: *repleti ſumus manè miſericordia tua* & illud: *Manè oratio mea præveniet te.*

CAPITULUM IV.

De Prima.

PRima verò licèt novo tempore in Oriente apud Monaſteria Palæſtinorum primitus ſtatuta ſit & inventa, tamen quia omnis eam ſuſcepit Eccleſia pro eo, quod Spiritu ſancto non dubitatur adjuncta, ſumma pariter devotione, & Laudum exhibitione celebranda eſt, quæ benè poſt ſolis ortum agitur, ut hora illa, in qua primò mulieribus Chriſti Reſurrectio per Angelos atque per mulieres Apoſtolis nuntiata eſt, non ſit divinis Laudibus & dignis officiis aliena. Et hoc ſatis videtur rationabile, ut prima hora diei, divinis officiis & ſanctis orationibus debeamus inſiſtere, quatenus & (m) eodem tempore quô de tenebris ad lucem venimus, Deo gratias referamus, & ut ipſe per totum diem corda & corpora noſtra in viam ſalutis & juſtitiæ dirigat, rogitemus; & quia omnis cultus, omnis ſanctitas, omnis juſtitia ad Laudem & honorem Dei & in JEſu Chriſti nomine debet ſemper inchoari, rectè diei, quâ lucis operatio ſignatur, exordium Laudibus divinis debuit conſecrari; & notandum, quod Spiritus ſanctus hanc horam non per Apoſtolos, vel antiquiores Patres, non etiam per majorem Eccleſiam voluit ſtatui, ſed novo tempore per ſubjectos Eccleſiæ filios ſtatuendam mirâ, piâque providentiâ reſervavit, ut nobis videlicet innoteſcat, Spiritum Domini hanc ſibi virtutem reſervâſſe, ut per quoscunque & quandocunque inſpirante eo aliquid rectum & ſanctum in Eccleſia ſtatutum fuerit, non jam abjectione perſonarum, aut temporis novitate quisquam rejicere audeat, ſed amore inſpirantis & ſtatuentis Dei per hominem diligenter amplectatur, & teneatur.

(m) eo quod.

CAPITULUM V.

De Tertia, Sexta & Nona,

HOram Tertiam, Sextam & Nonam Danielem etiam & tres pueros ſupplicationibus Domino devoviſſe ſacra teſtatur hiſtoria, quorum imitatione nos his horis digniſſimum eſt officiis divinis inſiſtere, quamvis novo tempore & ob aliorum cauſas myſteriorum multo nobis ſint celebriores; denique horam Tertiam S. Spiritus, quia Tertia eſt in Trinitate Perſona, ſua deſcenſione celeberrimam reddit, & Laudibus divinis digniſſimam fecit. In qua deſcenſione tantam S. Spiritûs gratiam affuiſſe aſſerunt, ut omnium linquis omnes Apoſtoli loquerentur, & unumquemque Apoſtolum quacunque una lingua loquentem omnium linquarum præſens diverſitas ſimul intelligeret, quatenus daretur intelligi, quòd Spiritus Domini ſub unius Eccleſiæ gremio conjungeret, & uniret, quos ſuperbia diabolici Spiritûs in turris ædificatione diviſerat; beneetiam Tertia hora Spiritus ſanctus deſcendit, quia Tertio tempore Chriſtus omnem mundum innovavit & ſuæ gratiæ luce perfudit. His etiam de cauſis ſanctorum Patrum authoritas hanc horam præ omnibus aliis ad Miſſas celebrandas ſtatuit fore legitimam, in qua, quia iterum peccavimus, iterum quaſi Chriſti morte redimimur, & Eccleſiaſticæ velut Spiritûs ſancti perceptione item innovati ad puram & novam vitam Tertii temporis, quaſi altero Chriſti tranſitu, ſpirituali operatione reducimur.

De Sexta.

HOram verò Sextam Chriſtus crucifixionis ſuæ paſſione ſacravit, & laudum exhibitione celebrem facit, & benè hora Sexta Chriſtus pati voluit, ut ſexta ætate vitæ aditum per crucem & paſſionem ſuam nobis reſeratum oſtenderet, & hominem Sexta die creatum, ſed Diaboli ſtudio perditum Sexta horâ, ſextâque ætate ſanguine proprio ſalvatum redimeret.

De Nona.

HOram autem Nonam Chriſtus ideo morte ſua celebrem facit, ut nos à

morte redemptos ad ſocietatem beatorum ſpirituum, qui novem ordinibus diſtinguuntur, reduceret, qui bene ſole ad occaſum vergente moritur, quia infideles Judæi (n) eo moriente ſolem juſtitiæ perdiderunt, & ad tenebras peccatorum devenerunt; hanc etiam horam Petrus & Joannes claudi ſanatione ſacrarunt, hac inſuper hora primitus in Cornelio via ſalutis geotilitati oſtenſa eſt. Has igitur horas pro tantorum cauſa myſteriorum fideles Chriſti debent ſumma devotione venerari, & dignis Laudibus celebrare.

(n) *Cum oriente.*

CAPITULUM VI.

De hora Veſpertina.

VEſpertinæ Laudis officium, quæ in fine diei & occaſu lucis agitur, & veterum ritus ſacrificiorum monſtrat eſſe celebrandum, dicente David: *Elevatio manuum mearum, ſacrificium veſpertinum.* Et alibi: *Veſpere, mane, & meridie narrabo nomen tuum.* Et Dominus JEſus Chriſtus, qui hora eadem cœnantibus diſcipulis ſancti corporis & ſanguinis ſui communionem primitus tradidit, & eam ex illo jam tempore perpetuo tenendam mandavit, qui etiam poſt Reſurrectionem ſuam, eadem hora diſcipulis apparuit, & eos ad credendum confirmavit; proinde nos hora eadem Deo laudis (o) ſacrificium offerre debemus, ut fine cujuſque diei laudibus concelebrato vitæ noſtræ, omniúmque noſtrarum operationum finem Deo myſtica (p) obſecutione conſecremus, ut tantorum myſteriorum comparticipes eſſe mereamur.

(o) *Officium.*

(p) *obſervatione.*

CAPITULUM VII.

De Completorio.

COmpletorium autem dicitur, eo quod diurnos actus perficiat, & completis laboribus membra feſſa in quietem reſolvat; qua hora merito divinarum laudum officia jubemur perſolvere, ut videlicet quidquid in die carnis fragilitate attrahente peccavimus, earundem laudum exhibitione mundetur, quatenus priuſquam membra dentur ſopori, in pectoribus noſtris mundum Deo habitaculum præparemus, quod ſe feciſſe teſtatur Pſalmographus dicens: *Si aſcendero in lectum ſtrati mei, ſi dedero ſomnum oculis meis & palpebris meis dormitationem & requiem temporibus meis, donec inveniam locum domino tabernaculum Deo Jacob.* Hac etiam hora Dominus Jeſus poſt cœnam aſſumptis tribus diſcipulis in montem oliveti ad orandum exivit, ubi ternis orationibus Patrem precatus eſt, quò eum ad Judæorum inſidiis nocte eadem poſitis dignaretur eripere, non quòd ſe minimè eripiendum ignoraverit, ſed ut nos ſuo confirmati exemplo hac hora divinis laudibus inſiſtamus, & ipſam Trinitatem voce & mente ſupplici deprecemur, quò nos à nocturnis hoſtis inſidiis & illuſionibus liberare dignetur.

CAPITULUM VIII.

Unde horarum iſtarum officia conficiantur.

AD harum ergo horarum Laudes perficiendas aſſumuntur principaliter Pſalmi Davidici CL. & ſex veteris teſtamenti Cantica, hymnus quoque trium puerorum, & tria Evangelica cantica unum à Zacharia, alterum à Maria, tertium à Simeone edita, oratio Dominica, ſymbolum Apoſtolorum, Lytaniæ græcorum, laus hebraica, Trinitatis gloriatio, hymnus Eccleſiaſticus & horarum propriæ inchoationes: præter hæc omnium Canonicorum librorum Novi & Veteris Teſtamenti Scripturæ, Homiliæ quoque & ſermones SS. Doctorum, vitæ etiam, & certæ paſſiones Sanctorum. His omnibus adjiciuntur hymni Ambroſiani, Invitatoria, Aotiphonæ, Reſponſoria cum Verſibus ſuis, reſponſoriola, & verſiculi. Benedictionum inſuper petitiones, & ipſæ benedictiones, certæ lectionum terminationes: gratiarum quoque, & Laudum exhibitiones, confeſſiones quoque peccatorum, & quædam ſopplicationum capitula de Canonicis Scripturis abſtracta. Salutationes inſuper & orationes, earúmque inchoationes & certæ terminationes, Reſpon-

ſponſio quoque hebraica, & ultimæ abſolutiones. Hæc ergo omnia qualiter per ſingulas horas, dies, hebdomadas, & tempora diſtinguantur, qualitérve agantur, uſus monſtrat Eccleſiæ; horarum autem & officiorum diverſitas fit pro die, hora, & tempore: alirer enim fiunt diebus ferialibus, alirer diebus Dominicis, aliter privatis feſtis, aliter ſummis, aliter præcipuis, & popularibus ſolemniis, aliter paſchalibus temporibus, aliter quoque diebus intra octavas, vel intra ſummorum feſtorum, continuationes concluſis. Verùm in aliquibus horum plurima quorundam officiorum pro temporibus diverſis & locis invenitur varietas, quam in ſingulis partibus majorum Eccleſiarum & (q) rectiorum ordo & uſus edoceat.

(q) *Rectior ordo uſus edoceat.*

CAPITULUM IX.
Quæ dicantur privata Feſta, quæ popularia, quæ præcipua, quæ ſumma.

PRivata igitur Feſta illa dicimus, quæ cùm à populis non cuſtodiantur, à Clericis tamen in tribus lectionibus celebrantur; popularia autem, quæ à pluralium partium populis cuſtodita, ab eorundem locorum Clericis in novem lectionibus excoluntur; præcipua verò ſunt, quæ ab omnibus populis Chriſtianis & Eccleſiis Catholicis ubique magna devotione celebrantur; ſumma autem principaliter ſunt quinque Chriſti ſolemnia: Nativitas, Apparitio, Reſurrectio, Aſcenſio, Pentecoſte, quibus veſtræ ſanctitati ex devotionis propoſito Feſtum omnium Sanctorum & præſentis, ac principalis vocabuli in quadam fere pari celebratione officiorum addere placuit.

CAPITULUM X.
De ordine lectionum totius anni.

IN ſeptuageſima ponunt Eptaticum uſque quintum decimum diem ante Paſcha, quinta decima die ante Paſcha ponunt Hieremiam uſque in cœnam Domini, in cœna Domini legunt tres lectiones de lamentatione Hieremiæ; *Quomodo ſedet ſola civitas*, & tres de tractatu S. Auguſtini in Pſalmo LXIII. *Exaudi Deus orationem meam, cùm deprecor*, & tres de Apoſtolo, ubi ait: (r) *Convenientibus vobis in unum.* In (ſ) Paraſceven tres de lamentatione Hieremiæ & tres de tractatu S. Auguſtini in Pſalmo LXIII, & tres de Apoſtolo, ubi ait in Epiſtola ad Hebræos: *Feſtinemus ingredi* (t) In Sabbatho ſancto rres de lamentatione & tres de tractatu S. Auguſtini in Pſalmo LXIII. & tres de Apoſtolo, ubi ait in Epiſtola ad Hebræos: *Chriſtus adſiſtens Pontifex &c.* In Paſcha Domini homilias ad ipſum diem pertinentes. Infra hebdomadam homilias. In octavis Paſchæ ponunt actus Apoſtolorum, & Epiſtolas Canonicas, & Apocalypſin uſque ad octavas Pentecoſtes. In octava Pentecoſtes ponunt Regum & Paralipomenon uſque in calendas Auguſti; in Dominica prima menſis Auguſti ponunt Salomonem uſque in calendas Septembris; in prima Dominica menſis Septembris ponunt Job uſque in medium Seprembris, ibi ponunt Tobiam, Judith, Eſter, & Eſdram uſque in calendas Octobris. In Dominica prima menſis Octobris ponunt Machabæorum uſque in calendas Novembris. In calendis Novembris ponunt Jezechiel, & Daniel & minores Prophetas uſque in Adventum Domini. Dominica prima de Adventu ponunt Iſaiam uſque in Natale Domini, in Vigiliis Natalis Domini legunt tres lectiones Iſaiæ: *Primo tempore. Conſolamini. Conſurge.* Deinde ſermones & homilias ad ipſum diem pertinentes. In Feſtivitate S. Stephani, S. Joannis, SS. Innocentium, S. Sylveſtri ſermones ad eoſdem dies pertinentes. In octava Domini homilias de ipſo die. In Dominica prima poſt Natalem ponunt Epiſtolas Pauli uſque in ſeptuageſimam. In Epiphania lectiones tres Iſaiæ: *Omnes ſitientes: gaudens gaudebo: ſurge, illuminare:* Deinde legnntur ſermones vel homiliæ eidem diei pertinentes.

(r) *Ad Corinthios.*
(ſ) *Paraſceve.*
(t) *Secunda Lectio.* omnis namque Pontifex. *Tertia Lectio.* de ſuo nobis grandis eſt ſermo.

CAPITULUM XI.
De ordine Miſſarum.

LEgitima hora Miſſarum eſt Tertia atque Nona; in omnibus namque legitimis jejuniis Miſſa hora Nona, cæteris verò hora Tertia ſecundùm uſum & ordinem ce-

 lebran-

lebranda eſt; nam quæ poſt nocturnas vigilias Dominicæ Nativitatis & quod Sabbato ſancto in exordio Paſchalis noctis & quod Dominus, ac majoribus Feſtis, quódque ferialibus diebus manè pro defunctis ante primam vel poſt primam & quod quandoque legitimis jejuniis mane, vel apud quosdam hora Tertia (*a*) (Miſſa) cantatur, ob certæ neceſſitatis vel myſterii cauſam fieri non dubitatur. Aliis autem horis licèt Miſſa non inveniatur in Canonibus ſtatuta, uſus tamen Eccleſiæ habet, Miſſam ab ortu ſolis uſque ad Tertiam & à Nona uſque ad Veſperam poſſe pro neceſſitate celebrari, diebus ergo Dominicis & ſummis Feſtis propriæ, quæ habentur Miſſæ, cantari debebunt; in Feſtis verò præcipuis popularibus & privatis, ſi propriæ habentur Miſſæ, cantentur, ſi verò propriæ non habentur, de communi convenientia dicantut; in legitimis quoque jejuniis propriæ habentur Miſſæ, quas cantare debemus, exceptis paucis Vigiliis, in quibus de communi convenientia Miſſæ cantantur, intra Octavas & ſummorum, ſive ùt quibusdam placet, præcipuorum Feſtorum Miſſas de eisdem Feſtis plurimorum uſus aſſeverat agendas; in hebdomada tamen Paſchæ & Pentecoſtes propriæ, quæ habentur, Miſſæ cantentur, cæteris verò diebus dicatur Miſſa præcedentis Dominicæ, tamen ſi Feriâ quartâ aut ſextâ habeantur propriæ Miſſæ vel Epiſtolæ aut Evangelia dicantur. Miſſam quoque pro defunctis mane veſtro conventui ſemper fore dicendam ſtatuiſtis, exceptis Dominicis & Feſtis in novem Lectionibus celebrandis & diebus intra Octavas ſummorum Feſtorum concluſis præter hæc in omnibus ſummis Feſtis & in illis præcipuis, de quibus duæ Miſſæ habentur, maneant & primam Miſſam in Conventu cantandum ſtatuiſtis, verùm in aliis cunctisque popularibus Feſtis, ac diebus Dominicis ac legitimis jejuniis Miſſam his adſtantibus Clericis vel Laicis, qui ex qualibet cauſa hora tertia vel nona ad Miſſam non poſſunt occurrere, canendam diſpoſuiſtis. Miſſæ igitur omnes, quas in Conventu decreviſtis eſſe dicendas, ſi facultas ſuppetat, ſemper cum officiis ſuis ſecundùm uſum & ordinem Eccleſiæ, ac temporis congruentiam Diacono, & Subdiacono miniſtrantibus decantentur.

(*a*) Deeſt

CAPITULUM XII.
De hora Collationis.

HOra collationis, cùm dies longi ſunt, & noctes breves circa ſolſtitium æſtivale agatur temperius, id eſt, ſolis adhuc radio apparente; cùm vero dierum brevitas noctes fecerit longiores, agatur tardius, id eſt, cùm lux diei tenuata legendi facultatem tollere cœperit, quæ (*x*) tamen hora ordinate augeatur, & minuatur, id eſt, ſecundùm augmentum & detrimentum dierum ac noctium. Verùm quando mandatum agendum eſt, & quando aliqua præcellens ſolemnitas imminet, in qua temperius ſolito ſurgendum ſit, ipſa collationis hora ſolito agatur temperius.

(*x*) *Tantum.*

CAPITULUM XIII.
Quâ horâ noctis vigilias agere debeamus.

OMni tempore in quantum ſervari poteſt, diebus ferialibus, transactis duabus partibus noctis, tertia adhuc reſtante, ad vigiliarum officia peragenda ſurgendum eſt; in diebus autem Dominicis aliisque ſolemniis pro uſu pro modo quoque & quantitate officiorum ſurgendum eſt, quatenus omni die feſtivo & feriali tempore ſuo cuncta divina officia modo debito peragi valeant. Æſtivo tamen tempore pro parvitate noctium lectiones in nocturnis vigiliis breviandæ ſunt; hyemali verò pro earundem longitudine lectiones prologandas cenſemus, niſi quandoque pro importabili nimietate frigoris brevientur.

CAPITULUM XIV.
Quo ordine vel tempore agantur Matutinæ & cæteræ horæ.

PEractis autem vigiliis omni tempore tactô, ſi liceat, ſignô matutinæ laudis aguntur officia. Prima verò, Tertia, Sexta, Nona, Veſperæ, & Completorium pro uſu & ordine competentibûs horîs per ſingulos dies gerantur & tempora, ita tamen, ut in his & in omnibus ſemper eorum quæ inſtant, neceſſitas, dierum quoque & officiorum quantitas proſpiciatur, & qualitas.

CAPITULUM XV.

De his quæ in Capitulo agenda ſunt, vel dicenda.

CUm Fratres poſt Primam in Capitulo manè conveniunt, lector petita benedictione menſis terminum, ætatem Lunæ, feriam ſequentis diei & Feſta more ſolito pronuntiet. Quibùs pronuntiatis Fratres conſurgant, & finitìs ſolitìs ejuſdem horæ verſiculìs iterum ſedeant, & lectionem de Canonicæ vitæ inſtitutionibus, ſive de Feſto ejuſdem diei, ſi ſummum vel præcipuum fuerit, audiant, quâ finitâ lectiones & reſponſoria ſequentis diei Lector ſingula ſingulis Fratribus aſſignans pronunciet; deinde Prior petita benedictione à Fratribus dicat, quidquid neceſſarium viderit, vel in exhortandis animabus, vel in ipſius Eccleſiæ rebus locandis, aut aliquibus Canonicis negotiis pertractandis, nullúſque ibi excepto Priore & Præpoſito loqui præſummat, niſi juſſus, aut interrogatus, ſive erectus; & cum unus ibi loquitur, cæteri taceant, & loquentis verba ad finem uſque intendant, ſi quis autem Fratrem ſuum in ſancta Profeſſione transgreſſionis culpam incurriſſe cognoverit, regulari more ex charitate conſurgens humiliter proferens dicat: *Ille Frater noſter contra ordinem fecit:* Cujus vocem accuſati mox ſequatur erectio, in mediúmque acceſſio, tum ille culpâ ejus (y) nominati expreſsâ ſedeat; iſte verò terræ proſtratus dicat: *Mea culpa peccavi*, & Fratres reſpondeant: *Parcat tibi Deus.* Quod ille ſe erigens, iterúmque proſternens, atque eadem proferens tandiu faciat, donec Prior eum ſtare præcipiat, & ſententiam ſatisfactionis injungat, certámque ei horâ vel diem aſſignet, qua ipſe injunctionis debitum perfeciſſe debeat. Hæc autem eadem, fieri poſt Nonam ſi in Capitulo conveniatur, non interdicimus, cùm Priori placuerit. Hunc itaque modum ſatisfactionis accuſati, vel per ſe confeſſi ſemper tenere debebunt.

(y) *Nominatim.*

CAPITULUM XVI.

De ſummis Feſtis in Capitulo nuntiandis & de Confeſſione ac remiſſione viciſſim danda.

SUmma autem Feſta cùm venerint quinto vel quarto antea die peractis prius omnibus, quæ in capitulo gerenda manè poſt Primam jam ſcripſimus, quidam de Fratribus, cui Prior injunxerit, accedat in medium, & petita benedictione dicat. *Quinto vel quarto die proximè futuro, Fratres chariſſimi, illam feſtivitatem Domini noſtri JEſu Chriſti celebraturi ſanctificamini & eſtote parati, tu autem Domine &c.* Fratribus itaque mediocri voce *Deo gratias* reſpondentibus ſubjungat idem Lector ſecundùm quod à Præpoſito ſtatutum fuerit, qui Fratres Invitatorium, Lectiones, Reſponſoria, & quæque alia in officiis neceſſaria dicere, cantare, vel legere debeant. Quibus pronunciatis fiat omnium exceſſuum patens confeſſio, quam pœnitentiæ, & ſatisfactionis ſequatur injunctio ante Feſti ejuſdem celebrationem, ſi fieri poteſt, implenda; ſi quis tamen privatè confiteri voluerit, confiteatur Priori, ſive Presbyteris per Priorem ad hoc officium deputatis, remiſſionem quoque ſibi invicem, & omnibus abſentibus, qui offenderunt, voto & abſolutione, quâ poſſunt, exhibeant. Quod ſatis eſſet laudabile & ordini congruens, ſi etiam in ſingulis Sabbatis & præcipuorum Feſtorum vigiliis fieret. Cantaturi igitur & lecturi his vel aliis diebus quibuslibet, quæ cantanda ſunt, & legenda, prævideant, & ſi neceſſe ſit, aliquid in his quærere, certæ perſonæ à Priore deſignentur, à quibus licitâ horâ hoc exquirere debeant, quique (z) in eis humiliter & ſtudiosè ſe exhibeant.

(z) *Id.*

CAPITULUM XVII.

De plurimis Fratrum neceſſariis obſervationibus.

DE ternis verò orationibus nocte ante vigilias, manè ante Primam, ſero poſt Completorium, & de precibus poſt Matutinas & Veſperas agendis, de Canticis graduum dicendis, de Matutinis quoque & Veſperis Sanctorum, de horis S. Mariæ, ſi Fraterna devotio habeat, de Vigiliis, Matutinis, Miſſis & Veſperis pro defunctis exhibendis, de Pſalmis pœnitentialibus manè dicendis, de aliis Pſalmis poſt horas cantandis, de ordine præterea intrandi Eccleſiam vel Capitulum

lum & exeundi, de ordine eundi, ſtandi, loquendi, vel ſilendi in clauſtro, de ordine communiter dormiendi & ſurgendi, communiter edendi, & potandi, de præparatione miniſtrorum, qui ad Miſſam ſerrituri ſunt, de lavandis manibus & capitibus pectinandis, de ſignis tangendis, & tabulis, de ſignificandis horis divinis, hora quoque collationis, & refectionis, de vicaria Fratrum ſubminiſtratione, de ordine Dominicalium, vel quarumcunque proceſſionum, poſtremo de omnibus intra Eccleſiam & Fratrum officinas agendis quæcunque neceſſaria ſunt (*a*) (uſus) & ordo vel inſtitutio Majorum inſinuat.

(*a*) Deeſt.

CAPITULUM XVIII.

Quòd Prior ſuper his omnibus debeat eſſe ſollicitus.

Cum ſit Prioris officium proprium cuncta interiora, & exteriora per ſe, & per alios ſemper inquirere, inquiſita perſpicere, perſpecta ſubtiliter diſcutere, diſcuſſa ſapienter tractare, ſtatuenda ſtatuere, facienda imperare, vitanda negare, quod, cuique congruat, loqui, ſingulis, prout opus fuerit, ſubminiſtrare, corrigenda quæque ſapienter corrigere, peccantibus pro modo culpæ modum etiam ſatisfactionis injungere, ut nec aſperitas quenquam ab emendatione rettahat, & lenitatis nimietas neminem (*b*) in vitiis ſolvat, etſi foris aliquando neceſſe ſit, aſperitatem monſtrare, intus tamen in animo ſemper humilitatem ſervare, lectioni, cùm ſibi vacat, inſiſtere, orationibus incumbere, Fratres in unum collectos, ſanctarum Scripturarum ſæpe fluentis irrigare, de vita & moribus Clericorum, & proprii ordinis obſervatione frequenter inſtruere, virtutes & exempla Sanctorum eis ad imitandum proponere, peccantes pœnarum ſupplicia enumerando terrere, bene agentes ad deſideria percipiendæ felicitatis accendere, ſingulis quibuſque advenientibus pro ſuis neceſſitatibus & perſonarum qualitate, ſi facultas ſuppetat, ſubminiſtrare, poſtremo Confratrum omnium animarum & corporum vigilanti ſtudio curam gerere, & omnes res Eccleſiæ mobiles, & immobiles, ſpirituales & corporales cuſtodire, tegere, atque diſponere, & cunctis cunctas neceſſitudines, & congruentias ſubimplere, & ſi unus homo tanta portare non poſſit, neceſſe eſt, ut ſub ipſo aliorum ſtatuantur perſonæ, quibus onera diviſa portare, & omnia neceſſaria congruenter fieri valeant. Si quidem Moyſes cùm totius Iſraelis onus regiminis portare non poſſet, concilio etiam incircumciſi hominis viros ex omni Iſrael potentes elegit, quos ſuper populum tribunos, centuriones, quinquagenarios, & decanos ad finiendas lites, & diſceptationes tollendas conſtituit, majora ſibi tantummodo finienda reſervans. Huc ergo chariſſimi exemplo commoniti in Prioris auxilium ex prudentioribus viris perſonas prudentium eligendas ſtatuiſtis, qui onera ſingula interius atque exterius ad animarum & corporum neceſſitatem ſupplendam, ad ordinem quoque obſervandum pertinentia leviùs diviſa portarent.

(*b*) In vitiam.

CAPITULUM XIX.

De Præpoſito.

Eligendum itaque de Confratribus virum unum cenſuiſtis Fratres chariſſimi, qui ſit voluntate purus, ſermone diſcretus, actione ſanctus, ordinis ſcientia, & obſervatione præclarus, & ſi fieri poteſt, divinarum Scripturarum ſufficienter imbutus notitia, quem patientiæ virtus, charitatis dilectio, fidei quoque perornet religio, qui cæteris ſub Priore Præpoſitus Prælationis ſuæ in gerendis officiis, in Fratribus regendis & cuſtodiendis, in ordine ſervando, & Regula pervigilem gerat cuſtodiam. Hic ergo vitiorum qualitatem, uſum, & ordinem, ſingulàſque varietates Fratres edoceat, hic ſolita officia deſignare in tabulis ſecundùm uſum, & ordinem poſtmodum in Capitulo coram Fratribus omnibus pronuntianda præcipiat. Pulmenta quoque Fratribus præparanda, & quæque illis apponenda coram hebdomadariis, & Cellerario ſtatuat, veſtimenta autem & calceamenta ne dari differantur, tempore neceſſario ſtudeat, ſingulorum quoque obedientias intus & foris, ſi juſtè regantur, & regulariter impleantur provideat. Omnium ergo Interiorum, & exteriorum curam ſub Prioris concilio, & juſſione habeat, & quæcunque neceſſaria ſunt, ipſo abſente dicat & faciat, majoribus tamen negotiis Prioris judicio reſervatis: Cætera autem omnia hujus officio pertinentia,

nentia, & hìc nominatim non expreſſa uſus ipſe & ordo edoceat. In quibus omnibus ſic ſui utatur jure regiminis, ut à Domino juſtitiæ præmium conſequatur gloriæ.

CAPITULUM XX.

De minoribus Præpoſitis ſtatuendis ſeu Magiſtris, & de diſciplina peccantium.

STatuat quoque præter hunc Prior ſub iſto ad Fratrum cuſtodiam & alios Magiſtros, ſive Præpoſitos, ſi neceſſarium viderit, quibus ſingulis proprium locum aſſignet in clauſtro, ubi ipſi reſidentes Fratres ſibi commiſſos hinc inde ſtatutos in bono nutriant, in ſanctis moribus inſtruant, & eos Lectionibus, Hymnis, Canticis, aliiſque Eccleſiaſticis doctrinis ſive utilitatibus incumbere, in loco ſtare, & proprium ordinem ſervare compellant, & à ſuis oculis nullatenus eos ſine certa neceſſitatis cauſa ſeparari vel abire permittant, poſtremo eos non ſolum ab opere perverſitatis & malitiæ ſed & abuſu otioſæ loquacitatis immunes cuſtodiant, & in omni Religione ſanctitatis, & honeſtate gravitatis perfectos exhibeant, quibus ſi qua neceſſaria fore perceperit, hoc Priori ſive Præpoſito innoteſcant, quatenus ſi facultas ſuppetat, eorum omnis impleatur abſque dilatione neceſſitas; ſi quos autem de ſibi commiſſis vagos, vel otio, aut inutili loquacitati vacantes, vel ordinem proprium ſervare nolentes vel ſuis Prælatis inobedientes eſſe perſpexerint, & eos ſemel, bis, & ter commonitos emendare nequiverint, tunc ipſos corrigendos Præpoſito appræſentent, quos itidem Præpoſitus ſemel, bis, & ter commonitos, ſi nequaquam emendare potuerit, coram Fratribus in Capitulo (c) (Priori emendandos) repræſentet, quod ſi ſe nec per Priorem correxerint, omnibus ſupponantur, & ab omnibus injurientur. Poſtremo fraterno conſortio & communione privati jejuniis macerentur, & ſi perſonarum patitur qualitas, verberentur ſi verò nec ſic emendantur, in carcerem jejuniis longis caſtigandi recludantur, vel majoris Eccleſiæ ſive Epiſcopi judicio dimittantur. Hi ergo, qui dimiſſi vel in carcerem retruſi fuerint, aut clam per ſe receſſerint, ſi quando pœnitentia ducti ſatisfactionem promiſerint, & veniam poſtulantes impetraverint, primò quidem per longum probentur exterius, & ſi verè apparuerint pœnitentes, in infimo ſaltem loco quandoque ſuſcipiantur, interius hunc modum correctionis Fratres Chariſſimi non ſolùm in Clericis, verùm etiam in profeſſis Laicis tenendum veſtra charitas cenſuit.

(c) Deſunt.

CAPITULUM XXI.

De obedientias tenentibus, ſive ſuſcipientibus.

QUi verò obedientias domûs pro Fratrum utilitate atque ſervitio ſuſceperint, ſub Prioris & Præpoſiti cura & poteſtate permaneant, & quidquid eis ipſi vel ipſis abſentibus alii Prælati ſupplentes vices eorum mandaverint, ſine dilatione obſervent, & impleant, ſi quid autem admiſerint ſecundùm Prioris juſſum, & ordinis uſum ac culpæ modum ſatisfaciant. Qui verò ſuperbi aut negligentes, avari ſeu prodigi, ſuſurrones, aut fures vel quoquam modo rei Dominicæ vaſtatores inventi fuerint, aut ſibi præſidentium mandata contempſerint vel aliquid alicui, quod dare debuerat, ex odio ſubtraxerint, vel quidquam contra uſum & ordinem gratiæ ſingularis amore quod non erat opportunum, tradiderint, Prior eos ab officiis removeat, & injuncta illis pœnitentia, & ſatisfactionis ſententia alios in eorum locis ſubroget, qui vigilantius puriùſque peragentes Chriſto & Confratribus ſuis fideliter adminiſtrent. Ad (d) peragenda igitur ſingula Fratribus intus neceſſaria quidem ex valentioribus & prudentioribus Fratribus eligantur viri, quorum unus Sacrarium, alter Cameram, tertius Cellarium, quartus Refectorium, quintus Veſtiarium regenda ac cuſtodienda ſuſcipiant; quicunque ergo ad aliquam harum vel ſimilium obedientiam ſuſcipiendam acceſſerit, veniat in medium Capituli, & proſtratus incipiat Pſalmum: *Deus in adjutorium meum intende*, quem cùm Fratres compleverint, cum oratione Dominica, vel Capitulis, atque oratione competenti, ſurgat & genibus flexis ſuſcipiat de manu Prioris Regulam vel alium libellum ſic dicentis: *Nos hujus obedientiæ curam atque laborem ad ſalutem animæ tuæ in pœnitentiam & remiſſionem peccatorum tuorum ex Fratrum conſenſu* pro

(d) *Perrigenda.*

pro charitate ferre præcipimus. Et exinde ejus obedientiæ curam, ſummâ induſtriâ & prudenti concilio gerat, atque perficiat, quibus verò hæ tales obedientiæ pro aliqua offenſa auſſeruntur, vel qui ab eis voluntate Prioris ſublevantur, proſtrati in medio accuſent ſe ſuper omnibus, quæ in his ſubminiſtrandis admiſerunt, incipiántque Pſalmum quinquageſimum, quem dum Fratres perfecerint, cum oratione Dominica, & capitulis, atque oratione competenti, aſſurgant, & quantitatem pœnitentiæ, qua Prior injunxerit, hilarî animô ſuſcipiant, & ſuſceptam intra juſſum tempus perficiant.

CAPITULUM XXII.
De Sacriſta.

AD Sacriſtæ igitur obedientiam Oratorium, Sacrarium, Armarium, & omnia quæ in eis facienda ſunt vel reponenda, cunctáque (*e*) (his) neceſſaria, vel congruentia pertineant; hic ergo Oratorium pro uſu & ordine mundet, illuminet, cuſtodiat, & competenti hora claudat, atque aperiat, nihilque ibi indecens agat, aut recondat, vel agi aut recondi permittat dicente Domino: *Domus mea domus orationis vocabitur*; Oleum autem ſanctum, corpus Dominî, & capſas cum Sanctorum Reliquiis in Eccleſiis poſſe conſiſtere nemo dubitat, alia quoque minuta ſed Eccleſiaſtica & nihil indecorum præbentia & divinis obſequiis quotidie neceſſaria (*f*) ineſſe non reprobamus (*g*) (ſi oporteat, Chorum verò tanta vigilantia) ſi fieri poteſt ſemper Sacriſta cuſtodiat, ut nulli inde exeundi, aut intrandi locus pateat, niſi quis orationis aut devotionis cauſa vel offerendæ oblationis, aut Euchariſtiæ ſumendæ ſeu Fraternitatis Clericorum percipiendæ humiliter intrare quæſierit. Ad Miſſarum verò ſolemnia Presbyter ante oſtium Chori populorum oblationes ſuſcipiat, ibique eis Dominici Corporis, ac Sanguinis myſterium tradat. Quod ſi populus magnus fuerit, & ad Altare accedere voluerit, non prohibeatur, verùm Clericis adhuc in Choro reſidentibus ad Altare mulieribus aditus ſi fieri poteſt non concedatur, quidquid ergo in cera & oleo, & incenſo, aut in veſtibus ad uſum Altarium, vel Miniſtrantium neceſſarium fuerit oblatum, Sacriſta ad ſupplendam obedientiæ ſuæ neceſſitatem in Sacrario reponenda ſuſcipiat. Altarium autem vel Altaribus Miniſtrantium veſtimenta, ornamenta, (*h*) (vaſa) cunctáque prorſus Eccleſiæ utenſilia in Sacrario teneantur clauſa, atque recondita quæ quidem partim diebus certis, partim ſingulis hora ſtatuta ſicut neceſſarium fuerit, & ordo atque uſus popoſcerit, à Sacriſta miniſtrantibus, aliisque Fratribus his opus habentibus aſſignentur, quæ expletis officiis cuncta ſubtiliter requiſita denuo ſuſcipiat reponenda, præter hæc libros quoque Sacriſta ſui cuſtodia clauſos in Armario habeat, & quos in Eccleſia Fratribus neceſſarios ſciêrit, ipſe apponat, ipſe denuo & reponat, quos verò in clauſtro Fratribus noverit opportuuos, ponat in loco ſtatuto, de quo Fratres, quos voluerint, libros accipiant, & in quo poſt horam eos reponere debeant à Sacriſta item ſuſcipiendos, & recondendos. Quidquid ergo ad libros ſcribendos ſeu aptandos vel reparandos neceſſarium fuerit, apud ſe Sacriſta habeat, ut & qui non habentur libri fieri, & qui habentur aptari, ſeu reparari valeant. Studeat præterea Sacriſta ſummopere, ut horas Canonicas tam in die quàm in nocte ſic diſcretè ſecundùm uſum & ordinem, & Prælatorum arbitrium pro temporis qualitate, pro diei celebritate, pro officii quantitate ſignificet, ut omnia neceſſaria congruenter fieri valeant, hic etiam Dormitorii illuminandi, Clauſtri mundandi, & Capituli, & omnia mandatis agendis neceſſaria conſervandi curam habere debebit. Hæc igitur omnia Sacriſta provideat, & quæque his vel in his neceſſaria uſus vel ordo aut Majorum documenta monſtraverint, ſumma ſemper induſtria tempore ſuo ſapienter efficiat. Quæ cuncta ſi Sacriſta ſolus portare nequiverit, adjutores ei Prior dare debebit, per quos ejus onera & officia diviſa levius cuncta portari valeant, & impleri.

(*e*) Deeſt.

(*f*) Eſſe.

(*g*) Deſunt.

(*h*) Deeſt.

CAPITULUM XXIII.
De Camerario.

CAmerarius itaque habeat loca firma, concluſione munita, opportuna oſtia, & feneſtras, unde his qui intus vel foris ſunt, neceſſaria miniſtrentur habentia. Ubi aurum, argentum, ferrum, æs, omniáque metalla & univerſa numiſmata unde-

undecunque obvenientia, & cuncta, quæ (*i*) ſunt corporeis officiis interiorum & exteriorũ ex his neceſſaria, fieri omniáque vaſa manualia, lapidea, fictilia, & lignea, interioribus item & exterioribus officiis deputanda plura, & ſi fieri poteſt, multiplicia teneantur recondita, omnia igitur horum, quæcunque Fratribus ad peragenda ſua officia intus vel foris neceſſaria fuerint, omnia procul dilatione, ac murmuratione remota libens Camerarius præbeat, vel perpetim ſi oporteat, quotidianis uſibus relinquenda vel ſi neceſſe non eſt, iterum ad ſe expletis operibus reducenda, quæcunque autem de rebus ſibi commiſſis quotidianis uſibus intus vel foris neceſſaria fuerint, ſic diſtribuantur ab eo, ut jam ad ipſorum cuſtodiam, quibus dantur, pertineant, quæ vetuſtate conſumpta, cùm nova iterum dantur, Camerario, ſi ſint utilia, reſtituantur, vel reparanda, vel ad aliquem uſum habenda, ne de rebus Eccleſiæ, quod prodeſſe poteſt, aliquid pereat, quod ſi qua fuerint perdita, vel caſu fracta, & non reparata, pro his alia tribuantur, verùm hi, per quorum culpam fracta aut perdita fuerint, ſecundùm Prioris judicium digna ſatisfactione pœniteant, ſi quid autem in aliqua obedientia defuerit, iſte, ſi habeat, vel habere valeat, aut dato, aut pretio ſupplere debebit. Camerarius igitur cuncta ſibi pertinentia interioribus officiis neceſſaria vel propriis expenſis facta, vel pretio comparata ſemper habere ſtudeat, quatenus nullo unquam tempore cujusquam occaſione neceſſitatis, à ſui ordinis obſervatione & divini cultus ſervitio Fratres ſe ſubtrahere valeant.

(*i*) *Fiunt.*

CAPITULUM XXIV.

De Cellerario.

Sint & Cellaria intra clauſtri mœnia conſtituta, refectorio, coquinæ, & piſtrinæ, in quantum fieri poteſt, propingua, ubi cuncta Fratrum eſui vel potui neceſſaria ſub clave repoſita maneant cum omnibus vaſis, & utenſilibus, quæ ſunt his reponendis neceſſaria (*k*) (hæc igitur omnia ſub cuſtodia Cellerarii redigantur, & per ipſum diſpenſentur) talis itaque à Prælatis eligatur Cellerarius, qui ſit vir prudens, charitate, humilitate, & patientia pleniſſimus, non avarus, non prodigus, non violentus, non edax nimium, non ſuperbus, non tardus, ſed moribus honeſtus, & Deum timens, vitiis carens, virtutibus hærens, juſtô non largior, nec tenacior, qui ſtipendia Fratrum fideliter ſervet, & cura vigilanti diſpenſet, qui nec verborum aſperitate, vel tarditate, nec rei tantæ diminutione, vel dilatione, nec turbidi vultûs oſtenſione Fratres in adminiſtrando conturbet. Omnibus ergo dulcis appareat, & quosque ad ſe venientes benignè ſuſcipiat, & cuique, prout opus viderit, ſubminiſtret. Eos verò, quorum neceſſitati nequit ſatisfacere, dulcium verborum conſolatione ſtudeat refovere. De infirmis ſibi ſit cura non modica, ut quidquid ei ab illorum cuſtodibus petitur ſi habeat, vel habere valeat ſub feſtinatione, tribuat, & ſi certa ad hoc perſona ſtatuta non fuerit, coquus præcipiat, ut pro velle & neceſſitate infirmantium & cuſtodum juſſione hoc celeriter & aptiſſimè præparent. Coquina ergo & Piſtrinum, & ſibi invicem ſint contigua, & refectorio propinqua & cum omnibus vaſis, & utenſilibus ſuis ſub Cellarii cuſtodia deputata; injungendum igitur eſt à Prælatis coquis atque piſtoribus, uti ipſi per omnia Cellerario obediant, & ei de omnibus rebus ſibi commiſſis rationem reddant, à quo etiam quæcunque ſibi neceſſaria ſunt, exigant, atque accipiant; Cellerarius itaque frequenter eos moneat, & artis ſuæ officia diligenter edoceat, ipſisque abundanter elaboret oſtendere, quàm gravis culpa ſit, res Eccleſiæ per negligentiam perdere, ſeu furtim, quod omnium nequiſſimum eſt, diripere. Coqui autem pervigili cura omnia, quæ Fratrum eſui ſunt neceſſaria, præparent, & ea mundiſſimè, & accuratiſſimè peragant per juſſum Cellerarii, & Fratris hebdomadarii; Cellerarius itaque, cui hæc omnia commiſſa ſunt, vaſa, armamenta, ſeu utenſilia piſtrini, coquinæ, & cellarii ſi perdantur, aut frangantur, ſeu veteraſcant, reſtaurare, & innovare per Camerarium, reparare verò etiam per ſe ipſum, ſi poteſt, ſtudeat. Coqui igitur, & piſtores propria loca piſtrino & coquinæ contigua habeant, ubi de officiis ſuis alterutrum ſe juvent, & ubi ſimul manducent, ac maneant, & cuncta ad ſe pertinentia peragant.

(*k*) Deſunt.

CAPITULUM XXV.

De Refectorio & Refectorario.

REfectorium quoque Fratrum deputetur cuidam, qui id ovanter ſuſcipiat, ſuſceptum diligentiſſima cura cuſtodiat; fiant ergo & habeantur in Refectorio, & circa Refectorium omnia, quæcunque Fratribus comeſturis vel potaturis pro uſu & regulari ordine veſtræ converſationis eſſe opportuna noſcuntur, quæ omnia & quibus omnibus neceſſaria Refectorarius ſtudiosè curare & diligenter hora congruenti, exhibere debebit; Refectorarius itaque ſummopere ſtudeat, ut nihil in Refectorio indecens, nihilque ſtomachis Fratrum noxium appareat, ſed frequenter mundatum & decenter præparatum Fratres ſemper inveniant. Ipſe quoque menſas congruenti cura operiat, & panis ac vini à Cellerario ſuſcepti debitam menſuram, cæteráque Fratribus in manducando neceſſaria locis ſingulorum apponat, & omnia, quæ ibi ſunt opportuna, pro uſu & ordine diligenter perficiat, qui omnia, quæ vel veteraſcunt, vel caſu aliquo perduntur, ſeu franguntur, à Veſterario & Camerario innuvari vel reſtanrari ſemper exigat, vetera tamen vel fracta illis cuncta reſtituat.

CAPITULUM XXVI.

De Veſterario.

ORdinetur & præter iſtos quidam de Fratribus Veſterarius, qui ſuper Fratrum veſtimentis, & calceamentis, ac lectualibus ſummam ſemper diligentiam habeat, hic itaque intra clauſtri mœnia loca habebit munitione ſecura, ubi linum, & lana, panni, pelles, & coria, veſtimenta, nec non & Fratrum lectualia, & quæcunque his aptandis, faciendis & reparandis ſunt neceſſaria, aliáque his congruentia ſalvè & ſecurè teneri, & conſervari valeant; ad hunc ergo pertineat horum quamdiu reparari poſſunt, reparatio, & cùm innovanda ſunt, omnium innovatio, hic etiam omnia, quæ abluendis corporibus, vel lavandis, aut tondendis ſeu radendis Fratribus, & quæcunque curandis eis in medicinis vel medicamentis ſunt opportuna, ſi facultas ſuppetat, apud ſe habeat, ùt Fratres hæc omnia, cùm neceſſarium fuerit, præparata inveniant; huic Prior unum vel plures adjutores, ſi neceſſe ſit, tribuat, cum quibus veſtimenta & calceamenta Fratrum frequenter, excutiat, quique lectos eorum, ſingulis quibuſque diebus coaptando miſceant, quique, cùm Fratres mutantur, mutatoria colligentes in veſtiario deportent condenda, horá ſtatutá ad abluendum lavandariis danda, & lota item ſuſcipienda, & in Veſtiario recondenda, & tempore mutandi ſingula ſingulurum lectis apponenda, quibus ſingulis (l) Veſterarius ſingulorum nomina acuali opere inſcribere ſtudeat, ut quiſque veſtes ſibi propriè aſſignatas, non alias ſuſcipiat; his quinque obedientiis ſtatutis interius ſic ea, quæ foris ſunt, Prior diſponere ſtudeat, ut in nullo Eccleſia ſuarum rerum patiatur detrimenta, & omnia, quæ foris ſunt neceſſaria, congruenter fieri valeant.

(l) *Veſtimentis.*

CAPITULUM XXVII.

De Procuratore rerum exteriorum.

STatuatur itaque vir ſtrenuus ex fideli Eccleſiæ familia, qui ſubtiliter & prudenter omnem Eccleſiæ poſſeſſionem in aquis, & paludibus, ſi habeantur, in ſilvis, in pratis, vineis, & terris regat, atque provideat, & ſi fieri poteſt, quod ſint coloni, vel poſſeſſores, & quid quiſque, quantùmque poſſideat, & quid quiſque, quantùmque, & quando Eccleſiæ reddere debeat, memoriter agnoſcat, vel apud ſe ſcriptum, ne oblivioni tradatur, habeat. Omniáque quæ ſuper his ſunt neceſſaria per ſe & Villicos ac Succurriones ſciat, & ſub concilio Prioris ordinet, atque perficiat, locationes autem rerum immobilium Procuratore conſultius ordinante conſentientibus Fratribus per Priorem fiant, ſi earum ordinatio juſtè & utiliter facta fuerit; hic igitur chartulas poſſeſſionum in loco munitiſſimo per aliquem Fratrum, cui Prior injunxerit (m) cuſtoditas frequenter legat, vel audiat, ut ex his locationes & redditus poſſeſſionum agnoſcat, ne oblivionis incuria ſuarum rerum detrimentum patiatur Eccleſia.

(m) *Cuſtodias.*

CAPI-

CAPITULUM XXVIII.

De cuſtode rerum mobilium.

STatuatur & alius fideliſſimus Laicus, qui ſummam curam gerat ſuper omnibus beſtiis, uſui Fratrum neceſſariis, & univerſis armentis eorúmque paſtoribus atque nutritis, ùt ipſe eis, quæcunque ſunt jubenda, jubeat, ſtatuenda ſtatuat, requirenda requirat, & eorum in omnibus cuſtos, & refector providus fiat, poſtremo quæcunque ſingulis quibusque armentis & beſtiis fuerint opportuna iſte cura pervigili impleat, & quæ horum cuſtodibus neceſſaria per ſe vel per alios exhibeat, quidquid igitur de his vel de aliis obedientiis fructuum vel prædiorum vel cujusquam rei Fratrum uſui opportunè excipi, vel haberi contigerit, illis detur ſervandum, vel expendendum, ad quorum obedientias noſcitur concedendum, ſic etiam omnia neceſſaria illis ſunt exquirenda, à quibus habentur diſpenſanda.

CAPITULUM XXIX.

De Negotiatore Eccleſiæ.

ORdinetur præter iſtos, & alius vir fideliſſimus, qui per ſe vel per alios & quæque emenda emat, & quæ vendenda ſunt, vendat. Emendorum ergo pretium & Camerarius tribuat, & venditorum idem accipiat. Negotiator ergo Eccleſiæ talis ſit, & nunquam vel raró decipi valeat, & ſtudioſe neminem ipſe decipiat. Qui nec ut cariùs vendat, nec ut viliùs emat, ore ſuo fallaciam proferat, vel juramentum ab (*n*) aliis exigat, aut ipſe exhibeat.

(*n*) *His.*

CAPITULUM XXX.

De obedientia familiarium.

OMnes itaque familiares Prælatis ſuis obediant, & quorumque (*o*) jubentium mandata hilariter, ac ſine mora (*p*) perficiant. Nullus in Eccleſiaſtica familia inveniatur inutilis, nullus otioſus, ſed omnes operentur, omnes Eccleſiæ utilitatibus deſerviant, attendentes illud Apoſtoli: *Qui non laborant, non manducent.* Pueri tamen, & ſenes infirmi, ac debiles non conſtringantur agere vel operari, quæ nequeunt. Omnium ergo ætatem, ſcientiam, & vires Prior prævideat, & ſingulis ſingula officia domui neceſſaria, & illis pro viribus & ſcientia competentia dividat, & ſuper eos, qui prudentiores ſunt, Magiſtros, per quos regantur, ſtatuat, & ſub quorum cura, juſſu, arbitrióque atque induſtria injuncta ſibi officia cuncta perficiant. Omnia autem, quæ in veſtimentis, calceamentis & victuſlibus, & quæque officiorum ſuorum uſibus ſunt neceſſaria, Magiſtri eorum provideant, proviſa inveniant, & inventa ipſis attribuant. Quæ omnia ab illis inquirant, ad quorum obedientias illa noverit pertinere. Hi igitur omnes, cùm ſuſcipiuntur, proſtrati ante Altare promittant fidelitatem ſuam illis Sanctorum pignoribus, obedientiam quoque ſecundùm Deum Prælatis ejusdem Eccleſiæ. Poſt hæc à Fratribus pro more ſuſcepti de cætero pro juſſu vivát, & fideliter ſerviant.

(*o*) *Quacunque.*
(*p*) *Et murmure.*

CAPITULUM XXXI.

De clauſtro & porta Canonicorum cuſtodienda.

CLauſtrum autem interiùs tanta ſemper obſervatione cuſtodiatur, ut nulli unquam interiorum inde exeundi, ſed & nulli exteriorũ intrandi in eo, niſi ſecundũ ſtatutum ordinem facultatem habeant. Si qui tamen fideles, & religioſi Laici, ſeu Clerici ad interiora loca conſpicienda, & Fratres viſitandos ex devotione intrare quæſiérint, non negamus eos extra horam ſilentii per Priorem vel Præpoſitum intromitti. Qui Fratrum benedictione ſuſcepta, & locis optatis perſpectis vel ſtatim exeant, vel ſi Prior hoc utile viderit, in remotiori loco cum ipſis aliquantulum convocatis prudentioribus, & ab ipſis optatis Fratribus ſedeat, & ubi breviter eos pro ædifi-

ædificatione animarum ipſe vel cui ipſe juſſerit, allocutus fuerit, benedictione item Fratrum ſuſcepta deducantur extra, & charitate quidem eis neceſſaria in hoſpitali, vel ſi tales viri ſunt, ut ſic oporteat, in alio loco ad hoc ſtatuto exhibita, dimittantur in pace; aliter autem nec ipſi Fratribus, nec Fratres ipſis in clauſtro jungi permittantur. Mulieres autem in officinas Clericorũ intrare, nedum ſtare penitus exſecramus. Foris ergo domus ſtatuatur à Fratrum officinis disjuncta, ubi ex charitate eis exhibeatur, quod neceſſarium fuerit. Quod ſi eis aliquid à Fratribus dici oporteat, & Prior conceſſerit, plures ſimul ad eas accedant, nec ſoli cum eis loqui præſumant, niſi teſtes coram adfuerint. Clauſtrum itaque interius à congruentiori parte, & ſi fieri poteſt, juxta Eccleſiam aditum habeat, juxta quem fiat locus, in quo advenientes quasque neceſſarias vel juſſas Perſonas Canonici permiſſione Prioris canonicè alloquantur. Juxta portam igitur exteriorem Portarium Prior ſtare inſtituit, quatenus nemo extraneus, niſi interrogatus, & juſſus intrandi licentiam habeat. Interioris autem oſtii cuſtodiam Prior uni Fratrum attribuat, qui id ita diligenter cuſtodiat, ut nullus intrandi vel exeundi licentiam inveniat, niſi quem Prior juſſerit, vel ordo poſtulaverit. Hic igitur diebus ſingulis ſero hora collationis oſtio ſerato clavem Priori vel Præpoſito (q) delatam tribuat, quam prima hora ſequentis Dei item ab eo tenendam per totum diem ſuſcipiat.

(q) Debitam.

CAPITULUM XXXII.

De colligendis hoſpitibus & quibusque advenientibus.

His itaque interius exteriùsque ſic diſpoſitis ſtudeant neceſſe eſt Prælati Eccleſiarum præparare aliquod receptaculum parum disjunctum ab officinis familiarium exterius, ubi hoſpites, & quique advenientes honeſte ac decenter ſuſcipiantur, & ſingulis eorum à Magiſtro & cuſtodibus ejusdem hoſpitii pro qualitate ſua ac neceſſitate fideliſſimè ſerviatur. Ad ſuſtentandam ergo ſecundùm loci poſſibilitatem quorumque advenientium neceſſitatem comittantur Magiſtro hoſpitii cunctorum redditᵫum, quarumcunque rerum Eccleſiæ omniumque eorum, quæ ad victum pertinent, decimæ, & cunctarum oblationum, & eleemoſynarum partes in uſus pauperum, & advenientium diſpenſatione fideliſſima expendendæ. Sit ergo cuſtos hoſpitii vir boni teſtimonii, charitatis, diſcretionis, & prudentiæ virtute pleniſſimus. Hic ergo cuique congrua in manducando, in bibendo, in pedibus lavandis, in lectis præparandis, & cæteris neceſſitatibus exhibendis provideat, & providens exhibeat. Prælatorum autem vigilet induſtria, ne is, cui hoſpitium commiſerint res pauperibus erogandas ad uſus ſuos vel ſuorum præſumat expendere, & Judæ damnationis ſe participem faciat, qui loculos habens ea, quæ mittebantur, in uſus ſuos retorquebat abſconditè; ipſe verò cum aliis ſibi ad receptum pauperum deputatis expenſas propria ſecundùm modum cæterorum ex communi ſuſcipiat, ne ſi rebus erogandis ſuas vel ſibi ſervientium neceſſitates ſuppleat, pauperum & advenientium opportunitatibus ſubvenire non valeat. Qui ſi horum curam neglexerit & diſpenſandas res illicitè tractaverit, multò ſeveriùs cæteris admittentibus à Priore judicandus, & ab hoc officio removendus, & in loco ejus alius eſt ordinandus, qui hoc ſanctè & perfectè ac ſecundùm Deum, juſſùmque Prioris exhibeat.

CAPITULUM XXXIII.

Quod abſentibus Priore & Præpoſito minores Præpoſiti vices eorum ſupplere debeant.

Horum itaque Capitulorum & totius ordinis diſciplina & obſervatio & omnium rerum intus & foris diſpoſitio per majores Prælatos Eccleſiæ fiant, verùm iſtis abſentibus minores Præpoſiti vices eorum ſupplere & omnium interiorum & exteriorum curam habere debebunt.

CAPITU-

CAPITULUM XXXIV.

Quod ex his ad majorem præceptorum obſervationem aſcendere, & vitæ perpetuæ gaudia percipere quis valeat.

HÆc ſunt, Fratres chariſſimi! quæ, ſicut petiſtis, & ſtatuiſtis, veſtro ſacro conventui auxiliante Chriſto ſervanda deſcripſimus; quæ ſi cum ſimplicitate puritate, & alacritate cordis tenentes ſine intermiſſione ſervaveritis, facilius ad altiora ſanctitatis opera ſcandere, & Chriſti cohæredes, ac vitæ perpetuæ participes eſſe poteritis, verùm in his & in omnibus, quodcunque Prior ſecundùm Deum in anima vel in corpore expedire vel non expedire, prodeſſe, vel nocere, uni vel omnibus proſpexerit, concedendi vel jubendi, aufferendi, vel prohibendi, & quæque neceſſaria dicendi vel ſtatuendi poteſtatem habebit.

Explicit.

EPISTOLA

PASCHALIS ſummæ ſedis Pontificis, in qua hanc Inſtitutionis Canonicæ Regulam ſuſcipit & confirmat.

PAſchalis Epiſcopus, Servus Servorum Dei dilectis Filiis apud Eccleſiam B. Mariæ in portu Ravennatis Exarchatûs regulariter commorantibus ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Hanc inſtitutionis Canonicæ Regulam tam ex ſanctorum Patrum authoritate conceptam, quàm & Religioſorum virorum exemplis & morum honeſtate compoſitam Nos perſpectam Deo authore ſuſcipimus, & authoritate Sedis Apoſtolicæ confirmantes vobis per Dei gratiam efficaciter obſervandam injungimus, ut quorum ſequi veſtigia devoviſtis in terris, eorum obtinere conſortium poſſitis in cœlis.

Data trans Tyberim XII. Calendas Januarii indictione decima.

	Epiſcopi Cardinales.	Ego Creſcentius Savinenſis Epiſcopus	Confirmo.
		Ego Petrus Portuenſis Epiſcopus	Confirmo.
		Ego Cuno Prænestinus Epiſcopus	Confirmo.
		Ego Vitalis Albanus Epiſcopus	Confirmo.
	Presbyteri Cardinales.	Ego Bonifacius S. Marci	Confirmo.
		Ego DEus dedit Card. S. Laurentii in Damaſo	Confirmo.
		Ego Deſiderius Card. S. Praxedis	Confirmo.
		Ego Wido Card. S. Balbinæ	Confirmo.
	Diaconi Cardinales.	Ego Petrus Card. Diac. SS. Coſmæ & Damiani	Confirmo.
		Ego Petrus Card. Diac. S. Adriani	Confirmo.
(r) Deſunt,		(r) (Ego Roſemanus Diac. Card. S. Georgii)	Confirmo.
(s) Deſunt,		(s) (Ego Comes Card. Diac. S. Mariæ in Aquiro)	Confirmo.
		Ego G. G. Card. Diac. S. Angeli	Confirmo.
		Ego Joannes Card. Diac. S. Luciæ	Confirmo.

ADDI-

ADDITAMENTUM XII.

S. PETRI MAURITII,

DICTI VENERABILIS
ABBATIS CLUNIACENSIS IX.

Statuta Congregationis Cluniacenſis MS.

OBSERVATIO CRITICA.

INter ſacri Ordinis Benedictini propagines, primaria eſt Cluniacenſis congregatio, quæ quidem toto Orbe inclareſcere cœpit, poſtquam S. Berno circa annum DCCCCX. Monaſterii Cluniacenſis fundamenta jecerat, Willelmo Æquitaniæ & Gothiæ ſeu Septimaniæ Duce, agros & reditus in Monachorum ſuſtentationem liberaliter ſuppeditante. Erat autem hoc Monaſterium in agro Matiſconenſi ſitum, atque juxta Regulam S. Benedicti ordinatum, quam S. Berno ibidem arctiſſimè obſervavit, initiúmque reformando Monaſtico ſtatui dedit, quem ferreo hoc Sæculo collapſum piiſſime reſtauravit.

At, plenaria Monaſticæ diſciplinæ reformatio, videtur reſervata S. Odoni olim S. Bernonis diſcipulo, at dein in Abbatiam ſucceſſori; qui velut alter Eſdras exſtitit Monaſticæ legis reparatæ præcipuum Columen & ornamentum; dum ad arctiorem Regulæ Benedictinæ obſervantiam, non ſolùm Monachos ſibi commiſſos adduxit, verùm & plures ex vicinis Monaſteriis viros Religioſos ad amplectandam noviter reparatam diſciplinam attraxit. Tanta enim erat S. Odonis ſama ſanctitatis, tanta Cluniacenſium Monachorum vitæ integritas, ut Anno jam DCCCCXXXVII. plus quam ſeptemdecim Monaſteria ſub Cluniacenſis Congregationis diſciplina militaverint. Tot enim ad hunc annum numerat Mabillonius, in ſuis Annal. Benedict. tom. 2. lib. 43. pag. 436. aſſerens Reges, Epiſcopos, Magnates certatim contendiſſe, ut ad morem Cluniacenſium Monachorum, vel nova cœnobia inſtituerentur, vel vetera corrigerentur.

Atque hoc modo, ſacer Ordo Cluniacenſis in tantum crevit, ut, jam Sæculo duodecimo, ſub ejus diſciplina militaverint duo ſere millia Monaſteriorum in Europa, præter plura alia apud Orientales erecta, prout refert Calmetius in ſuo Catalogo Religioſorum ordinum, ad calcem Comment. in Regulam S. Benedicti. Interea, nec S. Berno, nec S. Odo, particularem Regulam Monaſticam Monachis ſuis præſcripſerunt, ſed pro primaria Vitæ norma, omnibus obſervandam Regulam S. Benedicti propoſuerunt; ita ut Cluniacenſes exſtiterint veri Monachi Benedictini.

Neque Statuta à Cluniacenſibus edita à Benedictina diſciplina deviabant, ſed in hoc omnino collimabant, ut ſacra illa Regula ab omnibus arctiſſimè obſervaretur. Hinc Beatus Willelmus Abbas Hirſaugienſis reformationem Monaſteriorum Benedictinorum per Germaniam aggreſſus, circa annum MCXII. horum Statutorum communicationem ab ipſis Cluniacenſibus rogavit, quæ & ſuſcepit, copiam inſignem præbente, S. Udalrico nobili Bavaro, ſed apud Cluniacum Monacho Benedictino, ſic enim deſignatur ab Acherio in ſuo ſpicilegio tom. I. novæ edit. qui hæc ſtatuta appellat Antiquiores conſuetudines Cluniacenſis Monaſterii; quas, ob prolixitatem hic referre ſuperſedemus. Quæ quidem Conſuetudines, quoad minutiora præcepta, ſecundùm varias locorum & temporum circumſtantias, mutationibus ſubjecta erant; prout Petrus Venerabilis Abbas in Præfatione ad renovata ſua

Statu-

Statuta Cluniacenſia prænotare voluit; quæ proin hic exhibemus, ex Bibliotheca Magna SS. Patrum, edit. Lugd. tom. 21. deſumpta.

Erat autem Petrus Mauritius ex nobili ſtemmate apud Arvernos natus, qui, ſub Juvenilibus annis militiam ſequutus, tandem Sæculo renuntians, apud Cluniacum induit Monachum, atque pietate & doctrina reliquos præcellens, anno MCXXIII. Abbas IX. illius celeberrimæ Congregationis eligitur, quam vitæ ſanctitate & morum gravitate adeo ſuaviter gubernavit, ut adhuc inter mortales Venerabilis Abbas appellari meruerit & ad cælites translatus Faſtis Sanctorum inſcriptus & ideo ſanctus Mauritius nuncupatus ſit. In condendis his Statutis Venerabilis Abbas adhibuit totius Capituli Cluniacenſis Conſilium, & Præfationem apologeticam pro quibusdam mutatis conſuetudinibus antiquioribus præmittere voluit, imo cuilibet Statuto cauſam & rationem ejus condendi ſubjecit. Quæ omnia Sanctiſſimi Abbatis prudentiam, pietatem & humilitatem manifeſtant, atque ſequentia Statuta piorum virorum lectionem merentur.

S. PETRI MAURITII,

Ex Biblioth. M. SS. Patrum, Edit. Lugdun. Tom. 21.

DICTI
VENERABILIS ABBATIS
CLUNIACENSIS IX.

Statuta Congregationis Cluniacenſis MS.

Apologetica, hoc eſt, ſatisfactionalis Præfatio Domini Petri Cluniacenſis Abbatis de quibusdam ſuo tempore mutatis Conſuetudinibus.

QUoniam res geſtas, & maximè religioſas memoriæ commendare ſemper utile eſt: viſum eſt mihi, ut ea, quæ in Cluniacenſibus inſtitutis à viginti quatuor annis, hoc eſt, ex quo officium paſtorale indignus ſuſcepi, mutata, aucta, & dempta ſunt, ſcriptura mediante, ad modernorum & poſterorum notitiam transmittam. Hoc eô modô facere decrevi, ut non ſolùm ea quæ, ùt dictum eſt, mutata, aucta, vel dempta ſunt, ponam, ſed & qua ratione variata ſint, ſubjungam. Horum duorum alterum cognitioni rerum inſerviet, alterum ſcandalo eorum, qui cauſam mutationum ignorantes, & moti fuerant, vel moveri poterant, fortaſſe ſufficiet. Nulli enim ſapientium nova, inuſitata, & mira videri debet uſuum Eccleſiaſticorum, ſi neceſſaria fuerit, & frequens mutatio, quoniam aliud eſt, quod à Domino æterna lege immobiliter tenendum præcipitur, alterum quod ab hominibus utilitatis cujuslibet cauſâ ad tempus non in perpetuum imperatur. Et illud primum quidem idcirco mutandum non eſt, quia ſi non ſervatur, nec ſalus æterna ullô modô conſervatur. Hoc verò ſecundum ideo quandoque mutatur, quia quod aliquando utile fuerat, aliquando noxium comprobatur. Et ut clariùs eloquar, quæ veræ virtutis ſunt, nunquam mutanda ſunt, quæ verò adjumenta virtutum, pro congruentia rerum, perſonarum & temporum utiliter diſpenſanda ſunt. Nec enim præceptum fidei, ſpei, vel charitatis, & quæ ſub ipſa charitate continentur, caſtitatis, humilitatis, veritatis, & ſinceritatis mandata mutari, quolibet diſpenſante, vel qualibet diſpenſatione poſſunt. Jejunia tamen, vigiliæ, opus manuum, corporalis exercitatio, quæ juxta Apoſtolum, utilis quidem ſed ad modicum eſt, & ſimilia iſtis, quæ enumerare prolixitas prohibet, nunc minui, nunc augeri, nunc omnino ſubtrahi, certæ neceſſitatis vel charitatis causâ, Præpoſitorum magiſterio debent. Hanc Regulam Apoſtoli ipſi ſequuti ſunt, hanc eorum ſucceſſores Apoſtolici Pontifices, hanc ſancti Monachorum ſeu Eremitarum Patres, hanc & præcedentes Cluniacenſis ordinis magni & egregi Fundatores. Hos ſi nominare ſigillatim neceſſitas imperaret, oſtenderem à primo ſancto Odone usque ad ultimum ſanctitatis titulo inſignitum Hugonem ſanctum Patrem, univerſos de inſtitutis Conſuetudinibus plurima ſuis temporibus, urgente tamen neceſſitate utili ſemper cauſa mutâſſe.

mutaſſe. Multa enim Priores utiliter inſtituerunt, quæ ſequentes certa interveniente cauſa utiliter mutaverunt. Hos ergo ſequutus quædam in priſtinia uſibus, certæ utilitatis cauſa monente, mutavi, & idcirco, non ut quidam olim in angulis, ad corrodendas carnes Fraternas, ſemotis locis inſuſurrabant, me, iſta faciendo, eis præteuli: imo hac ſanctorum Patrum mutatione, ab eorum tramite non deviavi. Feci tamen hoc non ſolo arbitrio, ſed juxta Regulæ Præceptum, quorundam Deum timentium ac ſapientium Fratrum conſilio. Feci hoc tandem Capituli univerſalis aſſenſu. Et quia, quod prætermittendum erat, breviter prætermiſſum eſt, ad ipſa, quorum gratia hæc præceſſerunt, jam Stylus accedat. Verùm quoniam operi Dei nihil præponendum eſſe Regula præcipit, nec ego ei aliquid in ſcribendo præferam: Sed ab ipſo opere divino, hoc eſt, Eccleſiaſtico officio exordium ſumam.

I.

STatutum eſt, ut omnes verſus Regularium horarum, exceptis hymnis, ſub una & mediocri repauſatione decantentur, ita ut univerſorum voces ſimul ceſſuram verſus finiant, & poſt mediocrem, ùt dixi, repauſationem, ſimul quoque aliam incipiant. Mediocrem vocavi, ad diſtinctionem illius, quam quidam facere ſolent, in cujus intervallo Orationem Dominicam, hoc eſt, Pater noſter ſæpe bis, quandóque ter, olim ipſe conſummavi. Unde tantam eſſe oportet, ut plene ab omnibus ſemper reſumatur, & mora ipſa labor cantantium allevietur. Ab hac Inſtitutione Cluniacenſis tantum conventus exceptus eſt, ubi hoc ſervari non poteſt, quia ad iſtud nec diurnæ horæ, nec nocturnæ viſæ ſunt poſſe ſufficere.

Cauſa inſtituti hujus fuit, ut confuſa diſtinctio cantantium, quam alii prius, alii poſterius & incipiebant, & finiebant, uniretur, & intellectus ipſe, velut quodam communi ſilentio, ſimul pauſando reformaretur, & par diurnarum, ſive nocturnarum horarum in ſuperfluis & minùs utilibus rebus priùs expenſa, in tam utili & cœleſti divino opere expenderetur.

II.

STatutum eſt, ne propter ullam duodecim lectionum feſtivitatem, Dominicale Officium intermittatur, illis feſtivitatibus exceptis, quæ ex more in cappis, vel albis fiunt, & quæ proprietatem nocturni cantus habent, hoc eſt integra reſponſoria, & exceptis octavis Apoſtolorum Petri & Pauli, & Aſſumptionis ſanctæ Mariæ. Præter iſta quæ excepta ſunt, ſi duodecim lectionum feſtivitas die Dominico occurrerit, octo primas lectiones cum reſponſoriis ſuis dies Dominica obtinebit. Reliquas quatuor cum Matutinis, Laudibus, & Miſſa tantum matutinali ſibi Sancti illius commemoratio vendicabit.

Cauſa inſtituti hujus fuit, quia frequentes, ac diverſis occaſionibus antiquis feſtis novæ ſuperadditæ ſolemnitates, immenſam illam Dominicæ Reſurrectionis gloriam, noſtræque per ipſam, & futuræ reſurrectionis beatam ſpem, quæ duo omnis Dominica dies commendat, pene aſſiduè interpolabant, & lectiones atque cantus proprios ad Dominicam pertinentes, quandoque per quadriennium & quinquennium auferebant. Ea propter, ut ſacroſanctæ Dominicæ diei reverentia; quantùm rationabiliter fieri poterat, reformaretur, & aures Eccleſiæ noſtræ Evangelicis ſeu Apoſtolicis, veteris quoque Teſtamenti lectionibus, ſive Dominicæ diei deputatis, non defraudarentur, hoc præceptum eſt.

III.

STatutum eſt, ut nulla prorſus ſolemnitas die Dominico proveniens, commemorationem Dominicæ diei ad Matutinos & ad Veſperas impediat.

Cauſa inſtituti hujus fuit, quæ ſuprà, hoc eſt Dominicæ diei reverentia.

IV.

STatutum eſt, ut in die Dominico nemo in oratione genua flectat, exceptis genuflexionibus illis, quæ à Sacerdote ante, & poſt Miſſam fiunt, & illa, quæ ex longo jam uſu pene ab omni Eccleſia obſervatur, quando in profeſſione fidei ad Miſſam cantatur; *Et homo factus eſt.* Illa etiam, quam communicantes ante perceptionem corporis Domini obſervare ſolent. Sed & illa, quæ fieri ſolet ab iis, qui portanti Euchariſtiam, quolibet in loco occurrunt, atque illis metanœis, quæ quotidiano uſu in Capitulo fiunt, & vulgò veniæ nominantur.

Cauſa inſtituti hujus fuit jam dicta reverentia Dominicæ diei, & univerſalis Eccleſiæ in Canonibus decreta obſervatio.

V.

STatutum eſt, ut per omnia Monaſteria, & Eccleſias quæ ad Cluniacum pertinent, Transfiguratio Domini eo more,

more, quô Purificatio ſanctæ Mariæ, excepta proceſſione, cum Lectionibus, Reſponſoriis, & officiis ad diem pertinentibus, celebretur.

Cauſa inſtituti hujus fuit ipſa admirabilis poſt Nativitatem, vel Reſurrectionem Chriſti Transfigurationis ejus, nulli alii diei ſolemnitati inferior dignitas, & antiquus atque modernus multarum per orbem Eccleſiarum uſus, quæ non minore quàm Epiphaniam, & Aſcenſionem Domini, honore jam dictæ Transfigurationis memoriam recolunt.

VI.

STatutum eſt, ut dum major Miſſa in conventu cantatur, nullus alicubi in toto Monaſterio Miſſam cantet, quia occaſione illarum Miſſarum in tantum major & principalis Miſſa negligebatur, ut vix quarta pars, cùm eadem celebraretur, adeſſet.

Cauſa inſtituti hujus fuit, quod jam præmiſſum eſt, ne ſecretarum Miſſarum occaſione ea negligerentur, in qua ſolemne Sacrificium omnipotenti Deo non ſolum à Sacerdote, ſed & ab univerſa præſentialiter Congregatione iis exceptis, qui nullo modo intereſſe poſſent, offerri à Patribus inſtitutum eſt.

VII.

STatutum eſt, ut, paulò antequam jam dicta Miſſa incipiatur, ad invitandum eos, qui extra Eccleſiam, per loca diverſa horâ illâ diſperſi ſunt, privatis diebus aliquanto diutius duo ſigna pulſentur.

Cauſa inſtituti hujus fuit, quia, ut præfatus ſum, horis Miſſam præcedentibus, per obedientias, & per opera diverſa diſperſi Fratres, tempore, quô Miſſa cantabatur, ignorabant, & ſæpe jam ea conſummata, necdum coeptam eſſe putabant. Unde ne vel ipſi tam incroſam animæ horam hac ignorantia amitterent, & laici extra manentes, aut peregrini undecunque convenientes, tempus illius ſolemnis Miſſæ ignorare poſſent, decretum eſt, ut tali ſignô univerſi ſtudioſi pariter ac deſides ad conveniendum admonerentur.

VIII.

STatutum eſt, ut omnium Monachorum Cluniacenſium defunctorum anniverſaria dies ab univerſis Congregationis noſtræ Fratribus vigilia ſancti Michaëlis Archangeli, more anniverſariorum ſolemnium fiat, & vigilia converſionis ſancti Pauli aliud eodem modo anniverſarium, pro omnibus utriusque ſexus parentibus univerſorum Fratrum Congregationis noſtræ.

Cauſa inſtituti hujus fuit, ut licèt quidquid ab Eccleſia Dei adhuc in terris poſita pro defunctis fidelibus fit, nullo excepto, cunctis jam defunctis fidelibus, iſtoque adjutorio indigentibus proſit; tamen juſtum eſſe viſum eſt, ut ſuper ſolita plus aliquid magis domeſticis adderetur, quod ipſis ſpecialiter, & cunctis, ùt dictum eſt, hâc curâ indigentibus, univerſaliter ſubveniret.

IX.

STatutum eſt, ut prima Dominica Adventus Domini legatur principium Evangelii ſecundùm Marcum, quod ſic incipit: *Initium Evangelii JEſu Chriſti filii Dei, ſicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta*, & reliqua.

Cauſa hujus inſtituti fuit, quod ignotum ex quo tempore, & cujus inſtituto legebatur prius Evangelium, & parùm vel nihil ad diem Adventus Domini, quo per Nativitatem ſuam mundo primò apparuit, pertinens, & magis paſſionis ipſius, quàm Incarnationis, vel Nativitatis præcurſioni congruens, hoc eſt: *Cùm appropinquaſſet Hieroſolymis, & veniſſet Betphage ad montem*,

X.

STatutum eſt, ut univerſi Fratres Cluniacenſes, omnî ſextâ feriâ, præter Nativitatem Domini, ſi eadem die occurrerit, ab adipe abſtineant.

Cauſa inſtituti hujus fuit inconveniens non parvû, quod non ſolùm Clerici, non ſolùm laici, ſed & ipſi pueri & infirmi totius Latinæ Eccleſiæ ab omni eſu carnis, & ſolidæ vel attritæ & liquefactæ pro more jam antiquo ea die, ob reverentiam paſſionis Dominicæ, abſtinebant, ſoli Monachi jam dicti adipe & legumina ſua infundebant, & eo frixa diverſa fercula aſſumebant. Inſuper autem tam abſurdum hoc omnibus præter Monachos videbatur, ut nec ipſi pauperes datas ſibi talium ciborum reliquias comederent, ſed aut in poſterum diem reſervarent, aut ſtatim indignantes projicerent. Unde ut tam indecens nota ab ordine noſtro tolleretur, & Dominicæ paſſionis abſtinentiæ publicæ reverentia, ab iis qui crucem Domini tollere magis, quàm eum ſequi videntur, non infringeretur, hoc præceptum eſt.

XI.

STatutum eſt, ut ab omni mellis ac ſpecierum cum vino confectione, quod vul-

vulgari nomine pigmentum vocatur, cœnâ Domini tantum exceptâ, qua die mel abſque ſpeciebus vino miſtum antiquitas permiſit, omnes Cluniacenſis ordinis Fratres abſtineant.

Cauſa inſtituti hujus fuit aliquod, licèt parvum abſtinentiæ incrementum. Et non ſolum hoc, ſed & vera Patris magni Benedicti, de menſura potûs Monachorum, ùt notum eſt, loquentis. Licet, inquit, legamus vinum omnino Monachorum non eſſe, & reliqua. Quod ſi juxta hæc verba vinum omnino Monachorum non eſt, quia tamen, fragiliores primis Monachis poſteriores fuerunt, vix indultum eſt: qua authoritate, quave ratione transmarina vel Orientalis ſpecies magno labore quæſita, multo pretio empta, vino pauperum & abſtinentium Monachorum poſtmodum admixta eſt? Cumque velut ex magna condeſcenſione infirmo diſcipulo Apoſtolus præcipiat, dicens: *Modico vino utere, propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates*, quid dicent Monachi, non ægri, ſed ſani: non infirmi, ſed robuſti: non parvo, ſed multo, nec ſolum multo, ſed & mellito: nec ſolum mellito, ſed & regiis ſpeciebus vino confecto utentes? Et cùm jam dictus ipſis & laicis præcipiat Apoſtolus: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria*: quid fiet de Monachis non ſolùm ebrietatem non præcaventibus, ſed ut magis eam provocent, peregrinis ſaporibus gulam irritantibus.

XII.

Statutum eſt, ut exceptis infirmis, & omnino debilibus, carnibus nullus veſcatur.

Cauſa inſtituti hujus fuit ipſa Regulæ authoritas, in qua hoc idem præcipitur: & ne ſanus & integris viribus Monachus carnem comedat, prohibetur. Inſuper etiam quia nulla rationabilis cauſa mutandi hujus capituli inveniri poterat, ſicut in quibusdam aliis ejusdem Regulæ olim mutatis capitulis à Patribus inventa eſt.

XIII.

Statutum eſt, ut ſi vigiliæ feſtivitatum, quæ publica jejunia habent, die Dominico provenerint, Sabbato præcedenti jejunium obſervetur.

Cauſa inſtituti hujus fuit imprimis quidem reverentia & amor Sanctorum, ſecundo tamen loco incongrua nec honeſta noſtræ conſuetudinis ab aliarum Eccleſiarū uſu diſſonantia: quia & Romana Eccleſia, & aliarum Eccleſiarum univerſitas, noſtris tantum exceptis, jejunia vigiliarum modo ſupra ſcripto ſervabant.

XIV.

Statutum eſt, ut jejunia Regularia ab Idibus Septembris usque ad caput Quadrageſimæ à noſtris, ſemel in die comedendo, ſerventur, excepto feſto S. Michaëlis, & Dedicationis Eccleſiæ, & Apoſtolurum, extra Adventum, & Septuageſimam, provenientibus Feſtivitatibus Abbatum Cluniacenſium, octo diebus Natalis Domini, Epiphania prima tantum, die Feſto ſancti Marcelli Papæ & ſancti Vincentii Martyris, atque Purificationis ſanctæ Mariæ. Converſione verò ſancti Pauli jejunium non ſolvetur, quoniam de eodem Apoſtolo alias aliis anni temporibus feſtivitates Eccleſia celebrat. Cathedra ſancti Petri eadem jejunium relaxabitur, & etiam quia infra ſeptuageſimam feſtivitas illa ſemper occurrit. Tunc verò poſt Miſſam majorem ſtatim *Sexta* cantabitur, & facto intervallo *Nona* ſequetur.

Cauſa inſtituti hujus fuit multiplicitas noviter adinventarum feſtivitatum, quæ magis fortaſſe cauſa quorundam commodorum, quæ proferre nolo, quàm amore Sanctorum, acclamatione quoque velut indocti vulgi adaucta, majus jam dicti temporis ſpatium occupabant, & ex Regula injuncta jejunia, frequentatis bonis commeſtionibus, jam pene univerſa excluſerant. Unde eodem modo ſervata utrinque ſobrietate res diffinita eſt, ut in duodecim lectionum feſtivitatibus ſanctis jam inſtitutis honor non minueretur, & ex Regula præceptum jejunium, ex quanta rationabiliter parte fieri poteſt, ſervaretur.

XV.

Statutum eſt, ut omni die Adventus Domini excepta prima Dominica, ab adipe, qui in duodecim lectionum Feſtis in uſu eſſe ſolebat, omnes abſtineant: & nec in eisdem Feſtis, quòd ſimiliter antiquo ex more fiebat, nec in ipſo Feſto ſancti Thomæ Apoſtoli bis comedant.

Cauſa inſtituti hujus fuit ipſorum dierum ab omni pene Eccleſia ſolito major ob præparationem Domini Natalis, ſervata abſtinentia: ut ſacros dies illos, quos multi alii majoribus jejuniis dedicant, noſtri ſaltem mediocribus dedicarent.

XVI.

Statutum eſt, ut nullus Fratrum noſtrorum pannis, qui dicuntur galabruni, vel Iſembruni, veſtiatur, nec iis qui vocantur Scalfaril, vel Friſii, exceptis Anglis vel Angliæ affinibus Monachis, neque illis, qui appellantur Agnelini, exceptis Teutonicis & iis adjacentibus Monachis: hac

hac tamen conditione, ſi magis Religioni congruentes nigri coloris veſtes in regionibus ſuis invenire non potuerint.

Cauſa inſtituti hujus fuit ſuprà quam dicere velim, ſicut & ipſe vidi, talium veſtium notabiliter inhoneſta, & turpis curioſitas, qua olim multi noſtrorum, non aliter quàm ſæculares homines ſericis variis vel griſiis veſtium generibus ſe comebant: & electo ad intimam cordis humilitatem deſignandam humiliore cunctis coloribus nigro colore, ipſa repugnante natura ornare ſe, velut ſponſi procedentes de thalamo, ſummo ſtudio contendebant. Verſa res jam erat in habitum, nec in iis delinquere ſe, cæcati uſu longiſſimo, ſentiebant.

XVII.

STatutum eſt, ut nullus Fratrum Cluniacenſium, cattinis, ſive aliis, quibus uti ſolebant, peregrinis pellibus, induatur, nec prorſus quibuslibet, exceptis arietinis, ſive agninis, atque caprinis pellibus, & ad coopertoria facienda ſolummodo, ſicut hoc magis placuerit, putoſiorum, & juxta aliorum linquam, veſonumpellibus.

Cauſa inſtituti hujus fuit, multa, ut ſupra de pannis dictum eſt, cattinarum, ſive aliarum pellium notabilis & damnabilis curioſitas, quæ in tantum, ut ipſe novi, proceſſerat, ut Gallicanorum cattorum pellibus contemptis, ad Iberorum vel Italorum cattos, Religioſorum hominum curioſitas transmigraret. Nil ſe habere non parva piorum, eisque adhærentium multitudo putabat, niſi ex piloſis illis & condenſis Numantinorum, hoc eſt juxta modernos, Amorenſium cattorum pellibus contexto mnlti pretii coopertorio, lectus & muniretur pariter & ornaretur. Quod malum paulatim ſuccreſcens, ad hoc jam pervenerat, nt fere centum ſolidis empta coopertoria, addito quoque veſtium non mediocri pretio, ditiores domos congeſto multo alieni æris debito, non parum gravarent, pauperiores pene omnino peſſundarent.

XVIII.

STatutum eſt, ut nullus ſcarlatas, aut barracanos, vel precioſos burellos, qui Ratisboni, hoc eſt apud Rainesbors fiunt, ſive picta quolibet modo ſtramina habeat, ſed ſolummodo cilicium ſuperjectis tantum duobûs mediocris pretii pannis, qui albi, & nigri, & exutroque mixti coloris ſint: & qui non duplices, aut quadruplices, ſeu multiplices, ut à quibusdam fieri ſolet, ſed ſimplices Fratribus ſupponantur.

Cauſa inſtituti hujus fuit, ut in aliis veſtium generibus damnata curioſitas etiam à lectis Monachorum removeretur, maxime cùm ante tempora S. Hugonis, non niſi cilicio, ſuperpoſito tantum uno & ſimplici panno aliquis uteretur.

XIX.

STatutum eſt, ut in Infirmaria Cluniacenſi, quæ quinque habitaculis ſub uno tecto diviſis diſtinquitur, tali diſcretione ſilentium reneatur, ut in ea parte, in qua Fratres deſunguntur, quæ media eſt, & in illa quæ ſuperior à parte meridiana eſt, ſilentium & colloquutio antiquo more ſervetur: in tribus verò aliis clauſtri Regularis ſilentium teneatur. Sic in cella Novitiorum & adjacenti clauſtro ſive officinis, exceptis Novitiis, & eorum Magiſtro, qui ubi & quando loqui ſolent, loquentur; exceptis etiam Epiſcopis & Abbatibus ſupervenientibus majore Priore, & Subprioribus ordinis cuſtodibus, qui in partibus illius cellæ Novitiorum, & ipſi loqui poterunt, & in præſentia tantummodo eorum alii. In operatoriis verò univerſis continuum teneatur ſilentium, excepto uno tantum Magiſtro uniuscujusque operatoriæ domus, & exceptis operariis novæ Eccleſiæ, & operatoriis ipſorum. Teneatur, inſuper clauſtri ſilentium in cœmeterio, & clauſtro cœmeterii, in Sacriſt is omnibus, & via quæ ad domos ſuperiores ducit, quæ juxta majorem Eccleſiam ſunt, & in adjacentibus locis, exceptis ſupradictis Abbatibus & Prioribus, quibus in partibus illis loqui ſupradicto modo licebit.

Cauſa inſtituti hujus fuit ſumme neceſſaria in omni Religione ſilentii utilitas, ſine quo modis congruis obſervato, nec dici Religio, nec eſſe poteſt. Cujus laus in Scripturis ſanctis tanta eſt, ut inter innumera ejus præconia, de illo etiam magnus Propheta Iſaias dicat: *Cultus juſtitia ſilentium.* Quod quia Cluniaci propter frequentiam negotiorum, & multitudinem ſupervenientium valde ex aliquanto tempore eorruptum fuerat, neceſſarium viſum eſt, ut hic modus ſilentii, ſicut ſupra diſtinctus eſt, inſtitueretur.

XX.

STatutum eſt, ut quadrageſimali tempore additis ad ſilentium tribûs diebus, hoc eſt tertiâ feriâ, & quintâ, & Sabbathô, quibus in clauſtris juxta morem priſtinum loquutio eſſe ſolebat, continuum per totam quadrageſimam ſilentium teneatur.

Cauſa inſtituti hujus fuit tam ſanctorum diernm reverentia, quia non plenè re-

religioſum videbatur, ut illis ſummæ abſtinentiæ, & omnium virtutum diebûs, virtus ſilentii colloquiis non valde neceſſariis publicè interpolaretur.

XXI.

STatutum eſt, ut de uſitatis in clauſtro binis loquutionibus, ſecunda omni totius anni tempore ſubtrahatur.

Cauſa inſtituti hujus fuit, nulla profſus ejus utilitas, nulla neceſſitas, à quibus aliquando horam diei apud Religioſos vacare, non ſolum otioſum, ſed etiam pernitioſum. Occupat enim illius temporis ſpatium inutilis, imo noxia loquacitas, quod modo ſibi aſſumit lectionibus & cantibus divinis ſalubris taciturnitas.

XXII.

STatutum eſt, ut ſilentium ad menſam ſicut in regulari refectorio ubique & ab omnibus teneatur. Sed ſi extra refectorium Regulari comedenti quilibet ſuperveniret, ſurget, cumque invitabit, loquetur, & ſtando, quantùm neceſſe fuerit, poſtquam reſederit, ùt priùs tacebit.

Cauſa inſtituti hujus fuit Apoſtolus etiam laicis præcipiens, unusquiſque panem ſuum cum ſilentio manducet. Etiam S. Benedictus Monachis imperans & dicens, ſummum fiat ſilentium ad menſam: etiam antiqui ſeu moderni temporis Religioſi, qui ubicumque comedant, rigorem ſilentii in nullo relaxant, Nec honeſtum eſt Cluniacenſibus videri minus Religioſos, per quos in Galliis, Germania, Anglia, Hiſpania, Italia, ac tota fere Europa, à multis annis arefacta Religio refloruit, multorumque inveteratus tepor, divina præeunte, & comitante gratia, recaluit.

XXIII.

STatutum eſt, ut in clauſtrum, vel in reliquas Regulares domos nullus Clericorum aut laicorum ingrediatur, niſi aut cauſa operis alicujus, aut cauſa videndi domos, ùt honeſti hoſpites facere ſolent, aut cauſa medendi Infirmis in infirmaria jacentibus.

Cauſa inſtituti hujus fuit Clericorum, aut laicorum, & maximè famulorum, adeo frequens per clauſtrum, quibuslibet de cauſis, tranſitus ac regreſſus: ita ut pene in ſtratam publicam clauſtrum vertiſſe, & in eundo ac redeundo, fere jam à Monachis nihil diſtare viderentur.

XXIV.

STatutum eſt, ut infirmis ipſis, vel quibuslibet in infirmaria comedentibus, nullus ut fieri ſolebat, famulorum laicorum ſerviat, ſed Monachi tantummodo, aut converſi barbari.

Cauſa inſtituti hujus fuit, honeſtior converſorum quàm ſæcularium famulorum cum Monachis cohabitatio, & ne materiam furandi ea quæ de menſa in infirmaria comedentium ſupererant, ſervientes Fratribus converſi haberent ſicut priores famuli, quæcunque palam vel furtim Fratribus ſubripere poterant, uxori, filiis, ac qualicumque familiolæ ſuæ in burgo conſtitutæ deferre ſolebant. Præter hoc, & illud in cauſa fuit, quod ſecreta monaſtici ordinis, aut diſciplinas Regulares, qua utpote in Regularibus officinis aſſiduè commanentes, vel videbant, vel ab aliis audiebant, more ſæcularium ſæcularibus vulgantes detegebant.

XXV.

STatutum eſt, ut locô famulorum, qui mane vociferando, Fratres in infirmaria jacentes inhoneſtè ad Miſſam vocare ſolebant, ſcilla ad hoc in ſublimi infirmariæ loco ſuſpenſa pulſetur.

Cauſa inſtituti hujus fuit, quia aptiùs & honeſtiùs viſum eſt, ut Fratres in infirmaria dormientes ſigni ubique uſitati ſono excitarentur, quàm incongruô in ſummi ſilentii tempore verbô, ùt ſæpe contingit, terrerentur.

XXVI.

STatutum eſt, ut meridianæ jejuniorum, quæ in æſtate poſt Sextam fieri ſolent, momentaneæ, & ſimulatitiæ, dimittantur, & pro ſpatio illius temporis quod inutiliter expendebatur, Fratres in clauſtro ſedeant, & legant, aut Miſſas cantent, aut aliquid neceſſarii operis agant.

Cauſa inſtituti hujus fuit ipſa, ùt dictum eſt, inutilis occupatio temporis, quia pro more antiquo diebus jejunii, quæ in æſtate proveniunt, neceſſe erat Fratribus ante Miſſam & menſam, non ad dormiendum, vel quieſcendum, ſed ad dormitionem & quietem ſimulandam, ſe expoliare, diſcalciare, velut longo ſomno ſeipſos in lectis componendo, & bene operiendo præparare. Et quidem antiquus Monachorum mos erat, jejuniorum diebus detrimenta uſitati ſomni congruenti dormitione ante menſam compenſare. Unde Hieronymus: Sæpe vacuo ventre dormiendum eſt. Sed quia ſequentes Mo-

Monachi antiquis curioſiores, Phyſicæ ſectatores, ventre vacuo dormire inutile corpori judicaverunt: ad eam brevitatem meridianos jejuniorum ſomnos redegerunt, ut meridianæ quietis nullam veritatem, ſed ſolum veritatis ſimulachrum retinerent. Addebant, quod ſalva pace eorum loquor, jam dictæ ſimulationi magis ridendam ſuperſtitionem, ut velut graviter dormientes prolixiore ſonitu ſigni excitarentur, & quaſi longa lectorum revolutione hiſpidi & incompti manus abluerent, capita comerent, & omnem prorſus ſolemnitatem longiſſimæ meridianæ explerent. Unde judicatum eſt, ut corporis tam inutili labori inſerviens, lectionibus, cantibus, & ſacrificiis divinis ſeu quibuslibet utilibus exercitiis impenderetur.

XXVII.

Statutum eſt, ut non vaſis illis vinariis, quæ juſtitiæ vocantur, ſicut olim facere cogebantur, ſed propriis ſcyphis unuſquiſque bibat, eo tempore quo poſt Nonam ad potum Fratres pergere ſolent.

Cauſa inſtituti hujus fuit ipſe ineptus, & omnibus diſplicens bibendi modus, quo urgebantur Fratres Scyphis depoſitis, juſtitiis bibere, nec in ipſo muſcarum tempore, quid intus lateret diſcernere.

XXVIII.

Statutum eſt, ne calciarios cum corrigiis, quia inutiliter laboſioſum erat, Sabbatho abluant.

Cauſa inſtituti hujus fuit, quia olim ubicumque neceſſitas occurrebat, ſub diu operantes, & pluviis & lutoſis diebus Monachi calciarios ſuos, ipſa operis neceſſitate cogente, luto plerumque infectos, ad clauſtrum revertentes, lavabant. Inde ſuperſtitio deſcendens, cùm illi hoc ex neceſſitate facerent, & illos qui per annum & biennium de clauſtro nusquam procedentes, ſua & mundiſſima & nova calceamenta lavare quidem, quia neceſſarium non erat, non compellebat, ſed duorum tantum digitorum extremis ſummitatibus duabus aut tribus aquæ guttulis infundere imperabat.

XXIX.

Statutum eſt, ut Fratres equitantes froccum ſimul & cappam ferre non compellantur, ſed aut frocco ſimplici, aut cappa tantummodo ſi voluerint, induti iter faciant.

Cauſa inſtituti hujus fuit, veſtium ipſarum munditia, ne, ut fieri ſolebat, Fratrum clauſtra ingredientium frocci & tunicæ luto, pluviis vel lutoſis diebus contracto infecti ac ſordidi apparerent, & inſuper labor itineris alleviaretur, & antiquus de hac re utiliter inſtitutus modus reformaretur.

XXX.

Statutum eſt, ut morem veterem, quo ſine involucris crurum leuca plus una æquitare prohibebatur, tenere, ſi voluerint, non cogantur.

Cauſa inſtituti hujus fuit, quia nulla ratio apparebat, quâ cogerentur abſque neceſſitate quibuslibet involucris crura involvere, & quod neceſſitatis tantum cauſa permiſſum fuerat, ſine ulla neceſſitate portare.

XXXI.

Statutum eſt, ut Pſalmi illi, qui à, *Deus auribus noſtris*, incipiunt, poſt orationem quæ fit ante Veſperas decantari ſolent, in omni XII. lectionum feſtivitate intermittantur.

Cauſa inſtituti hujus fuit, laborioſa, imo pluribus odioſa Pſalmorum familiarium paulatim multis de cauſis adaucta multiplicitas. Quæ, quia multos gravabat, multorum, & totius pene Conventûs poſtulatione, in hac parte immutata eſt.

XXXII.

Statutum eſt, ut defunctis Fratribus noſtris, univerſis ſcilicet profeſſis, die anniverſarii, quo recitari nomina eorum à lectore, ſicuti mos eſt in Capitulo, ſolent, quinquaginta præbendæ dentur, tali conditione, ut ſive plura ſint, ſive minùs, quàm quinquaginta, ultra numerum jam dictum nec augeantur præbendæ, nec minuantur.

Cauſa inſtituti hujus fuit, mira virtutum diſcretio, quia difficile viſum eſt, & etiam importabile, ut ſi multiplicitas defunctorum uſque ad octogenarium, & centenarium, aut fortè infinitum numerum, aſſiduè decedentibus Fratribus ſe extenderet, quod pari modo præbendatum numerus. Nullus enim Monaſterii ſubſtantia, ſi à prioribus inſtitutus mos ſervaretur, diu ad hoc ſufficere poſſet. Raris tamen adhuc diebus defunctorum Fratrum nomina uſque ad quinquagenarium numerum perveniunt.

XXXIII.

Statutum eſt, ut quidquid de menſa quotidiana à Fratribus ſupereſt, eleemoſyna communis accipiat.

Cauſa inſtituti hujus fuit, quia contra morem pene omnium tam Religioſorum quàm ſæcularium, ſi tantùm de pane cuilibet

libet Fratri ſupereſſet, quod panis more absque caſu in menſam ſubſiſtere poſſet, non eleemoſynæ, ſed cuſtodi refectorii, ut ſervaretur in craſtinum, reddebatur. Quidquid autem vini ſupererat exceptîs quibusdam jejuniorum diebûs, & die, quâ Frater defunctus tumulabatur, cuſtos vini in craſtinum ſimiliter reſervabat. Hoc quia inhoneſtum videbatur, & ut inſuper id eleemoſynæ adderetur, omnes absque aliqua exceptione menſarum, refectorii atque infirmariæ reliquiæ eleemoſynæ datæ ſunt.

XXXIV.

STatutum eſt, ut dies raſurarum aliter ex parte, quàm fieri ſolebat, immutarentur; ita ut prima raſura fieret die præcedente vigiliam Naralis Domini. Secunda propter aſſiduam mutationem quadrageſimalis initii, juxta Domini Abbatis aut Prioris diſpoſitionem, medio vel congruo die inter jam dictam raſuram Natalis Dumini & primam Dominicam Quadrageſimæ fiet: quæ ſecunda raſura nunc maturiùs, nunc tardiùs occurrit: ſed quando major quinque, quando minor trium hebdomadarum eſt. Tertia, Sabbatho præcedente eandem primam Dominicam Quadrageſimæ. Quarta, Feria tertia hebdomadæ Palmarum. Quinta, Sabbatho Paſchalis Dominicæ, quâ cantatur, *Jubilate Deo.* Sexta, Feria ſexta ante Pentecoſten & Naralem Apoſtolorum Petri & Pauli, ſed quando hæc prolixitas temporis exegerit, Octava, die præcedente vigiliam Apoſtolorum Petri & Pauli. Nona, vigilia ſancti Jacobi Apoſtoli. Decima, die præcedente vigiliam Aſſumptionis beatæ Mariæ. Duòdecima, vigilia ſancti Michaëlis. Tertia decima, vigilia omniumSanctorum. Quarta decima, vigilia ſancti Andreæ Apoſtoli.

Cauſa hujus inſtituti fuit earumdem raſurarum importuna, & Fratribus, maximè in hieme, moleſta frequentatio.

XXXV.

STatutum eſt, ut nullus in Monachum Cluniacenſem recipiatur absque Cluniacenſis Abbatis præcepto, & permiſſione, ſicut mos eſt, niſi ad ſuccurrendum: exceptîs magnîs & utilibûs perſonîs, quæ ſi differrentur, levitate fortaſſis animi retrocederent, nec in incepto converſionis propoſito permanerent.

Cauſa inſtituti hujus, imo renovatæ inſtitutionis fuit frequentiſſima inutilium perſonarum per cuncta pene Cluniacenſia loca, & indiſcreta ſuſceptio. Qua indiſcreta ſuſceptione nunc ruſticorum, nunc infanrium, nunc ſenum, nunc ſtultorum, nec ad aliquod opus utilium, eo jam res pervenerat, ut talium perſonarum jam fere major numerus haberetur, & frequeutia, ac nefanda mala ab eis commiſſa, quæ quia etiam relatu inhoneſta ſunt reticeo, pene aſſidue à diverſis terrarum partibus audirentur.

XXXVI.

STatutum eſt, ut nullus etiam ex conceſſione futurus Monachus Regularibus usque ad XX. annos veſtibus induatur.

Cauſa inſtituti hujus fuit immatura nimisque celer infantium ſuſceptio, qui antequam aliquid rationabilis intelligentiæ habere poſſent, ſacræ Religionis veſtibus induebantur, & admixti aliis puerelibus ineptiis omnes perturbabant, & ut quædam taceam, & multa breviter colligam, & ſibi nihil pene proderant, & aliorum Religioſum propoſitum non parùm, imo quandoque plurimùm, impediebant.

XXXVII.

STatutum eſt, ut pro annua & regulari probatione, ſaltem menſtrua, hoc eſt, unius menſis probatio erga Novitios obſervetur, antequam voto promiſſæ obedientiæ aſtringantur.

Cauſa inſtituti hujus fuit, quia annua & ex Regula præcepta probatio diſcretione ſuccedentium Patrum temperata ad hoc devenerat, ut non dico annus, non dico dimidius, ſed nec menſis, nec hebdomada, nec aliquando etga Novitiorum probarionem diès integra ſervaretur. Quod quia omnino, & contra rationem & contra Regulæ decretum erat, quæ præcipit probari ſpiritus, ſi ex Deo ſunt; viſum eſt eſſe rationabile, ut unius ſaltem menſis Novitiorum probatio obſervaretur, tali modô ut frocco tantum induti, & ut alii regulariter raſi ac tonſi, absque verbi vel Scripti alicujus profeſſione, tam in cella Novitiorum, quam in claustro, cum cæteris ex more permaneant. Si finito menſe vel verbo coram Priore ac Fratribus, & ſcripto coram Domino Abbate ſtabilitatem ſuam firmaverit, & obedientiam profeſſus fuerit, corpori Monaſterii, juxta verba Regulæ ſocietur. Si vero infra jam dictum menſem recedere voluerit, facultas ei libera concedatur.

XXXVIII.

STatutum eſt, ut modô, quô prædiximus, extra Cluniacum Novitii recepti usque ad primum, vel ſecundum, aut plus tertium annum ad benedicendum Cluniacum adducantur, nec interim, ſicut uſus Cluniacenſis exigit, &

ad

ad ordines Eccleſiaſticos aſcendant, & Miſſam ante ordinati caneant, aut extra clauſtrum curam alicujus obedientiæ adminiſtrent.

Cauſa inſtituti hujus fuit, nimis tardus ad Cluniacum Novitiorum extra Cluniacum ſuſceptorum adventus. Unde lex talis data eſt, ut quia Priores parcentes ſumptibus, per X. aut XV. ſive vel XXX. quandoque annos Novitios Cluniacum ducere & mittere differebant: ſaltem præſcripta lege coacti eos vel ad benedicendum, vel ſi extra benedicti fuerint, ad obedientiam rurſum in Cluniaco coram Fratribus adducant vel mittant.

XXXIX.

STatutum eſt, ut antiquum & ſanctum opus manuum, vel in clauſtris ipſis, aut ubi honeſtè remoto conſpectu ſæcularium fieri poterit, ex parte ſaltem aliqua reſtauretur, ita ut omni tempore præter feſtivos dies, quibus operari non licet, quolibet ſemper Fratres utili opere exerceantur.

Cauſa inſtituti hujus fuit, quia otioſitas juxta Patrem Benedictum inimica animæ, in tantum magnam partem noſtrorum, eorum maximè, qui converſi dicuntur, occupaverat, ut in clauſtris, vel extra clauſtra, præter paucos legentes, & raros ſcribentes, aut adhærentes clauſtri parietibus dormitarent, aut ab ipſo, ut ſic dicam, ortu ſolis uſque ad ejus occaſum, imo fere mediam noctem, quibus impune licebat, totam pene diem vanis, otioſis, & quod pejus eſt, plerumque detractoriis verbis conſumerent.

XL.

STatutum eſt, ut nullus Priorum, nullus aliorum iter faciens, ducat ſecum plùs quàm tres equitaturas, vel ſi Prior ordinis fuerit, quatuor, aut plus quinque: & hoc tam propter honeſtatem aut teſtimonium ſocietatis, quàm propter officia Eccleſiaſtica ſtudioſiùs decantanda.

Cauſa inſtituti hujus fuit, ne faſtus, vel curioſitas in miniſtris, vel iter agentibus notaretur, & Monaſteriorum, vel quorumlibet hoſpitum gravamen, quantùm poſſet fieri, vitaretur.

XLI.

STatutum eſt, ut ubicumque facultas loci permiſerit, exceptis Decanis, XII. Fratres conſtituantur, addito tertio Priore, plerumque ordinem teneant.

Cauſa inſtituti hujus non eſt neceſſe ſcribere, quia patet omnibus.

Cod. Regul. Tom. II.

XLII.

STatutum eſt, ut ubi XII. Fratres eſſe non potuerint, ſaltem in refectorio & dormitorio ſemper, in clauſtro verò ab hora Veſpertina uſque ad horam tertiam alterius diei, perfectum ſilentium teneatur. Nam quod univerſaliter in omnibus Eccleſiis ſemper, & ubique teneri debeat, certum eſt.

Cauſa inſtituti hujus, ut ſi Fratres in talibus locis plenum ordinem tenere aut non poſſent, aut nollent, ſaltem aliquam umbram, vel veſtigium, vel particulam ordinis retinerent, ne integra die nugacibus verbis, aut rebus vacantes in nullo à ſæcularibus differre viderentur.

XLIII.

STatutum eſt, ut nullus noſtrorum ad Sacerdotium provehatur uſque ad XXX. vel ſaltem XXV. annos.

Cauſa inſtituti hujus fuit, ut juxta decreta Sacrorum Canonum ne adoleſcentes, ne illiterati, ne illi, qui nondum capere poſſunt, quantum, quàm divinum, quàm excellens, ſit Sacerdotale officium, ad ſacra illa cœleſtia, magis temerarii præſumptores, quàm digni Adminiſtratores accederent.

XLIV.

STatutum eſt, ne quis terras, vel theſauros Eccleſiarum dare, vendere, commutare, pro vadimonio alicubi, vel apud aliquem ſine domni Abbatis præcepto vel conſilio deponere, vel impignorare audeat; Quod ſi fecerit, à Fratrum ſuorum, & totius Eccleſiæ communione alienum ſe eſſe cognoſcat.

Cauſa inſtituti hujus fuit, audita & cognita quorumdam Priorum temeritas, qui aliquando ita feciſſe probati ſunt.

XLV.

STatutum eſt, ut Clericorum aut laicorum ad nos non pertinentium homines vel ſervi domorum Cluniacenſium Procuratores Cellarii vel Præpoſiti nullatenus fiant.

Cauſa inſtituti hujus fuit, frequens damnorum experientia, quæ à talibus vel talium occaſione, plerisque Monaſteriis Cluniacenſibus illata ſunt.

XLVI.

STatutum eſt, imo renovatum, ut nullus Priorum, de Prioratu ad alterum Prioratum translatus, famulum aliquem ad ſibi commanendum de priore loco adducat.

A 2 Cauſa

Cauſa inſtituti hujus fuit, ſiniſtra quarundam rerum, nec non dicendarum ſuſpicio, imo magis probatio, quæ etſi olim in his famulorum de locis ad loca translationibus provenerint: hôc decretô, quantùm fieri potuit, proviſum eſt, ne de reliquo provenirent.

XLVII.

STatutum eſt, ne Sanctimonialibus aut converſis mulieribus juxta domus Monachorum infra duas leucas ad minus habitatio aliquatenus concedatur.

Cauſa inſtituti hujus fuit, ne in quibus maxime cavendum eſt, contra Apoſtolorum præceptum locus diabolo daretur, ſed ut cum fomite iniquitatis omnis ejus etiam ſuſpicio tolleretur; impulit magis ad hoc inſtituendum quorundam temeritas, qui mulieribus ſanctimoniam vel converſionem profeſſis terrarum pecuniæ gratiâ habitacula juxta domos parare jam cœperant.

XLVIII.

STatutum eſt, ne hi qui vocantur familiares, hoc eſt nec Monachi nec converſi, quorundam Monaſteriorum peſſimi deſtructores, nec etiam pro maximo lucro alicubi recipiantur.

Cauſa inſtituti hujus fuit familiarium illorum multis nota perverſitas, qui nec Deo ſervientes, nec manibus operantes, nec aliud utile domibus providentes, ad garriendum, ad detrahendum, ad diſſipandum, quæ poterant, in quibusdam Monaſteriis & alebantur & veſtiebantur.

XLIX.

STatutum eſt, ne quis Fratrum noſtrorum, in propriis ſaltem locis ſine lumine noctibus dormiat. Qui, ſi adeo pauper fuerit, ut propriam lucernam in dormitorio ſuo providere non poſſit, illam quæ in Eccleſia fuerit, accipiat, & ad dormitorium transferat.

Cauſa inſtituti hujus fuit, ut filii lucis ſemper in luce etiam corporali converſentur, quia juxta Apoſtolum de ſpirituali loquentem: *Omnes Filii lucis eſtis, & Filii diei*, non ſumus noctis neque tenebrarum. Quod licèt, ut dixi, de illa ſpirituali luce dicat, hoc ipſum de corporali tamen ſimul, & ſpirituali ait Dominus: *Omnis qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus, quia in Deo ſunt facta.*

L.

STatutum eſt, ut ſex diebus infra octavas Aſſumptionis ſanctæ Virginis Matris Domini; & eodem modo infra octavas Apoſtolorum Petri & Pauli, XII. Lectiones ex Evangelio, XII. aliæ ex Prophetis, vel ex Propheticis libris, aut Actibus Apoſtolorum, vel Epiſtolis eorum, ſicut à me excerptæ ſunt, ad majorem Miſſam legantur. Infra octavas ſcilicet ſanctæ Mariæ ſex ex Evangelio, & iterum ſex ex Propheticis, ſicut dictum eſt, aut Propheticis Libris. Infra octavas verò Apoſtolorum, ſex ſimiliter ex Evangelio, & ſex ex Actibus Apoſtolorum, vel Epiſtolis eorum.

Cauſa inſtituti hujus fuit ſpecialis, quem, poſt Salvatorem noſtrum, erga ſanctam Matrem ejus, & erga ſanctos Apoſtolos Petrum & Paulum habere debemus, amoris affectus: & quia ad eorum venerationem & amorem non adeo pleroſque audientium accendebant toto pene anno frequentatæ, quantùm rariùs auditæ lectiones.

LI.

STatutum eſt, quod tamen antiquum, ſed neglectum erat, ne quis Fratrum à communi refectorii menſa ſurgentium, ante à Choro Eccleſiæ, quem ex more omnes ingredi debent, diſcedat, quàm ſimiliter omnes pro perceptis beneficiis omnium bonorum benigno largitori usque ad ultimum *Benedicamus*, gratias agat, excepto menſæ lectore, vel ejus cuſtode, ſi cuſtodiæ idem lectòr deputatus fuerit.

Cauſa inſtituti hujus fuit, quod Eccleſiam plerique, imo multi Fratrum poſt menſam cum conventu ingredientes ſtatim à Choro, levi qualibet ex cauſa recedebant, nec debitas cum Fratribus ſuis Deo gratias agebant.

LII.

STatutum eſt, ut magnæ illi coronæ, ex aere, auro, argenteoque elegantiſſimè compoſitæ, quæ in medio Chori forti catena ſuſtentata dependet, accenſi cerei non imponantur, niſi in quinque præcipuis feſtis, & feſto Dedicationis Eccleſiæ, & omnium Sanctorum. In reliquis verò Feſtivitatibus, quibus accendi ſolebat machina illa ferrea, quæ vulgo Erza vocatur, pro illa lampadibus vitreis illuſtretur.

Cauſa inſtituti hujus fuit, ſuperfluæ, & velut ex adipe prodeuntes, cum non niſi ex macie procederent, expenſæ, & nimis frequens, ac viliorem reddens dignita-

nitatem ſolemnitatum, cereorum illorum ſuper coronam accenſio, quia juxta antiquorum ſapientium dicta, nihil tam charum & pretioſum eſt, quod aſſiduitate non vileſcat.

LIII.

STatutum eſt, ut pars illa novi Monaſterii, quæ ad ſiniſtram partem poſt chorum ſiniſtrum eſt, Clericis vel laicis non pandatur, nec quibuslibet, ut fieri ſolebat præter Monachos, ad eam aliquo tempore acceſſus ſit: exceptis Dominicis diebus, & ſolemnibus Eccleſiæ Feſtivitatibus: & hoc tantùm à principio horæ Tertiæ usque ad finem majoris Miſſæ. Excipitur nox Nativitatis Domini, & nox Apoſtolorum Petri & Pauli, & etiam nox illa, quæ ad vincula ſancti Petri dicitur. Excipiuntur, & peregrini omnes, qui cauſa orationis vel oblationis, Altare majus, aut matutinale adire voluerint.

Cauſa inſtituti hujus fuit, ut quia Fratres præter veterem Eccleſiam S. Petri non habebant, ubi quædam ſacra & ſecretiora ad Religioſos homines pertinentia exercere valerent, jam dictam illam novæ Eccleſiæ partem ſibi diebus & noctibus vendicarent; ubì ſancta & ſecreta orationum aromata Deo aſſiduè accenderent, frequentibus metanæis vel genuflexionibus pio Conditori ſupplicarent, ac tribus ſæpe flagellis vel ob pœnitentiam, vel ad meritum augendum corpus attererent; & his ac ſimilibus ſacris ſtudiis velut in eremo, ab hominum remoti conſpectibus, inceſſanter ſe, ſuóſque Domino commendarent.

LIV.

STatutum eſt, ut ad Altare matutinalis Miſſæ, quod eſt conſecratum in honorem B. Mariæ, de eadem Matre Domini Miſſa quotidie ſecreto decantetur.

Cauſa inſtituti hujus fuit, ut quotidiana ad Dominum oblatione Mater quoque Domini ſpecialiter honoraretur, & ipſa ad ſubveniendum ſpecialibus poſt Dominum ſervis ſuis talibùs obſequiis animaretur.

LV.

STatutum eſt, ut Conventus, qui, Domno Abbate in Capitulum veniente, ex antiquo more non ſolum ei aſſurgere, ſed & per omnes inferiores gradus ad terram usque deſcendere ſolebat, aſſurgat quidem reverenter, ſed ſcamnum ſubpedaneum deſcendendo non transgrediatur.

Cauſa inſtituti hujus fuit, quia licèt ex multo & magno, quem ſemper Patribus ſuis Cluniacenſes Fratres exhibent, amore & reverentia, hoc ab antiquis & bonis viris decretum ſit: viſum & tamen parcendum eſſe in hoc labore multitudini maximæ propter ſenes & debiles, quorum major in eo tempore numerus CCC. vel CCCC. Fratribus erat, quàm priore illo inter Fratres ſexaginta, aut ad plus octoginta.

LVI.

STatutum eſt, ut parvi Scholares, dum ad ſuffragia Sanctorum orationes dicuntur, neque in refectorio juxta morem antiquum comedentes ſtare compellantur.

Cauſa inſtituti hujus fuit, ne ea debiliori ætati neceſſitas imponatur, quæ à fortiore non exigitur, cùm pius Pater Benedictus de hujusmodi dicat: Licet ipſa natura humana trahatur ad miſericordiám in iis ætatibus, ſenum videlicet & infantum, tamen & ipſa authoritas Regulæ eis proſpiciat.

LVII.

STatutum eſt, ut in Feſtivitatibus XII. Apoſtolorum, *Credo in unum Deum*, ad Miſſam majorem dicatur, ſive ad alias quaslibet Miſſas, quæ extra Conventum cantantur.

Cauſa inſtituti hujus fuit, aliarum Eccleſiarū, & pene omnium rationabilis mos, quem ab antiquis Patribus inſtitutum retinent, ut in illorum Feſtis profeſſionem fidei Chriſtianæ decantent, ſuper quos & per quos principaliter poſt Chriſtum fides Eccleſiæ fundata eſt; ſcribente hoc idem magno Apoſtolo Paulo Epheſiis, cùm dicit: *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum*, & reliqua.

LVIII.

STatutum eſt, ut ſolemni nocte Natalis Domini ad Miſſam de Luce cantetur Proſa, cujus initium, *Cæleſte organum.*

Cauſa inſtituti hujus fuit, quia illius, cujus principium erat, *Noſtra tuba*, ſeries verborum incompoſita, nihil pene ad Nativitatem Salvatoris pertinens, longè ampliùs incomptiore cantu, cunctis hoc advertentibus diſplicebat.

LIX.

STatutum eſt, ut quatuor primis hebdomadibus Quadrageſimæ Antiphonæ, quæ in quinta Feria ad Benedictus, & ad Magnificat, dici conſueverant, mutarentur,

tur, & pro illis aliæ cantarentur. Quinta Feria primæ hebdomadæ ad Benedictus, *ſi manſeritis in ſermone meo*: ad Magnificat, *cognoſcite veritatem*. Quinta Feria ſecundæ hebdomadæ ad Benedictus, *non poſſum à meipſo*: Ad Magnificat, *non quæro voluntatem meam*. Quinta Feria tertia hebdomadæ ad Benedictus, *operamini non cibum qui perit*: ad Magnificat, *hoc eſt opus Dei*. Quinta Feria quartæ hebdomadæ, ad Benedictus, *non poteſt filius à ſe facere quidquam*: ad Magnificat, *Pater diligit filium*.

Cauſa inſtituti hujus fuit, quoniam Antiphonæ quæ prius dicebantur, aliorum temporum erant: & cum alio tempore cantarentur, velut mutuo acceptæ rurſum iu Quadrageſima cantabantur, hoc eſt, *Pater Abraham: Fili recordare: Exibant autem demonia à multis: cum ſol autem occidiſſet: Propheta magnus ſurrexit in nobis: Accepit omnes timor*. Et quod magis abſurdum erat, quintâ Feriâ primæ hebdomadæ dicebantur Antiphonæ, *Miſſus ſum ad oves: O mulier magna eſt fides tua*. Quæ Antiphonæ ſtatim ſequente Dominicâ ſecundâ, ex Evangelio ipſius Dominicæ iterum cantabautur. Quod ſicut à quibusdam prioribus accepi, idcirco contigit, quia jam dictæ Feriæ quintæ antiquitus Evangelia propria, ex quibus exceptæ Antiphonæ cantarentur, minime habebant: quæ à poſterioribus Patribus, & erga divina officia ſtudioſis de Evangelio Joannis poſtmodum excerpta ſunt. Unde poſtquam illæ quintæ Feriæ propria Evangelia habere cœperunt, Antiphonæ novæ de ipſis quoque Evangeliis factæ ſunt.

LX.

Statutum eſt, ut ſicut ex conſuetudine, aliæ horæ ſanctæ Virginis Matris Domini iu Eccleſia iufirmorum, quæ in honore Ipſius conſecrata eſt, quotidie decantantur, & ejusdem ibi Completorium cantaretur, & in omnibus horis ante Pſalmos præmitteretur verſus: *Memento ſalutis author, cum Gloria ſua*.

Cauſa inſtituti hujus fuit, honor Matri Domini ſuper omnem Creaturam ſingulariter exhibendus, & ut, quia ejus horæ in conventu publico propter Fratrum numeroſitatem, & officiorum multiplicitatem, brevitate temporis prohibente cantari non poterant, ſaltem in Capella ipſius à paucioribus ex integro cantarentur.

LXI.

Statutum eſt, ut Regularis *Prima*, & Prima S. Mariæ diebus privatis à Feſto omnium Sanctorum usque ad Paſcha, quæ ex antiquo more poſt præmiſſos Matutinos, & poſt finitam aliam Pſalmodiam in Capella iufirmorum ante adventum Conventûs profunda nocte decantabantur, usque ad lucis ortum, & ſigni, quod iu infirmaria pulſari mane ſolet, ſonitum differantur.

Cauſa inſtituti hujus fuit, quia & frequenter Pſalmodia ab infirmis nondum pro ſui prolixitate explicita, conventus ſuperveniens eosdem infirmos, imo univerſos, quos in illa Eccleſia offendiſſet, expellebat: & quia frequenter media fere nocte, ſole adhuc ſub terris profundiſſimè occultato, cantabant: *Jam lucis orto ſidere*. Unde ne tantum mendacium à filiis veritatis coram Deo ulterius proferretur, & ne verba Dominum precantium ac laudantium diſcordarent, inſtitutum eſt. Quod ſi quis objiciat, cur non & in cæteris, in quibus conſimilis nota mendacii inveuitur, iſtud correctum eſt, quando multa adhuc nocte cautatur, *Aurora lucis rutilat*, &, *Aurora jam ſpargit polum*; &, *Lux intrat*, *Albeſcit polus*, & multa iu hunc modum. Reſpondeo, velle me quidem valde, ut talia cuncta, ſi cum pace fieri poſſet, apud noſtros, & ubique corrigerentur, ſed quia, ut æſtimo, hoc non poteſt fieri, verbis magni Gregorii Papæ utar. Si non poſſum de agro Dominico multos reportare manipulos, ſaltem paucos, ſaltem duos, ſaltem unum feram.

LXII.

Statutum eſt, ut quando Fratres infirmi oleo ſacro ex more Eccleſiaſtico inunguntur, non aurea vel argentea crux eis ad adorandum offeratur, ſed lignea, quæ imaginem Domini crucifixi pictam habet, & de ipſo Dominicæ Crucis ligno particulam cum auro aptatam, & ſub pedibus picti Crucifixi eidem Cruci inſertam.

Cauſa inſtituti hujus fuit, quia rationabilius & devotius viſum eſt, ut non de quolibet alio metallo, aut de alia qualibet re, ſed de eadem ligni materia, quo Salvator Crucifixus eſt, Crux facta ægro præſentaretur, & in verbis ipſis, quæ dum adoratur, decantari ſolent, nulla vel modica falſitatis nota reprehenderetur.. Nam non dicitur, ecce aurum Crucis, ecce argentum Crucis; ſed, *ecce lignum Crucis, in quo ſalus mundi pependit, venite adoremus*. Utique verum eſt, quia non in auro, neque argento, ſed in ligno Chriſtus Crucifixus eſt: Non tamen hoc dicens, Cruces ex auro vel argento ad honorem Dominicæ Crucis factos condemno, vel reprehendo, quod ore Catholico maximè approbandum & laudandum eſt. Sed aliud eſt metalli precioſitas, quæ mentes ſimplicium

plicium excitat ad majorem ſacræ Crucis venerationem : aliud ligni utilitas, quæ ſpiritualium animos commovet ad vehementiotem erga Ctucem, & Crucifixum devotionem. Unde ut magis mens devota in amorem Salvatotis paſſionis accenderetur, particula de ipſius primæ Crucis ligno, ut jam dixi, pedibus picti Crucifixi ſuppoſita eſt, quæ ſtatim poſt pedum oſculũ, oculis, animo, & ori crucem adorantis & oſculantis infirmi ſe offert. Hanc tamen ligneam crucem, quam ego, hoc, quem dixi, intuitu, iſto, quem præſcripſi, modò aptari feci, non jam mortuis, ſed morientibus ad adorandum deferri decretum eſt. Quod ſicut Cluniaci à me factum eſt, ſic ubi fieri potuerit apud noſtros, licèt præcipere vereat, opto tamen, ut fiat.

LXIII.

STatutum eſt, ne ſtaminiæ, quæ ex more antiquo, propter graviora quælibet Fratribus acriùs flagellandis ſcindi ſolebant, & usque ad cingulum violenter detrahi, ulterius ſcinderentur, ſed ſtaminia integra manente, verberibus ſubjiciendus Frater ea ex toto exueretur.

Cauſa inſtituti hujus fuit, ut & frequens damnum ſciſſarum ſtaminiarum vitaretur, & pleniùs nudatus Frater expeditiùs verberaretur.

LXIV.

STatutum eſt, ne finita Lectione refectoril, caniſtra juxta morem antiquum ad ſuſcipiendas panis reliquias per refectorium ulteriùs deferantut.

Cauſa inſtituti hujus fult, quoniam prius ea de cauſa caniſtra ad ſuſcipiendas reſidul panis partes deferebantur, ut granatario, non eleemoſynatio, ad expendendum inpoſterum redderentur. Sed quia nunc nihil de pane refectorii granatario, ſed totũ eleemoſynario redditur, viſum eſt, non eſſe neceſſe, ut ulterius eadem caniſtra pet refectorium deferrentur.

LXV.

STatutum eſt, ne ad Miſſam matutinalem & majorem, finito cantu offerendæ usque ad Præfationem, Conventus, ut olim fiebat, ſtare cogatur, ſed mox ut cantus ceſſaverit, qui ſedere voluerint, ſedeant : tamen ut, cùm Sacerdos converſus ad chorum dixerit : *Orate Fratres*, modeſte Scabellis elevatis In illis ſubſelliis, quæ eisdem ſedilibus inhærent, acclives ex more reſideant privatîs diebus, feſtivîs autem inclinentur ante formas.

Cauſa inſtituti hujus fuit; ut magnus & continuus labor Cluniacenſis Conventus hac quantulacunque remiſſione relevaretur.

LXVI.

STatutum eſt, ne parvi Scholares, ſi boni fuerint, procedente tempore, aliquid de aliorum dignitate amittant.

Cauſa inſtituti hujus fuit, quia neſcio unde tes otta, fama tamen hoc referente, dicebatur, morem eſſe, ut nullus Scholarium puetorum aliquo unquam tempore aut hebdomadarius majoris Miſſæ, aut Ptior, aut cuſtos Ordinis, ſive Citca fieret, aut quodlibet dignitatis Monaſticæ privilegium obtinetet. Quod quantum contra communem juſtitiam & rationem ſit, etiam leviter attendens advettit. Nam cùm Princeps Apoſtolorum dicat : *In omni gente, qui timet Deum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi.* Si, inquam, in omni gente, nunquid non in omni Ordine? Si in omni Ordine, nunquid non in omni gradu? In omni conditione? In omni ætate? Et quia tes clara longa probatione non eget, breviter dico, omnem Monaſticam vel Eccleſiaſticam dignitatem, ſi boni & digni fuerint, reſtitutam eſſe à nobis publicè Scholaribus : Quia cujus fides, ſcientia & vita probatur, à qualibet Eccleſiaſtica dignitate valde injuſtiſſimè reprobatur.

LXVII.

STatutum eſt, ut pnevma, quod in fine Antiphonarum canitur, ubi plures Antiphonæ ſe invicem ſequentes fuerint, ſicut ad Veſperas & Matutinos, ulterius non cantetur, exceptis quinque præcipuis feſtivitatibus, hoc eſt; Natali Domini, Paſcha, Pentecoſte, Feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, & Aſſumptionis B. Virginis. Similiter & illud decretum eſt, ne ad ſuffragia Sanctorum, excepta oratione S. Crucis & S. Mariæ, & Apoſtolorum Petri & Pauli & ultima, *per Dominum noſtrum*, cum ſequentibus usque ad *Amen* dicatur, ſcilicet *per Chriſtum Dominum noſtrum.*

Cauſa inſtituti hujus fuit, tædium prolixitatis multiplicium adjectionum, quæ à diverſis diverſo tempore officiis Eccleſiaſticis additæ ſunt. Cujus tædii, ut aliqua relevatio fietet, & quia hoc in nullis Cluniacenſibus Monaſteriis, præter Cluniacum, ſervabatur, hoc inſtitutum eſt.

LXVIII.

LXVIII.

STatutum eſt, ut Hymni proprii de S. Stephano primo Martyre, de S. Joanne Evangeliſta, de SS. Innocentibus, de ſancto Laurentio, de S. Vincentio, ſumpti de Hymnario S. Ambroſii, vel Hymnario Prudentii docti & religioſi viri, in eorundem SS. Solemnitatibus modo à noſtris, qui eos habere potuerint, ubique cantentur.

Cauſa inſtituti hujus fuit, amor & reverentia illorum SS. quia cum dilectus Chriſti Joannes poſt Petrum & Paulum de præcipuis Apoſtolis ſit, illique dicti Martyres, de ſummis & ſublimioribus Martyribus ſint, incongruum viſum eſt, ut communibus aliorum Apoſtolorum vel Martyrum Hymnis decantarentur, maximè cùm præter Hymnos omnes alios cantus tam nocturnos quàm diurnos proprios habeant.

LXIX.

STatutum eſt, ut duo maturi & ſtudioſi Fratres ſemper diu noctùque Dormitorium cuſtodiant, aut quando potuerint ſimul, aut quando non potuerint viciſſim: quando verò cauſa refectionis ſimul eſſe non potuerint, ſicut inter ſe condixerint, unus reficiat, alter cuſtodiat. Quando autem alia de cauſa, ſimiliter fiat.

Cauſa inſtituti hujus fuit, quia frequenter propter abſentiam cuſtodum, & multitudinem illic convenientium multorum querelæ fiebant, quod veſtes ſuas, vel quælibet regularia indumenta ſæpe perderent, nec perdita facilè invenire poſſent. Unde ut tam iſtud vitaretur, quàm, ut omnes, qui provenire poſſent, contrarii caſus caverentur, iſtud decretum eſt.

LXX.

STatutum eſt, ne vel Abbas Cluniacenſis, aut Prior, aut quilibet Priorum, vel Fratrum Cluniacenſium in Cluniaco, vel extra manentium, famulis aut ſervientibus ſibi cujuslibet generis pelles præter agninas emat, vel donet; additum eſt ut rubeo, viridi, omnique alio veſtium colore, remoto, aut de burellis mediocris pretii, aut de pannis nigri coloris, hoc eſt vel agnelinis, aut paris pretii, aut minoris, ſamulos ſecum equitantes & ſuo ſamulatui deputatos veſtiant.

Cauſa inſtituti hujus fuit, primò & præcipuè Religionis augmentum, & ipſum notum cunctis inconveniens, ut Monachis regulariter indutis obſequentes eis ſæcularibus veſtibus uterentur. Nam juxta verbum Domini, qui mollibus veſtiuntur, non in domibus Monachorum, ſed in domibus Regum eſſe, vel habitare ſolent. Secundò, & multiplices & graves expenſæ, quæ in ſuperfluis illis, & noxiis veſtibus malè, & prodigè conſumebantur; in neceſſariis, & utilibus rebus bene, & rationabiliter expendantur.

LXXI.

STatutum eſt, ne in Reſponſoriis vel Antiphonis, quæ ſunt de Baptiſmate Domini, aliquis Cluniacenſium dicat, vel cantet: *Ipſum audite*, ſicut verbi gratiâ, antiquitus in Reſponſorio, quod ſic incipit: *In columbæ ſpecie Spiritus ſanctus viſus eſt, paterna vox audita eſt. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Addi ſolebat: *Ipſum audite.* Item ſicut in Antiphona, quæ talis eſt: Vox de cœlo ſonuit, & vox Patris audita eſt. Hic eſt filius meus in quo mihi complacui, & in ſimilibus, ſi quæ ſunt vel Antiphonæ, vel Reſponſoria, interdictum eſt, ne quis addat: *Ipſum audite.*

Cauſa inſtituti hujus fuit, evidens & apertum mendacium, quod cantantes vel legentes inconſiderate proferebant, quando ſacris illis verbis addebant, ipſum audite. Teſtes hujus rei ſunt non quilibet, ſed ipſi ſanctiſſimi & veridici Evangeliſtæ, Matthæus, Marcus, & Lucas, qui pari ſententia ſcribentes, apparuiſſe ſpiritum Dei ſuper baptizatum Chriſtum in ſpecie columbæ, & vocem Patris de cœlo factam, vel; *Hic eſt Filius meus in in quo mihi complacui*, vel, *Tu es Filius meus, in te complacui mihi*, nuſquam addiderunt, *Ipſum audite.* Addita ſunt hæc verba, non in Chriſti baptiſmate, ſed in ejus Transfiguratione. In illa, inquam, Transfiguratione adjunctum eſt, verbis ſimilibus, *Ipſum audite*, ſed & ipſa ratio hoc lucidè declarat. Nam cùm in Chriſti baptiſmate vocem illam omnipotentis Patris ſolus poſt Chriſtum Baptiſta audierit, non diceretur ſoli, *ipſum audite*, ſed ipſum audi. Unde apparet, quod non illi, qui ſolus erat, hoc in Baptiſmate dictum eſt; ſed tribus Apoſtolis, Petro, Jacobo, & Joanni, & in ipſis, & per ipſos, univerſali Eccleſiæ, quam præſignabant, non ſingulari, ſed plurali numero in Domini Transfiguratione præceptum eſt, *ipſum audite.*

LXXII.

STatutum eſt, ut in Nativitate Domini nullus ex Fratribus ante finem Miſſæ illius, quæ *de Luce* dicitur, & quæ de more in Conventu cantatur, Miſſam alicubi vel dicat vel audiat. Excepti ſunt

ab

ab hac Conſtitutione infirmi, qui in Infirmaria comedunt, de quibus antiquus mos conſtituit, ut ſicut ſancto die illo tres Miſſæ in Conventu cantantur, ita eis eodem tempore tres ſimiliter Miſſæ in Capella ſanctæ Mariæ, quæ eorum officiis deputata eſt, celebrentur.

Cauſa inſtituti hujus fuit, quia ſolebant Sacerdotes, non quidem ex conſuetudine, ſed ex quadam inconſiderata feſtinatione, ſtatim poſt Evangelium illius Miſſæ, cum quibusdam aliis, qui vel eos juvabant, vel communicare ad eorum Miſſas volebant, à Conventu recedere, ac ſibi unusquisque Miſſam de die cujus introitus eſt, *Puer natus eſt nobis*, celebrare. Ita fiebat, ut non ſolum Chorus pene vacuus remaneret, ſed nec quod de ipſa Miſſa poſt Evangelium reſtat, audirent. Hoc jam ſic in conſuetudinem verſum fuerat, ut in conſuetudinem eſſe putarent, & media fere pars Cluniacenſis Conventus, aut fortè plus, die Natalis Domini non audiendo ea, quæ in Miſſa de Luce poſt Evangelium ſuperſunt, nec ipſam Miſſam audirent. Quam idcirco non audiebant, quoniam ejus maximam & meliorem partem, hoc eſt Sacrificii divini celebrationem, ex cujus dignitate maximè Miſſa vocatur, perdebant. Hoc ne ulterius fieret, hac Conſtitutione proviſum eſt.

LXXIII.

STatutum eſt, ut de vaſis omnibus vinariis, quæ in Cellario fuerint ad opus Fratrum, hoſpitum, vel pauperum, hoc eſt, de unoquoque eorum, vigilia Natalis Domini, Frater, qui vinum ad Miſſas providere ſolet, tantùm accipiat, quantùm ad celebrandas omnes Miſſas illius ſacræ noctis, atque diei ſufficere valeat.

Cauſa inſtituti hujus fuit, res à multis, ut audivi, probata, & ſæpe mihi relata, quod videlicet, nunquam vaſis illius vinum aceſcere, vel in innaturalem & corruptum ſaporem converti poſſit, unde pars quantalibet vini ad celebranda jam dicti Natalis Domini Sacramenta aſſumpta fuerit.

LXXIV.

STatutum eſt, ut illud *Kyrie*, cujus cantus habet proſaïcos verſus, quorum principium eſt, *Clemens Rector æterne, Pater immenſe eleiſon*, qui in Multis Monaſterliş ad Cluniacum pertinentibus uſu antiquo cantabatur, etiam Cluniaci in quinque præcipuis Feſtis cantetur. Additum eſt & hoc, ut in eisdem ſolemnitatibus & in quibuslibet, prout libuerit, majoribus ad Veſperas, vel ad Laudes cantetur: *Benedicamus Domino*, juxta cantum novi quidem, ſed boni & jam publici verſus illius, qui in Nativitate B. Matris Domini à multis canitur: *Virgo Dei genitrix virga eſt, flos Filius ejus*. Sumptus eſt autem cantus non de toto verſu, ſed de fine verſus, hoc eſt, *Flos Filius ejus*.

Cauſa inſtituti hujus fuit, ut & ſolemnioribus diebus magis congrueret ſolemnior cantus, & ut ipſa cantuum variatio major eſſet cantantium devotio.

LXXV.

STatutum eſt, ut in Feſto Inventionis S. Crucis, & Exaltationis ejusdem, ad Laudes Matutinas cantentur verſus excerpti de Hymno, cujus principium eſt, *Pange lingua glorioſi prælium certaminis*, quorum primus eſt, *Crux fidelis*, ſecundus, *Flecte ramos*, tertius, *Sola digna tu fuiſti*, cum *Gloria* ſequenti quæ eſt, *Gloria & honor Deo*.

Cauſa inſtituti hujus fuit, quia devotius & elegantius viſum eſt, in jam dictis ſalvatricis Crucis Solemnitatibus, Laudes ipſius continentes Hymnos variari jucundè, quàm easdem iterari faſtidiosè. Canebatur enim priùs Hymnus, cujus principium eſt, *Vexilla Regis prodeunt*, ad utriusque Feſti utrasque Laudes Veſpertinas, & rurſus iterabatur ad Matutinas.

LXXVI.

STatutum eſt, ut Antiphona de ſacra Matre Domini facta, cujus principium eſt, *Salve Regina Mater miſericordiæ*, in Feſto Aſſumptionis ipſius, dum Proceſſio fit, à Conventu cantetur: & inſuper in Proceſſionibus, quæ à Principali Eccleſia Apoſtolorum, ad ejusdem Matris Virginis Eccleſiam ex more fiunt, exceptis illis Sanctorum Feſtivitatibus, in quibus mos antiquus exigit, ad eosdem Sanctos pertinentia decantari.

Cauſa inſtituti hujus fuit nulla alia, quam ſummus & maximus amor, ab omni rationali creatura, quibuscunque modis rationabiliter fieri poteſt, exhibendus poſt Auctorem omnium Matri Auctoris univerſorum.

Finis operum ſancti Petri Mauritii dicti Venerabilis Abbatis Cluniacenſis IX.

ADDI-

ADDITAMENTUM XIII.

CONSTITUTIONES ORDINIS
SIVE
CONGREGATIONIS
CAMALDULENSIS.

OBSERVATIO CRITICA.

Poſtquam Congregatio Cluniacenſis cum magno Eccleſiæ fructu & ornamento inſtituta, ubique florere cœperat, ſic ad S. Bernonis & S. Odonis exemplum, ſurrexerunt apud Italos, & alii Viri Sanctiſſimi, qui arctiſſimam Regulæ Benedictinæ obſervantiam excolentes, novas Benedictinorum Monachorum Congregationes inſtituerunt. Ex qua Congregationum & Ordinum diſtinctione evenit, quod Ordo Monaſticus, qui hucusque in Occidente unum corpus conſtituerat, in diverſa genera diviſus ſit, nec facilis ex uno ad alium ordinem translatio fieri potuerit, etiamſi diverſæ illæ Congregationes pro ſua diſciplina Monaſtica fundamento Regulam Benedictinam excoluerint. Nondum enim quatuor illi ſacri ordines, quos Vulgus Mendicantes vocat, exorti ſunt, & tamen magna inter Monachos etiam Benedictinos diſtinctio, hoc Sæculo undecimo emanavit, prout ex ſequentibus clarius patebit.

Inter harum Congregationum Sanctiſſimos Inſtitutores, imprimis numerari debet S. Romualdus, nobili ſtemmate ortus, qui in Monaſterio Claſſenſi prope Ravennam educatus, ac tandem ejusdem cœnobii Abbas declaratus, humanos honores contemnens Abbatia renunciavit & in Eremum Camalduli ſeu Campi-Malduli ſecedens, exordium dedit ſacro Camaldulenſium Monachorum Ordini, qui ſub Regula S. Benedicti viventes novum Monaſticæ vitæ genus inire voluerunt, Cœnobiticum cum Eremitica componentes. Hujus Sanctiſſimi Inſtitutoris Vitam ſcripſerunt duo eruditione & pietate Viri conſpicui, S. Petrus Damianus, & B. Hieronymus Pragenſis, quam ab utroque ſcriptam, ediderunt doctiſſimi Bollandi Socii ad diem VII. Februarii, eruditiſſimis Notis exornatam, variisque mendis Amanuenſium incuriâ factis purgatam. Præſertim Eruditiſſimi illi Hagiographi in commentario prævio, difficultates circa nativitatem, mortem & ætatem Beatiſſimi Patriarchæ occurrentes doctiſſimè ſolvunt, perſpicuè monſtrantes, illum nunquam attigiſſe vigeſimum ſupra centeſimum ætatis annum, ſed poſt exhauſtos ſeptuaginta hujus mortalis auræ annos, ad cæleſtia gaudia translatum fuiſſe.

Cùm verò circa hujus ſacri Ordinis primordia diverſimodè ſcribant Auctores, ſic ejusdem primam originem ſtrictiùs inquirere debemus. Et quidem Celeberrimus Antiquitatum Eccleſiaſticarum Indagator, Dom. Joannes Mabillonius in ſuis Obſervationibus præviis ad vitam S. Romualdi ſeu Romaldi ſæculo Benedictino VI. & parte prima editam, hujus Congregationis ſive Ordinis exordium non ponit ante Annum MXXIII. quamvis Beatiſſimi Patriarchæ mortem ad Annum MXXVII. referat authentica documenta adducens. Dein rerum Camaldulenſium Scriptores, annum erecti novi ordinis aſſignant MXII. quod tamen intelligi videtur de primo receſſu in Eremum, longè à Campo Malduli diſſitum. Notum quippe eſt, S. Romualdum vitâ Eremiticâ captum ex Monaſterio Claſſenſi in quoddam territorii Veneti

deſer-

deſertum effugiſſe, ex quo, auctoritate Ottonis I. Imperatoris extractus, Abbatiæ prædictæ curam ſuſcipere coactus eſt, cui poſtea liberè renuncians, Camaldulenſis Ordinis fundamina jecit, Annò primâ Theobaldi Epiſcopi Aretini, qui Epiſcopatum iniit Anno MXXIII. ſub cujus Diœceſi Campus Malduli *ſitus erat. Locus autem ille verè Eremiticus ſitus eſt in Altiſſimo Apenino Monte, proceris & denſis abjetibûs tota hyeme viridibûs circumſeptus, amœniſſimo ſpectaculo; diſtans quidem à Florentia 30. millibus paſſuum, Aretiô 20., proculque ab omni hominum conſortio remotus. In hunc ergo locum cum quinque ſociis ſecedens S. Romualdus cellas primùm ædificare cœpit, ſed absque ambitu murorum, atque oratorium humile erexit, omnibus Eremitis aptum pro celebrando divino officio; deinde paululum progreſſus invenit anguſtam Vallem inter abruptos montes, & ingentes arborum ſilvas ad torrentem poſitam, quam* & Fontem bonum *appellavit, ubi unum vel alterum Monachum ad ſuſcipiendos hoſpites, & subminiſtranda neceſſaria reliquis ſociis in ſacra Eremo degentibus conſtituit.*

Quem ſanè ſanctum vivendi ordinem, etiamnum hodie obſervant Camaldulenſes Monachi, quemadmodum in ſuo itinere Italico pag. 180. refert Mabillonius, aſſerens in ſacra Eremo habitâſſe quadraginta Eremitas in cellis ſeparatis, præter quosdam Fratres Laicos, qui remoti ab omni hominum conſortio, in omnimoda pietate & arctiſſima diſciplina vitam ducere cæleſtem gloriantur. Pari modo apud Fontem bonum *vivunt in perpetua abſtinentia Eremitæ Camaldulenſes, ad ſuſcipiendos hoſpites ordinati, qui tamen vitam quaſi cœnobiticam ducunt, reliquiſque Eremitis in monte invio & prærupto collocatis neceſſaria ſuppeditare debent. Sunt & alia hujus ſacri Ordinis Eremitoria per Italiam ſparſa, atque etiam in Gallia, & alibi, quæ eandem arctiſſimam diſciplinam obſervant, quod etiam intelligi debet de Sanctimonialibus, quæ ſub iisdem inſtitutis vivunt, & plura Monaſteria poſſident.*

Etiamſi verò ſacrum hunc ordinem inſtituerit S. Romualdus ſecundùm leges Monaſticas à ſancto Benedicto Monachorum Occidentalium Patriarchâ præſcriptas; tamen ſingularia ſtatuta Eremitis præcipue adaptata præſcripſit, habitûmque nigrum in album commutavit. Hinc Camaldulenſium Monachorum Conſtitutiones, appellantur declarationes in Regulam Divi Benedicti, *cùm arctiſſimam hujus Sanctiſſimæ Regulæ obſervantiam contineant, prout ex ipſis Conſtitutionibus in unum collectis atque Sanctiſſimo Pontifici Maximo Pio V. oblatis omnino conſtat.*

IN REGULAM D. PATRIS BENEDICTI
DECLARATIONES, ET CONSTITUTIONES
PATRUM ORDINIS CAMALDULENSIS.

Florentiæ apud Bartholomæum Sermartellium MDLXII.

Omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. *Luc.* 14.

PIO V. PONTIFICI MAX. JOANNES BAPTISTA NOVARIENSIS EREMITA, ET TOTIUS ORDINIS CAMALD. ABBAS GENERALIS S. P. D.

INter multa, & ea quidem præclara, in nos collata beneficia, optime Pontifex; hoc præſtare, & longè omnibus jure optimo anteire videtur: quòd ubi primùm deſignatus, conſtitutúsque Generalis, ſacros deoſculaturus pedes, Romam veni, ut Religionem noſtram Beatitudini tuæ commendarem, Ipſa mihi ante omnia in mandatis dedit, ut veteres Congregationis noſtræ Conſtitutiones in unum colligendas curarem, & ſi quid in ipſis fortè deſideraretur, aliîs recens additis reſarciretur. Quam quidem provinciam libenti, imò, (ùt æquum fuerat) & alacrî

ſanè animâ ſuſcepiſſem; quatuor in præcedenti Capitulo (ùt more noſtro loquamur) Reformatoribus electis ſanctitatis veſtræ mentem aperui, eósque monui, ut negotium hoc quamprimùm perficeretur, operam darent. Quod cùm ad finem ab ipſis perductum fuiſſet, Patres Definitores proximè ſubſequentis Capituli anni 1569. prædictas Conſtitutiones omnes uno ore, unóque conſenſu probaverunt, ac teſtimoniô ſuô adſcriptô ratas ac certas eſſe voluerunt. Deinde, cum ſanctitatis veſtræ juſſu Reverendiſſimo Patri Vincentio Herculanio, Ordinis Prædicatorum, in præſentia Sarnenſium Epiſcopo, videndas, examinandáſque dediſſem; easdem iterum Patres, ut ab ipſo emendatæ, caſtigatæque fuerunt, Capitulo anni 1570. minimè penitus diſcrepantes approbaverunt. Tandem cum voluntate Beat. tuæ in manus dediſſem Illuſtriſſimi Cardinalis Claræ vallenſis: tanta tui erga nos benignitas, atque humanitas fuit, ut propriis non dedignatus ſis oculis eas inſpicere, tertiò caſtigare, & ſupremam ipſis benignè manum imponere. Quòd ſic gratum accidit, ut communi Patrum omnium conſenſu ſint tertiò probatæ, & acceptæ, ac demum Monachis, atque Prælatis diligentiſſimè, ut obſerventur, propoſitæ, atque ſub illius felici, Auguſtóque nomine nunc primùm editæ. Quamobrem ut Auctori, ac Duci ſapientiſſimo, tibi eas dicamus, tuæque Sanctitati acceptum, hoc tam præclarum munus referimus, quem Deus Optimus Maximus diù nobis conſervare, incolumémque Chriſtianæ Reip. præſtare dignetur, uti nos jugiter ipſius Majeſtatem rogamus, ac petimus. Florentiæ. Nonis Septembris 1571.

IN CAMALDULENSIUM MONACHORUM CONSTITUTIONES, ET IN DIVI BENEDICTI REGULAM DECLARATIONES

PROEMIUM.

EA eſt humanarum rerum conditio, Patres optimi, ut, niſi ſummâ prudentiâ, & ſolertiâ gubernentur, atque regantur, facilè à perfectione declinent, & ſi aliqua vel minima negligentia irrepſerit, temporum vetuſtate, quæ omnia ſolet abolere, collabantur. Quam rerum humanarum infirmam conditionem conſiderantes Patres noſtri, & illi præcipuè, qui totæ huic noſtræ Camaldulenſium Congregationi gubernandæ, regendæque invigilant, veriti ſunt, ne, ſi longa temporis diuturnitate, antiquæ pene jam Conſtitutiones noſtræ in aliquam partem ad priſtinam puritatem non revocentur, & aliæ quædam, quò noſtro huic ſæculo neceſſaria quædam ſic ita poſtulanti mores noſtros, vitámque accomodemus, denuo inſtituantur; tota noſtra hæc ſancta Congregatio collabatur, aut certè damnum aliquod, & ſcandalum patiatur. Ad hoc ſanctiſſimi Patris noſtri Pii V. Pontif. Max. voluntas acceſſit. Qui ùt ardentiſſimô Domûs Domini zelô aſſiduè uritur, quàm maximo optavit opere, ut hoc, quod nunc effectum eſt à noſtris Patribus, præſtaretur. Ergo Claſſenſe Capitulum Ravennæ in Abbatia noſtra ſuperiorì Annô milleſimô quinquageſimô, ſexageſimô octavô celebratum, D. Egidio de Valle Tellina Præſidente, totum hoc negotium D. Stephano Brixienſi, D. Antonio Piſano, D. Mauro Mandellio, & D. Petro de Bagnacavallo demandârunt, ut mutuîs colloquiis, ſolertì diligentiâ, matura conſideratione, & examinatione præmiſsis, rationibúſque in omnes partes facientibûs conſideratis pro ſuo in totam Congregationem ſtudio, in ſummi Pontif. obſervantia, & in Capitulum, & majores debita obedientia, totìs viribûs in hanc unam curam invigilarent; Quo & Conſtitutiones noſtræ aliquô modô, ut ſic dicam, reſtaurarentur, & quæ antea ſparſim diffuſæ, nimis magnâ illarum obſervationis jacturâ, vix à minima noſtrorum hominum parte cognoſcebantur, in aliqua tandem brevi, quantum fieri poſſet, methodo redigerentur, & ipſæ Regulæ ſuis quæque locis adſcriberentur. Itaque, ut & Congregationis malo occurreretur, & Beatiſſimi Patris noſtri voluntati fieret ſatis. Qui quidem Patres, tum ob ſuam in Capitulum, & Majores reverentiam, tum ob deſiderium Summo Pontifici obſequendi, & univerſam Congregationem juvandi, nihil antiquius habuerunt, quàm ut omnino huic ſibi tradito muneri, onerique reſponderent. Quapropter tota re, (nam brevì perſtringam) inſpecta, & ex præcepto ſibi à Patribus tradito perfecta, & nunc in Capitulo item Claſſenſi præſentis Anni MDLXIX. cum Reverendiſſimo Patre Domno Joanne Baptiſta Novarienſi Eremita, & univerſæ Congregationis Præſidente Generali communicata; has præſentes Conſtitutiones ex ſupradicto, & præcepto, & ordine inſtitutas, Patribus noſtris omnibus in definitorio verſantibus propoſuerunt, ut ſcilicet conſideratas ac rite

rite perſpectas approbarent. Qui quidem definitorii Patres illas, ut pias, ſacris Canonibus & Conciliorum decretis adhærentes, & noſtris privilegiis nitentes, ſanctàſque, uno, eodémque conſenſu, una omnium voce primùm, tum ſecretis ſuffragiis, nullo penitus diſcrepante (ſalvò ſemper ſanctæ Rom. Sed. beneplacitò) approbârunt, & confirmarunt. Atque ut aliquid hic de hoc toto negotio dicamus; brevì queri poſſe fortaſſe cuipiam videatur, quare tandem Conſtitutiones neceſſarias Patres noſtri, uti eſt Regula, judicarint? Ad quam rem facile admodum ſe nobis offert, quod reſpondeamus. Primum enim omnium nullum ſtatutum, nulla pené lex invenietur, quæ apud quamlibet totius Ordinis terrarum nationem, ſimplici illa, qua ab Auctore lata fuit, inſtitutione ſervetur. Hinc novæ quotidie leges, hinc nova decreta, hinc pene innumeri legum, & tam civilis (ùt vocant) quàm Pontificis juris interpretes, hinc Philoſophorum libros infinitè diſputantes, &, quod ſummum eſt, in ſacram paginam tot gloſſemata, & innumerabiles explicationes emanârunt. Quòd ſi quis dicat Conſtitutiones has non perinde omnino ad Regulam Divi Benedicti ſe habere, ut illæ ſuperiores, quas diximus, aut in ſacra Scripta, aut in Philoſophiam, aut Leges etiam plurimorum declarationes: quòd in his aliquid interdum minuatur, addatur, mutetur, id ſciat pro temporum, rerum, & locorum ratione ſic expoſcente, & veluti exigente, profectum. Neque tamen hac in re quidquam inuſitatum molitos nos eſſe viſum iri exiſtimamus. Quæ enim unquam Reſpubl. (nam ut aliæ omnes, ita hæc noſtra Congregatio Reipublicæ cujuſdam imaginem præfert) quodnam Imperium à principio, tam firmis fuit, ac certis legibûs conſtitutum, atque munitum, ut aliquid mutare, minuere, addere tempus ipſum non coegerit, vel invitos. An fortaſſe iiſdem legibûs Romanum Imperium, regnante Romulo, iiſdem, Numma Tullo, cæteriſque iiſdem Conſulibûs Rempubl. adminiſtrantibûs, regebatur? Et tamen ad unum omnia bene tractandi, ſervandi, augendi Imperii finem ſpectare quis negabit? & ne nimis longè noſtra vagetur oratio, hoc ſummi iidem ſanctiſſimi Pontifices Congregationi noſtræ non conceſſiſſent, niſi res ipſas, & tempora, ſic expoſcere judicaſſent: ut taceam, quod impium eſſet omnino, de antiquis noſtris Patribus, qui primi Conſtitutiones in Divi Benedicti Regulam inſtituère, quidquam ſiniſtrum, aut minùs Religioſum cogitare. Numquam enim illi, (qua erant pietate, ac vitæ ſanctitate) ne tranſverſum quidem unquem de Divi Benedicti Regula mutâſſent, minuiſſent, addidiſſent, niſi id ita fieri oportere, fuiſſent optimis rationibûs arbitrati. Quas ergo rationes, eas nimirum, quibus illi adducti, primas in Regulam Conſtitutiones invenerunt, referre non gravarer. (Sunt enim in promptu,) ſed ad ea, quæ noſtra tempora poſtulant, feſtinat oratio. Quonam enim tandem pacto, ſi noſtra hac ætate Abbates, & Monaſteriorum Priores, quos vocamus perpetuos, eligeremus, fieret, ut non, quod ſupereſt terreni, & perinde ad mortalem vitam regendam neceſſarii ſubſidii, penitus detraheretur? Propterea quid magis in Congregatione hac & in omnibus etiam æquè retinendum eſt, & omni ratione curandum, quàm ut in ſanctâ quiete jucundâque pace, inter nos, & ſumma animorum tranquillitate vivamus. Hanc autem pacem, quânam viâ retinere inter nos, & habere poſſemus? Si collegiorum Rectores à Monachis illius Monaſterii in omnem partem eligantur? Nonne id magnas diſcordias, & pene factiones apud noſtros majores ſæpe peperiſſe comperimus? Neque mirum hoc etiam fortaſſe videri debeat, ſi multa, quæ noſtris primis Patribus obſervatu facilia, atque adeo ſalutiſera eſſent, nobis nunc, in quos fines ſæculorum devenerunt, non convenire dicamus. Illi etenim in ſilvis, in montibus, aviiſque ferarum luſtris ædificantes habitabant, quod in antiquiſſimis noſtrarum Abbatiarum ruinis perſpici poteſt, & ex nobiliſſimo terrarum orbis Camaldulenſium Collegio in altiſſimis Apenini montis jugis conſtituto, Luce clariùs patet; nos verò in urbes fere omnes & oppida redacti ſæculariùm (nam ſic eſt dicendum) cogimur plurimorum commodis inſervire, & ea de cauſa fit, ut nullo modo, quod ſingulis diebus ex Regula præſtare debemus, in toto anno id efficere cum diei luce poſſimus, cùm hyemis tempore, vix ſatis Eccleſiæ de die, ac populis facimus. Quâ verò diei horâ poſſent noſtri ſæculi Monachi Sacerdotes, præſertim in urbibus, & locorum frequentia, agrorum incumbere culturæ, & ruſticanis negotiis implicari: Iidémque cibariis componendis, quomodo poſſent æquè, ac cæteri à patinis abluendis in culina verſari, cùm illi confeſſionibus audiendis, ac cæteris Eccleſiæ Sacramentis populo miniſtrandis, ſacris faciendis, officiis decantandis fere ſunt ſemper occupati. Quò pactò poſſumus hoc noſtro tempore illam tantam, de qua Regula loquitur, pedum ablutionem obſervare? Nam quî poterit Abbas hoſpitibus aſſiduè comes eſſe, (qui infiniti ſæpe ſunt) & non reliqua majora negotia ſui Monaſterii, & Congregationis intermittere, ac negligere? Cæterùm in Regula nulla de obſervatione Adventûs Domini mentio

facta eſt, & tamen videmus, cùm quanta non tantùm noſtræ Congregationis; quantum omnium populorum devotione, non ſecus, ac jejunium Quadrageſimale à nobis obſervetur. Sed nimis fortaſſe ſumus in hac re, nota per ſe ſatis omnibus, immorati. Quare taceant, taceant, qui Regulam ſolam amplecti ſe velle ſimulantes, ſanctiſſimas Conſtitutiones ab optimis Patribus inſtitutas, à plurimis Summis Pontificibus confirmatas, & ideo Max. & Optimo Deo gratas, nihil niſi pietatem, devotionem, religionem, ſanctitatémque redolentes reſpuunt, atque contemnunt. Quid enim obſecro, an ulla Religioſorum hominum Congregatio reperietur, quæ poſt primam, aut ſibi datam, aut à ſe aſſumptam Regulam, nullis Conſtitutionibus ab ipſis Patribus Inſtitutis, & à Summis Pontificibus confirmatis utatur, & vivat? Porro quot Religioſorum hominum genera ſub una, eademque Divi Benedicti Regula Deo, & Eccleſiæ inſerviunt? Quod ſi nullis Conſtitutionibus extra, ſeu præter Regulam ſit utendum, quid inter ſe Caſſinenſes, Camaldulenſes, Ciſtercienſes, Vallis Umbroſæ, Olivetani, cæterique different; eos autem inter ſe differre Eccleſiæ Sanctæ, ac Deo placuiſſe, placeréque quis neget? Cùm præſertim illæ differentiæ, præterquam quòd ipſa Eccleſiæ Sanctæ approbatio ſatis magno eſt argumento ad probandum, optimo Deo id gratum fuiſſe, maximis, frequentibúsque miraculis ſint omnes exortæ & in ſanctam Eccleſiam inductæ. Hæc eſt illa ſancta varietas, qua Regina Domini, id eſt, Sponſa Dei Altiſſimi pura Mater Eccleſia aſtitit à dextris Dei in veſtitu aurato varietate circumdata: & concupivit Rex Regum decorem ejus, quoniam illa hoc pacto adorat ipſum Dominum Deum ſuum, & veneratur, ejúſque vultum ornamenta nimirum, & totius habitûs varietates laudant omnes exercitus, & in fimbriis aureis circumamictam varietatibus, in lætitia, & exultatione in Regis Templum in Cæleſtem Sion adducent. Accipite igitur viri Camaldulenſes Conſtitutiones veſtras Divi Benedicti Regulæ adſcriptas, & totius noſtræ Congregationis deſiderio, & Sanctiſſimi Pontificis Pii V. voluntate confectas; in quibus & antiquæ noſtræ multæ, & Eremi aliquæ, allæque, prout expedire viſum eſt, univerſæ Congregationi, præceptóque Dei Optimi Max. ſerviant. Neque quis ſuadente nequiſſimo humani generis hoſte diabolo, ſecum arbitretur, parvam vel minimam ad ſui obſervantiam vim Conſtitutiones in ſe habere. Non enim Regula, aut Conſtitutio tam Benedicti, quàm Patrum per ſe obligat hominem, ſed Eccleſiæ ſanctæ confirmatio, & approbatio, penes quam Altiſſimi Dei, & JEſu Chriſti ſervatur auctoritas, & propria cujuſcumque profeſſio. Omnino Reverendi Patres Conſtitutiones has à Divi Benedicti Regula, non niſi magna cum ratione, & ubi ipſa neceſſitas poſtulat, diſceſſiſſe videbitis, & nihil eſſe introductum, quod non ad pietatem, juſtitiam, pacem, devotionem maximè faciat. Grave autem nihil hominibus, arctam, & anguſtam Cœlorum, ac perfectionis viam ingreſſis videri debet.

Finis Proemii.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI

JESU CHRISTI.

INCIPIT PROLOGUS REGULÆ.

AUſculta, ô Fili! præcepta Magiſtri, & inclina aurem cordis tui, & admonitionem pii Patris libenter excipe, & efficaciter comple, ut ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ deſidiam receſſeras. Ad te ergo nunc meus ſermo dirigitur, quiſquis abrenuncians propriis voluntatibus, Domino Chriſto vero Regi militaturus, obedientiæ fortiſſima, atque præclara arma aſſumis. In primis, ut quidquid agendum inchoas boni, ab eo perfici, inſtantiſſima oratione depoſcas. Ut qui nos jam in Filiorum dignatus eſt numero computare, non debeat aliquando de malis actibus noſtris contriſtari. Ita enim ei omni tempore de bonis ſuis in nobis parendum eſt, ut non ſolùm, ut iratus Pater ſuos non aliquando Filios exhæredet: ſed nec, ùt metuendus Dominus, irritatus malis noſtris, ùt nequiſſimos ſervos, perpetuam tradat ad pœnam, qui eum noluerint ſequi ad gloriam.

Ne quid vobis deſit Camaldulenſes, quod ad rem noſtram facere, & noſtro huic negotio prodeſſe poſſit; ante omnia de voluntate Patrum hæc, quæ ſequentur, veluti quædam præludia duximus apponenda. Beatus igitur Antonius Archiepiſcopus Florentinus in Patrum

trum Collationibus; quas ipſe abbreviavit, atque correxit, de Divo Benedicto loquens, & ejus Regula ſic ait. Sicut autem Baſilius dicitur Pater Monachorum in Oriente, ita etiam Beatiſſimus Benedictus Pater Monachorum in Occidente. Ipſe enim (ut ait Gregorius) ſcripſit Regolam diſcretione præcipuam, ſermone luculentam, atque cæteris, ut ita dicam, directivam. Nam Regula Baſilii, ſatis Intricata: Regula Auguſtini multùm generalis, & ad particularia non deſcendens; ſed per Conſtitutiooes ei additas, & diverſis Religionibus, & ejus Profeſſoribus, auſteritatibûs, & cæremoniis adornata. Regula Beati Franciſci, & propter multa præcepta, ſcrupulîs plena. Sed Regula Sanctiſſimi Benedicti ſingula quæque clarè deſcribit. Quæ etiam ut approbata allegatur in Decretis. *Cauſa XVI. Quæſt. I.* Hanc igitut omnes Monachi Occidentis pro fundamento tenent exceptîs Carthuſienſibûs; ſed habitibûs, Conſtitutionibûs additîs, & cæremoniîs diſtinguuntur. Hujus autem vitam ſcripſit virtutibûs plenam magnus Gregorius *in ſecundo Dialogorum* per totum, quam à diſcipulis ipſius Benedicti hauſit; Et ipſe etiam Monachus, & Abbas ſub dicta Regula militavit, antequam Papa fieret. Hæc Antooius. Quoniam autem juxta decretum ſacri Concilii Tridentini debet Epiſcopus ammota omni appellatione, & non obſtantibûs quibuſcumque componere omnes controverſias, & lites de præcedentia, quæ perſæpe maximo cum ſcandalo oriuntur iotet Eccleſiaſticas perſonas tam ſæculares, quàm tegulares, tum in Proceſſionibus publicis, tum in iis, quæ ſunt in tumulandis defunctorum corporibus: ut rectiùs, & faciliùs ipſe poſſit Epiſcopos ſententiam ſuper hoc ferre, & judicare, ſi inter nos, & alios Regulares orirentut hujuſmodi controverſiæ; & ut ſciatis (quod ad præcedentiam attinet) quis locus vobis debeatur, non arbitrantur Patres futurum ab re, hoc loco apertè demonſtrare, quibûs potiſſimùm temporibûs ſingulæ quæque Congregationes originem, & initium habuiſſe dicantur. Idem igitut Archiepiſcopus Florentinus deſcribens vitas Patrum, hunc qui ſequitur, modum, & ordinem ſervar, videlicet. Fuit vir vitâ Venerabilis, gratiâ Benedictus, & nomine; ſicuti etiam (inquit Gregorius *in ſecundo Dialogorum*) ab ipſo pueritiæ tempore ſuæ cot gerens ſenile, & ſecundùm Ugonem Floriacenſem. Hic mortuus eſt Anno Domini quingenteſimo trigeſimo ſexto. Unde floruit circa annum Domini quingenteſimum &c. Poſt cujus vitam, & quorundam ejus diſcipulorum, nempe Mauri, Placidi, Odonis Abbatis Cluniacenſis, & Odilonis, ita de Divo Romualdo ſtatim ſubjungit: Sanctus Romualdos, qui clarus, & inſignis habetur anno Domini milleſimo, (obiit autem circa annos Domioi 1030.) Fundator extitit, & inſtitutor Otdinis Camaldulenſium dilatati, & ampliati in multis Monaſteriis, in partibus Tuſciæ & Lombardiæ & Principale eſt in Diœceſi Aretina. Hujus vitam deſcripſit luculento ſermone Eloquentiſſimus vir Petrus Damianus Epiſcopus & Cardinalis, quam tamen abbreviavimus &c. Poſt vitam Romualdi, Bonifacii, Joannis, & Benedicti ejus diſcipulorum idem ſic ait. Anno Domini milleſimo quadrageſimo claruit Beatus Joannes Gualbertus Fundator, & Inſtitutor Otdinis Vallis Umbroſæ, ſub Regula militantis Beati Benedicti, cum quibusdam Conſtitutionibus ſuperadditis, & io habitu griſeo. Quæ Religio multa Monaſteria habet in Tuſcia, & Lombardia etiam Superiori &c. Hujus autem abſoluta deſctiptione vitæ, & etiam cujuſdam Stephani Grandimontenſis, quæ nullatenus facit ad rem noſtram, inquit: Anno Domini MXVII. Ordo Humiliatorum, ut reperi in ſcriptis eorum, habuit primum ſui initium, & paulo inferiùs ſumpſerunt pro norma vivendi, partem Regulæ Beati Benedicti, non totam: Superiores eorum Præpoſitos nominantes. Circa annum verò Domini milleſimum duceteſimum approbatus eſt talis Ordo, & modus vivendi, ab Eccleſia per Innocentium III. & confirmatus. Anno verò Domini MLXXXVI. (ſubdit idem) habuit initium ordo Carthuſieoſium, Inſtitutore Brunooe Teotonico ex urbe Colonia. Et Ordo Ciſtercienſium ſub Regula Beati Benedicti militans, ſed cum multis aliis Conſtitutionibus additis approbatus ab Eccleſia, & multùm privilegiatus, & dilatatus per orbem. Initium habuit Anno Domini MXCVIII. ſub quodam Stephano Abbate. Sed paulo poſtea mirabiliter dilatatus per orbem à Beato Bernardo. Quod autem ad Ordinem eorum Monachorum, qui dicuntur Montis Oliveti, militantium ſub Regula ejuſdem Divi Benedicti attinet; licèt hucuſque nullam de eo feciſſet mentionem Beatus Antonius, in fine tamen eojuſdem libri incidentet, ſic de eis loquitor. Circa annos Domini MCCCCLXX. ut audivi, quibuſdam Religioſis, vitam quaſi Eremiticam tenentibus, & laudabilem in Diœceſi Aretina, ſed Territorio Senenſi Epiſcopus Aretinus tunc temporis, dedit habitum ſimilem album, & Regulam ipſius Benedicti. Ex quibos creſcentibus in gratia Dei & numero conſtitutus eſt Ordo Montis Olivarum dictus. Pari modô manifeſtum eſt,

Cæleſtinos, (quos convocamus) vel S. Petri de Motone, qui & ipſi militant ſub Regula Divi Benedicti, ſuum habuiſſe initium tempore ipſius Petri Moronei, quondam Cæleſtini Papæ V. circa annos Domini MCCC. His igitur ſic ſe habentibûs ſatis conſtat Religionem noſtram Camaldulenſem poſt Monachos nigros, qui etiam (fortaſſe per antonomaſiam) dicuntur ſancti Benedicti, vel Congregationis ſanctæ Juſtinæ, quæ quidem Congregatio, ut Monaſticæ Religionis caput ſupereminet, omnes debere cæteris omnibus ſub Divi Benedicti Regula militantibus in omnibus præferri. Quam ſanè rem non eſt, qui poſſit jure conficiari, niſi qui ſit fortè rerum hujusmodi penitus ignarus, & imperitus, dicente præſertim Regula Cap. 63. *Qui ſecundâ diei horâ venerit in Monaſterio, juniorem ſe noverit eſſe illo, qui primâ horâ diei venit.* His præmiſsîs ad ipſius Regulæ interpraetationem accedamus.

Cùm igitur vir Dei Benedictus, quem omnium juſtorum ſpiritu plenum fuiſſe, fatentur omnes, & cujus manum à ſancto Spiritu in ſcribendo ductâ eſſe non eſt, qui neget, in ſuæ Regulæ proœmio, quæ à diſertioribus perpetuo obſervata notatur, obſervaverit: volunt Patres (etſi eorum non eſt intentionis totam Regulâ interpretari) nihil, quod Monachis noſtræ Congregationis, quoquô modô prodeſſe poſſit, ſilentiô præteriri. Animadvertens igitur Divus Pater Benedictus, duas inveniri vias, quæ ſecundùm Domini doctrinam ad Cœlum ipſum, & ad æternam perducunt beatitudinem, altera, quâ Laici, & ſæculares homines mandata legis ſervandô proficiſcuntur; altera verò, quâ Religioſi & mandata ſervando, & Chriſtum ipſum pro viribus, &, quantum patitur humana fragilitas, imitando incedere debent, caſtè, ſobriè, & piè viventes in hoc ſæculo; iis normam, Regulámque vivendi tradit. Initiò autem hujus Proœmii primùm, quid velit agere, oſtendit, quod ſatis per ſe patet, & poſtmodum, ad quem ſua hæc dirigatur oratio: ad eos nimirum, qui muniti fortiſſimîs obedientiæ armis Chriſtum ſequi in ſancta Religione voluerint, quos paterno quodam affectu, ſicuti Salomon in omnibus operibus ſuis ſic alloquitur. *Auſculta Fili &c.* quibus verbis primùm nos adhortatur, ut læti accipiamus, quæ præcepturus eſt nobis, deinde hanc Regulam hac præſertim ratione tradidiſſe oſtendit, ut obedientia, ſubmiſſione, & humilitate eò redire poſſimus, quò ab inobedientia primi parentis noſtri, & ex conſequenti noſtrâ, fuimus deturbati, ſcilicet in gratiam Salvatoris, & Creatoris noſtri. Quapropter videtur admodum eſſe neceſſarium, cùm omnium ſit maximum præceptum in Religionibus, imo cunctis in rebus, obedientia, ut cùm aliquis in numero Fratrum cooptandus, adſcribendúsque venerit, ei inprimis, & ante omnia liberè dicatur, & ſæpius repetatur, ut vel ipſe ſe abnegaturum eſſe proprium voluntatem, & ſe ipſum arbitretur, vel, quod ſuum eſt, tollat, & ambulet. Quod ſi ſe obſervaturum receperit, admittatur, ſin minus non admittatur. Quatenus autem dicitur. *In primis &c.* eſt animadvertendum, quòd ſanctus Pater omnia noſtra opera initium capere ab oratione maximopere deſiderat; ut Deo annuente, omnia cooperentur in bonum, & hinc eſt, quod Patres volunt, ut non ſolùm is, qui Religionem ingreſſurus venerit, orationi tunc temporis die, noctéque vacet: verùm etiam, ut idem faciat totus conventus Monachorum in ejus gratiam, ut Deus Optim. Maxim. quæ ſua ſit hac in re voluntas, oſtendere dignetur. Nam nullum bonum, niſi de ſurſum eſt, & à Patre luminum deſcendens. Præterea *quæcunque facitis* (inquit Apoſtolus) *ſive in verbo, ſive in opere, omnia in nomine Domini &c.*

Exurgamus ergo tandem aliquando excitante nos Scriptura, ac dicente: Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere. *Et apertis oculis noſtris ad Deificum lumen attentis auribus audiamus. Divina quotidie clamans quid nos admoneat vox dicens.* Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurate corda veſtra. *Et iterum:* Qui habet aures audiendi, audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſiis. *Et quid dicit?* Venite Filii, audite me, timorem Domini docebo vos. Currite, dum lumen vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant. *Et quærens Dominus in multitudine populi ſui, cui hæc clamat, operarium ſuum, iterum dicit.* Quis eſt homo, qui vult vitam, & cupit dies videre bonos? *Quod ſi tu audiens reſpondeas: Ego. Dicit tibi Deus: Si vis habere veram, & perpetuam vitam,* prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum: diverte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & ſequere eam. *Et cùm hæc feceritis, oculi mei ſuper vos & aures meæ ad preces veſtras:* Et antequam me invocetis, dicam: Ecce adſum. *Quid dulcius nobis hac voce Domini invitantis nos, Fratres chariſſimi? Ecce pietate ſua demonſtrat nobis Dominus viam vitæ.*

Hac ſecunda parte proœmii convertens orationem ſuam Pater ſanctus ad eos, qui afflati Spiritu ſancto vocantur ad Religionem, oſtendit eis, poſtquam ſunt vocati

vocati à Domino, jam eſſe horam de ſomno ſurgere ad recipiendam gratiam, Deificúmque lumen, quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, & ad audiendam vocem ſermonis ejus, cùm nemo debet cor ſuum obdurare, neque ſpiritui, qui loquitur in eo reſiſtere; Imo potius totîs viribûs curandum, dum lumen gratiæ Dei ardens in cordibus noſtris, nobis iter oſtendit, quò ducimur ad vitam. Ne fortè nos tenebræ mortis adhue improviſos, & imparatos comprehendant; ſed quibus verbis nos vocat Dominus? iis nimirum. *Quis eſt homo, qui vult vitam, & cupit dies videre bonos*, quod ſi tu audiens dixerit: Ego Domine. Reſpondet ipſe, *prohibe linquam tuam à malo*, neque in proſperis, neque in adverſis blasphemando, nec murmurando de aliquo, & labia tua non loquantur dolum, neque fraudē contra proximũ, ſed ſis verax in verbis, & promiſſis ſervandis. Diverte à malo, id.eſt, vita, & fuge omne malum, ſervando præcepta negativa, & fac bonum ſervando affirmativa, & ſimiliter inquire pacem, & ſequere eam. Non enim ſatis eſt declinare à malo, niſi & faciamus, quod bonum eſt; ad utrumque enim tenemur, nam dum declaratur Matth. 7. præceptum de dilectione proximi. *Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*, in iſto affirmativo intelligitur & negativum, id eſt, quod oon vultis, ut faciant vobis homines, non faciatis illis, & ut antiquitus dicebatur: *Quod tibi non vis, alteri non facias*, hoc enim eſt declioare à malo, & facere boou n, & inquirere, & conſervare pacem Qui enim proximum pro viribus juvare conatur, & nemini injuriam irrogare, hie profecto vitam tutè, ac pacifice traducet. Debemus igitur non modo declinare à malo, ſed & facere bonum.

Succinctîs ergo fide, vel obſervantia bonorum actuum lumbîs noſtrîs, & calceatîs in præparatione Evangelii pacis pedibûs pergamus itinera ejus, ùt mereamur eum, qui nos vocavit, in regno ſuo videre. In cujus regni tabernaculo, ſi volumus habitare, niſi illuc bonîs actibûs curritur, minimè pervenitur. Sed interrogemus cum Propheta Dominum, dicentes ei: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? *Poſt hanc interrogationem, Fratres, audiamus Dominum reſpondentem, & oſtendentem nobis viam ipſius Tabernaculi dicentem.* Qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam; qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua; qui non fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit adverſus proximum ſuum. *Qui malignum diabolum aliqua ſuadentem ſibi, cum ipſa ſuaſione ſua à conſpectibus cordis ſui reſpuens deduxit ad nihilum, & parvulos cogitatus ejus tenuit, & alliſit ad Chriſtum.*

Cùm quis igitur in ſanctam Religionem per obedientiæ portam intrare, aures Dominicæ vocationi non obturare, & pro viribus declinare à malo, & facere bonum ſibi propoſuerit; tunc ſuccinctîs cingulô fidei lumbìs, & obſervatione bonorum actuum (quia fides ſine operibus mortua eſt) ad iter, quod vitam vivendo Monaſticam, & ſanctam habetur in clauſtris Monaſteriorum, ſe tantæ profectioni ſecurus accingat. Verùm quoniam non ſatis eſt iter agentibus ſibi præcingere lumbos, ut faciliùs, & expeditiùs, (*velut gigas ad currendam viam*) incedere poſſint, niſi etiam pedes præparatione Evangelii pacis calceaverint, ideo ne labantur, & ne fortaſſe mediâ viâ deficiant, & cadant; ſtudeant totîs viribûs, ne ab ipſo tramite, quem nobis Evangelium pacis præparavit ullô pactô declinent, néve extra illum vel digitulum pedis ponant, ut mereantur peracto faciliter itinere, illum, qui eos vocavit, in ſuo regno videre, ad quod niſi bonîs actibûs, & ſanctîs operibûs currendo minimè pervenitur, currendo, inquam, per eam viam, quam nobis poſt noſtram interrogationem Dominus oſtendit dicens: *Qui ingreditur ſine macula &c.* Sed quomodo ſine macula omnes æquè hanc viam, (quæ tandem non aberrantes ad ingreſſum usque paradiſi perducit) ingredimur? cùm non nulli, non niſi poſt multa admiſſa facinora; tantum abeſt, ut ſine macula in Religionibus adſcribantur. Cui objectioni reſpondetur, quod ſine macula iogreditur, quisquis ſuorum pœnitentiâ ductus peccatorum, reſurgit tandem, &, quod ſibi reliquum eſt, vitæ Deo Optimo vovit, neque tamen prius ingreditur, quàm ſua omnia peccata, Deo, & Sacerdoti confeſſus fuerit, & corde gemuerit. Scriptum eſt enim in Ezechiele. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & juſtitiam vitâ vivet, & non morietur; Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor.* Ecce igitur! quomodo quis hanc vitam ſine macula innocens ingredi poſſit. Subnectam etiam perappoſitè, quod Prælati noſtræ Congregationis poſſunt vigore privilegiorum Leonis X. etiam ingredientes non modò à peccatis abſolvere, & ab omni excommunicatione; verùm etiam ſuper omni voto, exceptô Religionis, ibi diſpenſare. Poſtquam ergo aliquis ſuccinctîs lumbîs, & calceatîs pedibûs, ùt ſuprà, ingreſſus fuerit iter, & collum ſuavi jugo

Domi-

Domini ſuppoſuerit, operetur ambulando juſtitiam, quæ unicuique, quod ſuum eſt, tribuit: loquatur veritatem in corde ſuo, non agat lingua dolum, non faciat proximo ſuo malum, non accipiat opprobrium adversùs proximos ſuos, & tandem malignum diabolum, aliqua ſuadentem, ſibi cum ipſa ſuaſione ſua à conſpectu cordis ſui jejuniis, & orationibus reſpuat, ad nihilum deducat, & parvulos, ac debiles cogitatus ejus teneat, & allidat ad Petram Chriſtum. Et ſic poſt hujus vitæ curſum ad cæleſtem illam Hieruſalem, in qua *Rex Regum ſtellatô ſedet ſoliô*, Deo juvante perductus, *habitabit in ſancto tabernaculo Domini, & in æternum requieſcet in monte ſancto Domini ejus.*

Qui timentes Dominum, de bona obſervantia ſua non ſe reddunt elatos; ſed ipſa in ſe bona non à ſe poſſe, ſed à Domino fieri exiſtimantes operantem in ſe Dominum magnificant, illud cum Propheta dicentes: Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da Gloriam. *Sicut nec Paulus Apoſtolus de prædicatione ſua ſibi aliquid imputavit dicens:* Gratia Dei ſum id, quod ſum. *Et iterum ipſe dicit:* Qui gloriatur, in Domino glorietur. *Unde & Dominus in Evangelio ait.* Qui audit verba mea hæc, & facit ea, ſimilabo eum viro ſapienti, qui ædificavit domum ſupra petram. Venerunt flumina, flaverunt venti, & impegerunt in domum illam, & non cecidit, quia fundata erat ſupra petram. *Hæc complens Dominus expectat quotidie his ſuis ſanctis monitis factis nos reſpondere debere. Ideo nobis propter emendationem malorum hujus vitæ dies ad inducias relaxantur,* dicente Apoſtolo: an neſcis, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? *Nam pius Dominus dicit:* Nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat. *Cùm ergo interrogaſſemus Dominum Fratres, de habitatore Tabernaculi ejus, audivimus habitandi præceptum. Sed ſi compleamus habitatoris officium, erimus Heredes Regni Cœlorum.*

Quoniam ſæpe numero virtutum ſolet, & honeſtorum actuum comes eſſe ſuperbia, & animi elatio: & quia etiam antiquus ille ſerpens & perpetuus humani generis hoſtis diabolus nunquam deſinit eis, quos obedientia, caſtitate, morum probitate, vitæ ſanctimonia, doctrina, cæteriſque virtutibus plurimùm pollere conſpexerit, parare inſidias, ut cùm in aliis ipſos ſuperare nequiverit, reddat eos ſaltem elatione, & arrogantia Deo ingratos, contumaces, & criminoſos, conſentaneum viſum eſt Divo Benedicto, ſe Monachos præmonere, ne poſteaquam toto tempore in vigiliis, orationibus, & abſtinentiis, rectas facere ſemitas Domini elaboraverint, tandem in abominabile ſcelus elationis incidant, quod pulcherrimum lucis Angelum ad ima usque tartarea regna perduxit. Inquit igitur ipſe ſanctus Pater. *Qui timent Dominum de bona obſervantia ſua non ſe reddunt elatos, ſed &c.* Superbia (inquit Aug.) gloriam de cœlis dejicit Angelicam, & humilitas ad cœlos aſcendere fecit infirmitatem humanam. O Fratres! ſubdit, cavete, ne orantes, vel legentes, vel ſtantes, vel ſedentes, vel vigilantes dicatis ore, vel corde habitantes in cinere, & cilicio cum Phariſæo. *Gratias tibi ago Domine, quia non ſum ſicuti alii homines.* Hoc nos ſolitariam vitam ducentes diabolo inſtigante ſæpe contingit, ut frequenter aggredi, ac dicere tenentur ab inimico ſervorũ Dei, potius volo vos Eremum exire, quàm talia dicere, vel cogitare. Sed dum tentamini hoc aſſerere, vel de vobis ipſis cogitare, mox clamate, mox ululate, & dicite cum Propheta: *Ego ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Ita enim feciſſe, & dixiſſe, quotquot fuêre ſancti Cœnobitæ, omnes uno ore fatentur. Et revera omnes, qui audiunt, & faciunt verbum Dei, & nihilominus ponunt Deum adjutorem ſuum, nullatenus ſperantes in multitudinem divitiarum, & virium ſuarum, nec prævalentes in vanitate ſua, ii ſunt, qui ita ædificaverunt, & fundaverunt domum ſuam, & bona opera ſua ſuper petram, ut nec fluminibus cogitationum, nec vento ſpiritûs elationis ullo unquam tempore poſſint evelli, & ideo ſanctus Pater Romualdus ad evitandam propriam laudem, & ludum finxit, & ſocios quæſivit: Quo autem modô fugare poſſimus à nobis ipſum ſpiritum elationis, & ſuperbiæ docuit nos pius Benedictus, dum dixit ſuperbienti Monacho. Signa cor tuum Frater, quid eſt, quod loqueris? ſigna cor tuum. Cùm igitur nihil boni à nobis ipſis facere poſſimus, à Domino fieri exiſtimemus, & ipſum ſolum magnificemus, qui omnia bona fieri præcipit ad ſuam, non ad noſtram gloriam, ut eam mercedem, quam nemo alius præſtare poteſt, ab ipſo recipere mereamur. Reliquum autem hujus partis Proëmii ſatis per ſe clarum, & manifeſtum eſſe videtur, cùm ſciamus omnes hæc omnia à nobis potius opere, & facto præſtanda, & adimplenda, quàm verbis, dum ipſe patientiâ ſuâ nos ad pœnitentiam ſuam expectat, & adducit dicente Apoſtolo: *Eſtote Fratres verbi, non auditores tantùm*, & ſic complebimus hoc iter agentis officium in hac vita, & tandem erimus cum ipſo hæredes Regni Cœlorum.

Ergo præparanda ſunt corda noſtra, & corpora ſanctæ præceptorum obedientiæ militanda:

&

& quod minus habet in nobis natura poſſibile, rogemus Dominum, ut gratiæ ſuæ jubeat nobis adjutorium miniſtrari. Et ſi fugientes gehennæ pœnas ad vitam volumus pervenire perpetuam, dum adhuc vacat & in hoc corpore ſumus, & hæc omnia per hanc lucis vitam vacat implere, currendum, & agendum eſt modo, quod in perpetuum nobis expediat. Conſtituenda eſt ergo à nobis Dominici ſchola ſervitii, in qua conſtitutione nihil aſperum, nihílque grave nos conſtituturos ſperamus. Sed & ſiquid paululum reſtrictius dictante æquitatis ratione propter emendationem vitiorum, vel conſervationem charitatis proceſſerit, non illico pavore perterritus, refugias viam ſalutis, quæ non eſt niſi anguſto initio incipienda: Proceſſu verò converſationis, & fidei, dilatato corde inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei, ut ab ipſius numquam Magiſterio diſcedentes, in ejus doctrina uſque ad mortem in Monaſterio perſeverantes, paſſionibus Chriſti per patientiam participemus, ut & regni ejus mereamur eſſe conſortes. Amen.

Cùm ea, quæ hac poſtrema parte Prœmii continentur, nulla, aut modica declaratione indigeant, ſatis, ſupérque erit dixiſſe, quod perductis Monachis in ſanctam Religionem, & viam, quæ ducit ad Altiſſimi Tabernaculum, nihil aliud ſupereſt, niſi ut præparemus corpora & corda noſtra ad mandatorum obedientiam. Corda, quoniam non quid, ſed qua intentione, corde, & animo operemur, reſpicit Deus: Corpore, quoniam non niſi auxiliante ipſo, cor noſtrum, & anima opus ſuum perficere poſſunt. Cæterum ſi æque, ac anima rationalis, quæ ambo hominem conſtituunt, ab uno eodémque homine procreantur, & ipſa caro quemadmodũ futura eſt immortalis, nonne æquum eſt, & rationabile, ut & ipſum erga Deum, Creatorem, & Redemptorem ſuum ſuo fungantur officio, & aliquam exhibeat ſervitutem? & ambo ſimul, dum hâc vitâ vacat, quod nobis in perpetuum expediat, operentur? Verùm, quoniam longè minùs habet in nobis natura poſſibile, quàm quod opus eſt ad noſtram ſalutem, & ad rationabile Deo præſtandum obſequium, monet ſanctus Pater, rogitemus Dominum, ut gratiæ ſuæ jubeat nobis adjutorium miniſtrari, ſi modo gehennæ pœnas fugere, & ad vitam optamus pervenire perpetuam, & ita pro viribus hucusque demonſtravimus, quæ fuerit intentio pii noſtri Legislatoris in hoc Prœmio Regulæ, per quam ſcholam, ut ipſe ait, & Confraternitatẽ quamdam ordinavit ſervis Domini, in qua nihil profecto grave, nil aſperum iis videbitur conſtituiſſe, qui noverint, ſe pro parvis magna, pro terrenis cæleſtia, & pro temporalibus ſempiterna eſſe recepturos.

De Generibus, vel vita Monachorum.

CAPITULUM I

Monachorum quatuor genera eſſe manifeſtum eſt. Primum cœnobitarum, hoc eſt, Monaſteriale militans ſub Regula, vel Abbate. Deinde ſecundum genus eſt Anachoretarum, id eſt, Eremitarum; horum, qui non converſionis fervore novitio, ſed Monaſterii probatione diuturna didicerunt contra diabolum multorum ſolatio jam docti pugnare: & bene inſtructi fraterna ex acie ad ſingularem pugnam Eremi, ſecuri jam ſine conſolatione alterius, ſola manu, vel brachio contra vitia carnis, vel cogitationum, Deo auxiliante, pugnare ſufficiunt. Tertium verò Monachorum teterrimum genus eſt Sarabaitarum, qui nulla Regula approbati, vel experientiâ magiſtrâ, ſicut aurum fornacis; ſed in plumbi natura molliti, adhuc operibus ſervantes ſæculo fidem, mentiri Deo per tonſuram noſcuntur. Qui bini, aut terni, aut certè ſinguli ſine Paſtore, non Dominicis, ſed ſuis incluſi ovilibus, pro lege eis eſt deſideriorum voluptas; cùm quidquid putaverint, vel elegerint, hoc dicunt ſanctum, & quod noluerint, hoc putant non licere. Quartum verò genus eſt Monachorum, quod nominatur Gyrovagum; Qui totâ vitâ ſuâ per diverſas Provincias, ternis, aut quaternis diebus, per diverſorum cellas hoſpitantur, ſemper vagi, & nunquam ſtabiles & propriis voluptatibus, & gulæ illecebris ſervientes, & per omnia deteriores Sarabaitis. De quorum omnium miſerrima converſatione melius eſt ſilere, quàm loqui. His ergo omiſſis ad Cœnobitarum fortiſſimum genus diſponendum, adjuvante Domino, veniamus.

Cùm poſt multos alios ſummos Pontifices Leo X. conceſſerit Capitulo, & Deffinitoribus noſtræ Congregationis liberam, ac plenam auctoritatem, & facultatem Regulam interpretandi, Divinum Officium ordinandi, Statuta, & Conſtitutiones formandi, & prius factas in toto, vel parte (prout rerum, vel temporum qualitas exigit,) tollendi, alterandi, & in melius commutandi, absque tamen ipſius Regulæ in ſubſtantia, vel effectu variatione. Ipſi Reverendi Patres de mandato etiam, & comiſſione, ùt ſuprà Sanctiſſimi Domini noſtri Pii Papæ V. pro moribus reformandis, & pro tuenda, & conſervanda pace, charitate, & unione noſtræ Congregationis, non modò fecerunt infraſcriptas

Declarationes, & Conſtitutiones, verùm etiam omnes alias, quæ retroactis temporibus, quocumque modo factæ fuiſſent, irritas, & caſſas in omnibus, & per omnia, eſſe voluerunt: ſelectis tamen infraſcriptis à ſancta Sede Apoſtolica confirmatis, & aliis, de quibus infrà ſuô locô dicemus. In primis igitur cùm iſtud verbum Monachus, quod Latinè interpretatur Solitarius, ſit nomen generale ſub ſe diverſa Monachorum genera continens, non abs re eſſe futurum duxit ſanctus Pater, quæ cuilibet eorum ſaceret verba, & cuinam ipſorum hanc ſuam Regulam, & vivendi normam traderet, demonſtrare, quam ſanè rem conſiderantes ipſi Patres ſuper unoquoque genere, præterquam Cœnobitarum noſtri Ordinis, pro quorum inſtitutione vitæ, ea omnia, quæ hoc libro habentur, & continentur ſcripta, & conſtituta fuêre, quædam conſideranda & ſtatuenda duxerunt. Quod igitur ad Eremitas noſtros Camaldulenſes, veteres Conſtitutiones innovando, Leonis X. privilegiis inhærendo, Priorem ipſius Eremi, omnibus in locis Congregationis noſtræ debere poſt Generalem ſupra omnes Abbates alios, & Priores, (præterquam ſupra eum, in cujus eſſet Monaſterio) locum habere ſtatuerunt, propter loci illius dignitatem, qui & principium fuit, & inpræſentiarum eſt totius noſtræ Congregationis Caput. Similiter ordinaverunt, & ita fieri præceperunt, ut ejusdem loci Eremitæ ſemper habeant locum (poſthabita omni ratione, & reſpectu Profeſſoris) ſupra eosdem Cœnobitas noſtros, cum quibus eſſent quoad ſacros ordines in pari gradu: imo volunt ipſius etiam Fontis boni ſive Camalduli Subpriorem, & Camerarium in Choro poſt Prælatos immediatè, & in Refectorio menſâ ipsâ Prælati ab omnibus honorari.

Quod ad tertium Monachorum genus, quod dicitur Sarabaïtarum, ut in omnibus, quàm maximè fieri poteſt, ipſorum vitam, & mores, veluti quamdam peſtem vitemus, decreverunt, ut impoſterum nullum aliquod conſtituatur Monaſterium, cui præſit Abbas, vel Prior, tamquam loco principali, cujus non valeat redditus, & proventus duodecim Monachos ad minus ita ſuſtentare, & de facto ſuſtentent, ut inibi diſciplina Regularis, & Monaſtica obſervantia commodè fieri, & ſervari poſſit. Et revera parva quædam Monaſteria, in quibus non poteſt propter paucitatem proventuum, & conſequenter Monachorum fieri, uti decet, obſervantia, fuêre ſemper & poſthac erunt diverſæ corruptionis Monaſticæ potiſſima cauſa, & totius Regularis diſciplinæ deſtructio. Nullô igitur pactô permittant Generales, atque Deffinitores, in quorum manibus in futurum erit regimen noſtræ Congregationis Camaldul. ut de novo erigantur, ſive recipiantur hujusmodi parva Monaſteria, & ſi qua in præſentia ſunt, aut omni modo provideatur, ut in eis duodecim Monachi comorari poſſint, aut vicinioribus ſimilibus uniantur; ita ut ex duobus fiat unum tantummodo Monaſterium, in quo (uti decet Monachos) ita vivatur, ut rationabile noſtræ ſervitutis Deo præſtetur obſequium, & Regularis obſervantia omnimodo conſervetur. Quod ſi fiet (fiet autem auxiliante Domino) nihil commune habebimus cum ipſis Sarabaïtis.

Quod verò ad ea loca attinet, quæ hodie non ſunt vera Monaſteria, neque Abbatiæ, licèt aliàs fortaſſe fuerint, & hujusmodi alia, quæ dicuntur, & ſunt veluti membra alicujus principalis Monaſterii, præcipiunt Patres, ut in eis non minus, quàm duo Monachi teneantur, qui Prælato principalis loco in omnibus obediant, ita abſit, ut ab eo alter, vel ambo ad ejus arbitrium mutari poſſint, & amoveri. Quod ſi fieri non poſſet propter ejusmodi locorum parvos redditus, & fructus, aut procuretur, ut omnis cura animarum, ſi imminet, amoveatur, aut per Presbyteros ſæculares exerceatur. Et breviter Monachis noſtræ Congregationis nullô pactô permittatur, ut quovis loco ſoli, & absque alio ſociante Monacho permaneant. Et ita noſtri effugient Cœnobitæ omnem ſimilitudinem, quam habere poſſent cum abominabili genere Sarabaïtarum, quod pluribus in locis, & Auguſtinus & Hieronymus mirum in modum damnare, & vituperare conantur.

Quod ad quartum genus, id eſt, Gyrovagorum (ùt ajunt) quoniam fieri facillimè poſſet, niſi prævideretur, ut noſtri Cœnobitæ ipſis per Regularis diſciplinæ inobſervantiam, præſertim extra clauſuram circumvagando perſimiles evaderent. Ideo ipſi reverendi Patres, ut omnem convenientiam, & ſimilitudinem, quam cum ipſis Gyrovagis habere poſſent, effugiant, in primis conſtituerunt, ut nullo pacto audeant Prælati, & eorum conventuales ad Capitulum profecturi, ex propriis Monaſteriis ad hoc diſcedere, niſi tot dies ante, quot ad perveniendum euntibus recto tramite ad locum Capitulo deſtinatum celebrando, ſufficere commodè poſſint. Dummodo illuc perveniant ſexta feria, quæ præcedit diem Dominicam, in qua ipſum Capitulum incipit celebrari. Quod ſi quis Præla-

Prælatus, vel Monachus, aliique ex recta via divertendo aliter egerint, in ipſo immediatè ſubſequenti Capitulo, & Deſfinitorum electione careat voce activa, & paſſiva. Similiter teneatur quilibet eorum abſolutô Capitulô quàm citiſſimè recto tramite ad propria remeare, & contra facientes, abſque licentia Generalis, graviter puniantur: videlicet Prælatus ſequenti proximo Capitulo puniatur, & ſit privatus pro ea vice tantùm activa voce, & paſſiva, & Monachus non poſſit eôdem ſequentî annô elegi conventualis. Sicuti enim nulla alia res magis ſervat, & auget Monaſticam dignitatem, quàm videre Monachos intra ſepta Monaſterii perpetuò commorari: ita nulla alia magis eam videtur minuere, atque deſtruere, quàm inutilis, & omnino ſuperflua vagatio extra ipſum Monachis. Qui tempore Capituli, vel aliàs ab uno Monaſterio ad aliud transmittentur, non liceat niſi magna neceſſitate in eodem loco, à quo diceſſuri ſunt, diutius permanere, aut moram trahere, quàm per tres dies, à quo eis hujusmodi petmutatio fuerit denunciata, & collata proviſio, quâ ſemet, & ſua in Monaſterium, ad quod petrexerint, transportare queant, idque ſub pœna amiſſionis, vocis tam activæ, quàm paſſivæ per annum. Qui quidem Monachi, ut etiam diſponitur in antiquis noſtris Conſtitutionibus, imo, & Prælati omnes teneantur, cùm eis ex uno ad aliud Monaſterium transmigrare contigerit, ſub gravi pœna arbitrio Reverendiſſimi Generalis, & Viſitatoris imponenda, ea omnia palam facere, & ſigillatim oſtendere, quæ ſecum transportare, vel transportari facere voluerint; Monachi Prælato domûs, ex qua ſunt diſceſſuri, vel ejus vicem regentibus, & Prælati ſimiliter Succeſſori ſuo, vel Senioribus Monaſterii. Nullus neque Prælatus, neque privatus Monachus poſſit patriam, aut parentes inviſere in locis diſtantibus, & ubi non ſunt Monaſteria noſtri Ordinis, niſi de licentia Patrum Deffinitorum, vel in aliquo caſu Reverendiſſimi Patris Generalis, & Vicarii in Provincia exiſtentis: & qui hac facultate ſibi facta ivetint, non niſi decem dierum ſpatio ad ſummum ibi manere poſſint, cùm indecens ſit, & vituperatione dignum Monachos in Laicorum domibus commorari. Et Prælati, qui contra hoc egerint, cujuslibet dignitatis privationi ſubjaceant: Monachi verò, ad arbitrium Deffinitorum, vel Generalis, aut Vicarii, juxta qualitatem transgreſſionis puniantur. Quod verò ad eos, in quorum patria ſunt Monaſteria Ordinis, poteſt eis Reverendiſſimus Generalis præbere licentiam, patriam ipſam, ac parentes inviſendi: Dummodo ad Monaſteria noſtra primò ſe conſerant, & in eis ſemper comedant, & pernoctentur. Quod ſi quis in domibus ſæcularium quavis occaſione, præſertim iis diebus, quibûs Laici veſci ſolent carnibûs, prandere, cœnari, aut etiam pernoctari auſus fuerit, graviori pœnâ à Patre Generali, & Viſitatoribus puniatur. Et hanc licentiam, ùt diximus, parentes inviſendi poſſe dari toto ordine ab ipſo Generali volunt Patres, ut poſſit etiam tribuere quilibet Provincialis. Vicarius in ſua Provincia, & omnis Abbas, ſeu Prælatus in ſua jurisdictione: ut puta, Vicarius Flaminiæ ad omnem locum illius Provinciæ, ſuos poteſt Monachos licentiare. Et Abbas Roſæſenarum per omnia ſua loca, quæ ſunt in Territorio Senenſium, & ſic de ſingulis. At verò Prælati, quorum jurisdictio ob arctitudinem loci, in quo morantur, parva eſt, & exigua, ſicuti eſt Prioris ſanctæ Mariæ, & Benedicti de Monte S. Sabini, Abbatis Murani, & aliorum hujusmodi, poſſint ſuis Monachis licentiam dare eundi extra Monaſterium ad decem milliaria: hac tamen lege, ut nusquam extra domos Ordinis, niſi magna cogente neceſſitate, noctem vel unam tranſeant in ſæcularium domibus. Prælati verò ipſi, quocumque voluerint, ire poſſint, dummodo ſuarum Provinciarum terminos ſine licentia, niſi maxima urgente neceſſitate, non egrediantur. Camerarios itidem, ſive Cellerarios, & Procuratores ob negotia Monaſterii iidem Prælati, quotiescunque opus fuerit, quovis mittere valeant. Attamen ſcire debemus, quod quantò minùs, vel ipſi Prælati vagabuntur, vel vagari, alios permiſerint extra Monaſteria, tanto magis maledicentium linguas, ſcandala, & pericula omnia evitabunt. Ii verò, qui de licentia ſuorum Prælatorum limites Monaſterii, intra tamen jurisdictionem ipſorum, viſendorum parentum gratiâ prodibunt, non valeant, ubi non ſunt Monaſteria, aut Hoſpitia Ordinis, ultra tres dies manere: ſi verò ibi fuerint domus Ordinis, poterunt ad beneplacitum Prælati manere, infra tamen numerum decem dierum. Et ne iterum nobis redeundum ſit ad loquendum de authoritate Vicariorum Provinciarum, ſanxerunt iidem ſupremi Patres, illos, abſente Reverendiſſimo Generali, eandem in Provincia habere auctoritatem ſupra Monachos, quam habet ipſemet Generalis in toto ordine ſuper omnes. At verò ipſo præſente in Provincia, Vicarium illius omni tali auctoritate privari. Verùm quia parum eſſet extra civitates, & oppida non vagari, ſi etiam ſuperflui diſcurſus, per urbes ipſas non tollerentur. de-

creverunt ipſi ſummi Patres, quod non ſolùm Monachi, non egrediantur ſepta Monaſterii absque licentia, & benedictione, alioquin, ut fugitivi graviſſimè puniantur: ſed etiam vetuerunt, ne Prælati facultatem talem egrediendi facere poſſint, niſi Priori, Subpriori, Magiſtro Novitiorum, Camerario, Procuratori. Quibus tamen alium Monachorum comitem dare valeant, ſecundùm quod eis viſum fuerit. In aliquo tamen neceſſitatis caſu poſſit Abbas, quem voluerit, quò voluerit, & quibuscumque voluerit, mittere. Illud nihilominus ſemper præ oculis habeat, quod quantò minùs Monachi videbuntur per civitatem vagari, tantò ipſe commendabilior erit, ùt iidem Monachi in majori pretio, & æſtimatione ab omnibus habebuntur, & veræ clauſtralis obſervantiæ amatores cenſebuntur, erúntque. Prælati verò contra facientes huic ſanctæ Conſtitutioni judicentur, ſi ita res exigere videbitur, omnis Prælationis officio indigni, & qui aliis præſint minùs idonei. Converſi verò ob neceſſitates Monaſterii poſſint à Prælato ſoli transmitti, niſi fortè juvenes ſint, aut ſuſpecti. Et ſimiliter à Monaſteriis noſtris, quæ ſunt extra urbes, nullus Monachus, neque etiam Camerarius, & Procurator ſolus mitti poſſit ad Civitatem, & oppidum, & caſtrum pedeſter, ſed vel converſus mittatur, vel Monachus equeſter. Quando itidem è dictis locis, neceſſitas eſt pergendi ad Civitatem Proceſſionum gratiâ, aut aliâ quâcumque causâ ſimili, ſub pœnis graviſſimis non permittat Abbas, vel Prior Monachos turmatim, ſparſim, & ſine ordine aliquo proficiſci; ſed ipſe cum iis poſt crucem ordinatè pergat, nec loquantur inter eundum cum Laicis, nec ipſe inter ſe, niſi fortè ſubmiſſa voce de iis, quæ ad Deum, & ad ſalutem animarum attinent. Quin imo eâ incedant modeſtiâ, quâ benè morigeratos ac ſanctos Monachos decet incedere. Et hoc pacto, quantùm attinet ad hujus primi Capituli diſpoſitionem, evitabitur omnis ſimilitudo, & convenientia, quæ haberi poſſit cum Gyrovagis.

Qualis debeat eſſe Abbas.

CAPITULUM II.

Abbas, qui præeſſe dignus eſt Monaſterio, ſemper meminiſſe debet, quod dicitur, & nomen Majoris factis implere: Chriſti enim agere vices in Monaſterio creditur, quando ipſius vocatur pronomine, dicente Apoſtolo. Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater. *Ideóque Abbas nihil extra præceptum Domini (quod abſit) debet docere, aut conſtituere, aut jubere: ſed juſſio ejus, vel doctrina fermento divinæ juſtitiæ in diſcipulorum mentibus conſpergatur. Memor ſit ſemper Abbas, quia doctrinæ ſuæ, vel diſcipulorum obedientiæ, utrarumque rerum in tremendo judicio Dei facienda erit diſcuſſio. Sciátque Abbas, culpæ Paſtoris incumbere, quidquid in ovibus Paterfamilias utilitatis minùs potuerit invenire. Tantumdem iterum liber erit, ut ſi inquieto, vel inobedienti gregi Paſtoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus univerſa fuerit cura exhibita. Paſtor earum in judicio Domini abſolutus, dicat cum Propheta Domino;* Juſtitiam tuam non abſcondi in corde meo, veritatem tuam, & ſalutare tuum dixi. *Ipſi autem contemnentes ſpreverunt me. Et tunc demum inobedientibus curæ ſuæ ovibus pœna ſit eis prævalens ipſa mors.*

Vir certè vitâ Venerabilis, gratiâ Benedictus, & nomine, poſtquam locutus eſt de dictis quatuor generibus Monachorum, ſciens integritatem Præſidentium, ſalutem eſſe ſubditorum, nec non malè regi eas familias, & oves, quæ bonis careant Patribus, atque Paſtoribus, & in illis dominibus nullam eſſe diſciplinam, in quibus unicuique pro ſua voluntate, & arbitrio licet vivere, quin potiùs luxuriari, & laſcivire: Idcirco ab eis, qui Monaſteriis, & Monachis præſunt, initium ſuæ Regulæ cenſuit eſſe ſumendum. Quoniam autem in tractando de qualitatibus Abbatum ita copiosè, quod voluit, & quod fuit altæ menti divinitùs inſpiratum, ſcriptis ſuis implevit, atque ideo rectè perfecit, ut nihil huic Capitulo addi, minuive poſſe videatur: ideo ipſi RR. Patres, Præſidens, & Diffinitores, ante omnia præcipiunt omnibus, & ſingulis Abbatibus, & Prioribus non Titularibus, ùt ajunt, ſed regimen habentibus, ut ſaltem ſemel in menſe, ipſum Regulæ Capitulum, cui titulus eſt: *Qualis debeat eſſe Abbas*, attentiſſimè legant, ùt vel inviti meminerint, quæ sui ſint officii partes, & attendentes ſibi commiſſo gregi vigilent, in omnibus laborent, & ſuum miniſterium impleant. Abbas præterea meminiſſe debet, quod is nomine eſſe dicitur: videlicet Monachis eſſe Patrem, & non Dominũ: Et ideo debere eos paterno affectu, & charitate, ut verè filios in Domino amare, & non ſuper eos tyrannidem quodammodo exercere, & ita factis

factis nomen, quod habet Majoris, & Patris implere. Iidem meminerint ſe in Monaſterio ejus agere vices, qui non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. Et licèt Abbas in docendo, conſtituendo, & jubendo maximam auctoritatem habere videatur: ſciat tamen nihil ſe debere extra præceptum Domini docere, conſtituere, & jubere. Qui quidem Dominus non modo ſemper damnavit eos, qui dicunt, & non faciunt, & qui in humeros hominum onera importabilia imponentes, nolunt ea vel digito movere: verùm etiam venit ipſe non legem ſolvere, ſed adimplere, nec voluntatem ſuam, ſed ejus, à quo miſſus fuerat, facere. Memor ſit etiam Abbas faciendam eſſe in judicio diſcuſſioñ ſuæ doctrinæ, & ſuorũ obedientiæ diſcipulorum. Sed quomodo doctrinæ ſuæ, ſi non docuerit, vel ſi non ad hoc operá dederit, atque ſtuduerit, ut alios doceret? Quomodo diſcipulorum obedientiæ, ſi neſcièrit, quæ ſunt ſecundùm legem Domini, jubere ſubditis? ſtudeant itaque, ac diſcant totis viribus Abbates, & Priores non ſcientiam hujus mundi, quæ apud Deum ſtultitia eſt, præ manibus ſemper habere, ſed ipſam Domini legem immaculatam animas convertentem præcipere, & fideie teſtimonium Dei, ſapientiam parvulis, & humilibus præſtans perficiendum quotidie mandare, ac tradere. Cæterùm ſi Abbatis culpæ eſt tribuendum, quidquid minùs utilitatis Paterfamilias, nempe Dominus Deus noſter, ex ſuis ovibus acceperit? quibus pœnis illos eſſe puniendos arbitramur, qui greges ſibi commiſſos, mercenariorum more, (ne dicam perdunt & mactant) deſerunt, & ovium ſuarum cuſtodiæ minimè incumbunt, cùm ſit certiſſimum ſecundùm Regulam, quæ habetur in decretalibus, non admitti Paſtoris excuſationem, ſi lupus oves comedit, & Paſtor ignorâſſe ſe dicat, ac certè neſciat. Beatus enim Paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis, tantùm abeſt, ut, ovili derelicto, curam gregis ullo unquam tempore negligere poſſit.

Cùm ergo aliquis ſuſcipit nomen Abbatis, duplici debet doctrina ſuis praeeſſe diſcipulis, id eſt, omnia bona, & ſancta factis ampliùs, quàm verbis oſtendat, ut capacibus diſcipulis mandata Domini verbis proponat: duris verò corde & ſimplicioribus factis ſuis divina præcepta demonſtret. Omnia verò, quæ diſcipulis docuerit eſſe contraria, in ſuis factis indicet non agenda, ne aliis prædicans, ipſe reprobus inveniatur. Ne quando illi dicat Deus peccanti. Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu verò odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos poſt te? *Et qui in Fratris tui oculo feſtucam videbas, in tuo trabem non vidiſti? Non ab eo perſona in Monaſterio diſcernatur. Non unus plùs ametur, quàm alius, niſi quem in bonis actibus, aut obedientia invenerit meliorem. Non præponatur ingenuus ex ſervitio converteuti; niſi aliqua rationabilis cauſa exiſtat. Quòd ſi ita juſtitia dictante Abbati viſum fuerit, & de cujuslibet ordine id faciat, ſin aliter, propria teneant loca. Quia ſive ſervus, ſive liber, omnes in Chriſto unum ſumus, & ſub uno Domino æqualem ſervitutis militiam bajulamus. Quia non eſt apud Deum perſonarum acceptio. Solummodo in hac parte apud ipſum diſcernimur, ſi meliores ab aliis in operibus bonis, & humiles inveniamur. Ergo æqualis ſit ab eo omnibus charitas, una præbetur omnibus ſecundùm merita diſciplina.*

Satis memor erit ſui officii Prælatus, & nominis quod habet Abbatis, ſi conſiderans nullam fere poſſe majorem ſervitutẽ excogitari, quàm ut aliquis multorum moribus, & ingeniis ſe conformet, & aptet: & eos duram accepiſſe provinciam, qui regere animas ſuſceperunt: Si non ab ipſo, qui eſt ſalus, robur, & fortitudo noſtra, auxilium aſſiduis precibùs imploraverit. Attamen ſicuti non debetis Patres hujusmodi onera avida electione ſuſcipere, ita etiam nec blanditiæ deſidiâ reſpuere, nec veſtrum otium neceſſitatibus Eccleſiæ ullo modo præponere, ùt latiùs infrà ſuô locô dicemus. Nam ùt ab eo plus exigitur, cui plus committitur, ita ille magis meretur, & longè copioſiùs à Deo remuneratur, qui poſthabitis propriis commoditatibùs in his, quæ Dei ſunt, & circa animarum ſibi commiſſarum ſalutem omni genere charitatis, & majorî, quâ poteſt, diligentiâ verſatur. Ubi dicitur: *Ne diſſimulans &c.* Hortatur Patres, & monet inhærentes pio ac ſancto Regulæ inſtituto Monachos eos, & ſpeciatim Prælatos, Cellerarios, cæteróſque Miniſtros, ut ante omnia, & conſequenter magis, quàm rerum temporalium (quas tamen ùt ſuô locô dicemus minimè negligere, aut dilapidare debent) curam habeant animarum ſibi commiſſarum. Quandoquidem de illis Deo principaliter reddituri ſunt rationem, & ad hoc vocantur, & non ad cumolandos theſauros, & augendas opes, & ut prudentes apud ſupremos Congregationis Patres, ac rerum agendarum periti habeantur, & inde eorum gratiam, & majores dignitates aucupentur. Etenim homini, quid prodeſt, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur. Studeant itaque circa curam animarum ſuô fungentes officiô Deo magis, quàm hominibus placere. Is etenim intuetur cor, mentes proſpicit, ac videt homi-

 mum

num cogitationes, quæ perſæpe vanæ ſunt, & inutiles. Ipſe aliam dabit mercedem ſervis ſuis non falſam, aut tenuem, quemadmodum mundus, ſed veriſſimam, ſed firmiſſimam, & magnam nimis. Anteponant Dei cultum, tam corporis exteriorem, quàm animi interiorem: Sacrum nimirum officium, pſalmodiam, orationem, fidem, ſpem, charitatem, cunctis rebus tranſitoriis, ſcientes, quod qui mundum diligunt homines, mundana, & qui Chriſtum, Chriſtiana ſequuntur. Quod reliquum eſt hujus partis Regulæ, cùm ex ſe ſatis clarum ſit, & apertum, nihil eſt, quod diutius circa ejus expoſitionem Patres immorentur.

De adhibendis ad concilium Fratribus.

CAPITULUM III.

Quoties aliqua præcipua agenda ſunt in Monaſterio, convocet Abbas omnem Congregationem, & dicat ipſe, unde agitur. Et audiens Conſilium Fratrum, tractet apud ſe prudenter, & quod utilius judicaverit, faciat. Ideo autem omnes ad conſilium vocari diximus, quia ſæpe junioribus Dominus revelat, quod melius eſt. Sic autem dent Fratres conſilium cum omni humilitatis ſubjectione, ut non præſumant procaciter defendere, quod eis viſum fuerit: ſed magìs in Abbatis pendeat arbitrio, ut quod ſalubrius eſſe judicaverit, ei cuncti obediant. Sed ſicut diſcipulis convenit obedire Magiſtro, ita & ipſum providè, & juſtè condecet cuncta diſponere. In omnibus igitur omnes Magiſtram ſequantur Regulam, neque ab ea temerè declinetur à quoquam. Nullus in Monaſterio proprii ſequatur cordis voluntatem, neque præſumat quiſquam cum Abbate ſuo protervè, intra, aut extra Monaſterium contendere. Quod ſi præſumpſerit, regulari diſciplinæ ſubjaceat. Ipſe autem Abbas cum timore Dei & obſervatione Regulæ omnia faciat; ſciens ſe procul dubio de omnibus judiciis ſuis æquiſſimo judici Deo rationem redditurum. Si qua verò minora agenda ſunt in Monaſterii utilitatibus, Seniorum tantum utatur conſilio, ſicut ſcriptum eſt: Omnia fac cum conſilio, & poſt factum non pœnitebis.

Tria eſſe in omnibus rebus publicis adminiſtrandis regiminum genera, non eſt, qui ambigat. Monarchiam, id eſt, unius Imperium, Ariſtocratiam, hoc eſt, Optimatum regimen, & Democratiam, id eſt, popularem Principatum. Verùm quoniam nihil difficilius eſt quàm bene operare, ideo Rex, cui pro libidine omnia licet impune agere, raró bene imperat: Plebs etiam, cui proprium eſt nihil bene intelligere, aliquando pejus. Pauci verò, id eſt, Optimates, cùm Princeps eſſe quiſquis optet, plerumque non ſatis concordes regnant. Optimum tamen omnium eſt, vel ſaltem minùs periculoſum unius regimen. Non, inquam, cùm Princeps ait, ſic volo, ſic jubeo, aut cùm vult, quod ſatis ſit pro ratione voluntas, ſed quando ſubditorum omnium, & prudentium utitur conſiliô, & iis legibûs, ſine quibus nulla Reſpublica conſiſtere poteſt. Quod quidem conſiderans Divus Pater Benedictus, poſtquam conſtituit Prælatum in Monaſterio Abbatem, & eſt locutus de iis qualitatibus, quibus, qui futuri ſunt Prælati, ornati eſſe debent, ad limitandam eorum auctoritatem ſubnectit immediatè dictum Capitulum: De adhibendis ad conſilium Fratribus, in quo ſanè Capitulo tria principaliter oſtendit; videlicet Abbatem, quamvis præſit omnibus in Monaſterio, eſſe tamen ita legibus, & Regulæ ſubjectum, ut non liceat ei quodam modo quidquam agere ſuô arbitrio. Secundô locô, quòd, quando præcipua quædam ſunt agenda, debeat convocare omnes Fratres, & auditâ uniuſcujuſque ſententiâ, quod poſtmodum utilius judicaverit, facere. Tertiò, quod, quando minora, & minus præcipua in Monaſterio agi debent, Seniorum tantum utatur conſilio. Ex quibus patet hunc regendi modum Divum Patrem ex veteri Teſtamento ad unquem accepiſſe. Nam erat plebs, erant Seniores, & ſuper omnes unus, qui omnibus præerat, & jubebat. Ubi ergo dicitur in Regula: *Quoties aliqua præcipua agenda ſunt*; nomine rerum præcipuarum, volunt Patres intelligi alienationes omnes bonorum im̄obilium, permutationes, emptiones, locationes ad longum tempus, inſtitutiones Procuratorum, & ea omnia, quæ ſecundùm ſacros Canones, ſi fierent à Prælato ſine omnium Fratrum, & Capituli conſenſu, & voluntate, nullius eſſent valoris. Quæ, inquam, omnia (ſic exigente horum temporum qualitate) antequam proponantur univerſo Capitulo, volunt mature tractari cum Senioribus primum, deinde cum reliquis Monachis in Capitulo: & ſi à majori ultra medietatem, probabuntur, tum executioni mandari, & non aliter, nec aliô modô. Nomine verò rerum minorum, pro quibus exequendis debet Abbas uti tantùm conſilio Seniorum, volunt Patres intelligi, locationes bonorum annuas, promotiones juvenum ad ſacros

ſacros Ordines, & his ſimilia juxta declarationem, & judicium diſcreti Abbatis. Super verbum Abbatis declaraverunt cuncta, quæ in Regula, & Conſtitutionibus de ipſo dicuntur, per omnia debere intelligi etiam de Prioribus, in aliis Monaſteriis, quæ titulum Prioratûs habent. Univerſam autem Congregationem eſſe volunt, non quidem alicujus Conventûs aut Monaſterii, ſed cunctos Ordinis Monachos, vice quorum, ac locô veniunt in Capitulis generalibus, Prælati omnes, & Conventuales, qui pro tempore vocem habent. Nam antiquitùs unumquodque Monaſterium Congregatio erat, & dicebatur, quoniam ſemet regebat, & nulli alii ſubdebatur, niſi Epiſcopo, & Ordinario. Nunc verò univerſus Ordo noſter, ſicut cæteri, Congregatio appellatur, cùm per ſe ipſum regatur; nec ulli alii, niſi Summo Pontifici, immediatè ſubdatur, uti videre licet in ampliſſimis privilegiis nobis à quamplurimis ſummis Pontificibus collatis. Seniorum nomine, ut omnis diſſenſionis occaſio tollatur, declaraverunt, intelligi debere omnes, qui primum occupant locum poſt Prælatum, ſicut ſunt Priores, ſive Subpriores, Decanos quosque, Magiſtros Novitiorum, & Camerarios, cùm tractantur temporalia, & ad ipſos ſpectantia: eos rurſum, qui aliàs fuerunt Prælati, & cæteros denique, quos Prælatus longâ experientiâ judicabit idoneos. Atque in parvis Monaſteriis nomine Seniorum Sacerdotes omnes, qui ſi ita voluerit Prælatus, intelligi iidem Patres declaraverunt. Ordinaverunt præterea, & inviolabiliter ſervari mandaverunt, ut nullus Prælatus, aut Monaſterium poſſit bona immobilia alienare, aut ad Emphiteuſim ttadere, excedentia valorem viginti quinque aureorum, abſque ſpeciali licentia Reverendi Deffinitoris, quam licentiam non poſſit Prælatus petere, niſi priùs rem cum Senioribus tractaverit, & deinceps cum omnibus vocem habentibus in Capitulo. Quantùm verò ad bona immobilia minoris pretii XXV. aureorum quomodolibet ad Monaſterium devoluta, ut iterùm locentur, ſive vendantur, ſufficiat licentia Patris Generalis, aut Vicarii Provinciæ accedente nihilominus conſenſu in his, & aliis alienationibus, ſi opus ſit, ſacroſanctæ Sedis Apoſtolicæ. Et ſiant omnia cum timore Dei, & contractus omnis, qui aliter fierer, & citra rerum ſupradictarum obſervationem, irritus ſit, & nullus: & Prælatus, qui illum fecerit, aut conſenſerit, privetur, aut ſit privatus ipſo jure omni prælatione, & dignitate per biennium. Cæterum ut omni cum humilitate, & modeſtia quilibet ſententiam ſuam in Capitulo dicat, ubi requiſitus fuerit ſecundùm Regulæ tenorem, Patres iidem mandarunt. Prælati verò, qui ordinationibus ſupradictis aliquô pactô contravenerint, vel eas ſervare non curaverint, ad arbitrium Patris Generalis, & Viſitatorum juxta gravitatem transgreſſionis puniantur. Quod ſi ipſi Generales, & Viſitatores à juſtitia declinaverint, poſſint, qui voluerint Monachi, cauſam ad Deffinitorium referre.

Quæ ſint Inſtrumenta bonorum Operum.

CAPITULUM IV.

IN primis Dominum diligere ex toto corde, totâ animâ, tota virtute: deinde proximum tamquam ſe ipſum: deinde non occidere, non adulterari, non facere furtum, non concupiſcere, non falſum teſtimonium dicere. Honorare omnes homines, quod ſibi fieri quis non vult, alteri ne faciat. Abnegare ſemetipſum ſibi, ut ſequatur Chriſtum. Corpus caſtigare, delicias non amplecti, jejunium amare, pauperes recreare, nudum veſtire, infirmum viſitare, mortuum ſepelire, in tribulatione ſubvenire, dolentem conſolari, à ſaculi actibus ſe facere alienum. Nihil amori Chriſti præponere, iram non perficere, iracundia tempus non ſervare, dolum in corde non tenere, Pacem falſam non dare. Charitatem non derelinquere. Non jurare omnino, ne fortè perjuret. Veritatem ex corde, & ore proferre, malum pro malo non reddere, injuriam non facere, ſed & factam patienter ſufferre. Inimicos diligere, maledicentes ſe non remaledicere, ſed magis benedicere, perſecutionem propter juſtitiam ſuſtinere. Non eſſe ſuperbum, non vinolentum, non multùm edacem, non ſomnolentum, non pigrum, non murmuroſum, non detractorem, ſpem ſuam Deo committere, bonum aliquod in ſe, cùm viderit, Deo applicet, non ſibi: malum verò ſemper à ſe factum ſciat, & ſibi reputet. Diem judicii timere, gehennam expaveſcere, vitam æternam omnî concupiſcentiâ deſiderare. Mortem quotidie ante oculos ſuſpectam habere. Actus vitæ ſuæ omni hora cuſtodire. In omni loco Deum ſe reſpicere pro certo ſcire. Cogitationes malas cordi ſuo advenientes mox ad Chriſtum allidere, & Seniori ſpirituali patefacere. Cor ſuum à malo, vel pravo eloquio cuſtodire, multùm loqui non amare. Verba vana, aut riſui apta non loqui, riſum multum, aut excuſſum non amare. Lectiones ſanctas libenter audire. Orationi

tioni frequenter incumbere. Mala præterita cum lacrymis, vel gemitu, quotidie in oratione Deo confiteri. De ipſis malis de cætero emendare. Deſideria carnis non perficere. Voluntatem propriam odiſſe. Præceptis Abbatis in omnibus obedire, etiamſi ipſe aliter (quod abſit) agat. Memores illius Dominici præcepti : Quæ dicunt, facite : quæ autem faciunt, facere nolite. *Non velle dici ſanctum, antequam ſit ; ſed prius eſſe, quò verius dicatur. Præcepta Dei factis quotidie adimplere, caſtitatem amare, nullum odiſſe. Zelum non habere ; invidiam non exercere, contentionem non amare, elationem fugere. Seniores venerari, juniores diligere in Chriſti amore. Pro inimicis orare. Cum diſcordante ante ſolis occaſum in pacem redire, & de Dei miſericordia nunquam deſperare. Ecce hæc ſunt inſtrumenta artis ſpiritalis, quæ cùm fuerint à nobis die noctúque inceſſabiliter adimpleta, & in die judicii reconſignata, illa merces nobis à Domino recompenſabitur, quam ipſe promiſit.* Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus his, qui diligunt eum. *Officina verò, ubi hæc omnia diligenter operemur, clauſtra ſunt Monaſterii, & ſtabilitas in Congregatione.*

Quoniam quartum Capitulum Regulæ à Patribus præſcriptis, non tantùm conſideratione dignum videtur, quàm etiam admirabile, ac propè Divinum, cùm iis de rebus tractet, quæ virtute, ac brevì admodùm verborum periodò univerſam complecti doctrinam Chriſtianam, & ſub quodam quaſi epilogò ſummam totius legis Evangeliæ continere videatur. Idcirco in Chriſti viſceribus, & cum omni charitatis affectu hortatur Prælatos omnes, & Monachos, ut illud ſemper præ oculis habere ſtudeant, & in omni eorum opere illud ſibi ad imitandum præponant. Siquidem unuſquiſque, tanto erit perfectior; ac Regularis obſervantiæ magis amator : quantò diligentiùs ea, quæ in ipſo Capitulo narrantur, implere conabitur. Verùm, quia abſque ſpeciali Dei gratia hujuſmodi divinis inſtrumentis in propria officina, quod eſt Monaſterium, minimè, uti convenit, aut valemus, ea propter omnibus, & ſingulis Prælatis, quò faciliùs hanc gratiam aſſequi valeant, præcipiunt, ac in verbo Domini mandant, ut ſacroſanctum pœnitentiæ Sacramentum, & Altaris crebriùs frequentare faciant. Ita ut quilibet Sacerdos, & in primis Prælatus non ſolùm Dominicìs, & aliìs Feſtìs ſemper celebret, verùm etiam frequentiùs. Imo hortatur, ne à celebratione omni deſiſtant. Qui verò Sacerdotes non ſunt, ſingulìs ſaltem menſibùs ſemel, in Quadrageſima, & Adventu Domini ſingulìs diebùs Dominicìs, & in omnibùs ſolemnitatibùs Domini noſtri, ac Matris ejus Virginis Mariæ, ſacroſanctam Euchariſtiam accipiant. Confeſſionem verò peccatorum, tam converſi, & commiſſi, quàm Novitii juvenes, & Monachi facere ſingulìs diebùs Dominicìs, etiam ſi non communicent, teneantur, ita ut confeſſionem nulli liceat, ut alibi dictum eſt, ultra octavum diem ullo pacto protrahere. Et qui ultra vices dictas communicare voluerint, ut puta, ſingulìs totius anni Dominicìs, ac Feſtìs præcipuìs, quemadmodum conſulit Auguſtinus, poſſint de licentia Prælati, qui ſe facilem in hujuſmodi licentiis dandis, ubi fructum cernit, præbere debet, hoc ſciens : quod qui ad ſacrum Altaris Sacramentum, eâ, quâ debet præparatione accedit, in dies ſemper ſeipſo fit melior, ac ſanctior. Omnibus autem diebus à prandio, vel dictò Completoriò, omnes, ac ſinguli juxta veterem noſtri Ordinis conſuetudinem, in Eccleſiam ad privatas orationes peragendas, & ad Stationum indulgentias ſumendas revertantur. Verùm quia optimi Legiſlatoris non ſolùm intereſt promovere ſubditos, ad ipſam legis obſervantiam, monſtrando, quid agere debeant; ſed etiam deducendo impedimenta : idcirco Patres iidem præſcripti volentes impedimenta bonorum operum è medio tollere, & præcipiunt omnibus, & ſingulis Monachis, ut frequentiam, ac familiaritatem omnem ſæcularium, omnino, &, quantùm fieri poteſt, caveant : Miniſtrìs tamen exceptìs, qui ad negotia Monaſterii aliter facere nequeunt, ſint nihilominùs & ipſi exemplares, & cum omni modeſtia, & humilitate ſuorum Monaſteriorum cauſas cum ſæcularibus tractent. Nullus verò, quovis nomine cenſeatur, audeat ſub pœnis graviſſimis à Prælato injungendis, ſæcularia negotia exercere, ùt puta emere, aut emere facere, vendere, mercari, ac multò minùs alchimiam exercere, mederi, & id genus reliqua, quæ probum Religioſum minimè decent juxta illud Pauli. *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus.* Imo Canonum ſtatutis firmatum eſt, ut quicumque in Clero eſſe voluerit, emendi vilius, & vendendi cariùs ſtudiò non utatur.

Inhærentes præterea Capitulo pervenit ad nos cauſa decima octava, *Quæſtione ſecunda Canonum & Cau.* 14. *Quæſt.* 4. volunt Patres & ſub pœnis gravioribus prohibent, ut Monachi ſibi non faciant Commatres, & Compatres, neque ad fœminas, cujuſvis occaſionis prætextu, niſi in primo, vel altero gradu ſibi attinentes accedant. Quod ſi quis

Præ-

Prælatus, vel ipſe fecerit, aliiſve promiſerit, vel tacitè, vel expreſsè conſenſerit, duplici pœna, quâ puniretur Monachus ipſe, à Patre Generali, & à Viſitatoribus puniatur. Prohibuerunt etiam, & prohibitas omnino eſſe volunt eas omnes artes, quæ à Sacris Canonibus prohibentur in Can. 26. Quæſt. 1. 2. 3. 4. & 5. per totum.

Quoniam rurſus juxta eundemmet Apoſtolum corrumpunt bonos mores colloquia mala, præcipiunt, graviùs puniri eos, qui in loquendo verbum aliquod inhoneſtum, aut minùs religioſum proferrent. Nam ejusmodi verba plerumque indicium eſſe ſolent non ſanæ mentis, cùm ex abundantia cordis os loqui conſueverit. Imo verò non tantùm ab inhoneſtis verbis, & confabulationibus cavere debent Religioſi, quin & ab inanibus colloquiis, & verbis inutilibus, ſcientes, quòd de iis omnibus reddituri ſunt rationem in die judicii. Abſtineant quoque à narrationibus fabularum, aut hiſtoriarum, etiam verarum, quæ aliquam, vel minimam inhoneſtatis præſerentiam, & materiam præſerant, & hoc præcipuè coram juvenibus. Denique ſit memor Monachus verbi Auguſtini, qui ait: nugas in ore ſæcularium, nugas eſſe, at verò in ore Regularium blasphemias eſſe.

Studeant itaque Monachi non ſolùm non egredi ſepta Monaſterii, niſi magnis de cauſis, verùm etiam non nimium vagari per clauſtra, aut viridarium, ſed in Cellis, aut in Eccleſia orationibus, ac lectionibus incumbentes manere velint. Sic enim celia continua dulceſcit. Cùm verò in publicum coram aliis Monachis, vel Laicis prodire neceſſitas erit, aut per civitatem aut oppidum ire, meminerint modeſtiæ, ac compoſitionis oculorum. Rectè namque inſtituti Monachi humi defixos oculos inter eundum habere ſolent, manus inter loquendum non nimis geſticulantes, pedes ſedentes non divaricatos, nihil denique non aptum, non ſanctum, non divinum eundô, loquendô, ac ſedendô, & quieſcendô efficere ſolent. Qui hactenus dicta exequi curabunt, benedictionem, & bonum gratiæ gradum à Domino acquirent, qui verò contempſerint, graviter pro gravitate criminis puniantur: & Prælati, qui in rerum antedictarum obſervatione negligentes inventi fuerint, mulctentur & ipſi ad privationem dignitatis incluſivè, ſi opus fuerit. Etenim indigni ſunt regere alios, qui ſeipſos minimè cuſtodire norunt: & qui ſibi ipſi imperare non valent, bene quoque aliis præcipere nequaquam poſſunt.

De Obedientia Diſcipulorum.

CAPITULUM V.

P*Rimus humilitatis gradus eſt obedientia ſine mora. Hac convenit iis, qui nihil ſibi à Chriſto charius aliquid exiſtimant, propter ſervitium ſanctum, quod profeſſi ſunt, ſeu propter metum gehennæ, vel gloriam vitæ æternæ. Mox ut aliquid imperatum à Majore fuerit, ac ſi divinitus imperetur, moram pati neſciunt in faciendo: de quibus Dominus dicit:* Obauditu auris obedivit mihi. *Et item dicit Doctoribus:* Qui vos audit, me audit. *Ergo hi tales relinquentes ſtatim, quæ ſua ſunt, & voluntatem propriam deſerentes; mox ex occupatis manibus, & quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede jubentis vocem factis ſequuntur. Et veluti uno momento prædicta Magiſtri juſſio, & perfecta diſcipuli opera, in velocitate timoris Dei, ambæ res communiter citius explicantur, quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit. Ideo anguſtam viam arripiunt: unde Dominus dicit;* Anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam: *ut non ſuo arbitrio viventes, vel deſideriis ſuis & voluptatibus obedientes; ſed ambulantes alieno judicio & imperio, in Cœnobiis degentes, Abbatem ſibi præeſſe deſiderant. Sine dubio hi tales illam Domini imitantur ſententiam, quâ dicit:* Non veni facere voluntatem meam, ſed ejus qui miſit me. *Sed hæc ipſa obedientia tunc acceptabilis erit Deo, & dulcis hominibus; ſi quod jubetur, non trepidè, non tardè, non tepidè, aut cum murmure, vel cum reſponſo nolentis efficiatur. Quia obedientia quæ Majoribus præbetur, Deo exhibetur. Ipſe enim dixit:* Qui vos audit, me audit. *Et cum bono animo à diſcipulis præberi oportet:* quia hilarem datorem diligit Deus. *Nam cum malo animo ſi obediat diſcipulus, & non ſolùm ore, ſed etiam in corde ſi murmuraverit; etiamſi impleat juſſionem, tamen acceptum jam non erit Deo, qui cor reſpicit murmurantis. Et pro tali facto nullam conſequitur gratiam; imò pœnam murmurantium incurrit, ſi non cum ſatisfactione emendaverit.*

Cùm in omnibus Congregationibus Religioſorum hominum inobſervantia omnis inde potiſſimùm provenire videatur, quoniam Prælati Præceptoris Regulæ, ac ſanctiſſimis Patrum Conſtitutionibus, quemadmodum par eſſet, non obtemperant: ſi & ipſi legum noſtrarum obſer-

obſervatores eſſent, utique, & eorum ſubditi, cùm à bove majori diſcant arare minores, & talia ut plurimùm ſint membra, qualia ſunt capita. Præterea ipſi ſupradicti Patres præcipiunt omnibus & ſingulis Monaſteriorum Præpoſitis, ut inviolabiliter obediant ipſi, & obſervent, & alios obedire, & obſervare pro poſſe faciant ſanctiſſimam noſtram Divi Benedicti Regulam, nec non Conſtitutiones, & Ordinationes, quæ in declaratione ipſius hactenus factæ ſunt, & quæ imposterum fient: præcipuè verò (nullo habito reſpectu ad ea, quæ quomodolibet in contrarium quidquam diſponerent) has præſentes Conſtitutiones ſervare ſtudeant, qnas in ſolemni Capituli celebratione hôc Annô milleſimô quinquageſimô ſexageſimò nonô, præſcripti Patres, Reformatores, ac Deffinitores de mandato S. D. Domini noſtri Pii V. edendas curârunt, & hoc ſub pœna depoſitionis à quocunque gradu, dignitate, Prælationéque. Quantùm verò ad Monachos Privatos, cùm obedientia ſit unum à tribns principalibus votis, quæ unusquisque Religioſus in ſua ſolemni Profeſſione facit, hortantur, atque per Dominum rogant antedicti Patres omnes, & ſingnlos, ut ſuis Præiatis tamqnam à Deo miſſis obediant in omnibus. Nam cùm promiſerimus Deum, ac Chriſtum Dominum per viam, quæ tendit ad perfectionem, ſequi, & omnem noſtram voluntatem ipſi ſponte obtulerimus, indignum ſanè, ne dicam, impium videtur jam ſemel oblatum repetere per inobedientiam, ac ipſis contraire, quibus ille ait: *Qui vos audit, me audit, & qui ſpernit vos, etiam me ipſum contemnit.* Meminerimus ſine humilitate neminem poſſe ſalvari: humilem verò neque eſſe, neque dici poſſe, qui Deo, & ejus vicem gerentibus obedientiam minimè præſtiterit. Sunt enim adeo connexæ, atque invicem inſertæ, obedientia, & humilitas, ut unam ſine altera nemo habere queat. Imò verò, ùt Catholici Doctores aſſeverant, videtur eſſe obedientia, externum quoddam internæ, ac intùs in corde latentis humilitatis indicium. Et Revendus ille Pater Juſtinianus, qui Eremi Conſtitutiones in unum poſt quingentos annos redegit, atque conſcripſit, vult eadem ratione, quòd, qui infra dicuntur in Regula, humilitatis, dicantur obedientiæ gradus. Propterea, qui obedientes eſſe contemnunt, fruſtra Monaſticam togam induunt, & Monachi dnntaxat nomen, virtutem verò, ac opera nequaquam poſſident.

De Taciturnitate.

CAPITULUM VI.

F*Aciamus, quod ait Propheta*: Dixi: cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiam: obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis. *Hic oſtendit Propheta, ſi à bonis eloquiis interdum propter taciturnitatem debet tacere, quanto magis à malis verbis propter pœnam peccati debet ceſſare? Ergo quamvis de bonis & ſanctis, ad ædificationem eloquiis, perfectis diſcipulis, propter taciturnitatis gravitatem, rara loquendi concedatur licentia: quia ſcriptum eſt*: In multiloquio non effugies peccatum. *Et alibi*: Mors & vita in manibus linguæ. *Nam loqui & docere Magiſtrum condecet: tacere & audire diſcipulo convenit. Et ideo, ſi qua requirenda ſunt à Priore, cum omni humilitate & ſubjectione & reverentia requirantur. Ne videtur plùs loqui, quàm expedit. Scurrilitates verò, vel verba otioſa & riſum moventia, æterna clauſura in omnibus locis damnamus; & ad talia eloquia diſcipulum aperire os non permittimns.*

Conſiderantes etiam ſupradicti Patres Monachum ſemper in omni loco & tempore gravem ſe, & modeſtum exhibere debere, & non minùs in verbis, quàm in actibus religioſum ſe oſtendere, & nihil prætetea taciturnitate, ac ſilentio in Dei famulis commendabilius (quod ad externas attinet cæremonias) reperiri poſſe, præſens hoc ſextum Capitulum Regulæ declarantes, hortantur Monachos omnes, ut, quantum poſſunt, ſtudeant eſſe in ſermone ſobrii, ponant *oſtium circumſtantiæ labiis ſuis*, ſummóque opere caveant ab omni verbo otioſo. Prælatis verò præcipiunt, ut cum omni diligentia in ſnis Monaſteriis hanc partem Regulæ obſervare ſaciant, & ſilentium, in omnibus locis, ac temporibus, juxta ipſius Regulæ tenorem, &, quemadmodum infrà dicetur, inviolabiliter cuſtodirent. Idque facilius obtinebunt, ſi delinquentes graviùs mulctabunt, ac punient. Ut verò omnis occaſio ſcurrilitatis è medio tollatur, ac levitatis, diſtrictè prohibent, & nullô pactô volunt, quòd infrà ſepta Monaſterii, canes, aut aves, vel id genus animalia cætera, quæ ad delicias haberi ſolent, & ſolâ voluptatis causâ, nutriantur. Omnéque genus ludi è noſtris Monaſteriis penitus eliminari, & exulare volunt, ac præcipiunt ſub

gravio-

gravioribus pœnis à Prælato injungendis, ut infrà. Si quis verò intus, vel extra Monaſterium deprehenſus fuerit luſiſſe ad Chartas luſorias, vel taxillos, graviter ad arbitrium Prælati prima vice puniatur. Secundâ verò vice carceris cuſtodiæ ad libitum Patris Generalis, & Viſitatorum mancipetur. Inſuper voce activa, & paſſiva per triennium ſit privatus. Prælati verò, qui in hoc crimen (quod tamen abſit) inciderint, vel ſcientes non punierint, in hoc delinquentes, actutum à ſuis officiis, ac dignitatibus in pœnam abſolvantur. Vetuerunt præterea, ne ullô pactô in Monaſteriis noſtris fiant Comediæ, vel repræſentationes, quas vocant cum veſtimentis ſæcularium: Item ne aliqua quacumque de cauſa, quiſpiam Monachus veſtibus Laicorum induatur, neque ibidem exuatur propriis, ut lavetur in flumine, vel in mari, vel aliis aquis, niſi fortè ſanitatis gratiâ, & de Medicorum conſilio ſit faciendum. Cùm verò Fratres ſimul erunt recreationis causâ intus, vel extra Monaſterium ſummopere cavebunt à clamoribus, & diſſolutionibus; nec ſe invicem tangeat, neque manibus, neque baculis, aut hujuſmodi. Non contendant verbis; nec aliud quidquam agant, quod honeſtati Monachorum non congruat. Et qui alicubi prædictarum rerum contra fecerint, in publico Refectorio in terra jejunabit pane, & aqua toties, quoties in aliquo horum deliquerit. Ut verò omnia iſta melius ſerventur, volunt, quòd in ſimilibus recreationibus Prælatus ſemper inveniatur, vel aliquis de Senioribus. Non poſſint etiam Fratres recreationis gratiâ extra Monaſterium in Domibus ſæcularium, vel etiam Religioſorũ alterius Ordinis, ullô pactô pernoctare ſub pœna privationis activæ, & paſſivæ vocis per annum: causâ tamen negotiorũ Monaſterii liceat, cùm opus fuerit, Camerariis, Procuratoribus, converſis, commiſſis, & aliis deputatis, ſeu miſſis ad aliquod negotium extra Monaſterium, & loca Monaſterii, dormire, in locis nihilominus honeſtis, & ſuſpectione omni carentibus.

De Humilitate.

CAPITULUM VII.

C*Lamat nobis Scriptura divina, Fratres, dicens:* Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur. *Cùm hac ergo dicit, oſtendit nobis omnem exaltationem genus eſſe ſuperbia: quod ſe cavere Propheta indicat, dicens:* Domine, non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei; neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me. *Sed quid?* Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltavi animam meam, ſicut ablactatus ſuper matre ſua, ita retribues in animam meam. *Unde, Fratres, ſi ſumma humilitatis volumus culmen attingere, & ad exaltationem illam caleſtem, ad quam per praſentis vita humilitatem aſcenditur, volumus velociter pervenire; actibus noſtris aſcendentibus ſcala illa erigenda eſt, qua in ſomno Jacob apparuit. Per quam ei deſcendentes, & aſcendentes Angeli monſtrabantur. Non aliud ſine dubio deſcenſus ille & aſcenſus à nobis intelligitur, niſi exaltatione deſcendere, & humilitate aſcendere. Scala verò ipſa erecta noſtra eſt vita in ſaculo, qua humiliato corde à nobis erigitur ad Cælum. Latera hujuſmodi ſcala dicimus noſtrum eſſe corpus, & animam, in quibus diverſos gradus humilitatis vel diſciplina vocatio divina aſcendendos inſeruit. Primus itaque gradus humilitatis eſt, ſi timorem Dei ſibi ante oculos ſemper ponens oblivionem omnino fugiat, & ſemper ſit memor omnium, qua pracipit Deus; Et qualiter contemnentes Deum in gehennam pro peccatis incidat, & vitam aternam, qua timentibus Deum praparata eſt, animô ſuo ſemper revolvat. Et cuſtodiens ſe omni horâ à peccatis, & vitiis cogitationum, lingua, oculorum, manuum, pedum, & voluntatis propria, ſed & deſideria carnis amputare feſtinet. Æſtimet ſe homo de Cælis à Deo ſemper reſpici omni horâ, & facta ſua in omni loco ab aſpectu divinitatis videri, & ab Angelis Dei omni horâ Deo nunciari. Demonſtrat nobis hoc Propheta, dum in cogitationibus noſtris ita Deum ſemper oſtendit praſentem, dicens.* Scrutans corda, & renes Deus. *Et iterum:* Dominus novit cogitationes hominum, quia vanæ ſunt. *Et iterum dicit:* Intellexiſti cogitationes meas à longè. *Et:* quia cogitatio hominis confitebitur tibi. *Nam, ut ſollicitus ſit circa cogitationes ſuas perverſas, dicat ſemper humilis Frater in corde ſuo.* Tunc ero immaculatus coram eo, ſi obſervavero me ab iniquitate mea. *Voluntatem verò propriam ita facere prohibemur, cùm dicit Scriptura nobis:* Et à voluntatibus tuis averte. *Et item rogamus Deum in oratione, ut fiat illius voluntas in nobis. Docemur ergo meritò, noſtram non facere voluntatem, cùm cavemus illud, quod dicit Scriptura:* Sunt viæ, quæ videntur hominibus rectæ, quarum finis uſque ad profundum inferni demergit. *Et cùm pavemus illud, quod dicit Scriptura.* Corrupti ſunt, & abomi-

nabiles facti ſunt in voluntatibus ſuis. *In deſideriis verò carnis ita nobis Deum credamus ſemper eſſe præſentem , cùm dicit Propheta Domino :* Ante te eſt omne deſiderium meum. *Cavendum ergo eſt ideo malum deſiderium , quia mors ſecus introitum delectationis poſita eſt. Unde Scriptura præcipit dicens :* Poſt concupiſcentias tuas non eas. *Ergo ſi oculi Domini ſpeculantur bonos , & malos , & Dominus de cœlo ſemper reſpicit ſuper filios hominum ,* ut videat , ſi eſt intelligens, aut requirens Deum : *Et ſi ab Angelis deputatis nobis quotidie die , noctúque Domino factori noſtro opera noſtra nunciantur &c. Humilitatis gradus eſt , ſi non ſolùm corde Monachus , ſed etiam ipſo corpore humilitatem videntibus ſe ſemper indicet , id eſt , in opere Dei , in Monaſterio , in Oratorio , in horto, in via , in agro , vel ubicumque ſedens , ambulans , vel ſtans inclinato ſit ſemper capite , defixis in terram aſpectibûs , reum ſe omnî horâ de peccatis ſuis exiſtimans , jam ſe tremendo judicio Dei præſentari exiſtimet. Dicens ſibi ſemper in corde illud , quod Publicanus ille Evangelicus fixîs in terram oculîs dixit :* Domine ! non ſum dignus ego levare oculos meos ad cœlum. *Et iterum cum Propheta :* Incurvatus , & humiliatus ſum usquequaque. *Ergo his omnibûs humilitatis gradibûs aſcensîs , Monachus mox ad charitatem Dei perveniet illam , quæ perfecta foras mittit timorem, per quam univerſa , quæ priùs non ſine formidine obſervabat, absque ullo labore velut naturaliter , ex conſuetudine incipiet cuſtodire , non jam timore gehennæ , ſed amore Chriſti , & conſuetudine ipſa bona , & delectatione virtutum ; quæ Dominus jam in operarium ſuum mundum à vitiis , & à peccatis Spiritu ſancto dignabitur demonſtrare.*

Nemo mirari debet ſanctiſſimum Patrem noſtrum Benedictum in hoc ſeptimo Capitulo prolixè , támque accuratè de humilitate tractare, ſiquidem , ùt pauloante dicebamus, ab ipſa (quemadmodum à ſuperbiâ omnia vitia) virtutes omnes , modo quodam oriri , ac emanare noſcantur. Idque præterea facit Patriarcha noſter , & quidem potiſſimum, quoniam optimè novit Dæmonem hoc ſolùm quærere , quos aliis viis , aut aliis vitiis ad ſua vexilla minime attrahere potuit , elationis mediô , & inanî gloriâ, atque ſuperbiâ trahat , & ab ea virtutum ſemita hòc pactô faciat deviare. Ut igitur noſtræ Congregationis Monachi ſint verè humiles , eos præſcripti Patres hortantur , ac in Chriſti viſceribus rogant, ut frequenter, & cum attentione , ipſos duodecim humilitatis , ſeu , ùt quidam volunt , (& quidem non ineptè) obedientiæ gradus , legere velint , & multò magis opere, ac totîs viribûs ſtudeant adimplere. Procul ſit omnis elatio mentis , exultet inanis gloria , ſuperbiat nullus in ſe ipſo : Nec de generis nobilitate, aut rerum peritia , aut quacumque alia de re quisquam inaniter glorietur. De abſentibus non niſi , quæ bona ſunt , loquantur , præſentes laudent ; ſi ita illorum merita poſcant , & nullus ſit elationis metus. At ſi laudare quempiam non liceat , nulli detrahere delectet. Quòd ſi quis alicujus ordinis Religioſos , verbîs , aut factìs vituperare auſus fuerit, graviter à Patribus , & Prælatis puniatur, indicatúrque tali maledicenti per aliquot dies , vel hebdomadas ſilentium juxta qualitàtem transgreſſionis. Eôdem quoque pactô graviùs puniri volunt , qui contra Principes homines , & Magiſtratum ſeu alios ſummos viros cùm Laicos , tum Eccleſiaſticos linguas maledicendo , ſeu detrahendô acuerint. Uti enim alios vituperare minimè convenit , ita nos ipſos inaniter , ac ſuperfluè nequaquam laudare decet. Itaque de Congregatione noſtra, de Monaſteriis noſtris , déque nobis ipſis ſemper humiliter eſt ſentiendum. Ut omnis circa hoc tollatur abuſus , præcipiunt præſcripti Patres ſub gravioribus pœnis , ut nullus noſtræ Congregationis Monachus ſuperfluè laudare audeat , aut ſuper alia extollere præſumat Monaſterium , in quo ipſe habitum ſanctæ Religionis accepit , quaſi pulchritudine , divitiis , ordine , majoribùs moribûs , cæremoniìs , numeroſitate Patrum , ac arctiori obſervantiâ reliqua antecellat : hoc namque proprietatem quandam ſapere videtur , & ſuperbiæ vitium eſſe. Nonne ſumus omnes unius Congregationis Monachi ? Nonne ſub uno capite Romualdo , & Benedicto Chriſto Domino omnes militamus ? Nonne omnes iisdem induimur tunicis , & cucullis ? eodem pallio tegimur ? eandem currimus viam ? Ut quid ergo , quemadmodum apud Paulum quidam gloriari videntur ſe eſſe Pauli , aut Apollinis, aut Cephæ , quaſi diviſus ſit Chriſtus , gloriamini cucullam Camaldulenſium magìs in hoc , quàm in illo noſtri Ordinis Monaſterio accepiſſe? Dicamus , obſecro, ut ipſum omnes , & cùm in omnibus Monaſteriis æqualem habeamus partem , & tantùm in uno , quantùm in alio , & non majorem in hoc , quàm in illo , neſciamúsque , in quonam Monaſterio vivere , aut mori debeamus , omnia pariter diligamus , laudemúsque , nec iſtud illi , neque hoc alii , nec unum alteri præponamus , ſemper tamen initium , & caput noſtræ Congregationis ſacram Eremum Camaldulenſem noverimus eſſe , ibique arctiſſimam obſervantiam vigere.

De Officiis Divinis in Noctibus.

CAPITULUM VIII.

HYemis tempore, id eſt, à Calendis Novembris, uſque ad Paſcha, juxta conſiderationem rationis, octavâ horâ ſurgendum eſt, ut modicè ampliùs de media nocte pauſetur, & jam diggeſti ſurgant. Quod verò reſtat poſt vigilias, à Fratribus, qui pſalterii, vel lectionum aliquid indigent, meditationi inſerviatur. A Paſcha autem, uſque ad ſupradictas Calendas Novembris, ſic temperetur hora vigiliarum agenda, ut parviſſimô intervallô, quô Fratres ad neceſſaria naturæ exeant, cuſtoditô; mox Matutini, *qui incipiente luce agendi ſunt, ſubſequantur.*

Ad majorem, & faciliorem intelligentiam octavi hujus Capituli Regulæ; atque ut omnia, in noſtra Congregatione, ùt decet, fiant, ſanxerunt Patres, ut in omnibus Monaſteriis noſtris per totũ annum, tam æſtivo, quàm hyemali tempore *Matutinæ* una cum *Laudibus*, juxta antiquam conſuetudinem unâ horâ immediatè poſt dimidium noctem celebretur, & perſolvatur. Primum ſignum campanæ (poſt ubi Sacriſta cellas Fratrum pulſaverit) duret tantum ſpatium temporis, quantum conſumitur dicendô Pſalmum quinquageſimum, nec nimis moroſè, neque nimis celeriter. Ultimum verò ſignum perſeveret, quouſque à Prælato ſive ab eo, qui præeſt, in Choro fiat ſignum inchoationis officii. Signum autem medium, quando tribûs vocibûs pulſatur, ſit brevius primo. Præcipiunt etiam, ut ſtatem poſt pulſationem Cellarum à Sacriſta in inceptione primi ſigni, unuſquiſque Fratrum ſurgat, & poſtquam ſe ſignô ſanctæ Crucis de more munierit, incipiat dicere: *Domine labia mea aperies &c.* & proſequatur totum Pſalmum ſexageſimum nonum. *Deus in adjutorium &c.* Quò expletô, & dicto *Gloria* ſubjungat *Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter.* ℣. *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.* ℟. *Et ſalutare tuum da nobis.* ℣. *Exurge Domine adjuva nos.* ℟. *Propter nomen tuum liberâ nos.* ℣. *Ave Maria gratiâ plenâ* ℟. *Dominus tecum.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat. Oremus. Gratias tibi agimus Domine, ſancte Pater. omnipotens, æterne Deus, qui nos, de tranſacto noctis ſpatio ad hanc horam perducere dignatus es, quæſumus, ut dones nobis hunc diem ſine peccato tranſire, quatenus ad veſperum, & ſemper tibi Deo gratias referamus, per Chriſtum Dominum noſtrum.* Quem ordinem in libello Officii B. V. reperies. A cella ſubinde diſcedens ad Eccleſiam tendit Monachus, & dicat Pſalmum XXIV. *Ad te Domine levavi animam meam*: Cùm verò ad foras Eccleſiæ pervenerit acceptâ aquâ benedictâ in ipſo limine genuflectens dicat. *Introibo Domine in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* Eccleſiam ingreſſus adoret, inclinandô profundè, ſanctiſſimam Euchariſtiam, dicendo, ſi dies Feſtus fuerit tribûs vicibûs. *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Dominicam item orationem, Symbolum Apoſtolicum, & ſalutationem Angelicam. Deinde ab eo loco, in quo ſic inclinatus manſerit diſcedens, ac per Eccleſiam, vel Chorum ad ſuum locum pergens, ubi ad eam pervenerit partem, in qua ſic fieri ſolet, vertens ſe ad Altare rurſum profundè inclinet ante ſacratiſſimum Chriſti Corpus. Mox ad ſedem ſuam vadens, ibi genuflexè maneat in ſanctis, ac piis meditationibus, ac orationibus, quouſque ultimum ſignum Campanæ fiat. Tum ſurgens verſo vultu ad Altare maneat, uſquedum fiat à Prælato ſignum. Tunc denuo ad ſignum Abbatis inclinans dicat *Pater noſter.* Et *Credo in Deum.* Et incipiatur officium. In diebùs verò ferialibus idem fiat in omnibus, exceptô, quod ad Altare genuflectere debemus, dum dicimus *Pater noſter* & *Credo.* Et idem fieri debet in Choro, dum præfata oratio Dominica, & Symbolum facto ſigno à Prælato dicetur. At verò *Deus propitius &c.* ſemper dici debet, non genuflectendo, ſed inclinando profundè. Et hunc modum præcipiunt inviolabiliter ab omnibus obſervari, tam Monachis, quàm Prælatis. Volúntquè ad exactiorem ejus obſervantiam, ut Reverendiſſimus Generalis, & Viſitatores in viſitationibus ſuis diligenter ſuper hoc Munachos; & maximè juniores interrogent, & examinent, utrum dictum ordinem, Pſalmos, & orationes ſciant, & eos, quos in hoc delinquentes invenerint, ſeverè puniant. Præcipiunt etiam Magiſtris Novitiorum, ut inter prima Religionis rudimenta, hæc, quæ modò diximus, diſcipulos ſuos doceant. Denique ad memoriam verbum Prophetæ revocantes, nimirum: *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter, ſeu fraudulenter:* præcipiunt Monachis omnibus, ut die, noctúque Chorum frequentare ſtudeant, nullúſque ab ejus ſequela, niſi ad juſta negotia, & de licentia Prælati emanere, aut ullò pactô ſe ſubtra-

ſubtrahere præſumat. Volunt præterea, ùt ſuo lòco dicemus, ipſos Monachos attentè, & cum omni reverentia, humilitate, ac devotione in Choro ſtare, dum divinum officium celebratur. Quod ſi quis ſecus egerit, & nugas dando, ridendo, jocando, atque loquendo indignum aliquid eo loco, & actione admiſerit, gravi pœnâ à Prælato puniatur. Cùm domum Domini deceat ſanctitudo, & non debeat ipſe locus orationis fieri ab immorigeratis Monachis ſpelunca latronum. Prælati verò, qui hujusmodi velut facinora leviora diſſimularint, aut non correxerint, corrigantur ipſi, & puniantur à Reverendiſſimo Generali, & Viſitatoribus. Et ut nunquam vel minima occaſione eveniat, ut non æquè divina officia in omnibus Oratoriis noſtris celebrentur, præcipiunt ipſi Patres, ut horæ omnes Divini operis, ac etiam Deiparæ Virginis Mariæ in omnibus noſtris Eccleſiis quotidie, licèt aliqua occaſione pauciſſimi adeſſent Monachi, in Monaſterio omnino peragantur. Non liceat unquam quovis urgente negotiô temporali Domum, vel Eccleſiam ipſam Monachis vacuam relinquere, ut non ſaltem tot remaneant, quot ad Divinum officium in Choro perſolvendum, & ad dicendum ſaltem duas Miſſas ſufficere commodè poſſint. Quod ſi quis Prælatus in hoc non ſuô functus fuerit officiò à Patre Generali, & Viſitatoribus graviùs puniatur.

Quot Pſalmi dicendi ſunt in nocturnis horis.

CAPITULUM IX.

H*iemis tempore, præmiſſô in primis verſu.* Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum &c. *Dein ſecundò ter dicendum eſt:* Domine labia mea aperies, & os &c. *Cui ſubjungendus eſt tertius Pſalmus, &* Gloria. *Poſt hunc Pſalmus nonageſimus quartus cum Antiphona, aut certè decantandus. Inde ſequatur Ambroſianum: Deinde ſex Pſalmi cum Antiphonis. Quibus dictis & dictô verſu benedicat Abbas. Et ſedentibus omnibus in ſcamnis, legantur viciſſim à Fratribus in codice ſuper analogium tres Lectiones, inter quas tria Reſponſoria cantentur. Duo Reſponſoria ſine Gloria dicantur. Poſt tertiam vero Lectionem, qui cantat, dicat Gloriam. Quam cùm incipit cantor dicere, mox omnes de ſedilibus ſurgant ob honorem, & reverentiam ſanctæ Trinitatis. Codices autem legantur in vigiliis divinæ auctoritatis, tam veteris Teſtamenti, quàm novi, ſed & expoſitiones earum, quæ à nominatiſſimis, & orthodoxis, Catholicíſque Patribus factæ ſunt. Poſt has verò tres Lectiones cum Reſponſoriis ſuis ſequantur reliqui ſex Pſalmi, cum* Alleluja *canendi. Poſt hos Lectio Apoſtoli ſequatur, ex corde recitanda, & verſus, & ſupplicatio Litaniæ, id eſt* Kyrie eleiſon, *& ſic finiantur vigiliæ Nocturnæ.*

Cum omnibus, & per omnia, quæ ſanctiſſimus Pater noſter Benedictus in hoc nono, ſuæ Regulæ Capitulo ordinat, in univerſa noſtra Congregatione ſerventur, nihil aliud circa ipſum Patres ſanxerunt, niſi quod numerus Pſalmorum, Antiphonarum, Reſponſoriorum, cæterarúmque rerum juxta ſeriem Breviariorum dicatur: At verò circa Lectiones nullo pacto volunt, quod ita breves in Choro legantur, quemadmodùm in Breviariis ſunt notatæ: ſiquidem ipſa Breviaria ob illam dumtaxat rationem videntur inventa, ut uſui eorum ſerviant, qui Chorum minimè frequentare poſſunt. Itaque ſanxerunt, ut deinceps in Legendariis Sanctorum, in ſacris Bibliis, & Homiliariis ita legantur, ut ſaltem ſinguli Pſalmi, ſexti longitudinem æquent, cùm videlicet duodecim Lectionum Matutinæ fuerint celebrandæ: cùm verò trium tantùm, aliquando longiores dici debent. Ut verò iſtud inviolabiliter ſervari poſſit, præcipiunt Prælatis, ut infra duas menſes à publicatione harum Conſtitutionum cum effectu curent, ut in ſingulis noſtrorum Monaſteriorum Choris ſint hi omnes codices ex emendatioribus, & qui à Catholicis, & doctis viris bene reviſi ſint, nempe Legendarium Magnum latinum, ſacra Biblia, & Homiliarium. In quibus libris ſtatim, ut empti fuerint, ubi non ſunt, debeant Abbas, & Prior, & Vicarii pro quolibet ſancto Hiſtorias, & Homilias ſtatuere, Lectionum longitudinem, ſignando in margine Lectio prima, Lectio ſecunda &c. A qua menſura Lectionum ſi quis deviaverit, toties, quoties, jejunet in pane, & aqua in medio Refectorii. Ipſe verò, qui pro tempore eos leget, ita altè, & diſtinctè legere curabit, ut aſtantes omnes rectè percipiant. Neque verò eſſet incongruum, imò conſonum, ac laudabile multùm, ut non ſolùm juniores, ſed alios qnoqne provectioris ætatis Patres, qui Lectiones in Choro, & in Refectorio legere habent, eas ante percurrere, ac providere: ùt non nullos antiquos Patres & hos doctiſſimos ſactitâſſe memoriæ proditum eſt. Quod autem

omnia

omnia iſta ſerventur, apprimè curabunt Priores, vel Subpriores, qui primum locum in conventu poſt Prælatum tenent. Et ſi in hoc negligentes reperti fuerint, viſitatioois tempore puniantur. Nec minus Prælati, ad quos vel maximè ſpectat in omnibus vigilare ſuper cuſtodiam gregis ſibi commiſſi, ac diligeotet pro viribus efficere, ut omnia iſta executioni mandentur, ſi ſecus ſeceriot, puniantur. Cæterum æſtivo tempore, cùm in octavis, & diebus ferialibus una tantùm Lectio veteris Teſtamenti, aut alterius alicujus libri legitur, ut in ſequenti Capitulo Regulæ declaratur, ſervetur ordo Breviariorum.

Qualiter æſtatis Tempore nocturna laus agatur.

CAPITULUM X.

A Paſcha uſque ad Caleudas Novembris, omnis (ùt ſuprà dictum eſt) pſalmodiæ quauritas teneatur, excepto: quod Lectioues in Codice propter brevitatem noctium minimè legautur; ſed pro ipſis tribus Lectionibus, una de veteri Teſtamento memoriter dicatur, quam breve Reſponſorium ſubſequatur, & reliqua omnia, ùt ſuprà dictum eſt, impleautur, id eſt, ut uumquam minùs à duodecim Pſalmorum quantitate ad vigilias nocturnas dicatur: exceptis tertiò, & nonageſimò quartò Pſalmò.

Ubi in ſupraſcripto Capitulo Regulæ exponitur, qualiter dicendæ ſint Matutinæ laudes diebus æſtatis, nunc jam dicitur, in omni tempore id fieri debere unâ horâ poſt mediam transactam noctem. Et circa Pſalmorum numerum, & cæterarum retum ſervari debet ordo Breviariorum noſtri Ordinis: Præterquam in Lectionibus, nihil aliud Patres in hac parte deliberaverunt, oiſi quod à Paſcha Reſurrectionis uſque ad Feſtivitatem ſanctæ Crucis de menſe Septembris ob noctium brevitatem, juxta antiquas noſtri Ordinis Cooſuetudioes Matutinus Beatæ Virginis non dicatur in Choro, ſed unusquisque illud extra Chorum perſolvat. Magiſter tamen Novitiorum, prædicto tempore, aliiſque feſtivis diebus, quibus Officium ipſius Virginis in Choto non dicitur, teneatur una cum Tyronibus ſuis, ac juvenibus profeſſis, uti etiam fit in Eremo noſtra ante, vel poſt cœnam, in Eccleſia ante Altare majus illud exſolvere. Verùm à dicta feſtivitate ſanctæ Crucis, uſque ad Paſcha præfatum, ſemper dicatur in Choro ante Domini Officium, & hoc inviolabiliter obſervetur in omnibus Monaſteriis noſtris, tam magnis, quàm parvis. Reliquæ verò horæ Beatæ Virginis dicantur, ùt fit, ſemper in Choro, exceptis octavis, & diebus ſolemnibus, ùt ſuprà. Et qui huic ordini cootravenire præſumpſerit, tempore viſitatioois à Generali, vel à Capituli Deffinitoribus, nulla habita ratione perſonæ, graviter puniatur. Et ab hac obſervaotia nullus excuſetur, neque ob paucitatem Fratrum, neque ob molem negotiotum temporalium, neque ob aliâ quamcunque cauſam urgentem: cùm nihil penitus ſit, quod cultui divino jure præferri poſſit. Et ſi ipſe Generalis, & Deffinitores parvi penderent aliquos graves errores, qui in aliquibus ſæpe locis circa Divinum officium admitti ſolent, graviter, ac ſeverè punire: ſciant ſe aliquando apud juſtiſſimum Dei Tribunal eſſe de his omnibus rationem reddituros, ac graviter puniendos. Et revera omnium ferè malorum, quæ in Monaſteriis fiunt, cauſa ſunt Majores, vel exemplô ſubditos ſcandalizando, vel vitia ipſa non puniendo, imò potius diſſimulando, vel non benè juſtitiam adminiſtrando.

Qualiter Dominicis Diebus Vigiliæ agantur.

CAPITULUM XI.

Dominico die temporiùs ſurgatur ad Vigilias, in quibus Vigiliis teneatur hac menſura, id eſt, modulatis (ùt ſuprà diſpoſuimus) ſex Pſalmis, & dicto verſu reſidentibùs cunctis diſpoſitè, & per ordinem in ſubſelliis legautur iu Codice, (ùt ſuprà diximus) quatuor Lectiones cum Reſponſoriis ſuis, ubi tantùm iu Reſponſorio quarto à cautante dicatur Gloria. *Quam dum incipit, mox omues cum reverentia ſurgant. Poſt quas Lectioues ſequantur ex ordine alii ſex Pſalmi cum Antiphonis, ſicut anteriores, & verſu. Poſt quos iterum legantur aliæ quatuor Lectiones cum Reſponſoriis ſuis ordiue, quò ſuprà. Poſt quas iterum dicantur tria Cantica de Prophetis, quæ inſtituerit Abbas: quæ Cantica cum* Alleluja *pſallantur. Dicto etiam verſu, & benedictione Abbatis, legantur aliæ quatuor Lectio-*

Lectiones de novo Teſtamento ordine, quò ſuprà. Poſt quartum verò Reſponſorium incipiat Abbas Hymnum. Te Deum &c. *Quò dictô, legat Abbas Lectionem de Evangelio cum honore, & tremore ſtantibus omnibus. Quâ perlectâ reſpondeant omnes.* Amen. *Et ſubſequatur mox Abbas Hymnum:* Te decet laus. *Et data benedictione incipiant Matutinos. Qui ordo Vigiliarum omni tempore, tam æſtatis, quàm hyemis, æqualiter in die Dominico teneatur, niſi forte (quod abſit) tardiùs ſurgatur. Quia tunc aliquid de Lectionibus breviandum eſt, aut Reſponſoriis, quod tamen omnino caveatur, ne proveniat. Quod ſi contigerit, dignè inde ſatisfaciat Deo in oratorio, per cujus evenerit neglectum.*

In hoc undecimo Capitulo Regulæ, ubi dicitur, quòd Fratres in die Dominico, maturiùs per tempus ſurgant ad vigilias, & matutinas, ordinaverunr Patres, ita fieri debere, hoc eſt, anticipandum eſſe tempus ipſius Matutini Dominicalis, addiderúntque, ut ſit inter nos conformitas in obſervantiis; à quibus, & quomodo legendæ ſint in Choro Lectiones. Dictìs itaque, prioribûs ſex Pſalmîs primi Nocturni, cum ſuis Antiphonis, Verſiculo, & *Patre noſtro*: Juvenis Novitius, ſive profeſſus, qui ſerviturus erit eâ hebdomadâ, uti acolytus Miſſæ tertiæ, & in Refectorio menſæ Patrum, acceptâ de more à Prælato benedictione, legat primas duas Lectiones. Quibûs lectis cum Reſponſoriis, alter juvenis, qui ſupradicto eâ hebdomadâ elapsâ in eodem officio ſubrogari debet accedens, & ſimiliter benedictonem accipiens reliquas duas Lectiones legat. Deinde aliis ſex Pſalmîs ſecundi Nocturni abſolutîs, ùt ſuprà, præſens hebdomadarius Sacerdos, ordine jam dicto ſervatò priores duas Lectiones legat; reliquas verò duas Hebdomadarius proxime elapſus. Similiter poſt cantica, qui fuerit quovis modo major poſt Priorem, vel Subpriorem clauſtralem in Choro, ſumpta benedictione dicat priores duas Lectiones homiliæ; alias verò duas ipſe Prior clauſtralis, vel Subprior, ſive is, qui poſt Prælatum major eſt omnibus in Choro. Supradictas autem benedictiones nullus audeat conficere, aut de novo ad libitum componere, ſed unuſquiſque illis utatur, quæ in Breviariis ſunt notatæ, & quas hactenus ſemper Patres noſtri in uſu habuerunt. Ultimô demum Reſponſoriô, hoc eſt, duodecimô perfectè terminatô Prælatus graviter, & devotè intonet, aut ſine Notis juxta exigentiam ſolemnitatis Hymnum: *Te Deum laudamus.* Prope cujus finem accedens ipſe idem Prælatus, vel qui major erit in Choro ad locum, ubi cantari ſolet Evangelium, illud cantet, ſive legat, prout ipſa requiret, ac poſtulabit ſolemnitas, ita clarè, & diſtinctè, ut ab omnibus intelligi facilè queat. Finitô Evangeliô, & reſponsô à Fratribus *Amen*, dictóque Hymno: *Te decet laus*, ſequantur orationes ſecundùm ordinem in Regula, & Breviario præfinitæ. Et hoc obſervetur non obſtante quavis conſuetudine in contrarium, cùm ſit de mente Pii V. Pontificis Max. in annotationibus ſuper his à ſua ſanctitate factis, ut Regula omni modo ſervetur ab omnibus. Addiderunt etiam ipſi Reverendi Patres, ut juxta antiquum morem eædem Lectiones in loco, ſi fieri poteſt, eminentiori ſemper legantùr, & in ea parte Chori, ubi tunc non ſunt hebdomadarii, neque ſignum Chori. Quem quidem ordinem legendi Lectiones ſervari volunr in noſtra Congregatione, non ſolùm diebus Dominicis, verùm etiam aliis, in quibus duodecim Lectiones legantur. Dicta Reſponſoria, ùt hactenus ſervatum eſt, dictìs diebûs dici debent à juvene Hebdomadario cantore, qui elapsâ hebdomadâ fuerit cum Miſſæ tertiæ, tum menſæ Patrum ſervitor, ac miniſter. Quem ſanè juvenem, dum in hebdomada ſua manebir, locum habere volunt in Choro ſuper omnes alios profeſſos, etiamſi fuerit minor in Profeſſione, vel ordine Sacramentali. Dicta verò Reſponſoria, Antiphonas, & Verſiculos, quoad fieri poterit, altè, diſtinctè, & absque falſa latinitate pronunciare ſtudebit, ſtando nihilominus in loco ſuo, & ſede: niſi fortè aliquando ob magnam ſolemnitatem opus eſſet in medio Chori illa omnia legere ſimul cum Succentore. Qui ſane Succentor is erit, qui elapsâ hebdomadâ cantoriam exercuit.

Quo-

Quomodo Matutinorum Solemnitas agatur.

CAPITULUM XII.

IN Matutinis Dominico die in primis dicatur Pſalmus LXVI. ſine Antiphona in directum. Poſt quem dicatur quinquageſimus Pſalmus cum Alleluja. *Poſt quem dicatur CXVII. & LXII. Deinde benedictiones & laudes, lectio de Apocalypſi una ex corde, & Reſponſorium, & Ambroſianum, & Verſus, & canticum de Evangelio, Litania, & completum eſt.*

Quantùm ad hoc duodecimum Capitulum declarant præſcripti Patres ſequendo conſuetudinem hactenus ſervatam, Laudes Matutinales debere ſemper dici immediatè poſt Vigilias, ſive Nocturnos eo ordine, & cum illis Pſalmis, qui in Breviario notati ſunt. Itaque diebus ferialibus poſt orationem ſecundi Nocturni, diebûs verò Feſtivîs, poſt orationem ſecundi Nocturni, diebûs verò Feſtivîs, poſt orationem Evangelii actutum auſpicari debent. Nomine verò Laudum Matutinalium intelligendum dicunt idem id, quod B. Benedictus vocat in titulo hujus Capituli, & in tertio decimo & ſexto decimo in ſimul Matutinum, & Laudes. Et quoniá videre neſciunt Patres, qua ratione non ſemper hujusmodi Laudes ab oratione Dominica auſpicari debeant, præcipiunt inhærendo veſtigiis, & conſuetudini, quæ maxima cum ratione ſervatur in noſtra ſacra Eremo, ut ubique in noſtra Congregatione ſemper (nulla habita ratione majoris, vel minoris ſolemnitatis) ante laudes dictas, quemadmodum, & ante quamlibet aliam horam Canonicam, factô ſignô à Prælato, dicatur ab omnibus oratio Dominica, ob eam potiſſimum rationem, quoniam à Divo Patre Benedicto ùt quid ſejunctum ab ipſis Vigiliis conſiderantur. Volunt pariter, ut in inceptione earum fiat ſignum pulſandô campanam tantùm temporis ſpatium, quantum dicendo ſemel angelicam orationem, & Pater noſter conſumitur. Et hoc diebûs dumtaxat Feſtivîs, non autem ferialibûs.

¶ Quoniam item Dominus noſter, qui verum eſt lumen, & ſol ipſe juſtitiæ ſacris debet luminaribus honorari, & coli, ut id uniformiter, ubique in noſtra Congregatione fiat, ſanxerunt præſcripti Patres, ut in ſolemnitatibus pleniſſimis, dum dicuntur Vigiliæ, duo ſemper lumina ſuper Altare ſublimiùs ardeant. Dum verò *Te Deum laudamus* inchoatur, alia quatuor puriſſimæ Ceræ addantur, ultra alia duo, quæ deſerunt in vibiis Ceroferarii. Quæ quidem lumina perſeverent accenſa usque ad finem laudum, & ubi non eſſent juvenes Ceroferarii, ultra ſupra dicta lumina, quæ ſuper Altare majus ſplendere debent, ponatur cereus alius accenſus in medio, ubi cantari debet Evangelium. Quod ſanè Evangelium, ùt in pleniſſimis ſolemnitatibus majori cum apparatu cantetur, volunt Patres, quod cum pluviali, Ceroferariis, Acolytóque decantetur. Eggreſſus itaque à ſacrario Prælatus, dum dicitur: *Per ſingulos dies*, cum dictis pluviali, & Miniſtris, veniénsque ad Altare majus librum dumtaxat Evangeliorum thurificet, quem ſuper ſacratam petram apertum poſitum inveniet. Quô factô accipiat librum ipſum, & inhærendo Altari, ipſum ſuper pectus ſuum tenens verſo vultu ad Chorum ſic maneat, quousque Acolytus illum de novo thurificaverit. Deinde in medium progrediens, ubi fuerint, legat (quod diximus præparatum) & incipiat ſecundùm tonum ſolemnitatis. *Dominus vobiſcum &c.* Et cùm Chorus reſpondeat: *Gloria tibi Domine*, acceptô à dextro latere thuribulô ab Acolyto, iterum thurificet librum, & poſtmodum reſtitutô à latere ſiniſtro ipſô thuribulô eidem Acolyto, Evangelium proſequatur. Quô finitô, & decantatô Hymnô. *Te decet*, dum Cantores in Choro dicunt: *Benedicamus Domino.* Ipſe Sacerdos ſacrîs veſtibûs indutus ad Altare majus revertatur, & dicto: *Pater noſter*, ſubmiſſa voce inchoet. *Deus in adjutorium*, & Choro proſequente Laudes, redeat ipſe in Sacriſtiam, & ſacrîs exutus veſtibûs iterum in Choro non ſolum, ſed cuculla revertatur. Si tamen ſolemnitas, quæ celebrabitur, talis non eſſet, ut deberent in Choro laudes totæ vel pars earum cantari: tum enim reverti deberet Prælatus in Chorum cum pluviali, gratiâ dicendi Capitulum, & orationem. In ſolemnibus ſeſtivitatibus, dum cantantur Vigiliæ, nullum lumen ſuper Altare majus ardeat: ad Evangelium verò, & Laudes quatuor accendantur. In Nocturnis itidem Dominicarum, & Feſtorum duodecim Lectionum, nullum lumen accendatur: ad Evangelium verò, & Laudes duo tantum. In Matutinis Beatæ Virginis in medio ſemper Candelarum lumen ardebit. Si quis autem Prælatus hæc omnia non ebſervabit in ſuo Monaſterio, aut non procuraverit, ut à Monachis ſuis obſer-

obſerventur, pro prima vice graviùs à Patribus Deffinitoribus puniatur, & pro ſecunda omni dignitate, & adminiſtratione privetur.

Qualiter privatis diebus Matutini agantur.

CAPITULUM XIII.

Diebûs autem privatis Matutinorum ſolemnitas ita agatur, id eſt, ut LXVI. Pſalmus dicatur ſine Antiphona in directum, ſubtrahendo modicè ſicut die Dominica, ut omnes occurrant ad quinquageſimum, qui cum Antiphona dicatur. Poſt quem alii duo Pſalmi dicuntur, ſecundùm conſuetudinem, id eſt, Secundâ feriâ quintus, & trigeſimus quintus. Tertiâ Feriâ, quadrageſimus ſecundus, & quinquageſimus ſextus. Quartâ Feriâ ſexageſimus tertius, & ſexageſimus quartus. Quintâ Feriâ octuageſimus ſeptimus, & octuageſimus nonus. Sextâ Feriâ ſeptuageſimus quintus, & nonageſimus primus. Sabbatô autem centeſimus quadrageſimus ſecundus, & canticum Deuteronomii, quod dividatur in duas Glorias. Nam cæteris diebûs canticum unumquodque die ſuo ex Prophetis, ſicut pſallit Eccleſia Romana, dicatur. Poſt hæc ſequantur laudes, deinde lectio una Apoſtoli memoriter recitanda. Reſponſorium, Ambroſianum, verſus, canticum de Evangelio, Litaniæ, & Completum eſt. Planè agenda Matutina, vel Veſpertina non tranſeant aliquando, niſi in ultimo per ordinem oratio Dominica omnibus audientibus dicatur à Priore propter ſcandalorum ſpinas, quæ oriri ſolent: ut conventi per ipſius orationis ſponſionem, quâ dicunt: dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, *purgent ſe ab hujuſmodi vitio. Cæteris verò agendis ultima pars ejus orationis dicatur, ut ab omnibus reſpondeatur,* ſed libera nos à malo.

Quoniam ſuperiùs dictum eſt, quônam pactô juxta ordinationes Patrum lectiones diebûs Feſtivis legendæ ſunt; modò In hoc Regulæ Capitulo, (cùm per ſe reliqua clara videantur, & in frequenti ſint apud nos uſu) dicendum ſupereſt: quomodo ſerialibus diebus ſint dicendæ. A Calendis Itaque Novembris, usque ad Paſcha Reſurrectionis tres tantùm dicit debent, in dextro quidem Chori latere, ubi Abbas reſidet, Feriâ ſecundâ, quartâ, & ſextâ: In ſiniſtro autem, in quo Prior, Feriâ tertiâ, & quintâ, & Sabbato.

Si igitur Feriâ ſecundâ hebdomada erit (ut ajunt) in Choro Abbatis lectiones attinebunt ad Hebdomadarium Cantorem: Reſponſoria verò ad Acolytum. Et ſi Chorus erit à parte Prioris, lectiones è contra leget Acolytus: Reſponſoria autem Cantor. Feriâ tertiâ, ſi Chorus erit in parte Abbatis Lectiones leget Acolytus: Reſponſoria verò Cantor. Quod ſi in parte Prioris erit Chorus, contrariô modô fiat. Feriâ quintâ, ſi Chorus erit in Abbatis parte, Lectiones ſpectabunt ad Sacerdotem Hebdomadarium, Reſponſoria verò ad Acolytum. At ſi Chorus erit in parte Prioris, Lectiones leget hebdomadarius, qui proximè deceſſerit, Reſponſorium verò Cantor. Feriâ quintâ, ſi Chorus ſit in latere Abbatis, Lectiones ſimiliter leget Hebdomadarius præteritus, Reſponſorium Cantor. Quod in latere Prioris Lectiones attinet ſemper ad Abbatem, aut illo abſente ad illum, qui præeſt in illo Choro: Reſponſorium verò, ſi eſt Chorus in parte Abbatis ad Acolytum, ſi in parte Prioris ad Cantorem. Sabbato Lectiones ſemper pertinent ad Priorem, ſi in dextro latere ad Cantorem, ſi in ſiniſtro ad Acolytum. Et hic Ordo, qui forſan brevius explicari poterat, non autem clariùs, ut ab omnibus intelligetur, perpetuò ſervari debet. Cùm leguntur diebûs ſerialibûs tres Lectiones, ſive quando una tantùm Lectio legenda eſt, ſemper ab Acolyto legi debet. Cæterùm, ubi dicitur in hoc Capitulo, quod dicantur Litaniæ, nomine Litaniarum intelligendum eſſe declarant *Kyrie eleiſon &c.* Canticum verò Evangelii, de quo Regula hìc loquitur, ſciunt omnes illud eſſe Zachariæ: *Benedictus Dominus Deus &c.* Illud quoque prætereundum non eſt, quòd hi, qui Diacones non ſunt, non debent Lectiones Homiliarum legere. Idcirco juvenum Moderator, ſi quando talibus contigerit, aliis eorum vice eas committet.

In Natalitiis Sanctorum, qualiter Vigiliæ agantur.

CAPITULUM XIV.

IN Sanctorum verò Feſtivitatibus, vel omnibus Solemnitatibus, ſicut diximus Dominico die agendum, ita agatur: exceptò, quòd Pſalmi, aut Antiphonæ, vel Lectiones ad ipſum diem pertinentes dicantur. Modùs autem ſupràdictus teneatur.

Poſt ubi Divus Pater Benedictus ordinavit in feſtivitatibus Sanctorum, quod ad Vigilias, Matutinum, & Laudes omnia ſervari debere, quemadmodum Dominicis fit diebûs: ſubdit, id non eſſe intelligendum quoad Pſalmos, Antiphonas, & Lectiones, cùm unicuique Sanctorum proptil Pſalmi, Antiphonæ, Reſponſoria, & Lectiones aſſignentut. Verùm quia niſi huic rei aliquis adhibeatur ordo, paucæ admodum hebdomadæ eſſent, in quibus totum perficeretur Pſalterium, quod tamen alibi Divus Pater mandat. Idcirco ut & feſtivitates Sanctorum debitè recolantur, & cæteræ Regulæ inſtituta non poſthabeantur, ſanxerunt Patres, ac inviolabilitet ſervari mandaverunt ſub gravioribus pœnis ad arbitrium Patris Generalis, & Viſitatorum. Ut ubi in Breviariis antiquirùs impreſſis, usque ad annum MDVII. dicitur de aliquo Sancto fieri debere ſimplicem commemorationem, ita eodem die fiat, & non aliter. At ſi ſanctus ille titulum haberet alicujus membri è noſtris Principalibus, eo caſu noſtrum Monaſterium, cujus membrum eſt, celebret ejus Feſtum cum Lectionibus duodecim. In aliis vetò locis, de ipſo tantùm, ùt ſuprà, commemoratio fiat. Quando item in eodem Breviario dicitur, de aliquo Sancto fieri debere Feſtum duodecim Lectionum, vel commemorationem, ſi commodè eodem die fieri poſſit, duodecim Lectionibus ejus Feſtum colatur. At ſi id fieri nequeat eôdem die, nullô pactô transferatut, ſed ſolâ commemoratione pro illo anno erit contentus, exceptò, ùt ſuptà dictum eſt, ſi haberet titulum alicujus membri &c. Et quoniam multæ urbes, & oppida, non nullos peculiares Advocatos colunt, de quibus in noſtris Breviariis nulla prorſus fit mentio, quemadmodum Ravenna plures ſanctos Epiſcopos colit. Eapropter Patres antedicti otdinârunt, ut de hujusmodi Sanctis in iisdem urbibus, ad conſolationem populorum, Feſtum celebretur, etiamſi in Breviariis noſtris non ſint notari. Si autem de eo ipſo die ob aliquod alìud Feſtum non fiet à Clero civitatis, non fiat etiam à Monachis noſtris, ſed tantum commemoratio. In aliis verò locis, ut non ſubtrahantur mortuis debita ſuffragia, & feriale officium magis frequentetut, nulla de talibus Sanctis fiet commemoratio. Hoc enim videtur conſonum ei, quod in novis Breviariis Curiæ ſtatuit de mente Sacroſancti Concilii Tridentini Sanctiſſimus Dominus noſter Pius V. Siquidem multas Sanctorum Feſtivitates ad ſolam commemorationem reduxit.

Præcipiunt etiam, ut in omnibus locis noſtræ Congregarionis, hoc eſt, ab unoquoque capite fiat Feſtum omnium aliotum ſimilium, eodem ipſo die illius ſancti, cujus titulum habet: exempli gratia Feſtum ſanctæ Muſtiolæ, quæ eſt titulus Arcûs Senarum, debet celebrari in omnibus aliis noſtris Monaſteriis, licèt non ſit notatum in Breviariis ſuo die, hoc eſt, tertiâ Junii. Et ſic de ſingulis ſimiliter volunt, quod unumquodque Caput principale Feſtum omnium illorum colat, quorum omnia ejus membra titulos habent. Et ſi quando erunt denuo imprimenda Breviaria noſtra, ſive magna, ſive parva, volunt, quod is, qui hujusmodi negorio præetit, quâ poterit majori diligentiá curet, ut in omnibus, quoad fieri poterit, ſimilia ſint iis, qui anno dicto MDVII. impreſſa fuère, & nemo poſſit addete quidquam, nec adimere, quod alicujus ſit momenti, ſine expreſſa licentia Reverendiſſimi Deffinitorii in ſcriptis habita. Non enim hæc talia ſunt, ut ob unius, vel duorum placitum, ac voluntatem tam facilitet ſint immutanda. Et quoniam non nulli quadam peculiarî & forſan ſuperſtitiosâ ac vanâ ad aliquod Monaſterium vel Sanctum affectione ducti nulla antiqui ritûs habita ratione officia peculiaria & Miſſas novas in honorem eorundem locnrum, ſeu Sanctorum edidêre. Idcirco ordinaverunt Patres, ut deinceps ejusmodi nova officia in Monaſteriis dumtaxat, & locis, pro quibus ſunt addita, (ſi tamen fuerunt à Deffinitoribus, correcta, & approbata) dicantur. In aliis verò locis uſus antiquorum Miſſalium ac Breviariorum ordo ſervetut. Neque vetò prædicta nova officia, ſeu Miſſæ aliter in libris noſtris imprimantut, ſine expreſſa licentia & otdinatione Reverendiſſimi Deffinitoril, quod ſi tamen fieri neceſſe fuerit, non ita faciles in tribuenda hujusmodi licentia ſeſe præbeant Patres;

ſed maturè, & diutiùs rei gravitatem examinent. Volunt pariter, quòd Feſta Patrum Benedicti, ac Romualdi in omnibus Monaſteriis noſtris ſolenniſſimè celebrentur, & peculiari quadam reverentia ac devotione colantur, & non ſecus ac Feſta Sanctorum præcepta ab Eccleſia. Et hoc non ſolùm à Monachis ſervari mandant, verùm etiam à converſis, & famulis omnibus Monaſterii.

Alleluja quibus Temporibus dicatur.

CAPITULUM XV.

A Sancto Paſcha uſque ad Pentecoſten ſine intermiſſione dicatur Alleluja, *tam in Pſalmis, quàm in Reſponſoriis. A Pentecoſte autem uſque ad caput Quadrageſima omnibus noctibus cum ſex poſterioribus Pſalmis tantùm ad Nocturnos dicatur. Omni verò Dominica, extra Quadrageſimam cantica, Matutini, Prima, Tertia, Sexta, Nonáque cum* Alleluja *dicantur. Veſpera verò cum Antiphonis. Reſponſoria verò numquam dicantur cum* Alleluja, *niſi à Paſcha uſque ad Pentecoſten.*

Cùm hoc Capitulum Regulæ nullâ pene videatur egere declaratione, mandant Patres ejus obſervantiam juxta ordinem Breviariorum. Ut autem idem ordo ab omnibus teneatur, ſciendum eſt, (& hoc juniorum, Novitiorúmque causâ dictum ſit) quod à Sabbato ſancto ad Veſperas uſque ad Sabbatū Septuageſimæ in principio cujuslibet horæ divini operis abſolutâ *Gloria*, poſt *Deus in adjutorium*, dicitur *Alleluja*. A Septuageſima verò, uſque ad dictum Sabbatum Sanctorum dicitur: *Laus tibi Domine Rex æterna gloriæ.* Confirmaverunt præterea, quod, dum in Dominicis, Feſtis duodecim Lectionum, & Solemnitatibus plenis dicitur pro Antiphona *Alleluja*, bis à cantore inchoatur, & in pleniſſimis toties, quoties in fine Pſalmi, aut horæ dicenda eſt, ab eodem Cantore, ſeu Cantoribus inchoetur. Cujus Hebdomadarii cantoris ſit proprium officium ſemper inchoare, vel ùt dicimus, Intonare Antiphonas, præterquam in ſolemnitatibus pleniſſimis, in quibus dicitur à Cantoribus paratis, & ſic de Reſponſoriis, & Verſiculis. Atque in diebus ſerialibus bis tantùm intonetur *Alleluja*, & horâ completâ, ùt puta Sexta, Nona, aut alia, toties replicetur, quoties illa exigit hora. Quod ad Veſperas attinet, ſciendum eſt, quod, cùm dicitur pro Antiphona *Alleluja*, poſt ubi Cantor aliud intonaverit, major in illo Choro, in quo eſt hebdomada, Pſalmum inchoare debet primum, & ſic deinceps majores illius Chori, in quo dicta eſt *Gloria*, ſucceſſivè, ac ſigillatim Pſalmos reliquos intonent. Et hic ordo in omnibus Monaſteriis, & locis obſervetur. Et ſi quis ei contravenire præſumpſerit, à Superioribus corripiatur.

Qualiter Divina opera per diem agantur.

CAPITULUM XVI.

Ut ait Propheta: ſepties in die laudem dixi tibi, *qui ſeptenarius ſacratus numerus à nobis ſic implebitur, ſi Matutini, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſpera, Completoriique tempore noſtra ſervitutis officia perſolvamus, quia de his horis dixit Propheta*: Septies in die laudem dixi tibi. *Nam de nocturnis Vigiliis idem ipſe Propheta ait.* Mediâ nocte ſurgebam ad confitendum tibi. *Ergo his temporibus referamus laudes Creatori noſtro ſuper judicia juſtitiæ ſuæ: id eſt, Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſpera, Completorio, & nocte ſurgamus ad confitendum ei.*

Cùm in hoc ſexto decimo Capitulo ſatis clarè dicatur, quô pactô Monachi debitum ſuæ ſervitutis obſequium Deo in divinis laudibus reddere teneantur: illud unum dumtaxat ſupereſſe videtur, nimirum, ut à nobis inſinuetur, quanta cum reverentia, & tremore ad hoc divinum obſequium præſtandum accedere debeamus. Non enim homini terreno, aut cuivis mundano Principi aſſiſtendum nobis eſt, verùm Deo Optimo Maximo Creatori, & omnium noſtrorum Redemptori. Itaque ſanxerunt Patres, ut in omnibus locis, & Monaſteriis noſtris inviolabiliter hic ordo ſervetur, dum ad perſolvendas Regulares horas proficiſcimur, quas Divus Pater noſter Benedictus multis in locis *agenda* vocat, quandoquidem hæc debent eſſe verè negotia noſtra, & peculiares curæ. Quantùm igitur ad horam Primam, (Cùm jam de Matutino ſatis dictum ſit) totô annô, præterquam à prima Feria ſecundæ Quadrageſimæ, uſque ad Sabbatum ſanctum, & præterquam in Dominicis diebus, vadant ad eam

Fra-

Fratres ſummo mane hoc ordine. Collectìs omnibûs ad ſignum Campanæ extra Eccleſiam prope pilam aquæ benedictæ, & ordinatè per Churos diſpoſitìs, factû ſignô ab eo, qui præeſt, & non ulterius pulſante campana ineant Eccleſiam, dum Sacerdos hebdomadarius, vel eo abſente qui dicturus eſt primam Miſſam, aut alius accipiens Aſperſurium, aſpergat ſingulos Fratres aquâ benedicta in ipſo Eccleſiæ ingreſſu. Qui quidem Monachi incipiendo à minoribus debent ſigillatim ingredi, & dum aqua ſancta aſpergetur, humiliter inclinare, & ſubmiſsâ voce dicere: *Aſperges me Domine hyſſopô, & mundabor &c.* Ultimò ingrediatur Prælatus, & poſt ipſum aliquantum à longe hebdomadarius. Cùm autem ingreſſi fuerint Eccleſiam, reverenter inclinent ante ſanctiſſimum Sacramentum. Abs re autem non eſſet, ſi in ómnibus locis, quemadmodum in aliquibus eſt, apponeretur ſinnum aiiquod, ùt puta, lapis marmoreus in ea Chori, vel Eccleſiæ parte, in quo Fratres inclinare ſe debent. Verùm in Quadrageſimæ tempore non aſpergantur Fratres aquâ benedictâ, dum ad Primam vadunt, ſed dum ad Tertiam. Ad alias verò Horas Canonicas diei celebrandas ſollicitè unusquíſque pergat: gravitate tamen, & ſemper ſe invicem prævenire ſtudeant. Semper nihilominus aquam benedictam accipiant. Muniant ſe ſignô Crucis, & inclinent profundè ante Altare, ſi qui autem ante ultimum ſignum cujuscumque horæ in Chorum convenerint (quod ſanè manè facere deberent,) ſtantes in loco proprio genuflexi, præparent ſe ad officium, ſuas privatas orationes dicendo. In Dominicis autem diebus dicta Primâ hebdomadarius Sacerdos, unà cum Acolyto aquam ante Altare majus benedicat, & poſtmodum vadat cum ea ad aſpergendum omnia loca, & officinas Monaſterii, juxta antiquas, ac ſanctas Patrum noſtrorum conſuetudines, quas qui amplexi ſunt, & fuerint, optimi, ac ſanctiſſimi Filii habebuntur, & veri Dei cultores, qui verò ſecus agentes eas contempſerint, & pro nihilo habuerint, impii, atque rebelles cenſebuntur, ac æternâ digni maledictione & ærumnâ. Horâ Completorii factô ſignô cum campana conveniant omnes Monachi in clauſtro, vel Capitulo, ſi commodè id fieri poterit. Ibique factò ſignû à Majori, & quieſcente campana, Acolytus accepta benedictione legat lectionem latinam de vitis Sanctorum Patrum, nec nimis prolixam, nec admodum brevem. Quâ finitâ Prælatus dicat: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.* Cui reſponsô ab omnibus. *Qui fecit cælum, & terram*, vadant ſimul pulſante iterum campana in Eccleſiam hoc ordine. Novitii primùm, deinde ſiniſtrus Chorus, poſtremo autem dexter, ita ut ultimus ſit Abbas, vel qui præeſt. Qui cùm ad locum ſuum pervenetit, pulſet Campanulâ Chori, quieſcente illâ clauſtri, quousque ſilenter omnes dixerint orationem Dominicam. Quâ finitâ Prælatus dicat: *Et ne nos inducas in tentationem*, & poſtmodum ſequatur confeſſio Completorii, juxta ordinem Breviarii. Sed ſciendum eſt, quòd, cùm Generalis fuerit in Choro, in confeſſione, & Primæ, & Completorii, poſt *Miſereatur veſtri*, dicere debet *indulgentiam*, *remiſſionem &c.* & hæc ſufficiant quantum ad ingreſſum Chori ad omnes divini operis horas diei. Quantùm verò ad egreſſum, ſequendo meliurem conſuetudinem Patres ordinârunt, quod dictâ Primâ, absque *Salve Regina*, & factô ſignô à Prælato Acolytus cum Martyrologio egreſſus è Choro, vadat ad Capitulum; Ipsúmque Fratres lento gradu ſequantur, incipiendo à Majoribus, ita ut primò dexter Chorus, deinde ſiniſter procedat, deinde Novitii ſequantur. Cúmque in Capitulum omnes pervenerint, unoquoque in ſua ſede manente, ipſe Acolytus ſumpta Benedictione pronunciet Calendas, Lunam, & Sanctos. Et hebdomadarius ſecundùm ordinem Breviariorum ſequatur *Pretioſum.* Et completâ ultimâ oratione illemet Acolytus legat Lectionem & homiliam Evangelii, quod legitur illo die. Et infra Octavas, & diebus ſerialibus vice homiliæ legat latinè Capitulum de Regula, præterquam infra Octavam Reſurrectionis & Pentecoſtes, quæ quotidie habent homiliam propriam. Atque in diebus ſerialibus, lectù Capitulû Regulæ, ſi die ſequenti pariter de Feria faciendum ſit, legatur: *Obierunt &c.* & tres Pſalmi, nimirum: *Domine ne in furore. Credidi*, & *De profundis*, cum oratione mortuorum, pro Patribus, Fratribus, & Benefactoribus dicantur. Cùm verò aliquam ob cauſam in Choro pauciſſimi eſſent Monachi, non vadant tum in Capitulum, ſed dicta ultima oratione, absque pronunciatione Calendarum, Lunæ, & Sanctorum, dicatur *Pretioſa*, ut in Breviariis eſt notatum, & poſtremò brevis Lectio legatur ſecundùm tempora. Poſtea ille, qui præeſt, ſubjungat: *Pone Domine cuſtodiam ori noſtro &c.* & in fine dicatur: *Salve Regina.* Quæ ſemper inchoari debet à Prælato, aut illo abſente ab eo, qui in Choro Prioris locum habebit. Hîs tamen non obſtantibûs, tempore Quadrageſimali, *Pretioſa* ſemper dicatur, (præterquam in Dominicis, vel aliis Feſtis diebus) poſt Sextam ob ſeptem Pſalmos. De culpis verò infrà ſuô

locô dicemus. In omnibus aliis horis tam diei, quàm noctis in ingreſſu Chori hic ordo ſervetur. Quod à Matutinis nemo egrediatur è Choro, quouſque Prælatus non ſurrexerit ab oratione, quæ poſt ipſos fieri ſolet, quæ oratio non debet excedere longitudinem Pſalmi quinquageſimi. Tum egrediantur Monachi unus poſt alium, cum modeſtia, & ſilentio, & recto itinere ad cellas pergant, aut ſi hyems fuerit ad Ignem, ubi ſub pœnis gravioribus volunt eâ horâ perpetuum ſervari ſilentium. Poſt Primam in exitu Monachorum de Capitulo primus ſit Prælatus, poſt ubi ſilentium ſolverit: ſed in inegreſſu Chori primi ſint Novitii, deinde Chorus ſiniſter, mox dexter, poſtremo Prælatus. Qui cùm omnes fuerint extra Eccleſiam modô ſolitô, ſilentium ſolvant dicendo: *Benedicite.* At in quadrageſima Feriâ ſecundâ, quartâ, & ſextâ, non ſolvatur ſilentium, niſi poſt officium mortuorum, aut cùm non dicitur, poſt gratias à prandio redditas. Dominicâ verò, Feriâ tertiâ, quintâ, & Sabbatô ſolvatur poſt *Pretioſa.* Verùm cùm non jejunatur, poſt Sextam egrediatur primò Prælatus, deinde alii, ut unicuique libuerit, & non ſolvatur ſilentium niſi poſt redditas gratias. In Completorio finitâ *Salve Regina*, & pulſatâ *Ave Maria* à Prælato, (qui tantùm temporis in pulſando ponere debet, quàm Fratres ter devotè ſalutationem Angelicam perſolvere poſſint, & ante quemlibet hunc verſum dicere: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Egrediatur primò Acolytus, & porrigens Aſperſoriom Prælato reverenter ejus manum deoſculetur, & in partem ſe conferat. Prælatus verò Monachos ſigillatim egredientes à Majoribus, aquâ benedictâ aſpergat. Poſtmodum, ùt ſuprà dictum eſt, pergat ad orationem, & ſtationes ſumendas pro tempore. Ad quam aquam Benedictam, ſi poteſt fieri, cupiunt Patres, ut (quemadmodum fit in ſacra Eremo, & Camalduli Monaſterio) conveniant omnes tam Monachi, quàm converſi, & commiſſi, ut ſimul cum ipſa Benedictionem à Prælato accipiant, ut quietiùs illam noctem in timore Domini traducant. Completorium, etſi horâ vigeſimâ tertiâ dici deberet, ſit nihilominus in arbitrio Prælati aliquod tempus iſtud prævenire, ùt puta in Dominicis diebus, & aliis præcipuis ſolemnitatibus ob populi fidelis conſolationem, aut aliquam aliam rationabilem cauſam.

Quot Pſalmi per eaſdem dicendi ſunt.

CAPITULUM XVII

JAm de Nocturnis, vel Matutinis digeſſimus ordinem pſalmodiæ, nunc de ſequentibus horis videamus. Primâ horâ dicatur in primis Verſus. Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me feſtina: Gloria Patri, & Filio &c. *Hymnus ejuſdem horæ, & Pſalmi tres. Poſt expletionem verò trium Pſalmorum, recitetur Lectio una: Verſus,* Kyrie eleiſon, *& miſſa ſunt. Tertia verò, Sexta, & Nona eodem ordine celebretur, id eſt Verſus, Hymni earundem horarum, terni Pſalmi, Lectio, & Verſus* Kyrie eleiſon, *& miſſa ſunt. Si major Congregatio fuerit cum Antiphonis: ſi verò minor in directum pſallantur. Veſpertina autem Synaxis quatuor Pſalmis cum Antiphonis terminetur: Poſt quos Pſalmos Lectio recitanda eſt. Inde Reſponſorium, Ambroſianum, Verſus, canticum de Evangelio, Lytania, & oratio Dominica; & ſiut miſſæ. Completorium autem trium Pſalmorum dictione terminetur. Qui Pſalmi directanei ſine Antiphona dicendi ſunt. Poſt quos Hymnus ejuſdem horæ, Lectio una, Verſus,* Kyrie eleiſon, *& benedictio, & miſſa ſint.*

Cùm ſit omnibus notum iſtud Capitulum Regulæ quoad numerum Pſalmorum, qui dicendi ſunt ad quamlibet horam, in uſu eſſe, & omnino ſervari, nihil circa hoc innovandū eſſe Patres ſanxerunt, ſed ſolùm ordinaverunt, quô pactô Antiphonæ. & Pſalmi ipſi ſint intonandi. In Solemnitatibus igitur pleniſſimis Cantores ſolemniter, & in medio cantent Invitatorium cum Pſalmo nonageſimo quarto, quibus aliquando tertius Cantor ad arbitrium Prælati adjungi poſſit. Finitô Invitatoriô cum Pſalmo ille, qui eſt major in Choro, ubi eſt hebdomada, intonet Hymnum, ſicut perpetuò facere debet ad omnes horas. Deinde à Cantoribus Antiphonæ ante Pſalmos integræ dicantur. Et dictâ primâ dicatur Pſalmus à Majore Chori, ubi eſt ſignum hebdomadæ. Quô abſolutô, & repetitâ Antiphonâ inchoetur ſecunda, & tota dicatur, deinde, ùt ſuprà Pſalmus à Majore alterius Chori intonetur. Et ſic deinceps usque ad finem; Cantoribus dicentibus ſimul Antiphonas, Abbas, & Prior, vel eorum vicem gerentes Pſalmos eos alternatim intonent. Similiter Cantica dictâ Antiphonâ à Cantoribus intonetur à Majore illius Chori, ubi eſt hebdomada, & ita in Laudibus Pſalmus. *Deus miſereatur noſtri*, ſine Antiphona, & *Dominus regnavit* cum Antiphona: & quando in dictis ſolemnitatibus pleniſſimis quilibet Pſalmus

Lau-

Laudum haberet propriam Antiphonam, intonato primò à Majore Chori, ubi eſt hebdomada, ſequantur reliquos viciſſim illimet, qui Pſalmos Nocturnorum intonârunt. Hymnus pariter Laudum à Majore Chori hebdomadæ intonetur. At Canticum Evangelii *Benedictus Dominus Deus Iſrael*, ſemper intonetur à Choro Prælati, & ab eo, qui præeſt. Antiphona horæ Primæ in hujusmodi ſolemnitatibus pleniſſimis ſemper dicatur à Cantore, & tota tam in principio, quàm in fine Pſalmorum. Et idem fiat ad omnes horas in dictis ſolemnitatibus: Pſalmi verò intonentur, primus quidem à Majori illius Chori, ubi eſt hebdomada, & alii ſucceſſivè à Majore illius Chori, qui dixerit, *Gloria Patri &c.* & præcedentes Pſalmi ad horam Tertiam, ſi cantetur Antiphona, dicantur à toto Choro, inchoantibus nihilominus iam Cantoribus: Pſalmi verò ab iisdem intonentur. Et ubi ob paucitatem Monachorum non poſſit ita ſolemniter cantari, intonatâ Antiphonâ à Cantore hebdomadario, & dictâ à toto Choro, Sacerdos, qui erit in hebdomada, ſacrìs veſtibûs indutus Pſalmos intonabit. Et ſi nullò pactò cantetur, omnia fiant, ùt in Prima: & idem quoque dicemus de hora Sexta, & Nona. Ad Veſperas autem inchoatâ primâ Antiphonâ à Cantoribus, dicatur à toto Choro, & Pſalmi omnes ab iisdem Cantoribus intonentur. Secunda Antiphona ad Majorem Chori, ubi non eſt hebdomada, pertinebit. Tertia ad Majorem Chori hebdomadæ. Quarta ad illum, qui proximè adhæret Majori in Choro, ubi non eſt Hebdomada. Antiphona verò Cantici Evangelici, id eſt, ipſius *Magnificat* intonetur ſemper à Majore totius Chori. Et ubi ob paucitatem Monachorum Veſperæ non ita ſolemniter poſſent cantari, ut nullus pluviali indueretur niſi Sacerdos, hebdomadarius, vel alius vice ſui, intonata Antiphona à Cantoribus, & totâ decantatâ ab univerſo Choro, dicti Cantores, etiamſi non ſint parati, intonent primum Pſalmum, & ſubinde reliquos. Antiphonæ verò dicantur, ùt ſuprà. Et hic ordo non numquam etiam ad Tertiã ſervari ſolet. Quando autẽ nullus pararetur, nihilominus hôc pactô dicatur. Hebdomadarius, aut aliquis quicumque, qui ſacris eſt veſtibus indutus, ſi eſt in Choro ſiniſtro ſemper primum locum tenebit; ſi verò in dextro, tenebit primum locum poſt Prælatum domûs, & ſuper omnes alios etiam Prælatos, Hoſpites, aut Titulares. Ad Completorium, uti etiam ad Primam, confeſſionem ſemper faciat, qui præeſt in Choro, in quacumque ſit parte, idémque Benedictionem tribuat, & omnes Pſalmos Completorii, & Hymnum ſemper intonet Major Chori hebdomadæ, ſi non cantatur, ſi verò cantatur hoc idem faciant Cantores. Et hunc ordinem in ſolemnitatibus pleniſſimis, in omnibus locis noſtris ſervari volunt Patres ſub gravioribus pœnis ad arbitrium Patris Generalis imponendis. Quantùm verò ad ſolemnitates plenas duodecim Lectionum, & Octavarum, *Invitatorium*, & *venite* dicatur à Cantore, & à Succentore. Hymnus intonetur à Majore Chori hebdomadæ, & etiam primus Pſalmus, poſt ubi Cantor Antiphonam intonaverit. Secundus verò Pſalmus primi Nocturni intonetur à Majore ipſius Chori, in quo non eſt hebdomada. Et ſic deinceps reliquos Pſalmos alternatim hi duo Majores ſucceſſivè intonent, Cantore ſemper inchoante ante Pſalmum Antiphonam, & poſt Pſalmum illam repetente. Quòdſi Laudes omnes ſub una Antiphona dicerentur, intonatò primò Pſalmò à Majore Chori, ubi eſt hebdomada, reliquos omnes intonabit Major in illo Choro, qui primum Verſum Gloriæ dixerit. Antiphonam verò *Benedictus*, & intonetur, & dicatur à Sacerdote Hebdomadario. Ad Tertiam, ſi cantetur, intonet Antiphonam Cantor, & Pſalmos Sacerdos indutus ſacrìs veſtibûs, qui debet cantare Miſſam. Sed ſi non cantetur Pſalmus, intonet primus in Choro hebdomadæ. Ad Sextam & Nonam dicat Antiphonas Cantor, & primum Pſalmum primus Chori hebdomadæ, & reliquos ſucceſſivè, qui dixerit *Gloria*. Ad Veſperas intonent primam Antiphonam Cantor, Pſalmum primum Major in Choro hebdomadæ: Secundam verò Antiphonam Major Chori, ubi non eſt hebdomada, & Pſalmum is, qui ei proximè adhæret. Tertiam intonet hic, qui primum Pſalmum intonavit, & Pſalmum tertium hic, qui poſt eum ſequitur. Quartum inchoet is, qui ſecundum Pſalmum ab alio Choro intonavit, & Pſalmum hic, qui illi immediatè adhæret. Antiphonam verò *Magnificat* intonet ùt ſuprà Major totius Chori, & Canticum ipſum intonet, qui ei proximè adjungitur. Et quando in abſentia Prælati fuiſſet Antiphona Cantici inchoata ab alio Choro, ea de cauſa, quia inibi eſſet Major, tum Antiphonam inchoare debet, qui præeſt in Choro Prælati. Completorium dicatur, ùt ſuprà.

In Dominicis diebus *Invitatorium*, & *venite* à Cantore, & Succentore dicatur in medio. Hymnum intonet primus in Choro hebdomadæ, primam Antiphonam intonet Cantor, Pſalmum verò primum, qui Hymnum. Abſolutò primò Pſalmô intonet ſecundum Pſalmum primus in

Choro

Choro, qui *Gloria* dixerit: deinde poſt duos Pſalmos, repetitâ à toto Choro Antiphonâ, intonet ſecundam primus in Choro, ubi non eſt hebdomada, & Pſalmum hic, qui proximè ei adhæret. Abſolutis verò aliis duobus Pſalmis, ùt ſuprà, & dictâ Antiphonâ tertiam primus Chori hebdomadæ, & Pſalmum, qui proximè adjungitur. In ſecundo Nocturno fiat ſimiliter. Verùm ſi loco Antiphonæ dicatur *Alleluja*, ipsâ à Cantore inchoatâ, primum Pſalmum incipiat, qui eſt primus in Choro hebdomadæ, reliquos verò omnes Major illius Chori, qui dixerit primum Verſum *Gloria*. Quod ad Laudes attinet, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, & Veſperas, & Completorium, fiat, ùt dictum eſt in ſolemnitatibus plenis. Quod ad dies feriales, dictô à Cantore ſolo *Invitatorio*, & *venite*, & intonatô hymnô à Majore Chori hebdomadæ intonetur ab eodem Cantore Antiphona prima, & primus Pſalmus ab eodem, qui intonavit Hymnum: ſecundus verò à Majore illius Chori, qui *Gloriam* dixerit, ſecundam verò Antiphonam dicat minor Chori, in quo non eſt hebdomada, & Pſalmum incipiat Major ejusdem Chori, & ſic continuent alternatim Majores Antiphonas, & Majores Pſalmos inchoando. Antiphona Laudum, ſi una tantum erit, intonetur à Cantore, & Pſalmus primus à Majore ejusdem Chori, & alii Pſalmi à Majore illius Chori, qui *Gloria* dixerit. Quod ſi Laudes plures Antiphonas habebunt, eas alternatim inchoabunt Majores utriusque Chori, incipiendo à Choro, ubi eſt hebdomada. Ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam intonabit Antiphonam Cantor, Pſalmum verò Major Chori hebdomadæ: & deinceps ſervetur ordo ſuprà dictus, & in fine horæ dicatur Antiphona, ùt ſuprà. Ad Veſperas, ſi die ſequenti fiat de Feria, dicat primam Antiphonam Cantor, Pſalmum verò Major illius Chori. Secundum autem minor alterius Chori; & in ſumma ſervetur ordo vigiliarum matutinalium. Quod ſi die ſequenti Feſtum celebretur, non ſolemniſſimum, ſed tale, quo cantatur ſolùm Capitulum Vigiliæ, intonabit primam, Pſalmi Antiphonam Cantor, & Pſalmum Major illius Chori: ſecunda verò intonetur à primo Chori, ubi non eſt hebdomada, & Pſalmus ab eo, qui ei proximè unitur. Tertiam intonet Major Chori hebdomadæ, & Pſalmum is, qui illi proximus eſt. Quartam intonet ſecundus Chori, ubi non eſt hebdomada, & Pſalmum is, qui illi adjungitur. Quod ſi die ſequenti celebretur Feſtum ſolemniſſimum, Veſperæ dicendæ ſunt, ùt ſuprà dictum eſt de Vigiliis ſolemnitatum pleniſſimarum.

Quo ordine ipſi Pſalmi dicendi ſunt.

CAPITULUM XVIII.

Cum nulla egeat declaratione præſens Capitulum, quoniam uti ab omnibus videri poteſt, ipſe ordo Pſalmorum, quem ponit in Breviariis ſatis ſuperque clarus eſt, & apertus, illud tantummodo Patres hac in parte noſtros ante oculos ponere ſtatuerunt: nimirum eos omnes profeſſos mortaliter peccare, qui non legitimè impediti, officium tam ipſius Domini, quàm Matris ejus, vel in totum, vel in partem ſcienter dicere omittunt.

Hoc eſt enim contra veterem, & laudabilem conſuetudinem, tam Eremitarum, quàm Monachorum noſtræ Congregationis, qui ſemper utrumque officium perſolvere, & devotè celebrare conati ſunt. Nec excuſatur aliquis, ſi cum aliis in Choro non interſit, quia illud extra Chorum non minori devotione tenetur dicere. Similiter declarant iidem Patres, ac volunt, quod quilibet teneatur dicere Officium Mortuorum, ſecundùm quod in Breviariis notatum eſt. Hortantur præterea omnes, ac ſingulos, ut Lectionem pſalterii (ultra debitas horas) frequentare ſtudeant, ita ut bis ſaltem ſingulo quoque menſe ipſum pſalterium integrè dicatur, ſive legatur ab unoquoque Monacho. Cùm ob multas Sanctorum feſtivitates, ſingulâ quâque hebdomadâ, id fieri in divinis officiis ordinatè nullô pactô queat. Qui igitur in perſolutione horarum Canonicarum, & Virginis negligentes inventi fuerint, graviùs, ac ſeverè puniantur, ſintque omnibus devotis Monachis in exemplum, ut debitum Deo famulatum in Hymnis, & orationibus ſtatutis horis reddere nullatenus ommittant.

De diſciplina Pſallendi.

CAPITULUM XIX.

Ubique credimus Divinam eſſe præſentiam, & oculos Domini in omni loco ſpeculari bonos, & malos. Maximè tamen hoc ſine aliqua dubitatione credamus, cùm ad opus Divinum aſſiſtimus. Ideo ſemper memores ſimus, quod ait Propheta: Servite Domino in timore. *Et iterum:* Pſallite ſapienter, & in conſpectu Angelorum pſallam tibi. *Ergo conſideremus, qualiter oporteat nos in conſpectu Divinitatis, & Angelorum eſſe, & ſic ſtemus ad pſallendum, ut mens noſtra concordet voci noſtræ.*

Etſi Capitulum hoc Regulæ Divi Patris Benedicti, quantum ad prolationem verborum breve admodum videtur, atque anguſtum: ſunt nihilominus quælibet verba ipſis ſacræ Doctrinæ, ac ſubſtantiæ plena, atque referta, ut ſatis clarè ab omnibus in illis videri poſſit, quanto timore, ac tremore, quantâ reverentiâ, & humilitate Monachum in Congregatione manere oporteat, & omni humana affectione denudatum, coram Deo pſallere, & orare. Itaque, quoniam nonnulli propriâ voluntate, ac ſpiritu ducti non eâ, quâ debent, gravitate, ac modeſtiâ coram Deo in perſolvendis divinis laudibus manent. Volentes huic defectui Patres occurrere, ordinaverunt in primis, ut deinceps nullus Monachus tam in æſtate, quàm in hyeme absque cuculla in Eccleſiam pergat. Ita enim & Patres noſtri in Eremo, & Monachi obſervantes in Congregatione ſemper facere conſueverunt. Quam ſanè cucullam induere Monachi debent, vel in ipſa cella, vel in alio aliquo communi loco, ubi ſervari ſolet. Minimè verò in ipſo ad Eccleſiam itinere, cùm hoc indicens videatur. Auditô ſubinde ſigni principiô ultimi campanæ, omnî aliô negotiô poſthabitô, cum modeſtia, & gravitate ad Eccleſiam pergant, & ita oculos eundi habeant humi defixos, ut nil aliud cernant, quàm ubi pedes ponunt. Et ſi quam Dei, ac Sanctorum Imaginem, & præſertim Crucifixi, & Virginis oſtenderint, reverenter, ùt decet, inclinent. Illud verò nullô pactô eſt prætereundum, quod ſi pulſatô ultimô ſignô ad Nocturnas Vigilias, aut ad horam diei Primam, vel tempore Meridianæ dormitionis ad horam Nonam aliquis Monachus non occurrerit, tum juxta laudabilem Eremi noſtræ conſuetudinem, atque Conſtitutionem, habet Abbas, aut Prior alicui Fratri committere, ut celeri, ac honeſto gradu ad cellam Fratris illius accedat, ut ſi fortè dormiens ſignum non audîerit, illum à ſomno excitans, ad Divinum Officium convocare ſtudeat. Cùm ad portam igitur Eccleſiæ Monachus pervenerit, acceptâ aquâ benedictâ, & munitô ſe ſignô Crucis ingrediatur. Et cùm ad locum, ubi ſolent Fratres inclinare, acceſſerit, profundè ante ſacratiſſimum Chriſti Corpus, ac reverendiſſimè inclinet caput, ferè usque ad genua dimittendo. Quam inclinationem facere tenemur, quotiescumque ante ſacrum Chriſti Corpus tranſimus. Ante homines verò, & coram Patribus, non ita profundè eſt inclinandum, tametſi honor, quem eis impendimus, non niſi tamquam Dei Miniſtris, & ad ejus honorem impendimus. Nullus prætera Eccleſiam ingrediatur, niſi nudatô, & apertô capite. Nullus ſedeat, niſi dum Lectiones in nocte leguntur, & ad Nocturnos, & Laudes Mortuorum, usque ad *laudate Dominum de cælis.* Similiter dum cantatur Epiſtola in Miſſa, & dum pulſantur organa inter Pſalmos Veſpertinos, & in Miſſa ad graduale, & Offertorium. In nocte nullus audeat ante Benedictionem, quæ fit ante Lectionem, ſedere. Et dum Prælatus quavis de cauſa in Choro ſteterit (etiam ſi tum ſedendum eſſet) nullus ſedere audebit, niſi ille hoc præcipiat. Curent quoque Monachi, ne elevando, aut deponendo ſedilia ſtrepitum faciant, & impediant, quo minus rectè percipiantur verba legentis, tametſi Lector non debeat Lectionem inchoare, niſi poſtquam Fratres quietè ſederint. In Capitulo itidem ad Lectionem *Pretioſa*, & in ſero ad Lectionem Completorii ſedeant poſt datam Benedictionem. Monachi, qui ſunt in illis partibus Chori, quæ non directè reſpiciunt Altare Majus, ſedeant ſemper vultibus invicem verſis: nimirum Chorus contra Choram: præterquam in inchoatione cujuslibet horæ, quoniam tunc usque ad *Gloria Patri &c.* versùs Altare reſpicere debent. Item dum Pſalmus nonageſimus quartus cum Invitatorio dicitur. Item dum legitur Evangelium. Item dum aliquis Capitula, Reſponſoria, Verſiculos, Orationes, & id genus, tam in Officio Domini, quàm Beatæ Virginis pronunciaverit, ipſe ſolus versùs Altare faciem convertere debet. In omnibus aliis temporibus, etiam quando Monachi in Choro inclinant, aut genuflectunt, debent

debent ſe invicem reſpicere, & Chorus contra Chorum ſtare. Dum autem quis in Choro præſtolatur ſignum ultimum intra vanum ſuæ ſedis genuflectens, faciem debet verſus Altare habere. Cæterùm, quando ſtare, aut genuflectere Monachi debeant; ſanxerunt Patres conformiter ad ſacras noſtras conſuetudines debere genuflecti in diebus ferialibus ſemper dum dicitur: *Pater noſter*, & Symbolum, ſive ante Altare majus, ſive in Choru ante horas Canonicas. Item quando poſt *Kyrie eleiſon* in fine horæ repetitur, & ſimiliter, quando fit confeſſio in Prima, & Completorio. Circa quam confeſſionem præcipiunt Patres, ne quis præſumat, vel verbum unum de illa immutare, ſed omnes ſequantur formam in Breviariis noſtris adnotatam, & in Miſſis formam præciſe in Miſſalibus expreſſam. Item genuflectere debemus diebus ferialibus, dum dicuntur Collectæ, exceptô ipsô Hebdomadariô, dum orationem, ſeu collectam dicit. Item ad orationes Mortuorum, & in Quadrageſima, dum Litaniæ, & preces dicuntur. At verò dum *Salve Regina* cantatur, vel dicitur ſine notis ad Completorium, genuflectant omnes, & genuflexi perſeverent, quouſque Prælatus ſe erigat. Et cùm ſtant omnes, nullus parieti, aut tabulato hæreat, ſed modeſtè omnes, ac humiliter, & devotè maneant. Finitâ autem *Salve* ad orationem profundè inclinent: at verò aliis Divini Officii horîs, dum non cantatur ipſa *Salve*, ſed ſine notis dicitur, ſemper genuflexi eſſe debemus, & ſic dum dicitur poſt Laudes Matutinales & Completorium *Ave Maria.* Cantari verò debet *Salve Regina* omnî Sabbatô, vigiliîs, & ſolemnitatibûs plenîs, ac pleniſſimîs.

Quod ad Miſſas, ſi non cantentur, qui illas audiunt, ſemper debent eſſe genuflexi, exceptô, dum dicitur Evangelium. Si verò cantentur, & ſint feriales, aut Mortuorum, genuflectere debemus ad orationes & ab elevatione corporis Chriſti, usque dum dicitur: *Agnus Dei.* In Miſſis verò aliis ad orationem inclinamus profundè, & genuflexi manemus ab elevatione hoſtiæ, usque ad *Pater noſter* excluſivè. In Miſſis autem Beatæ Virginis genuflectimus etiam ad *Salve ſancta parens.* Dum incipitur prima vice, & dum poſtmodum repetitur. Item genuflectere debemus, cùm dicitur: *Ave Crux, ſpes unica. Veni ſancte Spiritus.* In Miſſa, & Veſperis, ad *Veni Creator Spiritus. O ſalutaris hoſtia*, & *Tantum ergo Sacramentum* in Hymno corporis Chriſti. Ad ea igitur, in quibus diebus ferialibus genuflectimus, in diebus ſolemnibus, & Dominicis tantummodo inclinamus profundè, ſicuti etiam ad primum Verſum omnium Gloriarum, & ad ultimum Verſum cujuslibet Hymni, tam Domini, quàm Sanctorum, & ad *Maria Mater gratiæ.* Inclinamus etiam, dum profertur nomen *JEſus*, ac Beatiſſimæ Matris ejus, dum dicitur: *Ave maris ſtella*, dum cantatur *Sanctus, Sanctus, Sanctus* ipſius *te Deum laudamus.* ſed à Choro dumtaxat, qui tacet. Ad *te ergo quæſumus Domine.* Ad *fiat miſericordia tua Domine.* Ad *Gloria in Excelſis.* Ad *adoramus te*, & *gratias agimus* ipſius *Gloriæ.* Ad *ſuſcipe deprecationem noſtram.* Ad *tu ſolus Altiſſimus JEſu Chriſte.* Ad verſus etiam Pſalmi, & *veniat ſuper nos miſericordia tua Domine, & ſuſcipe me ſecundùm eloquium tuum, & vivam*, devotè inclinare debemus. Capite verò diſcoopertô manere debemus in Eccleſia ad *Gloria Patri*, & ad ultimos Verſus Hymnorum, ad Evangelium. Ad *Benedictus Dominus Deus Iſrael*: Ad *Magnificat*: Ad *nunc dimittis*: ad Symbolum Athanaſii, ad *te Deum Laudamus*, ad *Pater noſter*, ad *Ave Maria*, ad confeſſionem, dum dicuntur Capitula, orationes, *Ave maris ſtella*, & Reſponſoria Laudum, & Veſperarum. In Miſſis, quæ audiuntur ab elevatione hoſtiæ, usque dum manet ſuper Altare. Similiter quando unus, vel plures pronunciant quippiam in Choro, etiamſi ad illud non eſſet ſtandum capite aperto, ille, vel illi debent nihilominus detecto capite ſiſtere. At verò in locis frigidis, à Feſto omnium Sanctorum, usque ad Feſtum Annuntiationis permittitur, ut medio dumtaxat capite diſcoopertô ad omnia ante dicta, (excepto *Evangelio, Pater noſter, Ave Maria*, & *Salve*: Et dum Chriſti corpus elevatur) Monachi maneant, exceptîs iis, qui ſoli aliquid in Choro dicunt: ii enim capite integrè nudato ſemper ſtare debent. Danda verò opera eſt, ut in genuflexionibus, inclinationibus, & ejusmodi ſemper, quoad fieri poteſt, ſimus uniformes, ut omnes ſimul inclinent, & omnes ſimul ſurgant. Indecens ſiquidem eſt, & indecorum videre hunc inclinantem, & ſimul alium ſurgentem, iſtum usque ad genua, illum verò magis, aut minus profundè eodem in Choro procumbere, & inclinare. Qui ſanè abuſus inde oriri certum eſt, quoniam Prælati, & alii, ad quos ſpectat has inobſervantias emendare, diſſimulant, & connivent, ne cui corrigendô diſpliceant. Cæterum in Choro ſummum ſilentium imperant, ita ut omnes non ſolum à locutione non neceſſaria caveant, verùm etiam ab omni alio quocumque ſtrepitu, præcipuè verò, cùm aliquis ſolus legit, aut cùm ſilenter omnes orant, vel Evangelium legitur.

Quo-

Quoad pſalmodiam commendant, ut dicatur voce ſonora, & intelligibili, omnes ſimul incipiant verſum, & perficiant eum protrahendo vocem, & in medio verſuum ſemper fiat competens pauſa, ſive punctus: Et omni quidem tempore, regulare officium, aliquantulum moroſiùs, quàm illud Beatiſſimæ Virginis eſt dicendum. Et ipſum Beatæ Virginis moroſiùs perſolvendum, quàm Vigiliæ Mortuorum: ſemper tamen unumquodque ipſorum devotè, & cum pauſis peragatur. Quoad cantum figuratum, ſeu muſicalem Patres volunt, omnino eſſe, interdictum, nnn ſolùm in Chotis noſtrarum Eccleſiarum, ita ut nullô pactô permittatur, ſed etiam in omnibus locis, ubi adſint ſæculares cujusvis conditionis, & gradûs, & conſequenter, ut nulli liceat pueros, vel alios, præter noſtri Ordinis artem Muſicam docere. Qui autem Prælati ſecus egerint, vel contra fieri permiſerint, careant activa voce in ſequenti Capitulu, & Monachi à Patre Generali, & Viſitatoribus gravius puniantur. Nolunt præterea, ut in Monaſteriis noſtris haberi poſſint inſtrumenta quæcumque muſicalia, præter organis, & iis ſimilia, vel eis deſervientia. Vetant itaque laudos, cytharas, liras, & id genus reliqua. Permittunt verò, quns dicunt Monochordos, graves cymbalos, & hujusmodi, quæ minus dedecent religioſum virum. Qui verò huic Conſtitutioni contravenire præſumpſerit, ad arbitrium Prælati graviter puniatur. Omnia verò hactenus in hoc Capitulo enarrata ſtudebunt Prælati inviolabiliter ab omnibus obſervari facere. Quoniam in divinis laudibus perſulvendis, non ſolùm ipſam animam hujusmodi operi intenta eſſe debet, verùm etiam & corpus, ut cum Propheta dicere valeamus: *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum.* Rationi præterea congruum eſt, ut ea, quæ intus latet in anima, devotio, exteriùs quoque in ipſu corpore appareat, ut hôc pactô luceat lux noſtra coram hominibus. Adde poſtremò, quod, cùm corpus ipſum quandoque futurum ſit gloriæ animæ ſuù modô particeps, & conſors, laborum quoque ac meritorum comes ac ſucius eſſe debet. Itaque homo interior & exterior Deo Optimo Maximo inſervire debet, quoniam uterque redemptionis eſt particeps.

De Reverentia Orationis.

CAPITULUM XX.

SI cam bominibus potentibus volumus aliqua ſuggerere, non praſnmimus, niſi cum bumilitate, & reverentia: quantò magìs Domino Deo univerſoram cum omni bumilitate, & puritatis devotione ſupplicandum eſt? & non in multiloquio, ſed in puritate cordis, & compunctioue lacrymarum, nos exaudiri ſciamus. Et ideo brevis debet eſſe, & pura oratio, niſi fortè ex affectu inſpirationis Divina gratia protendatur. In conventu tamen omnino brevietur oratio, & factô ſignô à Priore omnes pariter ſurgant.

Putantes Patres, quod ubi in hoc vigeſimo Capitulo ſermo habetur de Reverentia Orationis, intelligi debeat de orationibus privatis, & non de Officio Regulari, cùm jam in ſuperioribus Capitulis fuſiùs de ipſo diſſertum ſit, Judicarunt, non eſſe abs re hoc loco de oratione tractare. Quoniam verò illa cunctis præſtat, quæ fit in ſacrificio Miſſæ, ab ea exordium ſumatur. Cùm itaque indigniſſimum ſit, ac omni averſione dignum eum aliqua peccati lætalis macula ad tantum Sacramentum accedere. Præcipiunt Patres omnibus, ac ſingulis Monachis noſtræ Congregationis, ut nullô pactò celebrare audeant, vel privatim Communionem accipere, niſi prius Sacerdoti peccatnrum omnium Confeſſionē fecerint. Quod ſi nullius peccati mortalis tuerint ſibi conſcii, volunt nihilominus, Sacramentalem Confeſſionem à celebrantibus, ſaltem bis in hebdomada, à non celebrantibus ad minus ſemel fieri. Er ſi quis Fratrem ſuum in aliquo ſe offendiſſe deprehendat, meminerit juxta præceptum Evangelicum, priùs cum illo reconciliandum. Celebraturus itaque vel communionem accepturus, poſt ubi confeſſus fuerit peccata Sacerdoti, intra cubiculum ſuum ſalrem cordis ſeſe recipiat, ibique recogitet in amaritudine annos ſuos, deploret ignorantiam propriam, ingratitudinem, tepiditatem. Abluat lacrymis cubile conſcientiæ ſuæ, oret, meditetur, & cum omni devotione ſe præparet. Et qui nullam aliam præparationem ſcires, legat eam, quam docent miſſalia noſtra, quam etiam volunt, ab omnibus memoriæ commendari. Celebraturus itaque, ac etiam Hebdomadarius egrediens è Choro, primùm omnium genuflectat, vel inclinet ante Altare majus, dicâtque ter, muniens ſe ſigno Crucis, *Deus propitius eſto mibi peccatori*, & orationem, *Domine JEſu Chriſte propitius eſto &c.* ur in Miſſalibus. Deinde ſacrarium ingrediens, manus abluat, & ſacrîs veſtibûs

de more ſe induat. Quod ſi Chorus eſſet poſitus poſt majus Altare, vel altiori loco collocatus, nihilominus Sacerdos prædictas orationes *Deus propitius eſto mibi peccatori &c.* dicere debet, ſaltem in ipſo Choro appropinquans ſe Altari, quantùm poteſt. Privatæ Miſſæ non ita celeriter dicantur, ut ſint, quemadmodum vulgò fertur, Miſſæ pro venatoribus. Id enim indecens eſt, & omni vituperatione dignum. Moroſè igitur, & voce nec nimis altâ, nec nimis ſubmiſsâ legantur. Curemúsque, in illis magìs Deo, quàm hominibus parùm devotis placere: tantúmque Sacramentum, eâ, quâ convenit fide, puritate, ac reverentia peragamus. In Feſtis pleniſſimis teneatur Prælatus cantare Miſſam, eò autem abſente, vel impeditò, qui Major eſt poſt illum. Diacones, & Subdiacones miniſtraturi teneantur & ipſi ante Confeſſionem facere peccatorum ad aurem Sacerdotis. In Dominicis diebus aquam Benedictam dabit ante Tertiam Hebdomadarius: Acolytus verò ordinarius Epiſtolam canet.

Orationes in Miſſis non ad libitum, ſed prout ſignantur in libro, dicantur. In Octavis, & Vigiliis, & in Quadrageſima, cùm plures celebrandæ ſunt Miſſæ, poſt Tertiam dicatur Miſſa currens, poſt Nonam verò Miſſa Vigiliæ. In Octavis ſervetur ordo Miſſalium. In Quadrageſima Feria ſecunda, quarta, & ſexta, cantetur Miſſa propria illius diei poſt Nonam, niſi fortè eſſet Feſtum, de quo faciendum eſſet Officium, quoniam in tali caſu ad Tertiam debet fieri, & cantari de Sancto, & ad Nonam poſtmodum, dicenda eſt Miſſa de Feria. At verò Feria tertia, & quinta regulariter fiat de Requie, ſive de Mortuis, juxta obligationes Monaſterii, aut pro Benefactoribus. In Sabbatis ſemper cantetur Miſſa de Beata Virgine, & ad Nonam ſine cantu dicatur Miſſa de Feria. In Miſſis celebrandis omnia penitus fiant, ut in Miſſalibus notatum eſt. Nec aliquis præſumat circa *Gloria in excelſis*, aut *Credo*, aut alia, quidquam ad libitum innovare. In omnibus Solemnitatibus pleniſſimis Veſperæ ſolemniter cantentur. Item in Dominicis, & Feſtivitatibus plenis, & quæ ſervantur in Civitate, quamvis non ita ſolemniter, & in his pulſentur Organa, præterquam in Adventu, & à Septuageſima uſque ad Paſcha. In Feſtis duodecim Lectionum quotidie cantetur Capitulum, & in Quadrageſima, quando non cantatur Miſſa ad Nonam, cantetur Capitulum Feriæ. Et Completorium cantetur in omnibus Vigiliis, & diebus Ipſis Paſchalibus, & Titulis Eccleſiæ & Solemnitatibus Beatæ Virginis. Quibus omnibus Officiis, ſive cantentur, ſive dicantur ſine cantu, ſint ſemper præſentes Monachi, non minùs animo, & mente, quàm corpore, & voce. Et quoniam cultus hominis exterior in his, quæ Dei ſunt plurimùm juvare ſolent ipſum internum, ea propter Monachi, ſi cupiunt verè eſſe devoti, ſtudeant ad unguem cæremonias externas ubique, & in Eccleſia, & Choro præſertim, ſervare. Meminerint quoque Prælati, propter honorem Dei, & conſolationem Sæcularium diebus octo ante hebdomadam ſanctam publicare facere tabulam Officiorum, & eorum, quæ cantanda ſunt, ut unusquisque præparare ſe valeat ad ea, quæ acturus eſt. Idem quoque fiat in Nativitate Domini, & ſimilibus Solemnitatibus. Verùm quia non integrè ſuo fungitur Officio ille Monachus, qui non niſi ſtatutis ab Eccleſia Canonicis horis Deum deprecatur, neque etiam fieri poteſt, ut quispiam vitâ ſpirituali, abſque orationibus vivat, ſicuti nec vita corporalis abſque alimentis traduci poteſt. Hortantur Patres, imò, præcipiunt omnibus, & ſingulis Monachis, & Converſis noſtræ Congregationis, ut ſingulo quoque die, ſaltem per dimidiam horam mentaliter orare velint, & loco, & horâ, quibus eis magis viſum fuerit, patenter tamen, ut ab aliis videri poſſint, vel ante ſacratiſſimam Euchariſtiam, vel in aliqua Capella ſive Oratorio, ut hôc pactô alter ſit alteri in exemplum. Qui verò aliqua de cauſa mentaliter orare non poſſet, vel neſciret, permittunt, ut illud idem tempus in Pſalmodia, vel in aliqua alia oratione conſummare queat, ſemper nihilominus genuflexus manens. Prælati autem erit obſervare eos, qui circa hoc negligentes extiterint, & eos corripere pro qualitate transgreſſionis: Ipſe namque Deo redditurus eſt rationem de ſua, & gregis ſibi commiſſi vigilantia.

De

De Decanis Monaſterii.

CAPITULUM XXI.

Si major fuerit Congregatio, eligantur de ipſis Fratres boni teſtimonii, & ſanctæ converſationis, & conſtituantur Decani, qui ſollicitudinem gerant ſuper Decanias ſuas in omnibus ſecundùm mandata Dei, & præcepta Abbatis ſui. Qui Decani tales eligantur, in quibus ſecurus Abbas partiatur onera ſua. Et non eligantur per ordinem, ſed ſecundùm vitæ meritum, & ſapientiæ doctrinam. Quod ſi quis ex eis aliquâ fortè inflatus ſuperbiâ, repertus fuerit reprehenſibilis, correptus ſemel, & iterum, & tertiò, ſi emendare noluerit, dejiciatur, & alter in loco ejus, qui dignus ſit, ſubrogetur. Et de Præpoſito eadem conſtituimus.

Conſiderans diſcretiſſimus Pater, Dei famulus, Benedictus, quòd, quemadmodum fieri nequit, ut Præſidens navis, vel Dux exercitûs, omnia munia, & navigationis, & belli ex ſe ipſis ſolis adimplere poſſint, ita neque Prælatus omnibus Monaſterii muniis, nequaquam ſolus fungi poteſt. In hoc Capitulo dicit Prælatum inter alios Coadjutores, de quibus infrà, debere conſtituere ſibi Decanos, qui auxilium præſtent, & ſibi in omnibus faveant, & aſſiſtant. Hac itaque occaſione ſtatuerunt Patres, ut Prælatus, quam citiſſimè poſt generale univerſæ Congregationis Capitulum, ſingulô quoque annô ordinet ſuum Monaſterium diſtribuendo officia, & obedientias, & præſertim ejuſmodi Decanos inſtituat, qui omnino ab ipſo ita dependeant, ut poſſit eos ad libitum amovere, & alios in eorum locum ſubrogare, ſemper tamen timorem Dei præ oculis habens, & quod utile eſt Monaſterio, omni poſthabitô reſpectu cognationis, vel amicitiæ: hi enim ad hujuſmodi gradum ſunt evehendi, qui virtutibus clarent, fulgent obſervantiâ, & rerum agendarum ſunt periti. Et hôc pactô intelligi debet, quod dictum eſt ſuprà, videlicet, quòd Prælatus poteſt aliquem ad locum altiorem, quàm petat per Profeſſionem, promovere, nimirum ad gradum Prioratûs, vel Decanatûs eum elevando. Collectis itaque in unum omnibûs ſuîs Monachîs in Capitulo (re tamen ipſa ſecum priùs, & cum Senioribus maturè conſideratâ) declaret, & publicet, quem eligat, ſi eſt Abbas, in Priorem, & ſi eſt Prior, in Subpriorem. Deinde Decanum, vel plures juxta numerum Monachorum, mox Sacriſtas, Auditores Confeſſionum, Infirmarios, Hoſpitarios, Oſtiarios, Diſpenſatores, ac Cellæ vinariæ Præpoſitos, reliquos deinde omnes Monaſterii Officiatios. Declaret itidem, quam auctoritatem velit habere Confeſſarios, & quas cauſas ſibi juxta antiquam conſuetudinem reſervet. Et quoniam hic ſpecialiter de Decanis dicitur, ſciant proprium illorum Officium eſſe dare operam, ut vigeat, & conſervetur obſervantia in Monaſteriis. Quod ſanè meliùs efficere nequibunt, quàm exemplô, & reipsâ: nimirum, ut priùs ipſi ſtudeant cuncta ad unguem obſervare, & facere. Sic enim poterunt poſtmodum alios verbîs docere, & corrigere audacter abſque timore, ut eis dicatur: *Medice cura te ipſum.* Curent ſilentium ſervari in Choro, in Dormitorio ſemper, ac omnibus aliis in locis juxta Regulam, & ordinationes. Si quem delinquentem invenerint, ſemel, atque iterum eum privatim corrigant cum charitate. Quod ſi tertiò in illud idem lapſum cognoverint, tem Prælato deferant. Et hoc intelligi debet de defectibus minùs gravibus, & qui non vergunt in ſcandalum, & periculum animarum. Nam tunc non ſunt tot correctiones præmittendæ, ſed ſtatim denunciandum non ſolùm ab ipſis Decanis, verùm à quocumque Monacho ipſi Abbati, ut remedium quantocyus adhibeatur. Nec eſſet niſi rationi, & interpretationi nominis conſonum, quod unicuique Decano ab Abbate denarius numerus Monachorum aſſignaretur, quibus potiſſimum invigilaret, & quos ſpecialiùs cuſtodiret. Sciant denique Decani, ſe eſſe quodammodo Abbatis oculos, ac propterea invigilare debere ſuper his, quæ ipſemet ſemper curare non poteſt: quemadmodum & Prior, qui eſt dextera ejus, & Camerarius, qui eſt ſiniſtra, pariter illi præſto in omnibus eſſe debent. Et hi Decani videlicet poſt Abbatem, & Priorem omnes alios etiam Majores ſecundùm Profeſſionem antecedere debent. Quòd ad Confeſſores, ſeu Confeſſarios electos, ſeu eligendos, ac deputandos à Prælatis declararunt, quod nec ipſi, nec alius quivis Monachus, etiam in dignitate conſtitutus, neque in Monaſterio, ubi moratur, neque in alio poſſit ſub graviori pœna quempiam Monachum ſine licentia Prælati, cui ſubditus eſt Monachus confitens, abſolvere ab aliquo peccato ex his, quæ ſibi Prælatus reſervavit. Atque monent Prælatos, ne ſint in reſervatione caſuum, ùt plerum-

rumque à nonnullis fit, curioſi aut nimis ſcrupuloſi; ſed eos duntaxat caſus ſibi reſervent, qui ſunt alicujus conſiderationis, & gravitatis, ùt puta, contra vota principalia, & ſimilia. Ut autem non videantur laqueum animabus injicere, cùm fuerint requiſiti aliquando ab aliquo Confeſſore de relaxanda ſibi ſua auctoritate pro ſatisfactione conſcientiæ alicujus ſibi confiteri volentis, vel jam confeſſi, non ſint difficiles in danda ejuſmodi facultate, absque inquiſitione aliqua, quisnam ille, & quonam pactò irretitus ſit. Indecens enim, ne dicam impium eſſet hoc ab eo, qui non niſi in confeſſione ſcit, curioſè disquirere. Imò verò volunt ad ſalutem animarum, & ne quis ob rigiditatem Prælatorum diutiùs in peccato moram traheret, ut ante Paſcha, Feſtum Natalis Domini, Reſurrectionis, & Pentecoſtes, per aliquot dies unusquisque Abbas, ſeu Prælatus aliquos paucos nominet diſcretos, & Seniores, qui ab iisdem caſibus ſibi reſervatis pro illa tantum vice abſolvere poſſint. Idémque non niſi rationabiliter fieri etiam poſſet ante Feſtum omnium Sanctorum, Annuntiationis Mariæ Virginis, & Aſſumptionis. Item cùm Jubilæus aliquis à Sanctiſſimo Domino mittitur, tametſi ubi majus lumen eſt, non videatur opus eſſe minori.

Quomodo dormiant Monachi.

CAPITULUM XXII.

Singuli per ſingulos lectos dormiant. Lectiſternia pro modo converſationis ſecundum diſpoſitionem Abbatis ſui accipiant. Si poteſt fieri, omnes in uno loco dormiant. Si autem multitudo non ſinit, deni aut viceni cum Senioribus, qui ſuper eos ſolliciti ſint, pauſent. Candela jugiter in eadem Cella ardeat usque manè. Veſtiti dormiant & cincti cingulis, aut funibus: & cultellos ad latus non habeant, dum dormiunt, ne fortè per ſomnium vulnerentur dormientes. Et ut parati ſint Monachi ſemper, & facto ſignò absque mora ſurgentes feſtinent invicem ſe prævenire ad opus Dei, cum omni tamen gravitate, & modeſtia. Adoleſcentiores Fratres juxta ſe non habeant lectos, ſed permixti ſint cum Senioribus. Surgentes verò ad opus Dei invicem ſe moderatè cohortentur propter ſomnolentorum excuſationes.

Quantùm ad modum dormiendi Monachorum interpretantes hoc Capitulum Regulæ declarant Patres, quatenus dicitur, ſi fieri poteſt, omnes in uno loco dormiant, per illum locum Dormitorium commune intelligi debere. Extra quod ſub gravioribus pœnis nulli omnino dormire liceat, exceptis infirmis, & qui curam rerum extra illud habent, & hi cum licentia Prælati. In Dormitorio ſint omnes Cellæ ab invicem parietibus diviſæ, & nemini liceat in aliam Cellam, quàm in propriam ſub gravibus pœnis ingredi, excipitur Cella Magiſtri Novitiorum; eâ videlicet ratione, ut poſſint ipſi Novitii eam ingredi omnes pro dubiis interrogandis aut accipiendis conſiliis, & hujusmodi. In dicto Dormitorio in nocte continuè ardeat lampas una, vel plures juxta latitudinem Dormitorii. In Cellis ſit ſuppellex duntaxat neceſſaria, videlicet ſimplex lectulus ex ligno, ſaccus palearum, ſive ſtramentum, & ob ſenes, ac debiles permittitur culcitra tomenti lanei: plumeas verò culcitras, omninò à Dormitoriis noſtris Patres excludunt, ac omninò prohibitas eſſe volunt. Præterea habeatur in quavis Cella, & lectulo cervical laneum, & pulvinar plumeum ex craſſiori tamen plumâ. Linteamina, ſi commodè fieri poteſt, ſint ut olim lanea: ſin minus, ſaltem ex craſſiori panno lineo omninò conficiantur. Lodix poſtremò, ſive ſtragulum, ſeu coopertorium aliquod religioſum habeant. Cæterum etſi volunt Patres, ac præcipiunt, Monachos juxta Regulam indutos dormire, tamen quia Monaſteria noſtra, è ſilvis, & deſertis locis ad amænitates Urbium, cum noſtro non mediocri diſpendio, ſunt translata, ubi in æſtate calores ſunt multò majores, quàm in prædictis locis ſilveſtribus; & quia etiam, uti experientia docet, complexiones ſunt multò, quàm antea debiliores: eapropter declararunt, à Feſto omnium Sanctorum usque ad Quadrageſimam cum his indumentis eſſe dormiendum, videlicet cum tunicula lanea, quam volunt tantæ eſſe longitudinis, ut ad cavillam ferè pedum deſcendat eo ſago, quod dicimus Guardacuore: quod infra genua vel ad medium usque cruris perveniat, & poſtremo cum habitu ipſo cincto, atque caputio. Et ſi quis inventus fuerit hunc ordinē non ſervâſſe, aut parum obſervantiæ cupidus, & indignus nomine Religionis, ingratúsque de ſua vocatione Monachus graviter puniatur. Qui verò repertus fuerit uti lineis ad carnes, ùt puta, induſiis, ſive camiſiis, in pœnam ſit privatus voce activa, & paſſiva ad annum, & tunicula ipſius anni. Neque verò liceat alicui quacumque de cauſa

exire

exire extra Cellam cum habitu nocturno, ſed ſemper cum diurno ipſo veſtitu, vel ſaltem cum cuculla. Ultrà verò prædicta ſit in qualibet Cella parvum, ac ſimplex Altare, cum Imagine Salvatoris, aut Beatæ Virginis. Item ſcamnum aliquod ſive tabula, ſuper quam & libros ponere, & ſcribere queant; Arca ſimiliter, ſeu capſa, in qua pannos, ſeu veſtimenta ſervare poſſint: habeant quoque in Cella lucernam, Atramentarium, vas aqueum, & pollutum ad abluendos manus, & linteum ad extergendum. Cùm autem aliquis Monachus Cellam muraverit (quod tamen abſque licentia Prælati facere nequeat) nil prorſus inde aſportabit, ſed iis rebus utatur, quas in nova Cella invenerit. Nullus autem habeat capſam, aut quidpiam aliud in Cella, ferâ & clavî ita obſirmatum, aut clauſum, ut à Prælato non valeat aperiri. Similiter & dum quis extra Cellam egreditur, claudat, ſed ita tamen, ut ſi Prælatus voluerit, eam ingredi valeat. Liceat tamen tam in die, quàm in nocte, dum quis quieſcere vult, Cellam ita claudere, ut nullus ei moleſtiam afferre poſſit, aut eo inſcio intrare. Strictè etiam præcipiunt, ne quis audeat abſque Superiorum licentia, quempiam extraneum, ſive Laicum, ſive Religioſum ducere in Dormitorium, ac multo minùs in Cellam aliquam. Lumen in Cellis ſic collocetur, ut nullum ſit incendii periculum: Candelas verò accenſas ſub gravi pœna nemini hærere ligno cuicumque in cellis, ac officinis, & locis ullô pactô permittatur. Lucernæ, ſeu lampades Dormitorii à Sacriſta accendantur ſtatim poſt pulſationem *Ave Maria*, nec extinguantur, niſi cùm dies illuceſcerit. In hyeme non liceat habere lumen in Cellis, niſi usque ad tertiam horam noctis, à Feſto videlicet omnium Sanctorum usque ad Quadrageſimam. Reliquis verò anni temporibûs, non niſi ad primam noctis horam, niſi de licentia Prælati.

De Excommunicatione Culparum.

CAPITULUM XXIII.

SI quis Frater contumax, aut inobediens aut ſuperbus, aut murmurans, vel in aliquo contrarius exiſtens ſanctæ Regulæ, & præceptis Seniorum ſuorum contemptor repertus fuerit, hic ſecundùm Domini noſtri præceptum admoneatur ſemel, & ſecundò ſecretò à Senioribus ſuis. Si non emendaverit, objurgetur publicè coram omnibus: ſi verò neque ſic correxerit: ſi intelligit, qualis pœna ſit, excommunicationi ſubjaceat. Si autem improbus eſt, vindictæ corporali ſubdatur.

Cùm à principio hujus vigeſimi tertii Capituli Regulæ usque ad vigeſimum nonum Pater Benedictus de culpis loquatur levibus, gravibus, gravioribus, & graviſſimis, & quô pactô puniri debeant: Judicarunt Patres operæ pretium de his quatuor culparum generibus, ad quæ reliquæ omnes culpæ, ſi quæ ſunt, reduci poſſunt, fuſiùs loqui, ut & Prælati ſubditos, quomodo judicare debeant, & ſubditi, à quibus cavere eos oporteat, meliùs diſcant. Et qui non propter Deum, non propter ſalutem propriam, non ob timorem futuræ pœnæ in alia vita à malis, & à peccatis abſtinere volunt, ſaltem ob timorem proximæ pœnæ in hac vita abſtineant. Oderunt (inquit ille) peccare mali formidine pœnæ: oderunt peccare boni virtutis amore. Verùm ne cui videatur in his, quæ dicenda ſunt, quippiam eſſe contra Regulam ſancitum, aut determinatum; imo multa cum conſideratione, & ratione: ſciendum eſt, quod ubi in ſupradicto vigeſimo tertio Capitulo, & duobus ſequentibus ſermo habetur de excommunicatione, non ita accipiendum eſt, ut Divus Pater Benedictus ſemper intellexerit abſolutè loqui de excommunicatione, ſecundùm quod hodie communiter intelliguntur ipſæ excommunicationes: ita videlicet, quod omnia excommunicationum genera æqualiter, & in omnibus excluderent contumacem ab aliorum communione. Quoniam non eſt hæc intentio ſacrorum Canonum, ſed dumtaxat oſtendere, quod, quemadmodum culpæ ſunt triplicis generis, videlicet graves, (ut omittamus nunc leves) graviores, & graviſſimæ, ita diverſorum generum eſſe debent excommunicationes. Quorum prima eſt, quando Monachus privatur participatione communis menſæ, quam pœnam complures aliæ ſequuntur: nempe quia nec Antiphonam, nec Pſalmum in Choro intonare poteſt, nec Lectionem legere, & hujusmodi. Et hæc ſeperare Monachum ab aliis Fratribus duntaxat in prædictis rebus, clarè innuit, ut in aliis communicare valeat, & Fratrum familiaritate frui. Incluſio enim unius (ùt inquit lex) eſt excluſio alterius. Secunda Gravior, ſi rectè conſideretur, ea eſt, quæ vult, Prælatum non ſolùm ſuſpendere, oſtendit, quod hæ duæ excommunicationes propriè non ſunt ejus gene-

geris, cujus eſt illa, de qua loquitur Eccleſia ſancta à menſa, & conſequentibus, ſed in totum ab Oratorio, & præcipit, ut nullus eum alloquatur, aut ſecum converſetur; ſed ſolus maneat, laboret, comedat, ambulet, non benedicat ipſe, neque ab alio benedicatur, & hujuſmodi. Tertia deinde graviſſima, quæ verè, & propriè eſt excommunicatio, ea eſt, quæ vult contumacem, qui nec correctione verborum, neque excomunicationibus dictis minùs gravibus, nec verberibus, nec aliis pœnis afflictivis eſt emendatus, imò longè pejor effectus, ac ſuperbior, ceu putridum membrum, præcidi, & per graviſſimam pœnam, penitus ab aliis ſeparari. Et hanc breviter Patres intelligunt fuiſſe Divi Patris Benedicti mentem, ac intentionem in hoc tractatu, quem facit de culpis, & excommunicationibus. Poſſumus etiam dicere duplicem eſſe excommunicationem, videlicet Monaſticam, & Eccleſiaſticam. Verùm noſtri Patres Seniores, cùm ſit hodie abominabile, atque horrendum verbum excommunicationis, conſiderantes, numquam priores duas hoc certè tremendo nomine nuncupârunt, ſed pœnas magis, aut minùs graves pœnitentias & interdum ſuſpenſiones. Tertiam verò propriù vocabulò excommunicationem vocant. Quocirca cùm hodie quis privatur communi participatione menſæ, aut dimitti piaculum, ſive pictantiam (quam vocant) aut vinum, aut jejunet in pane, & aquâ ſemel, vel plures: non ob id excommunicatus dicitur, tametſi in prædictis cum aliis non communicet, ſed pœnitentiatus. Quemadmodum itaque culpæ magis notabiles ſunt tres, ita juxta Regulam totidem ſunt punitiones, de quibus ſingillatim ſecundùm Patrum intentionem, & ordinem, nunc tractandum eſt. Sed pauca In primis de leviſſima culpa diſſeremus. Nomine igitur levis culpæ intelligi volunt errores eos, quos Monachus inadvertenter, aut ignoranter, vel ex lapſu linguæ, vel ob defectum Judicii, aut ineptitudinis, & ſimilibus de cauſis, & in rebus non magni momenti commiſerit. Quæ tamen culpæ leves aliquando ex accidenti graves effici poſſunt, ùt puta, legere, aut decerpere pomum in viridario ſine Magiſtri licentia, imputatur Novitio levis culpa. At ſi Prælatus præcepiſſet non debere ab ullo decerpi, & ille reſciiſſet, jam culpa illa ex ſe levis ex addita circumſtantia, gravior effecta eſſet. Idcirco oportet Prælatum in his diſcernendis multâ uti prudentiâ, & affectum magis ſive intentionem reſpicere, quàm effectum ipſum. Quandoquidem intentio, quod ex natura ſua leve eſt, grave poteſt efficere. Imò verò ipſe Deus, non ſolùm quid, ſed qua intentione operemur, reſpicit. Sed rectè tamen judicabit Prælatus, cùm fuerit omni affectione, ac paſſione ſpoliatus. Perſæpe namque amor, & odium judicium alterare ſolent, ut res, aliter quàm ſit, videatur. Qui enim diligit ſuperbum aliquem, non eum ſuperbum nominat, ſed magis vivacem, ac ſenſitivum. Contra verò odienti bonum videtur malum, & dulce amarum. Quantum igitur ad culpas regulariter non cenſeantur leves, ſed graves, quæ apertè noſcuntur eſſe voluntaria inobedientiâ, vel contemptu præceptorum, aut ex malitia, ſeu fraude proceſſiſſe: quamvis forſan quoad factum leves eſſent reputandæ. Quæ leves culpæ, ùt ridere in Choro, oculos habere vagos, non rectè inclinare, de variis otioſis loqui, quempiam deridere tardè ad Eccleſiam venire, vas aliquod aut quid ſimile frangere, & hujuſmodi; non aliter puniantur, quàm correctione verborum prima vice privatim; deinde coram teſtibus, mox aliquâ levi pœnitentiâ, ùt puta, quod dicat Pſalmum quinquageſimum in Refectorio, vel Fratrum pedes deoſculetur, vel prandeat una vice in terra. Quod ſi his correctionibus non emendetur, tum culpa ſua inter graves annumeretur, de quibus in ſequenti Capitulo dicemus.

Qualis debeat eſſe modus excommunicationis.

CAPITULUM XXIV.

SEcundùm modum culpæ, & excommunicationis, vel diſciplinæ debet extendi menſura. Qui culparum modum de Abbatis pendeat judicio. Si quis tamen Frater in levioribus culpis invenitur, à menſa participatione privetur. Privati autem à menſæ conſortio, iſta erit ratio, ut in Oratorio Pſalmum, aut Antiphonam non imponat, neque Lectionem recitet uſque ad ſatiſfactionem. Refectionem autem cibi poſt Fratrum refectionem ſolus accipiat, menſurâ, vel horâ, quâ præviderit Abbas ei competere, ut ſi (verbi gratiâ) Fratres reficiunt ſextâ horâ, ille Frater nonâ: ſi Fratres nonâ, ille Veſpertinâ, uſque dum ſatiſfactione congrua veniam conſequatur.

Cùm in præcedenti Capitulo ſatis clarè monſtratum ſit, quænam ſint culpæ leves,

leves, quomodo cognoſci debeant, & puniri; ante omnia in hoc dicetur id, quod in fine illius innuebamus. Nempe quod hujuſmodi leves culpæ (& ita volunt Patres) poſtquam ſemel, atque iterum, ac etiam tertiò, ùt dictum eſt, correptæ fuerint, neque ulla fuerit emendatio ſecuta, tum intelligantur, & ut graves puniantur. Similiter declarant eſſe graves culpas, non tamen mortale peccatum, niſi fortaſſe tale eſſet de ſui natura, quandocunque aliquis Monachus, non quidem ex contemptu (tunc enim tale eſſet) ſed contra præceptum Abbatis quidpiam facit, vel admittit, tametſi illud parvi videretur eſſe momenti. Non eſt ſiquidem putandum, Abbatem aliquid eſſe præcepturum contra rationem, Deique timorem, & legem. Idcirco dictæ transgreſſiones, veluti culpæ graves puniantur, niſi fortè Prælatus ipſe ſub aliqua majori pœna id fieri, vel non fieri mandâſſet. Tum enim illa majori pœna mulctandi ſunt delinquentes. Declarant etiam pœnas omnes, quas Monachi privatim in Monaſterio ob transgreſſionem ordinum ſubjèrint, ſubire debere Prælatos in Capitulo ad arbitrium Generalis, & Viſitatorum, qui omnes ſimul poſſint aliquando, & juſtis de cauſis, pœnas minuere, vel augere. Illæ tamen, quæ à Deffinitorio injunguntur, nullatenus alterari valeant, ùt infrà dicemus. Pœna igitur debita gravi culpæ hæc eſt, ut delinquens toties, quoties in eam lapſus fuerit, comedat in terra in medio Refectorii, & jejunet in pane & aqua per aliquot dies, non egrediatur extra Monaſterium, & ſit interim in continuo ſilentio, deoſculetur Monachorum pedes, culpam ſuam in Capitulo dicat, legat ſemel, vel pluries integrum pſalterium, vel cum aliis ſimilibus pœnis ad arbitrium Prælati puniatur. Qui ſanè Prælatus debet in his multâ uti prudentiâ, ut cognoſat naturas Monachorum varias, & ingenia, & ſciat quibusque vitiis, & infirmitatibus ſalutaria apponere medicamenta. Sed quàm maximè curet, ſuperbos, inſolentes, inobedientes, & contumaces humiliare. Et demum ſciat pro loco & tempore parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos. Ubi verò dicitur in Regula, quòd delinquens ſit in pœna, quouſque convenientem ſatisfactionem ſit conſecutus, ac veniam, intelligendum eſt de venia, & Benedictione à ſuo Prælato poſt factam pœnitentiam habenda. Reliqua autem hujus Capituli ſatis ſupérque ſunt ſuperiùs declarata.

De gravioribus Culpis.

CAPITULUM XXV.

IS autem Frater, qui gravioris culpæ noxâ tenetur, ſuſpendatur à menſâ ſimul, & ab Oratoriô. Nullus ei Fratrum in ullo jungatur conſortio, neque in colloquio. Solus ſit ad opus ſibi injunctum perſiſtens in pœnitentiæ luctu, ſciens illam terribilem Apoſtoli ſententiam dicentis: Traditum hujuſmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini. *Cibi autem refectionem ſolus percipiat menſurâ, vel horâ, quâ præviderit ei Abbas competere: nec à quoquam benedicatur tranſeunte, nec cibus, qui ei datur.*

Illi igitur, qui culpam graviorem perpetraverint, hunc in modum Patres puniri volunt: communi menſa, ſed & ſequela Chori, & omni conſortio Monachorum. Ita ut cum nullo penitus loqui, quanto tempore in pœna fuerit, audeant: niſi cum his, qui ſpecialem à Prælato ſuper hoc habuerint facultatem. Aſſignetúrque talibus Cella propria pro carcere, & ſilentium eis indicatur non minùs quàm viginti dierum, cùm tamen pro culpis gravibus non niſi quatuor eſſe velint. Si quis itaque familiaritatem ſuſpectam alicujus mulieris habuiſſe deprehenſus fuerit, aut rem cum ipſa habuiſſe, graviorem culpam incurriſſe judicetur, & longo carceri mancipetur: habita tamen ratione perſonæ, loci, occaſionis, ſpeciei peccati, & numeri. Addatúrque, ſi viſum fuerit bis, aut ter jejunium panis, & aquæ in hebdomada: & in ſumma juxta delictum aſſignetur & pœna. Item gravior culpa eſt, ſi quis pro gradu aliquo, vel dignitate aſſequenda in noſtra Congregatione ad aliquem Principem ſæcularem, vel Eccleſiaſticum confugerit. Pariter eſt gravior culpa, ſi quis in Civitatem aliquam veniens, non primùm ſe præſentaverit alicui ex noſtris Monaſteriis, ſi ibi fuerint. Item gravior culpa eſt, ſi quis Prælatus miſerit Monachos ſuos avaritiæ cauſâ ad Feſtivitates aut funera & obſequia Mortuorum extra Monaſterium, & loca noſtræ Congregationis. Item gravior culpa eſt, ſi quis arma, quâvis de cauſâ in Cella habuerit, aut veſtes Laicorum. Quoniam verò Patres ordinaverunt, quemlibet Prælatum debere ponere in capſa, ſingulô quôque annô, portionem laudemlii, quæ

quæ illi contigit, & inventam ſervare: propterea ſi quis hoc non feciſſe convictus fuerit, graviorem culpam incurriſſe cenſeatur, & inſuper voce activa, & paſſiva ſit in proximo Capitulo privatus. Similiter gravior culpa eſt, non ſolùm ſi quis ſuadente diabolo aliquem Monachum manu percuſſerit: verùm etiam verbis, maledictis, ac comminationibus eum inſecutus fuerit. Quod ſi aliter, quàm manu, ùt puta, baculô vel ferrô percuſſerit, ſubjacebit pœnæ graviſſimæ, ùt infrà Capitulo vigeſimo octavo, & latiùs in ſeptuageſimo. Nulli neque Monacho, neque converſo, liceat abſque licentia Provincialis Vicarii adire Patrem Generalem, niſi priùs ab eo licentiam habuerit, & qui contra fecerit per menſem, (quoniam graviorem culpam incidiſſe volunt) mancipetur, & quâlibet Feriâ ſextâ illius menſis in pane, & aqua jejunet. Similî pœnâ puniatur, qui non exiſtens Prælatus neque Conventualis, aut Gubernator alicujus loci Principalis ad Capitulum jèrit, non habitâ à Generali, vel à Vicario juſtis de cauſis licentiâ. Si autem Monachus aliquis ſentiret ſe in aliquo gravatum, vel à Prælato, vel ab alio, deſerat cauſam ſuam ad Patrem Generalem in Viſitatione, & ſi etiam ab ipſo Generali non adminiſtraretur ei juſtitia (quod tamen non eſt ita facilè credendum) recurrat aut perſonaliter cum licentia, aut per litteras ad Deffinitores in tali caſu, ac ſemper taliter juſtitiam adminiſtrent, ut nullus jure de ipſis ullô pactô conqueri poſſit. Et qui contra hunc ordinem quidpiam tentaverit, pœnæ graviori culpæ debitæ ſubjacebit. Sanxerunt præterea, quod nullus noſtræ Congregationis, neque Prælatus, neque Monachus poſſit apud Moniales, ſive noſtri, ſive alterius ordinis, aut etiam apud ſæculares, veſtes, libros, pecuniam, aut aliud quidplam ſervandum tradere, vel quomodolibet aliter deponere ſub pœna, Prælatis quidem privationis officii per annum: Monachis verò vocis activæ, converſis autem ſub pœna carceris per duos menſes. Volunt etiam, ut nullus poſſit litteras extra Monaſterium aliquò pactô mittere, neque etiam ſibi allatas legere, ſeu aperire, niſi priùs illas Prælato ſuo præſentaverit legendas ab ipſo, ſub pœna primâ vice jejunandi ſemel pane, & aquâ in medio Refectorii: ſecundâ verò vice manendi in carcere per menſem, & ſic deinceps multiplicetur pœna ad arbitrium Prælati, & Generalis. Si quis verò litteras Diffamatorias, aut libellos famoſos contra Prælatos, vel alios quoſcumque ſcripſerit, & cum dedecore Religionis, & ſcandalo, privetur, ſi fuerit Prælatus omni Officio, & dignitate per tres annos, ſi Monachus omni officiô, & voce activâ per idem tempus. Et ſi converſus, detrudatur in carcerem per tres menſes. Similî pœnâ puniantur maledicentes, qui linguam ſuam ſemper habere videntur, ut ſurſum deorſum omnia vertant, & perturbent pacem Monaſterii. Et quoniam harum perturbationum perſæpe cauſa ſunt Prælati nimis indulgentes, ac puſillanimes, propterea Patres admonent, ut, ſi qui tales ſint, quantocyùs corrigantur, & acerrimè puniantur. Alioqnin Prælati ipſi, velut indigni, omni prælationis munere ſint privati. Si quis litteras non ſibi directas aperire auſus fuerit, vel reſignare, vel apud ſe malitioſè retinere, prima vice ter jejunabit in ſolo pane, & aqua in medio Refectorii: ſecundâ verò vice, & deinceps per menſem ſit carceri adjudicatus, & per ſex menſes ſit poſtremus omnium ſui Ordinis: videlicet, ſi eſt Sacerdos, ſit poſtremus Sacerdotum, ſi profeſſus profeſſorum ultimus, ſi converſus minimus converſorum. Si quis verò Prælatus aperuit litteras Prælati alterius Monaſterii, per annum deponatur ab officio ſuo. Litteras verò ad ſe directas, & ſubditos ſuos quilibet Prælatus valeat, imò debeat aperire, ac legere. Item culpa gravior eſt, ſi quis Prælatorum ex bonis Monaſterii propria voluntate munus aliquod, vel donum miſerit ad aliquem Principem hominem, ſeu quemvis alium ultra pretium, & valorem unius aurei, & in pœnam ab officio abſolvatur: Non enim debent eſſe Prælati bonorum Monaſteriorum diſſipatores, ſed fideles eorum miniſtratores, & diſpenſatores. Si verò Monachus idem fecerit, veluti furti reus trium menſium carcere puniatur. Si tamen Prælatus ob aliquod ſingulare Beneficium munus aliquod ad aliquem tranſmittere velit, poſſit cum conſilio & aſſenſu Seniorum; intuitu mercedis, gratitudinis, vel eleemoſynæ, & non aliter, dummodo pretium decem aureorum non tranſiliat. Similiter nolunt, ut quis abſque licentia donare poſſit etiam ex his, quæ ſuâ induſtriâ acquiſivit, aut ab amicis, ſeu cognatis accepit. Quoniam quidquid Monachus acquirit, non ſibi acquirit, ſed Monaſterio. Contra verò facientes pœnæ graviori culpæ debitæ ſubjaceant, aut aliquanto leviori ad arbitrium Prælati: tamen non ſibi imputetur ad furtum. Poteſt tamen ejuſmodi dona ex ſe ipſo acquiſita largiri, ſi facultas ſibi facta ſit à Prælato, vel à Patre Generali. Quem quidem Generalem nullô pactô volunt huic Conſtitutioni ob gradum, quem tenet, ſubjacere: ſed valeat in beneficium Religionis ultra

dictum

dictum pretium, ſi quis fuerit, ex ſuis proviſionibus, & ſtipendiis elargiri. Item graviorem culpam eſſe volunt, ſi quis nomen Dei ſanctiſſimum, aut Matris ejus, aut aliorum Sanctorum blasphemaverit, & puniri aſperrimô, & longiorî carcere ad arbitrium Prioris, & Generalis. Qui item nomen prædictum in vanum aſſumpſerit jurejurandô, vel aliter, pœnâ panis, & aquæ mulctetur. Si quis verò (quod abſit) in uſu habuerit blasphemare, cenſeatur ejus culpa graviſſima, & ùt talis puniatur. Præcipiunt etiam, ne aliquis neque Prælatus, neque Monachus, præter eos, qui earum curam habebunt, audeat ad Monaſteria noſtrarum Monialium, aut etiam alterius ordinis accedere, neque litteras, aut munuſcula mittere, aut accipere, vel unicas absque licentia Patris Generalis: meminerintque Monachi, Divum Patrem Benedictum vehementiſſima amaritudine ſuum Monachum increpâſſe, qui etiam rogatus à Sanctimonialibus fœminis quasdam mappulas acceperat. Qui igitur huic Conſtitutioni contrafecerit, ad arbitrium Prælati graviùs puniatur. Si quis verò pernoctaverit in domibus alicujus noſtrorum Monaſteriorũ Monialiũ ſine licentia ejusdem Patris Generalis, aut Patris Vicarii in Provincia (ſi hanc authoritatem habuerit à dicto Patre Generali) carceri per menſem mancipetur. Et Capellanus, qui absque licentia in ſcriptis dicti Generalis, aut Vicarii permittet aliquem ex noſtris Monachis pernoctare in domibus Monaſterii alicujus, ùt ſuprà, eâdem pœnâ puniatur. Si quis autem puer, vel Novitius in graviorem culpam inciderit, ſit in arbitrio Prælati aſſignare illi Cellam pro carcere, dare diſciplinas, vel ei aliam conſimilem pœnitentiam hujusmodi ætati congruentem imponere. Si quis verò Monachus verba inhoneſta locutus fuerit, aut rem aliquam absque licentia alicui adoleſcenti dono dederit, qui adhuc maneat ſub cura Magiſtri, pœnæ graviori culpæ debitæ ſubjacebit. Et quoniam uti eſt in proverbio, plures ſunt caſus, quàm leges, non ſolùm jam dictæ pro culpis gravioribus habeantur, ſed illæ quoque, quæ tales à ſacro Deffinitorio judicabuntur. Et ſi alicui videretur nos hac in parte ſuperflua aliqua dixiſſe, quoniam poterant breviùs culpæ graviores enumerari, deinde ſubjici pœnæ: nos tamen ita fecimus majoris diſtinctionis gratiâ, & quoniam in ipſo ordine culparum magis gravium una graviùs eſt mulctanda, quàm alia reſpectu perſonarum, ac delinquentium. Quod ſi non omnes hìc culpæ graviores ſpeciatim enumeratæ ſunt, facilè tamen erit ex his alias dignoſcere. Ex ſimilibus enim ſimilia cognoſcuntur, & ex his, quæ ſcripta ſunt, alia, non ſcripta, haud difficulter judicari poſſunt. Cæterum, ſi qua dubia fortè orirentur circa dicta, ac dicenda, volunt Patres declarationem eorum fieri à Patre Generali, vel ſi commodè fieri poteſt à Reverendo Deffinitorio. Pœnæ quæ gravioribus culpis debentur, ut omnia jam dicta breviter in unum colligamus, hæ ſunt: carceres, diſciplinæ, privationes vocis tam activæ, quàm paſſivæ, privatio loci, gradûs, officii, ac dignitatum omnium, proſtrationes, exilium, & relegatio in aliquo Monaſterio ad tempus, & id genus reliquæ.

De his, qui ſine juſſione Abbatis junguntur excommunicatis.

CAPITULUM XXVI.

Si quis Frater præſumpſerit ſine juſſione Abbatis, Fratri excommunicato quôlibet modô ſe jungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, ſimilem ſortiatur excommunicationis vindictam.

Cum Divus Benedictus de gravioribus culpis, ac pœnis, ſive, ùt ipſe dicit excommunicationibus, in ſuperiori Capitulo locutus ſit: modo antequam ulterius progrediatur ad loquendum de culpis graviſſimis, (quaſi dirigendo) præcipit in hoc Capitulo, ut nullus audeat ſine ſpeciali Abbatis præceptô jungere ſe excommunicatis. Deinde in Capitulo vigeſimo ſeptimo monſtrat, quô pactô ipſe Abbas eorum curam gerere debeat. Quantum igitur ad primum declarant Patres, ac præcipiunt, cui ſilentium dictum eſt, aut qui carceri intruſus vel excommunicatus eſt, neminem Monachorum loqui debere, aut nuncios, vel litteras mittere, ſub pœna gravis culpæ. Quam ſanè culpam volunt etiam incurrere eos, qui talibus auxilium & favorem contra Prælatos, ac ſanctam obedientiam præſtant: at non ſolùm, qui talia agunt, juxta Apoſtoli dictum, verùm etiam, qui conſentiunt facientibus, conſimilî ſint pœnâ mulctandi. Quoniam verò nonnulli interdum Prælatos & pauca reſpicientes, quavis de cauſa ſententias

tentias excommunicationum ferre conſueverunt; præcipientes hanc vel illam rem, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, vel declarando quempiam de facili excommunicatum. Propterea præcipiunt Patres in hoc ſe ſacro Concilio Tridentino conformantes, omnibus Prælatis, ut ab hujuſmodi præceptis omnino abſtineant, neque unquam, niſi in caſibus urgentiſſimis, ſub pœna anathematis quidquam mandare præſumant, neque etiam aliquem tam facilem judicare excommunicatum, ſed ſint in judiciis ferendis tardi, prudentes, ac diſcreti. Similiter caveant ab illa ſententia, qui citò credit, levis eſt corde: nec tam facilè aures quibusdam ſuſurronibus accomodent, qui nihil aliud ſcire videntur, niſi detrahere, mordere, atque perperam loqui de proximo. Sed audiant, ac diligenter obſervent, utrùm res ita ſe habeat, antequam ſententiam ferant. Neque verò econtra ita increduli ſint, ut omnia parvi pendant: ſæpe enim non habuiſſe fidem vera dicentibus, ac perinde non conſuluiſſe rebus ſuis, multorum fuit ſcandalorum occaſio. Sit itaque Prælatus neque nimis credulus, neque etiam ita parùm credens, ut diligenter inveſtiget cuncta, & linceîs quodammodo oculîs commiſſum ſibi gregem cuſtodiat.

Sed ad rem noſtram regredientes non ſolùm dicimus Prælatum debere curare, ne quis cum excommunicatis ſe jungat: verùm etiam ne boni cum malis commercium habeant, aut diſcolis, & parùm devotis. Quandoquidem, juxta Salomonis dictum; qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit, amicus ſtultorum ſimilis efficietur. Denique caveant Prælati, ne affectione aliqua ducantur, ejúsque meminerint ſententiæ. Quilibet præſumitur bonus, niſi probetur contrarium.

Qualiter debeat eſſe Abbas ſollicitus circa excommunicatos

CAPITULUM XXVII.

O*Mni ſollicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes Fratres, quia* non eſt opus ſanis Medicus, ſed malè habentibus. *Et ideo uti debet omnî modô, ùt ſapiens Medicus; immittere quaſi occultos conſolatores, Senipetas id eſt, Seniores ſapientes Fratres, qui quaſi ſecretè conſolentur Fratrem fluctuantem, & provocent ipſum ad humilitatis ſatisfactionem. Et conſolentur eum, ne abundantiori triſtitiâ abſorbeatur. Sed ſicut ait Apoſtolus:* Confirmetur in eo charitas, & oretur pro eo ab omnibus. *Magnopere enim debet ſollicitudinem gerere Abbas, & omni ſagacitate, & induſtria curare, ne aliquam de ovibus ſibi creditis perdat. Noverit enim ſe infirmarum curam ſuſcepiſſe animarum, non ſuper ſanas tyrannidem. Et metuat Propheta comminationem, per quam dicit Deus:* Quod craſſum videbatis, aſſumebatis, & quod debile erat, projiciebatis. *Et Paſtoris boni pium imittetur exemplum, qui relictîs nonaginta novem ovibûs in montibus, abiit unam ovem, quæ erraverat, quærere. Cujus infirmitati in tantum compaſſus eſt, ut eam in ſacris humeris ſuis dignaretur imponere, & ſic reportare ad gregem.*

Non eſt niſi conſideratione dignum, quod ubicunque loquitur Divus Pater in Regula de Prælato, ſemper vult eum non tantùm nomine, ſed re ipſa, & opere eſſe Patrem, & quidem perbenignum ſuorum Monachorum, ipſósque è converſo filios, & quidem obſequentiſſimos. Illud verò certum eſſe nemo eſt, qui ambigat? Patri plùs moleſtiæ afferre filiorum verbera, quàm ipſis Filiîs. Quare & Patres, ſi quando Filios ita exigente juſtitiâ verberaverint, ſolent eos poſtmodum per ſe ipſos, vel per alium verbîs dulciſſimîs conſolari, & animadverſionem illam ex paterna charitate proceſſiſſe demonſtrare. Hôc itaque pactô ſe ſe Prælatus erga ſubditos, quos dicit Filios, exhibere debet: eos præſertim, qui afflicti animô, ac in pœnitentia exiſtunt. Cùm ibi magis compaſſione præſto eſſe debeat, ubi magìs eſt opus. Volunt itaque Prælatum in animadvertendis, ac corrigendis vitiis illud ſemper præ oculis habere, videlicet diligendam eſſe perſonam, vitium verò odio habendum. Puniat ſanè delinquentes ad correctionem, non ad deſperationem, paterno eos affectu proſequatur; compatiatur illis, condoleat, & cum Apoſtolo fleat cum flentibus, ac nullum non moveat lapidem, ut eos ad ſanctè, beatéque vivendum revocet. Quod facilè conſequi poterit, ſi dexteritate quâdam, ſi charitate, ùt par eſt, chriſtianâ cum eis egerit, pietatéque non ficta, aut ſimulata. Ipſe verò delinquens, non propterea ſuperbire debet, ſed multò magìs humiliari, culpam ſuam agnoſcens, & aliorum erga ſe humanitatem. Verùm

ùt

ùt hoc opus pietatis pares, atque adeò bonos producat fructus ſalutis, neceſſe eſt, ut tam ex parte Prælati, quàm ex parte eorum, quos ipſe ad hujusmodi delinquentem levandum mittit, ſit neque quid fictum, neque frigidè exercitatum, ſed ſincerum ex corde, ac omnibûs nervìs intentatum. Verùm quia ſine divina gratia nihil prorſus boni agere valeamus, ut ejusmodi pœnitentia ſit ei ſalutaris, ac veluti animarum medicina, faciat Prælatus reliquos Monachos pro ipſo devotè orare. Denique modis omnibus curet, quòd nulla ovium ſibi commiſſarum ullô pactô pereat, memor ejus, quod Divus Pater dicit, nempe eum non eſſe vocatum, ut ſanis ovibus cum imperio, ac tyrannide dominetur, ſed magis, ut languentibus paterno medeatur affectu. Quod ſanè ſacere haudquaquam videntur Præſules illi, qui non niſi devotos Monachos, ac veluti ex millibus electos in ſuis cœnobiis volunt; reſpuentes reliquos, qui non ita quieti ac tractabiles exiſtunt, cùm tamen contra facere quisquis deberet, cui vel parùm ſalutis animarùm zelus ineſt, quærere videlicet oves perditas, & illas ſalutaribûs exemplîs, ac verbîs ad ovile Chriſti ſuper humeris impoſitas reducere. Sic enim Fratres magis ædificaret ſuos, & major illi merces apud Deum procul dubio maneret. Quamvis etiam illud non inficias iverim, juſto Dei judicio hujusmodi diſſolutos Monachos ab omnibus reſpui, & longè â propriis Monaſteriis expelli, ut vel ſaltem hôc pactô ſe ipſos agnoſcant, atque emendare ſtudeant, sintque in aliorum exemplum, ut benè, beatéque vivere conentur, atque ideò Deo, & hominibus ſe gratos efficere.

De his, qui ſæpius correcti, non emendaverint.

CAPITULUM XXVIII.

SI quis Frater frequenter correptus pro qualibet culpa, ſi etiam excommunicatus, non emendaverit, acrior ei accedat correptio, id eſt, ut verberum vindicta in eum procedat. Quòd ſi nec ita correxerit, aut fortè, (quod abſit) in ſuperbiam elatus etiam defendere voluerit opera ſua, tunc Abbas faciat, quod ſapiens Medicus. Si exhibuit fomenta, ſi unguenta adhortationum, ſi medicamina Scripturarum divinarum, ſi ad ultimum uſtionem excommunicationis, vel plagas virgarum, & jam ſi viderit nihil ſuam prævalere induſtriam, adhibeat etiam, quod majus eſt, ſuam, & omnium Fratrum orationem pro eo, ut Dominus, qui omnia poteſt, operetur ſalutem circa infirmum Fratrem. Quod ſi nec iſto modo ſanatus fuerit, tunc jam utatur Abbas ferro abſciſionis, ut ait Apoſtolus: Malum auferte ex vobis. *Et iterum:* Infidelis, ſi diſcedit, diſcedat: *ne una ovis morbida totum gregem contaminet.*

Quoniam verò ſapientis eſt Medici putrida membra, ne reliquas corporis partes commaculent, igne ferróque prorſus abſcindere, præcipiunt Patres, ut ſi quem Prælatus invenerit, poſt narratas hucusque pœnas & animadverſiones adhuc in ſua perverſitate perſiſtere, nec ullam ſupereſſe emendationis ſpem, talem habitu Religionis exutum, omnino à noſtra Congregatione expelli, ne morbida facta pecus totum corrumpat ovile. Neque verò difficultatem, aut ſcrupulum cuiquam injiciat poſtremum de regolaribus Capitulum, ac tranſeuntibus ad alienam Religionem: Quoniam hunc morem habent ferè omnes vitæ regularis Religiones. Idque ſummi permittunt Pontifices, ſpeciatim verò, qui nunc vivit Beatiſſimus Pius V. Hanc autem expulſionem, ſeu privationem habitûs, non quivis Prælatus ſacere poſſit, ſed Reverendiſſimus duntaxat Generalis una cum Viſitatoribus, & noſtrum Deffinitorium. Cùm verò aliquâ rationabilî cauſâ judicaverit non eſſe hujusmodi delinquentem expellendum, tum perpetuo carceri addicatur in arcta pœnitentia, ut vel ſaltem hôc pactô ſpiritus ſalvus fiat. Graviſſimas igitur pœnas, ac tali animadverſione dignas, has eſſe definiunt: videlicet, ſi quis aliqua Hæreſi ſit infectus; ſi quis voluntarium homicidium commiſerit; ſi quis Prælatum aliquem quoquomodo percutere auſus fuerit; Si quis armis quempiam vulneraverit, aut venenô necare tentaverit; Si quis necromantiam ſectatus fuerit, aut aliquam artem Dæmoniacam; ſi quis rebus ſacris uti ad res ſacrilegas auſus fuerit; Si quis de crimine peſſimo, vel aliquo abominabili ſacrilegio accoſatus, ac convictus fuerit. Si quis denique à Congregatione cum maniſeſto ſcandalo ſemel rebellaverit, aut aliquo ex membris ejus principalibus, vel tevelaverit ſecreta Congregationis alicui extra ordinem, vel provocaverit aliquod Monaſterium deduci in commendam, vel cauſam aliquam ordinis, non requiſito priùs Patre Generali, vel Deffinitotio, immediatè ad Illuſtriſſimom ordinis Protectorem detulerit. Volunt enim, ut priùs ab ipſis

juſtitia petatur, ordine, quô ſuprà. Quod ſi illi eam non adminiſtraverint, tum liceat Superiores alios adire. Graviſſimam item culpam eſſe definiunt. Si quis ultra duas vices, tamquam blaſphemator ſanctiſſimi nominis Dei pœnitentiatus fuerit. Ut autem occaſio malignandi omnino tollatur, aut quempiam injuſtè accuſandi, volunt, ut ſi quis aliquem de aliquo prædictorum apud Superiores tamquam reum, (non ſimpliciter denunciando, ſed accuſando detulerit) niſi id probare legitimè queat, eidem pœnæ velut infamem juxta ſacros Canones, ſubjacere: Prælati verò in hujusmodi dijudicandis recto incedant tramite, non declinantes, neque ad dextram, neque ad ſiniſtram. Neminem quoque condemnent, niſi confeſſus fuerit, aut legitimè convictus. Hæ igitur ſunt culpæ graviſſimæ etſi quæ aliæ Reverendiſſimo Patri Generali, ac Deffinitorio videbuntur per aſſimilationem ad prædictas. Pœnæ verò eorum, ùt dictum eſt, ſunt diuturni carceres ſeu perpetui, longiora jejunia, privatio habitûs, traditio in manus Curiæ ſæcularis, privatio omnis vocis, officii, ac dignitatis, condemnatio ad triremes, & id genus aliæ, juxta qualitatem delicti.

Si debeant recipi Fratres egreſſi de Monaſterio.

CAPITULUM XXIX.

Frater, qui propriâ vitiô egreditur, aut projicitur de Monaſterio, ſi reverti voluerit, ſpondeat prius omnem emendationem vitii, pro quo egreſſus eſt, & ſic in ultimo gradu recipiatur, ut ex hoc ejus humilitas comprobetur. Quod ſi denuò exierit, usque tertiò ita recipiatur. Jam verò poſtea ſciat omnem ſibi reverſionis aditum denegari.

Quantùm ad hoc vigeſimum nonum Capitulum Regulæ, in quo agitur de his, qui à Monaſterio, ſeu Congregatione receſſerunt, utrum de novo recipi debeant? Pattes ita declarant. Si quis causâ levitatis, vel indignationis receſſerit à Monaſterio ſine licentia, aut ad alium Congregationis locum, ſeu dicti Monaſterii membrum pergat, ſi infrà quatuor dies redièrit, (etiamſi noctem unam, vel ob longitudinem itineris, vel ob receſſum tardiorem in loco alterius Religionis pernoctaverit) recipiatur, non ùt fugitivus, ſed ùt inobediens, & ùt talis puniatur privatione, vel ſuſpenſione ab officio, ſi quod habuerit. Item jejunio panis, & aquæ, proſtrationibus quoque, ac ſequeſtratione ad tempus, aliisque pœnis juxta prudentiam Prælati, qui rationem habeat ætatis, motivi, ac vitæ retroactæ talis delinquentis. At verò, ſi quispiam ob aliquem exceſſum graviorem, à Monaſterio recedens, non ad aliquem Congregationis locum acceſſerit; regrediens infra tres dies à Prælato ſuo cum licentia Vicarii Generalis in illa Provincia, & de conſilio Seniorum ſui Monaſterii recipi poſſit, hac tamen lege, ùt pœnas ſubeat juxta arbitrium Prælati, & culpæ gravitatem. Quod ſi ultra tres dies, non tamen ultra menſem cum habitu extrà moratus fuerit, nullô pactô recipi revertens poſſit ſine expreſſa licentia Patris Generalis, ac Viſitatorum. Qui tamen Generalis, ac Viſitatores non debeant illum recipere, niſi hac conditione, ut ſaltem carceri ad eorum beneplacitum mancipetur. In futuro autem Capitulo dictus fugitivus denuo à Patribus Deffinitoribus recipiatur, & digna pœnitentia puniatur. Quam pœnam, ùt alias à Deffinitorio impoſitas, neque à Patre Generali, neque ab ullo revocari poſſe, aut in parte aliqua minui, Patres nullô pactô volunt. Neque verò quis excuſationem afferre poſſit, ſe ideo receſſiſſe, ut ad aliam Religionem tranſiret: affirmant præſcripti Patres, jam eſſe declaratum Monachos Congregationis noſtræ Camaldulenſis non poſſe ad aliam Religionem tranſire, licèt arctiorem, niſi ad ſacram Eremum noſtram, aut inter Patres Eremitas Divi Patris Romualdi; ſive Montis Coronæ; neque ad hos etiam, niſi poſitâ licentiâ à Patre Genetali, vel Deffinitorio. Volunt præterea, quod omnes tales fugitivi reverſi, dum à carcere egredientur, noviſſimum locum inter profeſſos per quinquennium teneant, & ſint per idem tempus voce activa, & paſſiva ita privati, ut nullô pactô ad gradum aliquem, eo durante tempore, ſeu officium ſuperioritatis promoveri poſſint. Quod ſi fortè habitum abjecerit, & ſine ipſo totum illud tempus jam præſcriptum, vel partem fugitivus permanſerit, dictæ pœnæ duplicentur, præſertim ſi ad aures Patrum, parùm honeſtam vitam tum temporis eum vixiſſe pervenerit. Si quis verò abjectâ cucullâ, ac habitu infra menſem non fuerit reverſus, poſtmodum rediens, non niſi à Deffinitorio recipi poſſit, & receptus per decennium, (ultra alias ſupradictas pœnas) non poſſit ad aliquam dignitatem promoveri, & locum ſuæ profeſſionis in perpetuum amit-

amittat, niſi forſan taliter poſtmodum vixerit, ut à Deffinitorio, ultra dictum decennium (nemine penitus diſcrepante) reſtituatur. Qui verò ob notabile furtum receſſerit, vel aliquod grave delictum aufugiens commiſerit, nulla habita ratione expreſsâ, aut laboris, modis omnibùs perquiratur, & (invocatô etiam, ſi opus fuerit, auxiliô brachii ſæcularis) ad Monaſterium perducatur. In quo carceri addictus manebit usque ad proximum futurum Capitulum, & tum Patres de illo, quid ſit agendum, definiant. Idem quoque fieri volunt de his, qui à Religione recedentes cum licentia ſcandaloſè in populis vivunt, & cum dedecore Religionis, ſed primùm hi poſtremi verbis corrigantur. Quicumque, quavis de cauſa, dummodo juſta, carceri, vel ſemel fuerit mancipatus, non poſſit per decennium ad aliquem gradum Superioratûs promoveri. Et licèt hi duo Articuli videantur ſeveriores, ita tamen congrui tempori, ut Fratres fugitivi in noſtris Monaſteriis etiam per tranſitum non recipiantur, imò nec verba cum illis habere Fratribus noſtris liceat. Verùm ſi conſtaret Prælato illum eſſe bonæ famæ, & religiosè cum habitu extra clauſtrum vivere, facultatem habeat eum ſic per tranſitum recipere. Monachi verò, qui ab uno Monaſterio ad aliud proficiſcuntur, ſi non habuerint litteras ſui Prælati, non recipiantur niſi pro una nocte, præſertim, ſi fuerint ſuſpecti. Camerarii tamen, ſive Cellarii, Procuratores, & alii ſimiles Miniſtri ſub hac lege non comprehendantur. Quod verò dictum eſt, *usque tertio*, juxta Regulæ tenorem. Et quoniam benè contingere poteſt, ut aliquis bonæ famæ ob aliquam indignationem recedat, & extra (verbi gratiâ) per decennium maneat, ſemper tamen honeſtè, ac religioſè vivendo: alius verò ob aliquod flagitium ſimiliter abſcedens per triennium duntaxat extra Monaſterium permaneat; Licentioſè nihilominus, ac parùm modeſtè vivendo, operæ pretium eſt, ut Patres multa conſideratione utantur in judicando, quis majori pœna ſit dignus, ille qui per decennium foras manſit honeſtè ſe gerens: an verò ille, qui per triennium tantùm, ſed inhoneſtè tamen foras converſatus eſt. Idem quoque dicendum de multis aliis conſimilibus caſibus, qui evenire facilè poſſunt.

De pueris Minori ætate qualiter corripiantur.

CAPITULUM XXX.

Omnis ætas, vel intellectus proprias debet habere menſuras. Ideòque quoties pueri, vel adoleſcentes ætate, aut qui minus intelligere poſſunt, quanta pœna ſit excommunicationis: hi tales, dum delinquunt, aut jejuniis nimis affligantur, aut acribûs verberibûs coerceantur, ut ſanentur.

Quoniam verò Divus Pater, cùm jam de excommunicationibus, ac pœnitentiis locutus ſit, ſubjicit omnem ætatem, ac intellectum ſuas habere menſuras, & quod uni congruit, alteri perſæpe non convenire: ea propter hoc obſervare volentes Præſcripti Patres ſtatuerunt, quod ſi aliquando pueri, & adoleſcentes inciderunt in aliquem errorem: nullô pactô excommunicationibus, aut aliis graviſſimis pœnis, ſed verbis, minis, jejuniis, diſciplinis, coronis, pſalteriis, & id genus aliis puniantur. Ad majorem propterea inſtructionem voluerunt Patres, quod hoc loco, quaſi incidenter, pœnæ omnes narrentur, quæ tam in noſtra, quàm in aliis Religionibus dari delinquentibus Monachis conſueverunt. Neque verò erit abs re, cùm ſæpe inventi fuerint nonnulli, qui pœnas aliquas ex propria ſententia alicui injungentes, & riſus circumſtantibus excitârint, & nonnumquam ſemet, & alios diſcrimini alicujus ſcandali objecerunt.

Pœnitentiæ itaque, quæ ſunt pueris injungendæ usque ad annum quintum decimum, vel ad ſummum XVI. ùt puta, quia Lectioni non ſtuduerunt, non rectè cantârunt in Choro &c. hæ ſunt, privatio fructuum in menſa, aut caſei, vel vini, & aliquando (ùt dicunt) pictantiæ. Item humi prandere in medio Refectorii; diſciplinas recipere, deoſculari Monachorum pedes in menſa recumbentium, aut de mane in Capitulo exiſtentium. Adoleſcentibus verò profeſſis, ſi fortè deliquerint, hujusmodi ſunt injungendæ pœnæ. Prandere in terra in ſolo pane, & aquâ, proſtrationes facere, hoc eſt, corpore in limine Refectorii jacere, dum Monachi tranſeunt, vel quandoque pro ſotibus Eccleſiæ, dum non adſunt ſæculares, ſilentium ſervare per menſem, abſtinere per aliquod tempus à ſancta communione. Non egredi à clauſtro per annum. Privari voce activa, & paſſiva ad tempus, & ejusmodi juxta gravitatem delicti. Solent etiam aliquando Religioſi puniri privatione confeſſionis,

hoc

hoc eſt, ut nullum amplius poſſint in confeſſionibus audire, ne cum aliquo itidem ſæculari loquantur unquam, vel ad certum tempus, ſuſpenſione à celebratione Miſſæ, privatione loci ſuæ profeſſionis, item omnis gradûs officii, ac dignitatis. Puniuntur etiam excomunicationibus, carceribus, vel perpetuis, vel ad tempus. Triremibus, expoliatione habitûs, traditionibus in manibus Curiæ, & aliis fortaſſe ſimilibus juxta qualitatem delicti. In quibus pœnis injungendis ſit prudens Prælatus, ut eas pro qualitate criminis, habita quoque ratione perſonæ, ætatis & vitæ retroactæ imponat. Præſertim verò cunctanter incedat circa pœnam carceris, quoniam in Religionibus nulla major videtur: cùm delinquens Monachus ob eam infamis toto ferme tempore vitæ ſuæ haberi ſoleat. Itaque niſi fuerit culpa pluſquàm gravis, numquam carcer, ſed Cella pro carcere, ſi opus fuerit, aſſignetur delinquenti: ibique jejuniis ſolius panis, & aquæ, aliiſque vitæ auſteritatibus pro culpæ merito puniatur. Idem quoque fiat, cùm quis non ut puniatur, ſed pro inquirenda alicujus facti veritate cuſtodiri debet.

Qualis debeat eſſe Cellarius Monaſterii.

CAPITULUM XXXI.

Cellarius Monaſterii oligatur de Congregatione ſapieus, maturus moeibus, ſobrius, nou multum edax, uou elatus, non turbulentus, non injurioſus, uon tardus, non prodigus: ſed timens Deum, qui omni Congregationi ſit, ſicut Pater. Curam gerat de omnibus: ſine juſſione Abbatis nihil faciat: quæ jubentur, cuſtodiat, Fratres nou contriſtet. Si quis autem Fratee ab eo aliquid fortè irrationabiliter poſtalat, non ſpernendo eum contriſtet, ſed rationabiliter cum humilitate malè petenti deneget. Animam ſuam cuſtodiat: memor ſempee illius Apoſtolici pracepti: Quia qui benè miniſtraverit, gradum bonum ſibi acquirit. *Infirmorum, infantium, hoſpitum, pauperúmque cum omni ſollicitudine curam gerat, ſcieus ſine dubio, quia peo his omnibus in die judicii eationem reddituens erit. Omnia vaſa Monaſterii, cunctámque ſubſtantiam, ac ſi Altaris vaſa ſacrata conſpiciat, nihil ducat negligendum: neque avaritiæ ſtudeat: neque prodigus ſit, aut extirpator ſubſtantiæ Monaſterii: ſed omnia menſuratè faciat, & ſecundùm juſſionem Abbatis ſui. Humilitatem ante omnia babeat, & cui ſubſtantia non eſt, qua tribuatur, ſermo eeſponſionis porrigatur bonus: qaia ſcriptum eſt*: Sermo bonus ſuper datum optimum. *Omnia, quæ ei injunxerit Abbas, ipſe babeat ſub cura ſua; à quibus eum prohibuerit, nou præſumat; Fratribas conſtitutam annonam, ſine aliquo typho, vel mora afferat, ut non ſcandalizentur, memoe divini eloquii, quid mereatue, qui ſcandalizaverit unam de puſillis. Si Congeegatio majoe fuerit, ſolatia ei dentur, à quibus adjutus, & ipſe æquò animò impleat officium ſibi commiſſum. Horîs competentibûs dentur, quæ danda ſunt, & petantur, quæ petenda ſunt: ut nemo perturbetur, neqae contriſtetur in domo Dei.*

Circa hoc Capitulum, ubi D. Pater loquitur de Officio Cellarii, ſeu ut nos dicimus, Camerarii, ita clarè, & dilucidè, quæ ad ipſum pertinent, enarrat, ut viſum ſit Patribus, nihil penitus addere. Præcipiunt tamen, ac omnino volunt ipſum Cellarium teneri quâlibet hebdomadâ Capitulum hoc legere attentè, & quoad poterit, executioni mandare. Electionem ejus declarant in quolibet Monaſterio ad Prælatum pertinere, qui curabit talem deligere, qui qualitates has, quoad fieri poteſt, habeat, quas Pater ſanctus ponit in præſcripto Capitulo, quô nec pulchrius, nec conſideratius, nec omni ex parte completius alterum non facilè invenies. Ubi verò dicitur: *Animam ſuam cuſtodiat*, hortantur Patres ipſum Camerarium, ut ſe in rebus temporalibus non ita demergat, & implicet, ut ſpiritualia non negligat, aut iis, quæ ad animam attinent, non attendat. Ubi autem dicitur: *Infirmorum &c.* declarant, Camerarium cum omni diligentia, & timore Dei hanc partem exequi debere, præſertim in abſentia Abbatis, cogitétque ſe in die judicii ante Chriſti tribunal de hoc ſpecialiter redditurum eſſe rationem. Et quoniam aliquoties videntur Abbates, & Cellarii nimiam gerere ſollicitudinem rerum temporalium, & magis de illorum minùs felici ſucceſſu dolere, quàm de ſpiritualium neglectu: hortantur Patres hujuſmodi, ut memores eſſe velint, primùm quærendum eſſe regnum Dei. Quoniam non inopia timentibus Deum, imò verò (divitibûs egentibûs, ſæpenumerò, & eſurientibûs) qui quærunt Dominum, non minuuntur omni bonô. Quapropter rejecta diffidentiæ anxiæ ſollicitudine terrena ſimul, & cæleſtia, quâ decet diligentiâ amplectantur, & curent, & ubi proviſio, quæ in nobis eſt, deeſt, deeritque humana poſſibilitas, Dominus ſervis ſuis divina poteſtate minimè deerit: quemadmodum Divus Gregorius narrat

Patri

Patri Benedicto accidiſſe, qui in extrema poſitus neceſſitate cum Filiis ſuis grandi copiâ farinæ divinitùs provisâ recreatus eſt. Præcipiunt etiam dictis Cellariis, ut ſaltem bis in anno coram Patribus legant rationes, & computa conventûs, debita nimirum, & credita, & diſpoſitionem Monaſterii. Similiter cùm recedunt ab uno loco ad alium, fideliter coram Prælato, & Senioribus, ſub pœna culpæ graviori debita, rationem reddant propriæ adminiſtrationis.

De Ferramentis Monaſterii.

CAPITULUM XXXII.

Subſtantiæ Monaſterii in ferramentis vel veſtibus, ſeu quibuslibet rebus provideat Abbas Fratres, de quorum vita, & moribus ſecurus ſit, & eis ſingula, ut utile judicaverit, conſignet cuſtodienda, atque recolligenda. Ex quibus Abbas breve teneat, ut dum ſibi in ipſa aſſignata Fratres viciſſim ſuccedunt, ſciat, quid dat, aut quid recipit. Si quis autem ſordidè, aut negligenter res Monaſterii tractaverit, corripiatur. Si non emendaverit, diſciplinæ ſubjaceat.

Quemadmodum in regimine Domûs ſæcularis non ſufficit Paterfamilias, qui intus & foris ſit caput, neque Mater, cujus munus eſt ſpeciatim curare res domeſticas. Sed ultra hos neceſſarii etiam ſunt famuli, ac famulæ, qui viliora domûs exercitia, ac Miniſteria compleant. Ita & in Monaſterio non poſſunt Abbas, Prior, & Cellarius ſoli univerſa peragere, ſed opus eſt, ut alios ſibi Officiarios (ùt ſupra dictum eſt) in adjutorium ſubrogent. Poſt eos itaque Prælatus prudenter deligat, prout cognoverit unumquemque illi muneri eſſe idoneum. Et qui taliter electi fuerint, omnî diligentiâ obedientiam ſibi impoſitam exequantur, res communes ùt ſibi proprias, cuſtodientes. Principióque officii ſui quilibet res ſibi creditas per inventarium accipiant, ut in fine cuncta fideliter reſignare poſſint, aut quandocunque Prælato viſum fuerit. Qui Prælatus teneatur habere in libro, aut quomodolibet aliter copiam omnium inventariorum, quam novis Miniſtris tribuat, & ab eis in fine ſuorum officiorum requirat, ac diligenter examinet, ſi quidquam deeſt, ſi adjuncta aliqua, ſi reſtaurata, aut diſſipata. Et quos benè cuſtodiſſe invenerit, collaudet, pollicens mercedem à Domino expectandam. Quos verò diſſipâſſe reperêrit, puniat, & caſtiget pro criminis qualitate. Neque ampliùs talia ſibi munera demandentur.

At quoniam theſauri Monaſteriorum ſunt ipſæ Scripturæ, & Codices. Mandant Patres, ut eorum diligentiſſima cura habeatur. Utque id fieri commodè poſſit, ordinârunt, ut Scripturæ omnes univerſam Congregationem concernentes, ùt ſunt Privilegia, Bullæ, Indulta, Exemptiones, Gratiæ, Donationes, & id genus aliæ, ſerventur ſub fideli cuſtodia, & citra periculum ignis, humidi, & cujuslibet alterius rei, quæ illis nocumento eſſe poſſet. Serventur, inquam, in Abbatia, ſeu Monaſterio noſtro ſancti Michaelis de Murano in Urbe Venetiarum. Volunt nihilominus, ut in quolibet Monaſterio copiæ, ac tranſumpta hujusmodi Privilegiorum habeantur, præſertim maximè neceſſariorum, non eâ duntaxat causâ, ut Patres illius Monaſterii in eventibus illius Domûs ipſis uti valeant: verùm etiam, ut in Capitulis, ubicunque opus fuerit, poſſint de eis loqui, & eas tueri, & defendere pro libertate Eccleſiaſtica.

Quantùm verò ad illas, & alia ſcripta magni momenti cujuscunque Monaſterii, ac loci ordinârunt, ut in principalibus Provinciarum Monaſteriis ſerventur omnî diligentiâ, ùt ſuprà: nempe Bullæ Provinciæ Venetiarum in loco ſancti Michaelis de Murano: Bullæ Provinciæ Flamineæ in Abbatia Claſſis in urbe Ravenna: Bullæ Monaſteriorum Tuſciæ in Monaſterio Angelorum in urbe Florentia: Bullæ Monaſteriorum Umbriæ, ac Mariæ Anconitanæ in loco ſancti Baſilii de Fabriano. Unumquodque tamen Monaſterium teneatur habere tranſumpta apud ſe Privilegiorum, ſibi ſpecialiter conceſſorum. Curent verò prædicta quatuor Monaſteria, ita, & taliter omnia præſcripta Provinciæ Privilegia, ſeparatim in capſis, & armariis ſervare, ut nulla facta permixtione, unumquodque Monaſterium ſibi propria facilè, cùm libuerit, reperire valeat. Utque omnia iſta effectui quamprimum mandentur, præcipiunt Patres ſub gravibus pœnis, omnibus & ſingulis noſtræ Congregationis Prælatis, ut infra ſex menſes ab harum publicatione dicta Privilegia, Exemptiones, & Gratiæ ſuis quaſi dictis Metropolis reſignare debeant: reſervando, ùt dictum eſt, apud ſe tranſumpta, & inventaria, & nomina eorum, qui vel reſignârunt, vel receperunt. Et ſi pro conſervatione harum

Scripturarum in dictis quatuor Monaſteriis opus eſt fabricare Archivum, & armaria, ſeu alias expenſas facere, cujuslibet Provinciæ Monaſterium pro rata concurrat, dummodo hæc quantocyus effectui mandentur. Super quod R. P. Generalis invigilabit. Et quoniam opus eſt non ſolùm ea, quæ intra Mœnia Monaſterii ſunt cuſtodire, verùm etiam & quæ extra, poſſeſſiones nimirum, ac prædia, quæ victum, & cætera Monachis ſuppeditant neceſſaria pro ſtatu temporali, ordinârunt: quod ultra alios Miniſtros (ſi Monaſterii magnitudo id requirat) inſtituatur Villicus, ſive Monachus, ſive Converſus, aut commiſſus, cujus partes ſint diligenter inviſere ipſa prædia, ac pro poſſe curare, ut optimè cuſtodiantur, plantentur arbores, innoventur viæ, domus reſarciantur, reliqua omnia, quæ fuerint neceſſaria, fiant. Hic autem Villicus, qui erit quaſi quidam Sub-Camerarius, omninò ab ipſo Monaſterii Præſide dependeat, ita, ut ſine ejus conſilio, ac licentia nihil quod alicujus ſit momenti, faciat, memineritque ſe taliter hujusmodi temporalia curare (id enim fieri poteſt) ut non amittat æterna. Quamquam ſatiùs eſſet, ſi id tempus concederet, ut ejusmodi villicationis officium Laico committeretur. Ubi verò prædia eſſent intra decem Milliaria à Monaſterio: Villico non eſt admodum opus, cùm per ſe ſolus Camerarius ea facillimè curare poſſe videatur. Denique Inſtitutionem dicti Villici ita eſſe volunt penes Prælatos, ut poſſint inſtituere, vel non inſtituere, prout ei expediens viſum fuerit.

Quoniam rurſus non nulli ſæpe facultates Monaſteriorum uſurpare tentant, & multas, ac varias ad lites excitant, ubi ſe ab hisCamerariis tueri non poſſent, ordinârunt, ut unus, vel plures Procuratores Monachi inſtituantur, qui in ejusdem litibus unà cum ipſo Camerario, & Prælato partes Eccleſiæ tueantur hâc tamen modeſtiâ, quæ decet Religioſos. Et ſi hanc quoque provinciam alicui Laico Prælatus demandare fidenter poſſet, ſatius eſſe iidem Patres judicârunt. Quoniam verò in iisdem quatuor Principalibus Monaſteriis volunt Patres, ut non ſolùm Scripturæ ſupra dictæ, ſed & pecuniæ Laudemiorum (ùt diximus) cuſtodiantur, & aſſerventur, ea propter præcipiunt, & volunt, ut teneantur rigore hujus Conſtitutionis omnes & ſinguli Prælati cujuslibet Provinciæ, realiter, & in effectu ſingulo quoque anno deponere portionem Laudemii ſuorum Monaſteriorum apud Prælatum Principalis Monaſterii Provinciæ illius ſub pœna amiſſionis Prælaturæ ipsò factò. Quam pœnam nec Generalis ipſe, nec Patres Deffinitores cujusvis excuſationis prætextu poſſint ullò pactò remittere.

Capſa autem, in qua reponi, ac cuſtodiri debent hujusmodi pecuniæ, tribùs claudatur clavibùs, quarum unam teneat ipſe Prælatus Monaſterii Depoſitarii, alteram Prior, vel Subprior, tertiam verò ejusdem Cœnobii Camerarius. Prælati verò, qui eas deponunt, faciant de hujusmodi depoſitione ſibi fidem fieri à Prælato, qui eas receperit, & ſubſcribi à dictis Priore, vel Subpriore, & Camerario, ſive à duobus ex Senioribus, qui in effectu viderint ipſas pecunias in ipſam capſam reponi, ac numerari. Abbatiæ autem ſanctæ Mariæ de Carceribus permittitur, ut apud ſemetipſam ſuum Laudemium ſervet, licèt non ſit una è dictis quatuor. Hac tamen lege, ut & ipſius Abbas teneatur ferre ad Capitulum quot annis ſicut & cæteri Prælati fidem Prioris à duobus Senioribus ſubſcriptam, in qua habeatur, quod univerſam ſummam Laudemii ſui Monaſterii repoſuerit, atque reliquerit effectualiter in capſa ſub pœna, ùt ſuprà.

Si quid debeant Monachi proprium habere.

CAPITULUM XXXIII.

PRæcipuè hoc vitium radicitùs amputetur de Monaſterio, ne quis præſumat aliquid dare, aut accipere ſine juſſione Abbatis, neque aliquid habere proprium: nullam omnino rem, neque Codicem, neque tabulas, neque graphium, ſed nihil omnino: quippe quibus nec corpora ſua, nec voluntates licet habere in propria poteſtate. Omnia verò neceſſaria à Patre Monaſterii ſperare: nec quidquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiſerit. Omniaque omnibus ſint communia, ùt ſcriptum eſt; nec quisquam ſuum eſſe aliquid dicat, vel præſumat. Quòd ſi quisquam hoc nequiſſimò vitiò deprehenſus fuerit delectari, admoneatur ſemel, & iterum: ſi non emendaverit, correptioni ſubjaceat.

Quòd ad Capitulum hoc Regulæ, in quo ſanctus Pater præcipit vitium proprietatis radicitùs à ſuis Monachis extirpari: in primis mandant Patres id totum inviolabiliter obſervari, quod in eo con-

continetur, quódque à ſacro Tridentino Concilio, & Canonibus circa iſtud idem decretum eſt. Deinde verò ad faciliorem dictorum obſervantiam, præcipiunt Prælatis omnibus, ut diligentius curent, ne Monachi quidpiam apud ſe, vel penes alios poſſideant, quod non faciliter, ac vultu hilari ſuo Prælato, quandocunque ei viſum fuerit, libentet reſignent. Vetántque, ne alicui rem aliquam tam mobilem, quàm immobilem ad uſum, quoad vixerit, concedere præſumant, cùm hujuſmodi conceſſiones proprietatem quandam ſapere videantur. Et non ſolùm nolunt, ut liceat alicui Monacho habere redditus annuales cujuſvis generis, nec ſub aliquo prætextu ſub gravibus pœnis à Prælato injungendis: verùm etiam, ut nec pro ſe, neque pro aliis quidquam pecuniarum, aut aliarum rerum à parentibus, vel amicis ſine expreſſa Prælati licentia petere audeant. Si quis item Monachus venderet, diſtraheret, aut aliô pactô alienaret, vel commutaret libros, veſtes, aut quaſcunque res alias, à Prælato gravi pœna mulctetur. Et ſi emptor fuerit ſimiliter Monachus, eôdem pactô puniatur. Vetuerunt quoque, ne ullus omnino noſtræ Congregationis Monachus, (exceptis Camerariis, & aliis Monaſterii Officiariis ratione officii) audeat pecunias apud ſe retinere, vel expendere abſque expreſſa Prælati licentia, ſed quicunque pecunias quomodocunque habuerit, teneatur illas Prælato ſuo quantocyus præſentare, & de illius conſenſu illas expendere. Nullus item poſſit quarumcunque depoſita pecuniarum, vel aliarum rerum recipere, niſi Prælatus: & tamen ipſe teneatur illud duobus, vel tribus ejuſdem Monaſterii Monachis palam facere, ut ejus rei ſint tamquam teſtes. Nemini quoque liceat beneficia, Eccleſias, domos, prædia, aut rem quamvis aliam ad Emphytheuſim, vel aliô pactô conducere, vel ſibi propria facere: ſed omnia, quæ Monachus poſſidet, talia ſint, ut ea Prælatus ad libitum auferre, commutare, ac diſtrahere abſque cujuſcunque præjudicio queat. Et qui pro hujuſmodi vel domibus, vel beneficiis, aut prædiis conducendis alicujus Principis favorem expoſceret, graviori pœnâ puniatur, nec ſibi de aliquo illo, quæ quærebat, Prælati ullo pacto complaceant. Cæterum Monachis taliter Prælati de omnibus neceſſariis provideant, ut omnis proprietatis occaſio tollatur. Quod ſi ſecus fecerint, & neceſſitates Monachorum, vel proprietatem diſſimulaverint, pro certo ſciant de his omnibus reddituros eſſe rationem in die judicii: & fore participes peccatorum omnium, quæ à Monachis ſibi ſubditis cauſâ proprietatis admittentur. Qui verò Monachus in præſcriptis defeciſſe deprehenſus fuerit, & in proprietatis vitium incidiſſe, ſeverè puniatur, & ultra alias pœnas Monaſterium illi pro carcere ad annum aſſignetur, ita ut ex eo nullô pactô egredi poſſit. Ordinârunt præterea Patres, ut Officiarii omnes, qui pecuniam retinent, ac expendunt, teneantur ad arbitrium ſuorum Superiorum rationem ſuæ adminiſtrationis reddere: Nempe R. P. Generalis, ac Viſitatores ſingulis annis ipſis Patribus Diffinitoribus, vel cui ipſi commiſerint: Camerarii, Monachi, & Converſi ſuis Prælatis quemadmodum fuerint requiſiti. Ipſi verò Prælati, cùm ex itinere redierint, teneantur reddere rationē expenſarum ſuis Camerariis: nam alias pecuniam expendere Prælati non deberent. Qui autem in hujuſmodi ratione reddendâ reperti fuerint, non bene Officium ſuum adminiſtráſſe, ſeverè puniantur ad arbitrium Patris Generalis: ſecus autem, ſi ignoranter in aliquo deliquiſſent, tum enim mitiùs cum eis eſſet agendum. Volunt inſuper, ut Prælati omnes librum habeant peculiarem, in quo pecuniæ omnes, quæ mutuò recipiuntur, & notato tempore, & cauſâ, pro qua hujuſmodi mutuum accipitur. Et qui huic ordinationi contra fecerit, per quinquennium omnî dignitate privetur. Et talis libellus quot annis ad Capitulum deferatur, ut Patribus Monaſterii ſtatus innoteſcat. Si alicui ex Monaſteriis noſtris ratione alicujus profeſſi, vel quomodolibet aliter hæreditas aliqua devolvatur, cujus partem Monaſterium ipſum, veluti executor in eleemoſynas, vel quolibet aliter diſtrahere teneatur, nolunt Patres, ut ullo pacto fiat mandatum executionis ejus, cujus cauſâ hujuſmodi hæreditas ad Monaſterium eſt devoluta: ſed ad vitandam proprietatis umbram alteri, qui nullam cum tali affinitatem habeat, committatur. Quod ſi ſecus ad ſalvandam teſtatoris mentem fieri nequeat, tum Prælatus certum ejuſmodi executori præfigat tempus exequendi mandatum præſcriptum, ultra quod illud protrahere aliquô pactô non valeat.

Et quoniam in auro, & argento proprietatis vitium maximè accidere ſolet, vetant Patres, ne quis noſtræ Congregationis Monachus ſarcinulas, aut cochlearia argentea habeat, vel auriſcalpia, & hujuſmodi. Et ſi quis ea habet, auferat ab illis Prælatus, & Sacriſtiæ applicet. Si verò Prælatus ipſe habuerit, vel alios habere (à notitia harum) permiſerit etiamnum ſecretè, ſit privatus in proximo futuro Capitulo voce tam

actívâ, quàm paſſívâ. Et quoties id permiſerit, toties ſimili pœnâ puniatur. Conſuetudinem verò illam à nonnullis annis introductam donandi certam pecuniæ ſummam Portariis, Hoſpitariis, Coquis, & hujusmodi Capituli generalis Miniſtris, tollere volentes, & abrogare ceu Religioſos minimè decentem, præcipiunt Patres dictis Miniſtris, ut non ſolùm dictum donativum non petant, verùm etiam ſponte oblatum non recipiant, ſub pœnâ privationis utriusque vocis per biennium: quam ſanè pœnam ſubire etiam volunt, qui dona hujusmodi dederint. Cum hoc tamen vetare minimè volunt, quin aliquod munuſculum citra pecuniam, dari talibus poſſit, ut diligentiùs Patribus ſuis inſerviant.

Si omnes æqualiter debeant neceſſaria accipere.

CAPITULUM XXXIV.

S*Icut ſcriptum eſt :* Dividebatur ſingulis, prout cuique opus erat. *Ubi non dicimus, ut perſonarum, (quod abſit) acceptio ſit, ſed infirmitatum conſideratio. Ubi qui minùs indiget, agat Deo gratias, & non contriſtetur. Qui verò plùs indiget, humilietur pro infirmitate, & non extollatur pro miſericordia; & ita omnia membra erunt in pace. Ante omnia ne murmurationis malum pro qualicunque cauſa in aliquo qualicunque verbo, vel ſignificatione appareat. Quod ſi quis deprehenſus fuerit diſtrictiori diſciplinæ ſubdatur.*

Quemadmodum non ſunt æqualia merita, aut virtutes, ſeu omnium hominum neceſſitates; ita, quamvis omnibus de neceſſariis ſit providendum, non tamen æqualiter: ſed pro meritorum, ac complexionum exigentia. Itaque conformiter ad Divi Patris inſtituta, ſanxerunt Patres, ut quilibet noſtræ Congregationis Frater, ſive Monachus ſit, ſive converſus, quot annis à ſuo Monaſterio infraſcripta habeat veſtimenta: Tunicam videlicet cum habitu, aut quod dicimus *cum Guardacuore*, aut Pallium. Ultrà verò horum dictorum veſtimentorum habeat etiam tuniculam, ſeu flamineam; caligas item laneas; Duo paria udonum, ſeu calceolorum; par crepidarum, In Feſto omnium Sanctorum, & par ſolearum de menſe Maji. De qualitate autem veſtium, & menſura ſuô locô dicetur. Habenda tamen eſt ratio perſonarum: quoniam ſunt nonnulli, qui minus veſtium conſumunt, quidam verò plurimùm. Item aliqui ſunt frigoris magis patientes, aliqui verò minùs, vel ratione ætatis, vel complexiunis. Quamobrem debet Prælatus multâ uti prudentiâ, & tribuendo ſingulis neceſſaria pro facultate Monaſterii ſemper tamen debet eſſe vigil, ut iis, qui de Religione benè ſunt meriti, ſpecialiùs, ùt par eſt, provideantur. Qui verò ob ætatem, aut validiorem complexionem paucìs indiget, gratias agat Deo, & murmurationibus non vacet. Et ii, qui ultra prædicta pluribûs indigent, non dedignentur humiliter neceſſitates ſuas Prælato exponere. Qui quidem Prælatus conari pro viribus debet, omnibus & ſingulis re ipſa ſatisfacere, & ſi non plenè id efficere queat, ſaltem conſolationis verbis ſe Patrem benignum illis oſtendere. Neque verò il laudandi ſunt, ſive Præſules ſint, ſive Camerarii, qui verbìs durioribûs ſubjectos Fratres, & ſibi neceſſaria poſcentes, ſæpe numero alloquuntur. Tales enim revera locum prælationis indignè occupant inhumani in Patres, acerbi in Fratres, hyrcana geſtantes corda, & lapideos animos. Caveant igitur Superiores, ne hujusmodi Monaſteriis præficiant. Contrà verò, murmuratores veſtium, cibi, potúsque, acriùs puniantur, præſertim cum citra rationem conqueruntur.

De Septimanariis Coquinæ.

CAPITULUM XXXV.

F*Ratres ſic ſibi invicem ſerviant, ut nullus excuſetur à Coquinæ officio, niſi aut ægritudine, aut in cauſa gravis utilitatis, quis occupatus fuerit: quia exinde major merces acquiritur. Imbecillibus autem procurentur ſolatia, ut non cum triſtitia hoc faciant, ſed habeant omnes ſolatia, ſecundùm modum Congregationis, aut poſitionem loci. Si major Congregatio fuerit, Cellarius excuſetur à Coquina, vel ſi qui, (ùt diximus) majoribus utilitatibus occupantur. Cæteri verò ſibi ſub charitate invicem ſerviant. Egreſſurus de Septimana Sabbato munditias faciat. Linteamina, cum quibus ſibi Fratres manus, ac pedes tergunt, lavet. Pedes verò tam ipſe, qui egreditur, quàm ille, qui intraturus eſt, omnibus lavent.*

lavent. Vaſa Miniſterii ſui munda, & ſana Cellario reconſignet, ut ſciat, quid dat, aut quid recipit. Qui Cellarius item intranti conſignet, ut ſciat, quid dat, aut quid recipit. Septimanarii autem ante unam horam refectionis accipiant ſuper ſtatutam annonam ſingulos biberes, & panem; ut horâ refectionis ſine murmuratione, & gravi labore ſerviant Fratribus ſuis. In diebus tamen ſolemnibus usque ad Miſſas ſuſtineant. Intrantes autem & exeuntes Hebdomadarii in Oratorio mox Matutinis finitis Dominicâ omnium genibus provolvantur, poſtulantes pro ſe orari. Egredientes autem de Septimana, dicant hunc Verſum. Benedictus es Domine Deus, qui adjuviſti me, & conſolatus es me. *Quo dictô tertiò accipiat benedictionem egrediens. Subſequatur ingrediens, & dicat.* Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me feſtina. *Et hoc idem tertiò repetatur ab omnibus, & accepta Benedictione ingrediatur.*

§ 35. Quoniam D. Pater Benedictus in hoc Capitulo Regulæ neminem ab officio Coquinæ exemptum eſſe declarat, eapropter Patres veterem conſuetudinem noſtræ Congregationis omittentes, ordinaverunt, ut non ſolùm Converſi, ſed ad eam teneantur, & Clerici, qui non fuerit ſeniô, infirmitate, vel gravioribûs negotiîs impediti. Menſæ verò, ferialibûs diebûs, Novitii ſeu juvenes ſervient, accipiendo cibos à Miniſtris culinæ, & deferendo eos Patribus. Atque diebûs Feſtis ipſimet Converſi miniſtrabunt menſis. Poſſint autem hujusmodi menſarum ſervitores, ac cæteri omnes Officiarii, qui non ad priorem menſam accedere poſſunt, jentaculum accipere, buccellam nimirū panis, ac vini cyathum, neque quippiam aliud (exceptîs tamen diebûs jejuniorum Eccleſiæ) ſi legitimam habeant ætatem, ac jejunio aptam. Tum enim, hoc eſt, jejuniorum diebûs, nihil ſumant. Iidem menſarum ſervitores, una cum ipſo lectore in fine menſæ venias ſuas faciant in medio Refectorii, neque ſurgant, usque ipſe Prælatus ſignum faciat. Officiarii verò Coquinæ diligenter Officium ſuum, & cum omni nitore, ac munditia exequantur. Nullum ingredi permittant in eorum officinam ſine expreſſa licentia Prælati. Non permittant ibidem carnes, ſed in Coquina infirmorū coquantur pro ipſis infirmis, vel debilibus. Nulli Fratri ſingularem pictantiam tribuant, ſi benè valet, nec quippiam aliud particulare, absque licentia Prælati, ſeu Camerarii. Prælatus verò nonnullis vicibus in anno tenetur primæ menſæ miniſtrare: nimirum Feriâ quintâ in Cœna Domini: Dominicâ Reſurrectionis: Dominicâ Pentecoſtes, & in die Natalis Domini. Ubi dicitur in Regula: *Intrantes &c.* Meminerint exeuntes Hebdomadarii menſæ dicere, finitîs Matutinîs laudibûs Dominicâ, in mediô Chori, tribus vicibus (totidem idem repetendo in Choro) *Benedictus es Domine Deus, qui adjuviſti me & conſolatus es me.* Quô dictô Hebdomadarius Sacerdos dicat reſpondente Choro, & ſtante ipſo juvene in medio Chori profundè inclinato: ℣. *Salvum fac ſervum tuum.* ℟. *Deus meus ſperantem in te.* ℣. *Convertere Domine usquequo.* ℟. *Et deprecabilis eſto ſuper ſervum tuum.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo. Oremus. Deus, cui humilium accepta ſunt vota animarum, reſpice propitius ſuper hujus ſervi tui Fratris noſtri obſequium, & ad tuam eum fac pertingere gratiam, ut qui peracta hebdomada ſervitia devota mente complevit, pleniſſimam atque largiſſimam per te veniam conſequatur: per Chriſtum Dominum noſtrum.* Quâ oratione abſoluta intrans Hebdomadarius ſimiliter dicat ter: *Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me feſtina.* Quô dictô idem Hebdomadarius Sacerdos, ùt ſuprà, reſpondente Choro, dicat: ℣. *Salvum fac ſervum tuum.* ℟. *Deus meus ſperantem in te.* ℣. *Mitte ei auxilium de ſancto.* ℟. *Et de Sion tuere eum.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo. Oremus. Miſericors, ac piiſſime Deus, qui ubique famulos tuos tueris, & adjuvas, hujus ſervi tui Fratris noſtri in bonum accumula votum, auge deſiderium, ut rectè Fratribus ſuis impendat ſervitium Per Chriſtum Dominum noſtrum.* Poſt quam benedictionem incipiat ſequenti mane idem juvenis, ùt Acolytus, ſervire Altari, & ſequenti die priori menſæ Fratrum.

De Infirmis Fratribus.

CAPITULUM XXXVI.

INfirmorum cura ante omnia, & ſuper omnia adhibenda eſt, ut ſicut revera Chriſto, ita ei ſerviatur, quia ipſe dixit: Infirmus fui, & viſitaſtis me. Et quod feciſtis uni de his minimis meis, mihi feciſtis. *Sed & ipſi infirmi conſiderent, in honorem Dei ſibi ſerviri, & non ſuperfluitate ſua contriſtent Fratres ſuos ſervientes ſibi. Qui tamen patienter portandi ſunt, quia de talibus copioſior merces acquiritur. Ergo cura maxima ſit Abbati, ne aliquam negligentiâ patiantur. Quibus Fratribus infirmis ſit Cella ſuper ſe deputata,*

& ſervitor timens Deum, & diligens, ac ſollicitus. Balnearum uſus infirmis, quoties expedit, offeratur: ſanis autem, & maximè juvenibus tardiùs concedatur. Sed & carnium eſus infirmis omninóque debilibus pro reparatione concedatur. At ubi meliorati fuerint, a carnibus more ſolito omnes abſtineant. Curam autem maximam habeat Abbas, ne à Cellariis, aut Servitoribus negligantur infirmi, quia ad ipſum reſpicit, quidquid à diſcipulis delinquitur.

Etſi cuncta Miſericordiæ, ac charitatis opera erga proximum Deo quàm gratiſſima ſunt, &, cùm ob purum ejus amorem fiunt, ſibi facta reputet: nihilò tamen minùs ea, quæ circa ægrotos exercentur, longè ſuæ Majeſtati gratiora ſunt. Propterea non mirum, ſi Divus Benedictus in hoc Capitulo præcipit ſuis Monachis, ut infirmis non ſecùs ac Chriſto inſerviant. Ejus itaque veſtigiis inhærentes, præcipiunt Patres ſub graviori pœna, omnibus, & ſingulis noſtræ Congregationis Prælatis, ut ſcriptum XXXVI. Capitulum omninò obſervari faciant, & in nullo penitus, quod ad infirmos attineat, poſthabeatur. Habeat igitur unumquodque Monaſterium Medicum Phyſicum ſtipendiò conductum, qui ſit boni nominis in arte ſua, ac bonæ famæ in moribus, itémque Chirurgum, quos moneant Præſules, eâdem uti diligentiâ erga minores, quâ utuntur erga majores, cùm omnes pariter Dei Altiſſimi ſint famuli, ac Filii. Itémque inculcent Infirmariis, ut nulla ducti ſpe prœmii, niſi cæleſtis, perſonarum acceptionem habere circa ægrotos videantur. Nullus audeat ſine expreſſa licentia alium odire, vel accreſcere Medicum, aut ab alio curari, quàm ab eo, quem dicimus ſtipendio conduci debere. Prælatus ſæpe ſuos inviſat infirmos, ſoveat, conſoletur, & in Chriſti viſceribus diligat, non ſecus, imò multò magis, quàm Patres carnales Filios ſuos, cùm Dei amor in proximos excedere debeat quemvis carnalem affectum genitoris ad liberos ſuos. Nullus item Monachus conſulat Medicum etiam ordinarium ſine licentia Prælati, neque ſumat medicinam aliquam, quæ cuſtodiam vitæ requirat ſine ſpeciali licentia Medici. In menſa infirmorum, ac debilium legatur, ſaltem in principio, & in fine, aliquid de ſacra Scriptura, aut geſtis Sanctorum. Neque ſenibus, ac debilibus, ſeu infirmis non decumbentibus dentur carnes, niſi ſemel in die: niſi fortè aliter Medicus ordinaverit. Et nunquam reſectionis gratiâ alicui detur ultra dimidiam libram carnium, ſed omnes contenti pictantia ſex unciarum. Et ſint infirmi in omnibus obedientes ſuis Infirmariis, & cuſtodibus citra tamen Dei, ac proximi offenſam. Ipſi verò Infirmarii diſcreti eſſe debent, affabiles, benigni, & ſummâ præditi charitate. Ubi in Regula dicitur: *Balneorum uſus &c.* intelligunt Patres de Balneis, quæ antiquitus intra Monaſteria habebant. Unde ad Balnea extra Monaſterium declarant, nullum poſſe accedere ſine licentia Patrum Deffinitorum, vel in neceſſitate Patris Generalis, aut in Provincia Vicarii. Verùm hujuſmodi licentia non niſi rarò concedatur, & cùm aliter Infirmis ſubveniri non poteſt, & de conſilio prudentis Medici, ac Deum timentis. Qui verò taliter licentiati ad Balnea fuerint, de omnibus neceſſariis diligenter provideantur, & eis ſocii aſſignentur, qui & morum præſtantia fulgeant, & charitatis viſceribus ſint induti, ut hôc pactò valeant, & infirmis diligentem habere curam, & proximis in exemplum eſſe virtutis. Dum autem ad Balnea pergunt, vel inde revertuntur, in ipſo itinere nullô pactô digrediantur causâ viſendorum parentum, amicorum, vel alia. Qui verò contrafecerit, pœnæ gravis culpæ ſubjaceat. Et qui reperti fuerint Prælati circa curam infirmorum negligentes ab ipſo Patre Generali, ſeu à Deffinitoribus acriùs puniantur, cùm indignus ſit nomine Patris, & omni dignitate, ac Prælatura, qui ſubditos ſibi Monachos, non uti verè Filios cum omni charitatis affectu proſequitur. Nulli verò noſtræ Congregationis Monacho, aut converſo liceat quavis de causâ ſe ad domos ſæcularium curandum transferre, vel majoris curæ gratia, vel quomodolibet aliter, niſi fortè contingeret, quempiam in itinere infirmari, vel in oppidis, ubi Monaſteria non habemus. Et qui huic Conſtitutioni contrafecerit, excommunicari valeat, & cenſeri Apoſtata.

Si quis verò Prælatus hanc licentiam manendi extra Monaſterium, alicui infirmo præbuerit, vel ipſe ſibi hanc eandem facultatem fecerit, careat perpetuò omni prælatione, ac dignitate in ordine noſtro.

De

De Senibus vel Infantibus.

CAPITULUM XXXVII.

Licet ipſa natura humana trahatur ad miſericordiam in his ætatibus, ſenum videlicet, & infantum, tamen & Regulæ auctoritas eis proſpiciat. Conſideretur ſemper in eis imbecillitas: & nullatenus eis diſtrictio Regulæ teneatur in alimentis: ſed ſit in eis pia conſideratio, & præveniant horas Canonicas.

Poſt ubi D. Benedictus de infirmis decumbentibus locutus eſt, optimè ſciens, ſenectutem, morbum eſſe naturalem, incurabilem: itémque pueritiam, cùm nondum in ea perfectus ſit homo. Loquitur in hoc Capitulo de ipſis Senibus, & pueris, monens Prælatos, ut nullô pactô cum eis ſecundùm Regulæ rigorem procedant, ſed diſcretè, & benignè. Conformiter itaque ad hoc Capitulum ordinârunt Patres, quod ſenes, & alii, qui ſecundùm judicium Prælati, licèt quantum ad annos, & ætatem non ſint ſenes, tamen ob imbecillem complexionem, ac membrorum debilitatem computandi inter ſenes videntur. Habeat unusquisque propriam cameram in Infirmaria, ubi, & ignis accendi commodè poſſit, & ubi privatim comedere valeat, etiam ante horam Conventûs, & ubi cætera omnia ſibi miniſtrari poſſint, quæ illi ætati congruunt. Ipſi verò jam ſenes adjudicati conentur, quantum poſſunt non eſſe Miniſtris tædio, ſed veluti Dei famuli cum Benedictione eorum ſervitutem gratam habeant, & ſi quid forſan eorum votis deerit, patienter ob Chriſti amorem ferre addiſcant, neque conturbent alios cum ſuis murmurationibus, & maledictis: ſed in eorum debilitate quietum Domino famulatum, & ipſi exhibeant. Circa pueros, quoniam non recipiuntur noſtrîs hîs temporibûs, ejus teneræ ætatis, quam pluribus in locis innuere videtur D. Pater, ſed natu majores, ùt puta XV. ſaltem annorum: non videtur Patribus ſolemnem illam conſiderationem circa illos eſſe habendam, quæ in Regula notatur. Attamen præcipiunt Magiſtris, ut habita ratione ætatis majoris, vel minoris, item complexionis, ac roboris, tyrunculos ſuos diſcretè, ac perbenignè tractent, & non ſecundùm Regulæ rigorem. Quamobrem in jejuniis Regularibus aliquid plus cibi eisdem tribuere poterunt in ſero, quàm quod aliis Monachis communiter condonatur.

De Hebdomadario Lectore.

CAPITULUM XXXVIII.

Menſis Fratrum edentium lectio deeſſe non debet, nec fortuito caſu, qui arripuerit codicem, legere audeat ibi, ſed lecturus tota hebdomada, Dominicâ ingrediatur. Qui ingrediens poſt Miſſas, & Communionem, petat ab omnibus pro ſe orari, ut avertat ab eo Deus ſpiritum elationis. Et dicatur hic Verſus in Oratorio tertiò ab omnibus, ipſo tamen incipiente. Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. *Et ſic accepta Benedictione ingrediatur ad legendum. Summúmque fiat ſilentium ad menſam, ut nullius muſſitatio, vel vox, niſi ſolius legentis ibi audiatur. Quæ verò neceſſaria ſunt comedentibus, & bibentibus ſic ſibi invicem miniſtrent Fratres, ut nullus indigeat petere aliquid. Si quid tamen opus fuerit, ſonitu cujuscunque ſigni potiùs petatur, quàm voce. Nec præſumat ibi aliquis de ipſa Lectione, aut aliunde quidquam requirere, ne detur occaſio maligno, niſi fortè Prior pro ædificatione voluerit aliquid breviter dicere. Frater autem Hebdomadarius accipiat mixtum, prius quam incipiat legere propter Communionem ſanctam, & ne fortè grave ſit ei jejunium ſuſtinere. Poſtea autem cum Coquinæ Hebdomadariis, & Servitoribus reficiat. Fratres autem non per ordinem legant, aut cantent, ſed qui ædificent audientes.*

Ne unquam nos Diabolus inveniat otioſos, ſed ſemper in aliquo bono, ac laudabili opere occupatos, ordiatur Divus Benedictus in hoc ſupra dicto Capitulo Regulæ, quod in menſa ſemper aliqua ſacra Lectio habeatur. Cujus quidem obſervantiam inviolabiliter obſervari præcipientes Patres mandant (quatenus dicitur in Regula, ut Lector petat ab omnibus pro ſe orari) quod die Dominico, qui ad menſam Lecturus eſt eâ hebdomadâ, ſtans in medio Chori, poſt Miſſam Tertiæ tribus vicibus dicat: *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam*, & totidem vicibus idem repetat Chorus. Deinde verò ab Hebdomadario Sacerdote dicatur, reſpondente Choro, & ſtante ipſo Lectore in medio Chori

pro-

profundè inclinato. *Salvum fac ſervum tuum.* ℟. *Deus meus ſperantem in te.* ℣. *Mitte ei Domine auxilium de ſancto.* ℟. *Et de Sion tuere eum.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo. Oremus. Aufer ab hoc famulo tuo, quæſumus Domine, ſpiritum elationis, & ignorantiæ, ut repletus Spiritu humilitatis, & ſcientiæ intellectum ſacræ capiat lectionis: per Chriſtum Dominum noſtrum.* Deinde pulſatâ campanulâ, & facta Benedictione menſæ, accedens Lector in medio Refectorii dicat: *Jube Domne Benedicere*, & reſponsô à Majore (ùt in Breviariis) vadens ad locum Lectionis exordiatur. Quod ad ſilentium omnino illud in menſa ſervari mandat, & qui illud vel ſemel fregerint, bis in medio Refectorii in terra comedant, aut duobûs diebûs ſilentium ubique teneant. Quod verò ad Lectiones, hic ordo ſervabitur. Dominicîs diebûs per totũ annum legatur imprimis Homilia Evangelii currentis: deinde factô ſignô à Prælato legatur Capitulum Regulæ cum ſua declaratione, ſecundùm ordinem. Poſtremo ſi tempus aderit, non nihil de moralibus ſancti Gregorii, aut quid ſimile. In ſolemnitatibus verò plenis, ac pleniſſimis, & duodecim Lectionum legatur primò vita illius Sancti. Deinde Capitulum Regulæ. Quod ſi illius Sancti Hiſtoria, vel vita minimè haberetur, tum primô locô legatur Homilia Evangelii, poſtremô moralia Divi Gregorii. Diebûs verò ferialibûs legatur de ſacris voluminibus, ut habetur in Rubrica, quæ eſt in fine Breviarii, cujus principium eſt prima Dominica &c. Et hic ordo in omnibus locîs noſtræ Congregationis ſub graviori pœna ſervetur. Ubi dicitur in Regula, *poſt Miſſam, & Communionem* innuitur, quod ſingulîs diebûs Dominicis juxta Auguſtini conſilium illi antiqui Patres (inter eos enim pauciſſimi erant Sacerdotes) communicabant. Verùm circa hoc ſervetur ùt ſuprà.

Ubi item dicitur: *Ingrediatur ad legendum*, præcipit, ut Lector habitâ benedictione non exordiatur, quouſque Fratres omnes conſederint ad menſam. Similiter nullus accipiat comedere, niſi poſt brevem Lectionis ſententiam, & factô ſignô à Prælato. In fine verò menſæ nemo recedat, aut ſurgat, niſi dicto: *Tu autem Domine &c.* & reſponsô, *Deo gratias.* Et Lector non imponat Lectioni finem, niſi factô ſignô cum campanula à Prælato. Tum enim dicere debet. *Tu autem Domine miſerere noſtri.* Nullum à Lectione, ſeu lectura menſæ exceptum eſſe volunt, niſi Abbatem, vel Priorem, & Titulares, ſi qui in Monaſterio aderunt. Declarant item Prælatum non debere à loco ſuo diſcedere, quouſque manè dixerit ſtando: *Confiteantur tibi Domine &c.* & in ſerò: *Memoriam fecit mirabilium ſuorum.* Indecens enim videtur, ut ea ambulando dicat.

De Menſura ciborum.

CAPITULUM XXXIX.

Sufficere credimus ad refectionem quotidianam, tam ſexta, quàm nona, omnibûs menſibus cocta duo pulmentaria propter diverſorum infirmitates, ut fortè, qui ex uno non potuerit edere, ex alio reficiatur. Ergo duo pulmentaria cocta Fratribus ſufficiant. Et ſi fuerint inde poma, aut naſcentia leguminum, addatur & tertium. Panis libra una propenſa ſufficiat in die, ſive una ſit refectio, ſive prandii, & cœnæ. Quod ſi cœnaturi ſunt, de eadem libra tertia pars à Cellario reſervetur reddenda cœnaturis. Quod ſi labor fortè factus fuerit major, in arbitrio, & poteſtate Abbatis erit, ſi expediat aliquid augere, remota præ omnibus crapula, ut nunquam ſubrepat Monacho indigeries. Quia nihil ſic contrarium eſt omni Chriſtiano, quomodo crapula, ſicut ait Dominus noſter: videte, ne graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate. *Pueris verò minori ætate non eadem ſervetur quantitas, ſed minor, quàm majoribus, ſervata in omnibus parcitate. Carnium verò etiam quadrupedum omnino ab omnibus abſtineatur comeſtio, præter omnino debiles, & ægrotos.*

Quod ad menſuram ciborum attinet, de qua D. Pater Benedictus in præſcripto hoc Capitulo Regulæ loquitur, declarant Patres antiquam noſtræ Congregationis conſuetudinem ſequentes, quod in diebus jejuniorum quovis anni tempore detur Monachis acetarium vel crudum, vel coctum: Deinde ſingulis ſingulæ galatæ, cum briſicis vel alio obſonio miniſtrentur, deinum pictantia duorum ovorum, & ſi tempus piſcium fuerit, dimidiæ libræ recentis piſcis apponantur. Si verò dent ſalſamenta, quatuor tantummodo unciis pictantia ipſa conſtet. At ſi non jejunatur, manè duo tantùm fercula dentur, pulmentum nimirum coctum, & pictantia cum geminis ovis. Veſperi verò acetarium crudum, & pictantia, vel piſcis, vel ovorum pro tempore. Extra autem tempus jejuniorum Eccleſiæ, tam de manè, quàm de ſerò (præterquam cùm dantur piſces) ſemper in fine, non niſi caſei dentur, hoc ordine; incipiendo hinc

inde

inde à ſummitate menſarum, & Verſus finem progrediendo, unusquisque, quantùm ſibi collibuerit, modeſtè tamen accipiat. Fructus itidem, & poma pro tempore, tam prandii, quàm cœnæ apponantur juxta diſpenſatoris prudentiam. Cæterum poſſit Abbas ſuperaddere his, quæ narrata ſunt, prout ei viſum fuerit pro facultate Monaſterii, locique, perſonarum, temporis, aëris qualitate. Qui verò huic ordinationi contravenerint, ſi convicti fuerint, vel confeſſi, tot diebus in pane & aqua jejunent, quot diebûs carnes comederunt. Si quis verò parum comederit, aut aliud occultè ſub ſcrupulo conſcientiæ teneatur dicere pro qualibet vice ſeptem Pſalmos pœnitentiales cum ſuffragiis. Ubi dicitur in Regula *panis libra una* declarant, eùm pondus unius Libræ temporis illius, ac loci (uti referunt Patres Montis Caſſini) fuerit triginta trium unciarum, ac dimidiæ ex noſtris, nec tantùm panis vix in uno die quisquam Monachus comedere poſſit, declarant, inquam, ac ordinant, Majorum veſtigiis inhærentes, ut in menſa, nulla habita ratione ponderis, tanrùm panis in menſa unicuique Fratri apponatur, quæ ei neceſſe fuerit. Extra verò Refectorium, & debitas commeſtionis horas, nullus Monachus, aut Converſus nec etiam Officiarii comedere audeant, aut quippiam alimentorum ſumere ſine expreſſa Prælati licentia. Et qui contra fecerit, graviter puniatur. Quoad pueros, eùm Magiſter eis aliquid in ſero tempore jejuniorum dare ſtatuerit, faciet illos in mane acetarium, vel caſeum, aut tale quid omittere. Studeant demum Fratres ſobrietati, ſcientes, quòd in multis eſcis erit infirmitas, ùt habetur Cap. *Nec tales conſecratione*, Diſtin. quinta. Certis verò anni diebus duæ pictantiæ dari ſolent, nempe Feriâ quintâ in Cœna Domini, Sabbatô Sanctô, die Paſchatis Reſurrectionis, & in Vigilia Nativitatis Domini. Contra verò aliquibus diebus, non niſi panis cum acetario, & fructibus ſuper nudam menſam datur, videlicet die Veneris Sancti (quò die eſſet jejunandum in ſolo pane, & aqua, ſed ob labores Chori diſpenſatur) Feria tertia ante Cineres, & comeditur in hoſpirio. Feria verò ſecunda cœnant Fratres in Refectorio, ſed cibos quadrageſimales. Ubi dicitur in Regula: *Carnium verò Quadrupedum*, credunt Patres (ſecundùm opinionem aliquorum) textum eſſe mendoſum, & legendum eſſe. *Carnium verò etiam quadrupedum omnino &c.* Volúntque per hunc locum eſus carnium omnino interdici Monachis noſtris, tam quadrupedum, quàm volatilium, & omnium aliorum, juxta id, quod habetur in notabili Capitulo. *Carnem cuiquam Monachi de conſecra.* Diſtin. quinta.

Si quis in Dormitorio quippiam comediſſe deprehenſus fuerit, aut comeſtibile aliquid (præterquam poma, & fructus hujusmodi) tenuiſſe, panis, & aquæ jejunio, ac aliis gravibus pœnis puniatur. Aliquibus demum vicibus in anno, conſuetum eſt in hoſpitio comedere, ubi tum cibi ad libitum Prælati apponuntur, dummodo non ſint generis prohibitorum; nec dentur plures, quàm duæ pictantiæ. Sed non eſt hìc ſilentio prætereundum, quod ad menſam debent ſtare Monachi honeſtè & cum modeſtia, non cubitis ſuper menſam appoſitis, & nimiùm inclinato capite, paritérque non nimiâ acceleratione, aut nimia tarditate, ſed moderatâ ſervatâ gravitate comedere, ut eum decet, qui verè Monachus eſſe cupit.

De Menſura Potûs.

CAPITULUM XL.

Unusquisque proprium habet donum ex Deo, alius ſic, alius verò ſic. *Et ideo cum aliqua ſcrupuloſitate à nobis menſura victûs aliorum conſtituitur. Tamen infirmorum contuentes imbecillitatem, credimus heminam vini per ſingulos ſufficere per diem. Quibus autem donat Deus tolerantiam abſtinentiæ, propriam ſe habituros mercedem ſciant. Quod ſi aut loci neceſſitas, vel labor, vel ardor æſtatis amplius popoſcerit, in arbitrio Prioris conſiſtat, conſiderando in omnibus, ne ſubrepat ſatietas, aut ebrietas. Licet legamus, vinum omnino Monachorum non eſſe: Sed quia noſtris temporibus id Monachis perſuaderi non poteſt, ſaltem vel hoc conſentiamus, ut non usque ad ſatietatem bibamus: ſed parciùs, quia* vinum apoſtatare facit etiam ſapientes. *Ubi autem neceſſitas loci expoſcit, ut nec ſupraſcripta menſura inveniri poſſit, ſed multò minùs, aut ex toto nihil, benedicant Deum, qui ibi habitant, & non murmurent. Hoc autem ante omnia admonemus, ut absque murmurationibus ſint.*

Quemadmodum in præcedenti Capitulo de cibo D. P. Benedictus ſermonem habuit: ita nunc de potu tractationem facit, & quidem in hac parte nihil aliud Patres addere ſtatuerunt, niſi monere Prælatos ac Cellarios, ut vinum æque tem-

temperatum, & in eadem menſura omnibus propinetur. Ubi verò dicitur in Regula, *una hemina vini*, ſciendum eſt (juxta eorum Patrum Montis Caſſini relationem) eam menſuram multò plùs vini capere, quàm poſſit vir unus Religioſus, una die bibere. Quamobrem ſtatuerunt Patres, ut vinum ſine hujusmodi menſura, ad neceſſitatem Fratrum propinetur in menſis. Caveant verò omnes ab ebrietate, ne in pœnam incurrant, quâ volunt Canones, ebrios Clericos puniri. Etenim in Capitulo: *Ante omnia* in prima Decretorum parte Diſt. 36. habent: *per triginta diebus à Communione abſtinere debet Clericus, quem ebrium fuiſſe conſtiterit.* Et revera eodem loco paulò ſuperiùs habetur. *Ubi ebrietas, ibi libido dominatur, & furor. Et licèt luxuriam faciat, & nutriat non natura vini, ſed nimia perceptio*, ut in Cap. *Luxuria*; Attamen, qui poſſet à vino abſtinere, eſſet planè beatus, cùm juxta Apoſtoli ſententiam in eo ſit fons luxuriæ. Et antiquitùs Sacerdotibus, qui miniſtrabant in templo Dei, prohibebatur vinum, & ſicerâ bibere, ne crapula, & ebrietate aggravarentur corda eorũ Cap. *Vinolentum* eadem Diſtinctione. In Refectorio, non ſolùm Monachi, ſed & ſæculares, ſi quando fortè aderint, bibant in Patenis terreis, & fictilibus, aut ſimplicibus cyathis, ac ſine pede & ambabus manibus. Extra verò Refectorium bibere poſſint in ſcyphis vitreis cum pede, & aliis conſimilibus vaſculis, & Religioſos tamen decentibus. Diſtrictè verò prohibent, ne poſthac, ùt hactenus quibusdam locis factitatum eſt, æſtivo tempore ante cellam vinariam ponatur vas vino plenum, ex quo omnes ad libitum bibere poſſint: Id enim abſonum eſſe videtur à Religioſorum modeſtia, & ſobrietate. Si quis verò talibus temporibus circa Veſperas, & ante dormitionem aliquantiſper voluerint de Licentia Patris Abbatis, adeant Refectorium, & cum ſocio ſilenter bibant, tametſi ſatis eſſet extra horas prandii, ac cœnæ aquâ purâ frigidâque ſitim extinguere: cùm nihil aliud eſſe videatur ſitis, quàm appetitus humidi, & frigidi. Quas ſanè qualitates aqua magis, quàm vinum poſſidet. Cæterum Prælati, qui hunc ordinem ſervari non curabunt, graviùs puniantur, & ſi Deffinitoribus viſum fuerit, omni prælatione priventur.

Quibus horis oporteat reficere Fratres.

CAPITULUM XLI.

A *Sancto Paſcha, usque ad Pentecoſten ad ſextam reficiant Fratres, & ad ſeram cœnent. A Pentecoſte autem, tota æſtate, ſi labores agrorum non habent Monachi, aut nimietas ætatis non perturbat, quarta, & ſexta Feria jejunent usque ad nonam, reliquis verò diebus ad ſextam prandeant. Quæ prandii ſexta, ſi opera in agris habuerint, aut æſtatis fervor nimius fuerit, continuanda erit, & in Abbatis ſit providentia. Et ſic omnia temperet, atque diſponat, qualiter animæ ſalventur, &, quod faciunt Fratres, absque ulla murmuratione faciant. Ab idibus autem Septembris, usque ad Caput quadrageſimæ, ad nonam ſemper reficiant Fratres. In quadrageſima verò usque ad Paſcha ad Veſperam reficiant. Ipſa tamen Veſpera ſic agatur, ut lumine lucernæ non indigeant reficientes, ſed luce adhuc diei omnia conſumentur. Sed & omni tempore, ſive cœnæ ſive refectionis hora ſic temperetur, ut luce diei ſiant omnia.*

Quantum ad horam comeſtionis, de qua Beatus Pater in præſcripto Capitulo tractat, declarârunt Patres tempore jejuniorum extra quadrageſimam prandendum eſſe poſt Nonam. In quadrageſima verò cùm jejunatur, poſt Sextam. A die XIV. Septembris, usque ad Dominicam Palmarum, quando non jejunatur, Nona ſtatim poſt gratias à prandio cœnatur. Reliquis verò anni temporibus, cœnatur poſt ſilentium, & dormitionem diei. Ita tamen ut ſemper per ſpatium unius horæ ante Veſperas perſoluta ſit. Cœnæ verò hora ita temperetur, ut omnia, ſi commodè fieri poterit, cum diei luce juxta Regulæ ordinationem fiant. Ubi Regula dicit: *A ſancta Paſcha* addunt Patres etiam ab uno Paſchate ad aliud, Feriâ ſextâ ſemper eſſe jejunandum ob memoriam Dominicæ paſſionis. A Feſto ſanctæ Crucis Septembris, usque ad Paſcha Reſurrectionis jejunium, quod dicitur Regulæ, ùt hactenus factum eſt, omnî modô obſervetur: ita ut nullus, niſi de licentia Abbatis, vel Majoris, juſtis de cauſis id violare præſumat. Qui Abbas ita moderatè omnia diſponat (habita locorum, temporum, ac perſonarum ratione juxta admonitionem Patris) ut animæ ſalventur. In prædictis jejuniis Regulæ, Veſperi pro collatione detur ſolum aliquantum panis, & vini, exceptis Feriâ quartâ, & ſextâ, in quibus duntaxat fructus, ſeu poma aliqua, & vinum apponi debent. Et qui huic Conſtitutioni contrafeciſſe deprehenſus fuerit, ſequenti mane in pane, & aqua ſolùm jejunabit, non quidem in medio Refectorii, ſed in menſa, ubi ſedet.

Ut

Ut poſt Completorium nemo loquatur.

CAPITULUM XLII.

OMni tempore ſilentio debent ſtudere Monachi, maximè tamen nocturnîs horîs. Et ideo omni tempore ſive jejunii, ſive prandii, ſi tempus fuerit prandii, mox ut ſurrexerint à cœna, ſedeant omnes in unum, & legat unus collationes, vel vitas Patrum, aut certè aliquid, quod ædificet audientes, non autem heptaticum aut Regnm. Quia infirmis intellectibus non erit utile illâ horâ hanc ſcripturam audire, aliîs verò horîs legantur. Si autem jejunii dies fuerit, dicta Veſpera, parvô intervallô mox accedant ad lectionem collationum, ut diximus, & lectîs quatuor, aut quinque foliîs, vel quantùm hora permittit, omnibus in unum occurrentibus per hanc moram lectionis; ſi quis fortè in aſſignato ſibi commiſſo fuerit occupatus, occurrat. Omnes ergo in unum poſiti compleant. Exeuntes à Completorio, nulla ſit licentia denuo quidquam loqui aliquid. Quod ſi inventus fuerit quiſquam prævaricari hanc taciturnitatis Regulam, graviori vindictæ ſubjaceat, exceptô ſi neceſſitas hoſpitum ſupervenerit, aut fortè Abbas alicui aliquid juſſerit. Quod tamen & ipſum cum ſumma gravitate, & moderatione honeſtiſſimè fiat.

Cùm ex ſe ſatis clarum ſit Capitulum hoc Regulæ, nullam aliam declarationem circa ipſum Patres facere, niſi quòd diſtrictè præcipiunt omnibus, & ſingulis illius obſervantiam. Quod ad Lectionem ordinârunt, ut (quod ſuprà dictum eſt) collectîs Fratribûs in Capitulo, vel clauſtro Eccleſiæ proximiori legantur Collationes Patrum. Sed de Completorio jam ſatis dictum eſt. Sciendum eſt tamen, quod in Choro, Dormitorio, Refectorio, Clauſtris, & præſertim Eccleſiæ viciniori, ubi ſolvi ſolet ſilentium, & in locis comunibus non ſolùm poſt Completorium, ſed ſemper ſervandum inviolabiliter eſt ſilentium. In Quadrageſima verò, ùt alibi dictum eſt, ſervetur, quouſque à Prælato fuerit diſpenſatum. Quoniam verò ſilentium non ſolùm loquendo frangitur, ſed etiam, & magis aliquo ſonitu, rumore, vel ſtrepitu. Ideo inviolabili obſervatione caveatur (ùt eſt etiam in Conſtitutionibus Eremi) ne unquam horîs ſilentio deputatîs aliquid in Cella, vel extra Cellam Monachi, vel Converſi in officinis quidquam operentur, quod ſonitum aliquem, aut ſtrepitum poſſit cauſare.

De his, qui ad opus Dei, vel ad menſam tardè occurrunt.

CAPITULUM XLIII.

AD horam divini officii, mox ùt auditum fuerit ſignum, relictis omnibûs, qualibet fuerint in manibus, ſumma cum feſtinatione curratur, cum gravitate tamen, ut non ſcurrilitas inveniat ſomitem. Ergo nihil operi Dei præponatur. Quod ſi quis ad Nocturnas Vigilias poſt gloriam Pſalmi nonageſimi quarti (quem propter hoc omnino protrahendo, & mòroſè volumus dici) occurrerit, non ſtet in ordine ſuo in Choro, ſed ultimus omnium ſtet, aut in loco, quem talibus negligentibus ſeorſum conſtituerit Abbas: ut videatur ab ipſo, vel ab omnibus, uſque dum completo opere Dei, ſatisfactione publica pœniteat. Ideò autem eos in ultimo, aut ſeorſum judicavimus debere ſtare, ut viſi ab omnibus, vel pro ipſa verecundia ſua emendetur. Nam ſi extra Oratorium remaneat, erit fortè talis, qui ſe aut collocet, & dormiat, aut certè ſedeat foras, vel fabulis vacet, & detur occaſio maligno, ſed ingrediatur intro, ut nec totum perdat, & de reliquo emendetur. Diurnîs autem horîs, qui ad opus Dei, poſt Verſum, & Gloriam primi Pſalmi, qui poſt Verſum dicitur, occurrerit, lege, qua ſupra diximus, in ultimo ſtet loco, nec præſumat ſociari Choro pſallentium, uſque ad ſatisfactionem, niſi fortè Abbas licentiam dederit permiſſione ſua, ita tamen, ut ſatisfaciat reus ex hoc. Ad horam verò refectionis, qui ante Verſum non occurrerit, ut ſimul omnes dicant verſum, & orent, & ſub uno omnes accedant ad menſam, qui per negligentiam ſuam, aut vitium non occurrerit, uſque ad ſecundã vicem pro hoc corripiatur. Si denuo non emendaverit, non permittatur ad menſæ communis participationem, ſed ſequeſtratus à conſortio omnium reficiat ſolus ſublata ei portione vini uſque ad ſatisfactionem, & emendationem. Similiter autem patiatur, qui ad illum Verſum non fuerit præſens, qui poſt cibum dicitur. Nec quiſquam præſumat ante ſtatutam horam, vel poſtea quidquam cibi, vel potûs percipere. Sed & ſi cui offertur aliquid à Priore, & accipere renuerit, horâ, quâ deſideraverit hoc, quod prius recuſaverit, aut aliud omnino non percipiat uſque ad emendationem congruam.

Circa hoc Capitulum pauca admodum occurrunt dicenda, cùm ejus obſervantia in Monaſteriis noſtris bene inſtitutis Dei munere vigeat. Illud tamen Prælatis in memoriam reducere voluerunt, non eſſe omnibus æqualiter Chori ingreſſus interdicendus, ſed qui tardiùs ad ſacrum ſe præſentârunt locum, illi profectò diutiùs extra detinendi ſunt, ut vel ſaltem hôc pactò magis erubeſcant, & deinceps relabantur in idem. Si quis verò ita arrogans, & inobediens extiterit, ut non habita à Prælato licentia ingredi præſumpſerit non obſtante ſua negligentia Chorum; eodem mane, vel ſequenti in ſolo pane, & aqua in medio Refectorii comedat, & ultra hoc per totum illum diem, clauſus in Cella maneat. Quicunque Lectioni, quæ ante Completorium legitur, tardus advenerit, ſtatim genuflectat, nec ſurgere audeat, donec fuerit ei à Prælato nutu aliquo ſignificatum, tum is ſurgere debet, & ſeorſum ire. Qui verò Lectioni dictæ non interfuerit, non habitâ licentiá à Prælato, non valeat, non audeat Chorum ingredi, etiamſi Completorium tum inchoaretur, niſi prius factô ſignô à Prælato. Cùm verò aliquis, non ſemel tantùm, & iterum in menſe, ſed frequenter negligentiâ ductus à ſequela Chori ſe ſubtrahit, non ſolùm debet Prælatus diutius illum extra Chorum cum rubore detinere, ſed etiam ab illo ſubtrahere caſeum, vinum, vel poma in menſa, vel aliquando etiamnum pictantiam. Et dum mittit alios devotiores Monachos ſolatii, & animi gratiâ recreandi foras, illum veluti negligentiorem domi clauſum intra Monaſterii ſepta retinete. Si quis in Refectorium venerit, menſâ inchoatâ, profundè inclinatus, orando maneat usque ad ſignum Prælati, & tum ad menſam cum aliis ingrediatur. Si quis verò, dum cum aliis in Congregatione fuerit, in Capitulo, Menſa, Choro, vel alibi, opus habuerit inde recedere ad parvum tempus, genuflectens, vel inclinans ab eo, qui præeſt, ſine ulla verborum prolatione licentiam petat, & factô à Superiore ſignô abeat. Qui verò receſſerit, non dum reverſurus, exponat Prælato cauſam ſuæ diſceſſionis. Prælati verò in ſuis Monaſteriis, abſente Patre Generali à nullo licentiam petant. Et ſi tardè in Chorum, vel Refectorium venerit ob aliquod negotium, ſtatim ad loca ſua pergant, nemini niſi Deo Optimo Maximo inclinantes. Similiter cùm recedere eis opus fuerit, recedant ad libitum, nec ab aliquo licentiam, cùm ſint ipſi Majores omnibus, petant. Extra verò Monaſterium proprium licentiam petant, ùt alii. Similiter Prælati Titulares in Monaſteriis licentiam à Prælato Ordinario petant.

De his, qui excommunicantur, quomodo ſatisfaciant.

CAPITULUM XLIV.

Qui pro gravibus culpis ab Oratorio, & à menſa excommunicatur, horâ, quâ opus Dei in Oratorio percelebratur, ante foras Oratorii proſtratus jaceat nihil dicens: niſi tantùm poſito in terra capite, & proſtratus pronus omnium de Oratorio exeuntium pedibus ſe proſiciat. Et hoc tamdiu faciat usque dum Abbas judicaverit ſatisfactum eſſe. Qui cùm juſſus ab Abbate venerit, provolvat ſe ipſius Abbatis pedibus: deinde omnium veſtigiis Fratrum, ut orent pro eo. Et tunc ſi juſſerit Abbas, recipiatur in Choro, vel in ordine, quô Abbas decreverit, ita ſanè, ut Pſalmum, aut Lectionem, vel aliud quid non præſumat in Oratorio imponere, niſi iterum Abbas jubeat. Et omnibùs horis, dum completur opus Dei, projiciat ſe in terram in loco, in quo ſtat, & ſic ſatisfaciat, usque dum ei jubeat iterum Abbas, ut quieſcat jam ab hac ſatisfactione. Qui verò pro levibus culpis excommunicantur tantum à menſa, in Oratorio ſatisfaciant, usque ad juſſionem Abbatis. Et hoc ſemper faciant, usque dum Benedicat, *& dicat, ſufficit.*

Inter alias pœnas, quæ poſitæ ſunt transgreſſionibus noſtrarum Conſtitutionum, uti ſuprà narravimus, computantur & proſtrationes, quas in hoc Capitulo D. P. Benedictus ſatisfactiones excommunicatorum vocat. Declarant itaque Patres hanc pœnam injungendam per tres dies ad Matutinum, & in egreſſu à menſa iis, qui non velut fugitivi, ſed ob alias cauſas à Monaſterio ſine licentia, ùt ſuprà, receſſerunt, retento nihilominus habitu. Nam ſi habitum abjicerent, tum velut fugitivi eſſent puniendi. Similiter declarant, ad obſervantiam hujus Capituli has proſtrationes fieri debere per totidem dies, & poſt omnes alias pœnitentias, ab iis, qui verè eſſent judicati excommunicati, aut ob aliquod aliud flagitium carceri fuiſſent mancipati. Pro aliis culpis reus ſatisfeciſſe intelligatur, poſt ubi factâ pœnitentiâ benedictionem, & aliquam admonitionem à Prælato acceperit. Non eſt autem ſilentiô prætereundum, ex hoc Capitulo apertiſſimè elici diſtinctionem ſuperiùs allatam de triplici excommunicationum genere.

De

De his, qui falluntur in Oratorio.

CAPITULUM XLV.

SI quis, dum pronunciat Pſalmum, Reſponſorium, aut Antiphonam, vel lectionẽ fallitur: niſi cum ſatisfactione ibi coram omnibus humiliatus fuerit, majori vindictæ ſubjaceat: quippe qui noluit humilitate corrigere, quod negligentiâ deliquit. Infantes verò pro tali culpa vapulent.

Humiliatio, quæ fieri debet in Choro, quando quis in aliquo errat, ùt puta, malè legendo, vel cantando, & quæ præcipitur in hoc Capitulo, hujusmodi eſt. Errans in ſyllabis, vel non punctando, ubi debet, vel ante tempus inchoando Verſum, aut tardè finiendo, & ſimilibus levibus culpam ſuam ſuo loco manens fateatur genuflectendo, & tundendo pectus. Qui verò Antiphonas, aut Verſiculos, vel Pſalmos, aut Capitula, vel Orationes non rectè diceret, ſed unum pro alio, ſive fuerit Sacerdos, ſive non, proſternet ſe, & terram deoſculetur. Quilibet etiam Monachus, poſt ubi dixerit duas ſuas Lectiones, antequam ad ſuum locum veniat, ſe proſternat humiliter in medio Chori, & confirendo culpam deoſculetur pavimentum. Pueri verò ultra has humiliationes ad arbitrium Magiſtri puniantur, diſcretè tamen, & cum modeſtia. Et qui errando non ſe humiliaverit, tum pœnæ gravioris culpæ, velut arrogans & ſuperbus omnino ſubjaceat.

De his, qui in aliquibus rebus levibus delinquunt.

CAPITULUM XLVI.

SI quis dnm in labore quovis, & Coquina, in Cellario, in Miniſterio, in Piſtrino, in horto, in arte aliqua, dnm laborat, vel in quocunque loco aliquid deliquerit, aut fregerit quippiam, aut perdiderit, vel aliud quid exceſſerit nbi ubi: & non veniens continuò ante Abbatem, vel Congregationem ipſe ultrò ſatisfecerit, & prodiderit delictum ſuum, cùm per alium cognitum fuerit, majori ſubjaceat emendationi. Si anima verò peccati cauſa latens fuerit, tantùm Abbati, aut ſpiritualibus Senioribus patefaciat, qui ſciant curare ſua, & aliena vulnera, non detegere, ac publicare.

Tribûs modîs maniſeſtantur peccata Religioſorum, vel revelando ea Prælato, eo ordine, quò Divus Pater docet in hoc loco, vel generaliter confitendo culpas in Capitulo, vel demum Patri ſpirituali in confeſſione Sacramentali. De primo modo cùm in hoc Capitulo fuſiùs tractetur, nihil Patres addere voluernnt, niſi quod mandant ejus obſervantiam, ita videlicet, ut Monachi delinquentes ſuo Prælato: Novitii verò ſuo Magiſtro, ſi quippiam errati commiſerint, de iis, quæ in hoc Capitulo notantur, annuncient: alioquin ſi aliter admiſiſſe convicti fuerint, pœnæ gravioris culpæ ſubjaceant. Quantum ad ſecundum modum, præcipiunt Patres, in omnibus Monaſteriis noſtræ Congregationis qualibet Feriâ ſextâ, ùt moris eſt, poſt primam divini operis horam in Capitulo culpas Monachorum eſſe à Prælato audiendas, nec ullum Monaſterium ob paucitatem Fratrum excuſetur. Diebus verò Dominicis Converſi teneantur ſuas etiam ipſi culpas dicere. In Vigilia verò Natalis, ac Pentecoſtes fiant culpæ generales cum ſolita confeſſione, & abſolutione, & cum tribus Pſalmis Gradualibus: *Ad Dominum cùm tribularer. Levavi oculos meos, & lætatus ſum.* Et ſimiliter fiat in qualibet Feria ſexta Quadrageſimæ: Sed vice Pſalmorum Prælatus ad diſciplinam dicat ſuper quolibet Fratrum, dum verberat. *Miſereatur tui Omnipotens Deus &c.* Feriâ verò quintâ in Cœna Domini dicantur culpæ confeſſione generali, & fiat abſolutio cum tribus dictis Pſalmis. Feriâ autem ſextâ in Paraſceve, non dicantur culpæ, ſed tantummodo diſciplinæ dentur à Prælato ſtantibus ipſis Fratribus, non in medio proſtratis; ùt aliis Feriis ſextis: ſed in locis ſuis genuflexis, & pectore inhærentibus ſcamnis, ſuper quæ ſedere ſolent. Præcipiunt etiam Patres, non obſtante quavis conſuetudine in contrarium, quod dum dictæ culpæ generales fiunt, ſemper ſtent Fratres in medio genuflexi, & nunquam proſtrati, aut inclinati. Quoad tertium modum, de quo in calce hujus Capituli fit ſermo, hortentur omnes, & ſingulos, ut frequentiùs delicta ſua Patri ſpirituali confiteri velint: ſed talem deligant, qui ſciat inter lepram & lepram (ut eſt in proverbio) diſcernere, &

& animas curare, non perdere. Et ad majorem meritorum cumulum mandantes præcipiunt (ùt aliô eſt locô) ut bis ſaltem in hebdomada quisque noſtræ Congregationis Monachus confiteatur Sacramentaliter Sacerdoti. Satiùs tamen eſſe, qui Miſſas celebrant frequentiùs confiteri, & ſi fieri poſſet ad ſacrum Altare ſine prævià illius diei confeſſione nunquam accedere. Confeſſionem item generalem, de qua ſuprà, declarant fieri debere etiam à Prælato, & Monachis coram Patre Generali, ſtatim ut ingreſſus fuerit Capitulum gratiâ viſitationem intimandi.

De ſignificanda Hora operis Dei.

CAPITULUM XLVII.

Nunciandа hora operis Dei die, noctúque ſit cura Abbatis, ut aut ipſe nunciet aut tali ſollicito Fratri injungat hanc curam, ut omnia horis competentibus compleantur: Pſalmos autem, vel Antiphonas poſt Abbatem ordine ſuo, quibus juſſum fuerit, imponant. Cantare autem & legere, non præſumat, niſi qui poteſt ipſum officium implere, ut ædificentur audientes. Quod cum humilitate, & gravitate, & tremore fiat, & cui juſſerit Abbas.

Cùm ſatis, ſupérque in ſuperioribus Capitulis dictum ſit de qualitate Divini Officii, de Pſalmis, Antiphonis, Reſponſoriis, ac Lectionibus: de hora, quâ dicendum eſt, & aliis hoc loco tantummodo viſum eſt Patribus, hæc pauca addere. Nimirum quòd ex antiqua, & jam diu recepta ab omnibus conſuetudine, ad Sacriſtas attinet, Monachos ad Officium convocare ſigno companæ. Ejus igitur diligentiæ erit, ſi erit ſuum Monaſterium in Civitate, ſequi in pulſatione ordinem, & horam aliorum Monaſteriorum, in quibus extant Monachi ſub eadem noſtra Regula militantes: & diebûs Feſtîs ordinem Cathedralis Eccleſiæ quoad fieri poterit: præcipuè verò in Tertia, & Veſperis. Quoniam verò Sacerdotes ignari in ſacris Litteris plurimùm damnantur, & pollicetur Deus Optimus Maximus, eos ſe repulſurum Sacerdotes, qui legem ſuam ac ſcientiam abjecerunt, fieríque nequit, ut ab indoctis Religioſis Divina Officia rectè perſolvantur, & cum ſatisfactione populorum. Idcirco Patres noſtri (occaſione ejus, quod habetur in hac parte Regulæ in verbis: *Cantare autem & legere non præſumat &c.*) benè inſtitutarum Religionum exempla ſequentes ordinârunt, ac præcipiunt diſtrictè Prælatis infraſcriptorum Monaſteriorum, ut ſelectis, cum conſilio Seniorum, iis juvenibus, qui idonei ad literas perdiſcendas cenſebuntur, eis Magiſtrum aſſignent, qui diligentiſſimè eos docent Gramaticen primùm, deinde Rhetoricam, cæteráſque bonas artes, quæ religioſum hominem decent & ad ſacram Scripturam intelligendam plurimùm conferunt: poſtremo iis ſtudiis ſe totos tradant, ſine quibus confeſſiones audire periculoſum eſt, ac penè impoſſibile. Et ſi non habeantur in Monaſteriis tales Magiſtri, ex alia Religione petantur, vel è Sæculo: dummodo ſint viri bonæ famæ, morigerati, ac de fide Catholica benè ſentientes; debitáque eis merces pro facultate Monaſterii ab Abbate & Patribus conſtituatur. Ut autem effectui mandentur, præſenti conſtitutione præcipitur, ut in omnibus Monaſteriis, ubi veſtiuntur Novitii, vel ubi ſunt juvenes ſtudiis apti, teneatur Magiſter, qui eos Gramaticam doceat, & Monachus ex Senioribus, qui eos in cantu plano inſtruat. Ultra verò hos Magiſtros, in Monaſterio ſancti Michaelis, & ſancti Matthiæ Venetiarum, in Abbatia Carceris, in Monaſterio Claſſis Ravennæ, in Monaſterio Angelorum Florentiæ, in Monaſterio ſancti Blaſii de Fabriano, & in Abbatia ſanctæ Crucis de Avellana, habeatur Lector, qui Logicam doceat, & alius, vel idem, qui ſacram Scripturam legat, juxta decreta ſacri Concilii Tridentini.

Quoniam verò ſine libris, impoſſibile eſt ſtudiis operam dare, præcipiunt dictorum Monaſteriorum Præfectis, ut quantociùs Bibliothecam in ſuo Monaſterio quisque erigat cum iis libris, qui neceſſarii cenſebuntur, & ejus cura uni particulari demandetur, ſine cujus licentia, vel Prælati nullus ingredi in eam poſſit, niſi juvenes illi ſtudentes. Quibus etiam Abbas unum ex Senioribus præficiet, qui eos intra Religioſorum limites contineat, ne fortè ſtudiorum occaſione diſſolvantur. Neque verò hoc in loco tacendum eſt, quòd quibusdam non ſuffragatur contra nos, ut videtur eis, Divi Hieronymi ſententia in ſacris Canonibus, Can. XVI. Quæſt. I. Cap. Monachus, ubi dicitur: Monachum non docentis, ſed plangentis Officium habere: cùm Sanctiſſimus iſte Doctor eo in loco de iis loquatur Monachis, qui ſiluas inco-

incolebant, nec ſacris ùt plurimùm erant initiati. Atqui Sacerdotes, qui modo urbes incolunt, rem ſacram faciunt, peccatorum Confeſſiones audiunt, & à multis ſæpe conſilia pro animarum ſalute petuntur, quis unquam ſanæ mentis dicat non debere eſſe in lege ſacra peritos, & Doctos? Adde his, quòd illi de quibus ſacer ille Doctor loquitur, otium aliter vitare poterant, labori manuum, & agrorum culturæ incumbendo, quod noſtræ tempeſtatis Monachis minimè par eſt. Et quis rogo, fuit Hieronymus? nonne, & ipſe Monachus. Quis obſecro Baſilius? Quiſne Gregorius? nonne omnes Monachi? & tamen ſuis doctrinis, Chriſti Eccleſiam plurimùm illuſtrârunt. Obmuteſcant igitur illi omnes, qui hæc objiciunt. Cæterùm eò res noſtræ devenerunt, ut ſi non reparentur ſacrîs Studiîs, Religionem omnem perire neceſſe ſit. Refriguit ſiquidem charitas, & Chriſti amor, devotióque ùt plurimùm à Monaſteriis exulat, & niſi Lectione ſacrorum Librorum & orationibus revocetur, actum eſt de nobis. Eja igitur, viri Camaldulenſes, otium omne procul abjicientes, erigite mentes, tollite animos, & talem literis operam impendite, ut non ampliùs nummos, & fruges conſumere nati paſſim vocitemini. In mentem veniat Generalis Ambroſii viri eruditiſſimi exemplum, qui noſtram tam inſigniter decoravit Religionem, nunquam non uſque ad Sydera tollendum. Subeant Petri Candidi, Delfini, Juſtiniani, & tot aliorum Doctiſſimorum Patrum monumenta, nunquam è Bonorum memoria peritura. Illud ſemper præ oculis ſit, bonarum literarum ſtudio Religiones ne dum in ſuo candore ſervaſſe: verùm etiam plurimùm extuliſſe. Iis invigilate, hæc ſectamini, ab iis ne ſeparemini. Hîc nempe in ſtudio literarum, Deum côgnoſcetis, ejus bonitatem, ſapientiam, majeſtatem; ac perinde ferventiùs amabitis. Veſtram ſic clariùs miſeriam humanam intuebimini, imbecillitatem, indigentiam. Vóſque hîc eſſe exules, ac cœlum vobis patriam, longè meliùs ſtudendô ſacris paginis, cognoſcentes, ingemiſcere, ac etiamnum Monachi Officium explere haud difficulter poteritis, ſed jam ſatis de iis dictum eſt. Ut autem eò jam redeat, unde noſtra diſceſſit oratio. Sacriſta, de quo jam dictum eſt ſuprà, eligatur de numero Sacerdotum: ejuſque munus ſit in primis, Divini operis horas, die noctúque ſecundùm Regulam, & Conſtitutiones ſignificare; debitóque ſpatio, & congruîs intervallîs campanam pulſare: Eccleſiam, Sacrarium, Capitulum, ſacrata vaſa, & ſacras Veſtes, Altariúmque ornamenta, & univerſam Eccleſiæ ſupellectilem mundam, integram ſemper cuſtodire: Lampades accenſas continuè conſervare: Candelas Altaribus apponere: Eccleſiam, & Altaria, quando ornanda ſunt (Subſacriſtis auxiliantibus, aut Novitiis) ornare, & quando auferenda ſunt ab eis ornamenta auferre, & ſuis quæque locis omnia reponere: Eccleſiam claudere, & aperire: hoſtias facere, & cum Abbate de mutationibus Divinorum Officiorum, & de celebrandis Miſſis tractare: Librorum omnium ad Divina peragenda deputatorum curam gerere: eóſque in quibus ad Nocturnas Vigilias Lectiones legendæ ſunt, in Choro præparare, & ipſas Lectiones, nec non Evangelium, poſt *Te Deum laudamus* perlegendum, vel cantandum invenire, ac ſignare, ut non opus ſit, dum Divinum celebratur Officium, hæc inquirere. Quæ omnia, ut melius poſſit adimplere Sacriſta, dentur ei, ſi major erit Congregatio, coadjutores videlicet juvenis, qui non ſit ſub cura Magiſtri, & Converſus ad viliora illius obedientiæ ſervitia peragenda. Memineritque ipſe Sacriſta, quanta & fides & munditia, & diligentia eum deceat, qui ſemper habet ſacra tractare.

De Opere Manuum Quotidiano
CAPITULUM XLVIII.

Otioſitas inimica eſt animæ. Et ideò certîs temporibûs occupari debent Fratres in labore manuum, certîs iterum horîs in lectione divina. Ideóque hac diſpoſitione credimus utraque tempora ordinari, id eſt, ut à Paſcha uſque ad Calendas Octobris manè exeuntes à prima uſque ad horam penè quartam laborent, quod neceſſarium fuerit. Ab hora autem quarta uſque ad horam quaſi ſextam Lectioni vacent. Poſt ſextam autem ſurgentes à menſa pauſent in Lectis ſuis cum omni ſilentio, aut fortè qui voluerit ſibi legere, ſic legat, ut alium non inquietet. Et agatur Nona temperiùs mediante octavâ horâ: & iterum, quod faciendum eſt, operentur uſque ad Veſperum. Si autem neceſſitas loci, aut paupertas exegerit, ut ad fruges colligendas per ſe occupentur, non contriſtentur: Quia tunc verè Monachi ſunt, ſi de labore manuum ſuarum vivunt, ſicut & Patres noſtri, & Apoſtoli. Omnia tamen menſuratè fiant propter puſillanimes.

A Ca-

A Calendis autem Octobris usque ad Caput quadrageſimæ usque ad horam ſecundam Lectioni vacent: horâ ſecundâ agatur Tertia, & usque ad Nonam omnes in opus ſuum laborent, quod eis injungitur. Facto autem primò ſignô horæ Nonæ disjungant ſe ab opere ſuo ſinguli, & ſint parati, cùm ſecundum ſignum pulſaverit. Poſt refectionem autem vacent Lectionibus ſuis, aut Pſalmis.

In Quadrageſimæ verò diebus à manè usque ad Tertiam plenam Lectioni vacent, & usque ad decimam plenam operentur, quod eis injungitur. In quibus diebus quadrageſimæ accipiant omnes ſingulos Codices de Bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant, qui Codices in Caput quadrageſimæ dandi ſunt. Ante omnia ſanè deputentur unus, aut duo Seniores, qui circumeant Monaſterium horis, quibus vacant Fratres Lectioni, & videant, ne fortè inveniatur Frater acedioſus, qui vacet otio, aut fabulis, & non ſit intentus Lectioni: & non ſolùm ſibi inutilis ſit, ſed etiam alios extollat. Hic talis ſi (quod abſit) repertus fuerit, corripiatur ſemel & ſecundò: Si non emendaverit, correptioni regulari ſubjaceat, taliter ut cæteri metum habeant. Neque Frater ad Fratrem jungatur horis incompetentibus. Dominico die lectioni vacent omnes, exceptis his qui variis Officiis deputati ſunt. Si quis verò ita negligens & deſidioſus fuerit, ut non velit, aut non poſſit meditari, aut legere, injungatur ei opus, quod faciat, ut non vacet. Fratribus infirmis, aut delicatis talis opera, aut ars injungatur, ut nec otioſi ſint, nec violentiâ laboris opprimantur, ut effugentur. Quorum imbecillitas ab Abbate conſideranda eſt.

Cùm occupationes Monachorum noſtrìs hiſce temporibùs multò plures exiſtant, quàm unquam fuerint, tum circa Divina officia perſolvenda, tum circa alia, difficile viſum eſt Patribus poſſe ad unguem Monachos hoc Capitulum Regulæ ſervare: præſertim cùm in hyeme vix tempus ad ipſas horas Canonicas perſolvendas, & alia neceſſaria peragenda ſufficiat. Nihilominus, ut, quoad fieri poteſt, ſervetur, præcipiunt, quod medium illud tempus, quod intercedet inter horam unam Canonicam, & aliam, Fratres ſtudeant utiliter expendere, vel in aliqua obedientia, vel Lectione, aut oratione, ſecundùm quod ætati, gradui, & cuilibet conditioni convenerit. Sic enim, & antiqui noſtri Patres factitabant. Inter quos alii ſtudiis vacabant, alii verò minùs ſtudiis apti, diverſis manuum exercitiis operam dabant, vel pingendo tabulas & parietes ad honorem Dei, ac Sanctorum; vel acu ſacras veſtes mirô artificiô elaborando: vel codices cantus plani pro Choro nitidè, & æqualiter ſcribendo, & miniando, vel libros perutiles ad poſterorum commodum ingenioſè edendo, uti eſt videre in pluribus noſtræ Congregationis Monaſteriis. Ubi dicitur in Regula: *Poſt ſextam ſurgentes à menſa &c.* Diſpenſant Patres cum Fratribus, ut poſſint à prandio, per dimidium horæ animi gratiâ, per viridarium aut aliquam aliam Monaſterii partem, in qua non ſit perpetuum ſilentium, deambulando ſimul de rebus ſanctis aut literis colloqui. At verò à Dominica Palmarū usque ad Feſtum S. Crucis Septembris transactâ horâ poſt primam menſam, pulſetur campanula ad dormitionem: & tum ubique locorum Monaſterii usque ad Nonam ſilentium ſervetur: maximè verò ubi Fratres quieſcunt. Poſt dormitionem, factô ſignô, dicatur Nona, & reliquum temporis ab officio, dormitione, & menſa, lectionibus, collationibus, ſtudiis, & orationibus expendatur. Converſi verò manibùs laborando otium veluti hoſtem pernicioſiſſimum ſemper inſectentur. Cùm quippiam agitur, ad quod plures conveniant, ùt puta, cùm ſit panis, & hujusmodi, præcipiunt Patres, ut ſemper aliquod ſpirituale ibi legatur. Ubi item in Regula dicitur. *Neque Frater ad Fratrem jungatur locis incompetentibùs*, declarant Patres horas incompetentes eſſe, horas officii Divini, ſilentii, Menſarum: horas noctium, & Gymnaſii, reſpectu ſtudentium: quoniam talibùs horis hujusmodi exercitiis vacari debet. Qui autem tempore diurnæ dormitionis quieſcere nolunt, caveant omnino, dum alicui rei ſtudent in cella, ne aliquo rumore, vel ſtrepitu quieſcentibus ſint moleſti. Nam ſunt aliqui (ut eſt in eremi noſtræ Conſtitutionibus) qui in cella commorantes, tota die, quaſi quodam Dæmonis impulſu, vagationisque ſpiritu agitati, nunquam eodem loco perſiſtere poſſunt: Sed magno cum ſtrepitu varia opera eadē horâ incipere, & dimittere ſolent. Quod ſanè vagationis vitium & inſtabilitatis miſerrimum eſt, & nimis deteſtabile. Studeant igitur Monachi, in cella conſiſtentes, in eodem opere ſtabiliter, quantum res expoſtulat, perſiſtere, & non faciliter tædio cedentes de loco ad locum, de opere ad opus tranſire. Similiter extra cellam non facilè diſcurrant Monachi, ne exterioris hominis gravitas, & animæ puritas corrumpatur. Noverint etiam, quod ſicut quieto, & ſtabilitatis ſtudioſo Monacho cella & ſilentium tutiſſimum ac ſuaviſſimum ab omnibus ſæculi æſtibùs, & tentationum incendiis refugium præbet: & tanquam portionem exhibet delitiarum paradiſi: Ita inquieto & inſtabili cella inſtar carceris & viventis ſepulturæ, & tor-

tormentariæ officinæ efficitur, & afflictionum maximam exhibet occaſionem.

In omnibus igitur, & pêr omnia quàm maxime fieri poteſt, ſtudeat Abbas, ut ſerventur in ſuo Monaſterio, quæ hôc ſupradictô Capitulô continentur: eſt enim omni ex parte multa conſideratione dignum, ſicuti etiam eſt, quod in hac materia ſcribit Hier. ad Ruſticum Monachum, & habetur in Cap. *Nunquam de Conſecr.* Diſtin. quinta.

De Quadrageſimæ Obſervatione.

CAPITULUM XLIX.

LIcèt omni tempore vita Mouachi Quadrageſimæ debeat obſervationem habere, tamen quia paucorum eſt iſta virtus: ideo ſuademus iſtis diebus Quadrageſimæ, omni puritate vitam ſuam cuſtodire, omnes pariter negligentias aliorum temporum his diebus ſanctis diluere. Quod tunc dignè fit, ſi ab omnibus vitiis nos temperemus, orationi cum fletibus, lectioni & compunctioni cordis, atque abſtinentia operam demus. Ergo his diebus augeamus nobis aliquid ad ſolitum penſum ſervitutis noſtræ, orationes peculiares, ciborum & potûs abſtinentiam: & unusquisque ſuper menſuram ſibi indictam aliquid propria voluntate cum gaudio ſancti Spiritus offerat Deo, id eſt, ſubtrahat corpori ſuo de cibo, de potu, de ſomno, de loquacitate, de ſcurrilitate, & cum ſpiritualis deſiderii gaudio ſanctum Paſcha expectet. Hoc ipſum tamen, quod unusquisque offert, Abbati ſuo ſuggerat, & cum ejus fiat oratione, & voluntate. Quia quod ſine permiſſione Patris Spiritualis fit, præſumptioni deputabitur, & vanæ gloriæ, non mercedi. Ergo cum voluntate Abbatis omnia agenda ſunt.

Adeo clarum eſt præſcriptum Capitulum Regulæ, quod præ manibus habemus, ut non ſit opus aliqua alia declaratione: imò tantâ dignum obſervatione, & animadverſione, ut ampliùs dici non poſſit. Quamobrem viſum eſt Patribus ſolummodo hortari Fratres ad ejusdem obſervantiam: ſint itaque nobis cordi præcepta, monitiones, hortamenta, & quæcunque alia, quæ proponit nobis in hoc Capitulo Beatiſſimus Pater. Ultra verò ea, quæ quisque ſponte ſuâ fecerit, debeat Prælatus quilibet in ſuo Monaſterio primâ Feriâ ſecundâ Quadrageſimæ (juxta veterem laudabilem conſuetudinem) injungere ſingulis Fratribus in Cap. Pſalterium; præcipiens, ut quilibet ſaltem vigintiquinque Pſalmos legat in remiſſionem omnium negligentiarum totius illius anni elapſi. Quadrageſimam, quantùm ad abſtinentiam ciborum inchoandam eſſe declarant immediatè poſt Dominicam Quinquageſimæ. Adventus verò incipit in Dominica, quæ proximior eſt Feſtivitati Beati Andreæ Apoſtoli, quod ſane tempus Adventûs jejuniis tranſigendum eſſe volunt, non ſecus ac illud Quadrageſimæ. Ubi d citur: *Quod omni tempore vita Monachi Quadrageſima deberet obſervationem habere*, Patres monuiſſe volunt ſuos Monachos, quemadmodum innuit etiam ſuperiùs Divus Pater, illud eſſe veriſſimum, quod notat Joannes Chryſ. in Homilia, & habetur *Decretorum tertia parte de Conſecr. Diſtin. quinta* videlicet. *Nihil ſic eſſe jucundum, ſicut cibus digeſtus, aut decoctus, nihil ſic ſalutem, nihil ſic ſenſuum acumen operari, nihil ſic ægritudinem fugare, ſicut moderata refectio.* Sufficientia quippe cum nutrimento, & ſoſpitatem ſimul procreat, & voluptatem. Abundantia verò morbum facit, & moleſtias ingerit, & ægritudines generat. Legimus quosdam (inquit Hieronymus eâdem Diſtin.) morbo articulari, & podagræ humoribus laborantes proſcriptione bonorum ad ſimplicem menſuram, & pauperes cibos redactos convaluiſſe.

De Fratribus, qui longè ab Oratorio laborant, aut in via ſunt.

CAPITULUM L.

FRatres qui omnino longè ſunt in labore, & non poſſunt occurrere horâ competenti ad Oratorium, & Abbas hoc perpendit, quia ita eſt: agant ibidem opus Dei, ubi operantur, cum tremore Divino flectentes genua. Similiter, qui itinere directi ſunt, non eos prætereant horæ conſtitutæ: ſed, ut poſſunt, agant ibi, & ſervitutis penſum non negligant reddere.

Ne fortè aliqui in animum inducerent ſuum, divina officia, cum hactenus narratis cæremoniis in Choro duntaxat eſſe perſolvenda & non extra: Præcipiunt

Patres, hujus Capituli occaſione, ut Monachi noſtræ Congregationis, ubicunque locorum ſe invenerint, aut fuerint, teneantur Canonicas horas devotè perſolvere, cum debitis pauſis, & inclinationibus. Cùm undique divinæ aures exaudiant, & ſumma Majeſtas, nullum non repellat locum: quinimo ubique ſit per eſſentiam, præſentiam, ac poteſtatem. Quoniam verò ſacræ imagines plurimum conſerunt ad erigendum animum, ac mentem in ipſum Deum, ac Divos: præſcripti Patres volunt, ut in omnibus ac ſingulis noſtrorum Monaſteriorum membris curent Prælati erigere Oratoria; ubi non ſolùm celebrari Divina officia poſſint, verùm etiam res ſacras fieri: cùm non deceat Monachum, vel diem unum abſque auditione Miſſæ tranſire. Adde verò, quod hujuſmodi Oratoria non mediocri erunt ſolatio ſpirituali iis, qui vel ad hujuſmodi hoſpitia animi gratiâ aliquando declinabunt vel ob Monaſterii negotia interdum ibi moram per aliquot dies trahere cogentur.

De Fratribus, qui non ſatis longè proficiſcuntur.

CAPITULUM LI.

FRatres, qui pro quovis reſponſo proficiſcuntur, & ea die ſperant reverti ad Monaſterium, non præſumant foris manducare, etiamſi à quovis rogentur: niſi fortè eis ab Abbate ſuo præcipiantur. Quod ſi aliter fecerint, excommunicentur.

Quoniam verò multoties accidere ſolet, ut Monachi extra Monaſterium ad aliquem locum non noſtri ordinis vadant, non tamen ita remotum, quin eodem die ad domos proprias reverti poſſint, ſi velint: Idcirco virtute hujus Regulæ Capituli, mandant Patres, ut nullus, qui hac intentione revertendi domum eodem die ad aliquem locum perrexerit, audeat ullo pacto extra Monaſterium comedere, præſertim in domibus ſæcularium: Sed antequam pedem extra limitem ponat, accipiat, ſi non ſit dies jejunii præcepti, jentaculum: deinde Veſperi domum cænaturus, revertatur. Si verò ſit dies jejunii, vel differat negotium ad alium diem, vel jejunus vadat, & jejunus domum revertatur. Et hoc regulariter intelligi, & ſervari volunt. Siquidem in caſu aliquo neceſſitatis, non ſolùm apud religioſos, & affines, verùm etiam in ipſis diverſoriis comedere citra noxam licebit. A carnium nihilominus eſu, niſi maxima urgente neceſſitate, ſemper abſtinebimus tam intus, quàm extra, uti jam dictum eſt, & qui ſecus fecerint, graviùs puniantur.

De Oratorio Monaſterii.

CAPITULUM LII.

ORatorium hoc ſit, quod dicitur: nec ibi quidquam aliud geratur, aut condatur. Expletò opere Dei omnes cum ſummo ſilentio exeant, & agatur reverentia Deo, ut Frater, qui fortè ſibi peculiariter vult orare, non impediatur alterius improbitate. Sed ſi aliter vult ſibi fortè ſecretiùs orare, ſimpliciter intret, & oret non in clamoſa voce, ſed in lacbrymis & intentione cordis. Ergo qui ſimile opus non facit, non permittatur expleto opere Dei remorari in Oratorio, ſicut dictum eſt, ne alius impedimentum patiatur.

Domini noſtri ſententiam, quâ dicitur: *Domus mea, Domus orationis vocabitur* præ oculis habens Sanctiſſimus Benedictus, præcipit in hoc Capitulo. In Oratoriis noſtris nihil pœnitus aliud fieri, niſi ad quod inſtituta eſſe noſcuntur. Quare ſub gravibus pœnis mandant, & ipſi Patres, ne Prælati ullô pactô permittant in Eccleſiis noſtris quippiam fieri, quod ſit à divino cultu alienum: caveantque, ne in eis ullæ res prophanæ ſervandæ deponantur: vel collocutiones rerum impertiuentium habeantur. Sed celebratis Canonicis horis noſtræ Eccleſiæ ſæcularibus claudantur: ab hora nimirum ſexta uſque ad Veſperas. Et decantatis Veſperis uſque ad Completorium, niſi fortè in Feſtis præcipuis, in quibus per totum diem ſit populorum concurſus. Porta verò clauſtri interioris, quæ ducit in ipſam Eccleſiam ſemper Monachis pateat à dictis Matutinis uſque ad ſolis occaſum, ut, ſi qui fortè privatim orare voluerint, poſſint. Caveant tamen à ſtrepitu labiorum, & hujuſmodi, ne aliis ſint impedimento. Cæterùm non in Eccleſiis tantum noſtris, quæ dicta ſunt, obſervari volunt: ſed in

in iis omnibus clauſtri partibus, ùt dictum eſt, quæ ejusdem Eccleſiæ parietibus hærent, perpetuum mandant ſervari ſilentium. Itaque nulli omnino licebit in Eccleſia, quàm dictis clauſtris quispiam loqui, niſi fortè aliquando ſilenter, & otatione imperfecta. Specialiter verò de Eccleſiis noſtris ſeu Oratoriis, extra urbes ſitis, mandant Patres, ne permittant ſub gravibus pœnis Prælati, in eis reponi fruges, aut palea, vel ligna, & hujusmodi; quemadmodum plerumque fieri ſolet ab agricolis, ſed ea veneratione colantur, quæ decet loca Deo ſacra. Et ſi quæ Eccleſiæ ruinam minentur, quantocius reſarciantur, & quæ collapſa ſunt, reſtituantur, & reſtituta munda teneantur. Quandoquidem domus Dei ſanctitudo decet, ac munditia.

De Hoſpitibus ſuſcipiendis.

CAPITULUM LIII.

O*Mnes ſupervenientes hoſpites tanquam Chriſtus ſuſcipiantur; quia ipſe dicturus eſt:* Hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me. *Et omnibus congruus honor exhibeatur, maximè tamen domeſticis fidei, & peregrinis. Ut ergo nunciatus fuerit hoſpes, occurratur ei à Priore, vel à Fratribus cum omni officio charitatis: & primitùs orent pariter, & ſic ſibi ſocientur in pace, quod pacis oſculum non prius offeratur, niſi oratione præmiſſa propter illuſiones diabolicas. In ipſa autem ſalutatione omnis exhibeatur humilitas. Omnibus venientibus, ſive diſcedentibus hoſpitibus, inclinato capite, vel proſtrato omni corpore in terra Chriſtus in eis adoretur, qui & ſuſcipitur. Suſcepti autem hoſpites ducantur ad orationem, & poſtea ſedeat cum iis Prior, aut cui juſſerit ipſe. Legatur coram hoſpite lex divina, ut ædificetur, & poſt hæc omnis ei exhibeatur humanitas. Jejunium à Priore frangatur propter hoſpitem; niſi fortè præcipuus ſit dies jejunii, quod non poſſit violari. Fratres autem conſuetudines jejuniorum proſequantur. Aquam in manibus Abbas hoſpitibus det: pedes verò hoſpitibus omnibus tam Abbas, quàm cuncta Congregatio lavet, quibùs lotîs, hunc verſum dicant:* Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui. *Pauperum autem, & peregrinorum maximè ſuſceptio omnî curâ ſollicitè exhibeatur: quia in ipſis Chriſtus magìs ſuſcipitur. Nam divitum terror ipſe ſibi exigit honorem.*

Coquina Abbatis, & hoſpitum per ſe ſit, ut incertîs horîs ſupervenientes hoſpites, qui nunquam deſunt Monaſterio, non inquietent Fratres. In quam coquinam ingrediantur duo Fratres ad annum, qui ipſum officium benè impleant. Quibus, ùt indigent, ſolatia adminiſtrentur, ut absque murmuratione ſerviant. Et iterum, quando occupationem minorem habent, exeant, ubi eis imperatur, in opera. Et non ſolùm in ipſis, ſed & in omnibus officiis Monaſterii iſta ſit conſideratio, ut quando indigent, ſolatia accomodentur eis: & iterum quando vacant, obediant imperantì. Item & Cellam hoſpitum habeat aſſignatam Frater, cujus animam timor Dei poſſideat, ubi ſint Lecti ſtrati ſufficienter, & domus Dei à ſapientibus ſapienter adminiſtretur. Hoſpitibus autem, cui non præcipitur, nullatenus ſocietur, neque colloquatur. Sed ſi obviaverit aut viderit; ſalutatis humiliter, ùt dictum eſt, & petita benedictione pertranſeat dicens: ſibi non licere colloqui cum hoſpite.

Quoniam inter opera miſericordiæ hoſpitalitas plurimùm ſacris paginis commendatur, dum narrant Sanctiſſimos Patriarchas plerumque, Angelos hoſpitiô recepiſſe, ea propter diſtrictè Patres præcipiunt, ut Capitulum hoc Regulæ inviolabiliter ab omnibus noſtræ Congregationis Monaſteriis, & Monachis obſervetur: quodque hoſpites omnes debitâ charitate, & honore excipiantur, cùm in ſingulis indubitanter ipſe Chriſtus recipiatur. Statim itaque ut Monachus hoſpes advenerit (ùt priùs de Monachis loquamur) ducatur ab oſtiario domûs in Eccleſiam: Interimque vocetur campanulæ ſigno, aut ab altero Oſtiariorum Abbas vel alius vice ſui. Qui veniens, & ipſe in Eccleſiam ordine, brevi facta oratione, hoſpitem detecto capite fraternè amplexetur; ac ſubinde in eam cameram hoſpitalitatis ducat, quæ ejus gradui, ac virtuti conveniet. Poſtremò de omnibus ſibi neceſſariis, pro Monaſterii facultate provideatur. Quod ſi Abbas hoſpiti, antequam ad Eccleſiam venerit, obviaverit: primùm ad pacis amplexum eum recipiet, deinde ad Eccleſiam ducet, poſtremò ad cubiculum. Sciendum verò hic eſt, quod inter hoſpites ſic excipiendos non computamus Monachos domûs, qui vel ad aliquod membrum ejusdem domûs morantur, vel ob aliquod negotium per aliquod dies extra Monaſterium manſerunt (hi enim revertentes tantummodo accedere debent ad Prælatum pro benedictione, móxque ad cellas proprias ſe recipere viſitatâ nihilominus prius Eccleſiâ) ſed loquimur de iis Monachis, qui ratò, & ex alieno Monaſterio, ac de longe adveniunt, nec ſunt de familia, &

alteri Abbati ſubjiciuntur. Neque Abbati indignum videatur; hujusmodi hoſpites eis occurrendo benignè excipere, ſive Præſules etiam ipſi extiterint, ſive privati, quoniam non eos tantùm puros homines excipit, ſed Chriſtum omnium Dominum, qui nos pauperculos è cœlis in terram deſcendens, inviſere dignatus eſt, & tanquam ſervus, & qui miniſtrat inter nos, exiſtere. Cæremoniam item illam abluendi hoſpitibus pedes (licèt non ita ſolemnem) nullo pacto omittant, qui hoſpitibus recipiendis præſunt; maximè ſi pedeſtres venerunt. Cæterùm, dum in Regula dicitur: *Quod hoſpites Abbatis adventum ad portam Monaſterii præſtolari debent*: Intelligendum id eſſe, declarant Patres, de Hoſpitibus ſæcularibus, aut Religiosis aliorum Ordinum; minimè verò de hoſpitibus noſtræ Congregationis. Tempore ſiquidem D. Patris Benedicti unumquodque Monaſterium Congregationem conſtituebat, neque inde Monachis exire licebat, niſi ob extremam aliquam neceſſitatem, aut agri colendi gratiâ. Quare de Laicis hoſpitibus, aut Presbyteribus ſæcularibus ferme ſemper eſt ſermo. Quandoquidem Monaſteria omnia ea tempeſtate viatorum omnium receptaculum erant; uti etiam noſtris temporibus eſt Hoſpitium Eremi noſtræ Camaldulenſis. Recepto itaque hoſpite perbenignè à Prælato, ùt dictum eſt, & factâ horâ Cœnæ, aquam ei ad abluendas manus Prælatus infundat, & benedictâ menſâ diſcumbat. Inceptâ interim lectione ſacrâ, poſt brevem periodum, ipſi comedere incipiant, factò ſignô à Prælato: Sed ſequatur nihilominus Lectio, quousque denuo Prælatus ſignum faciat quieſcendi: poſt Adventum verò hoſpitis, & ante cœnam, qui voluerint, poſſint hujusmodi hoſpitem viſitare in propria camera. Poſt quam primam ſalutationem non liceat juvenibus non Sacerdotibus ullò pactô ſe cum hujusmodi hoſpitibus ſociare ſine expreſſa licentia Prælati ſub pœna jejunandi in terra pane, & aqua. Prælatus tamen ſocium tali hoſpiti tribuat, qui eum comitetur, illi adſiſtat, eùmque de cunctis neceſſariis provideat. Nullus hoſpes (excepto Patre Generali, qui major eſt omnibus) ex itinere veniens, audeat domum hoſpitalitatis intrare, aut veſtes ſibi itinerarias detrahere, niſi primùm viſitatâ Eccleſiâ benedictionem à Prælato domus acceperit. Imò verò laudabile eſſet, ut etiam ipſe Pater Reverendiſſimus (quemadmodum non nullæ aliæ Religiones bene inſtitutæ obſervant) de itinere veniens, non ante domum ſibi præparatam ingrederetur, niſi poſt ſolemnem benedictionema acceptam in Eccleſia cum orationibus propriis.

Prælati, uti mandatur in Regula ſemper, & ubique hoſpites comitentur, & cum illis comedant, frangendo, ſi opus fuerit, jejunium, niſi fortè eſſet ab Eccleſia præceptum. Verùm ad majorem diſciplinæ regularis obſervantiam, ordinàrunt præſcripti Patres, ut advenientes Monachi, quacunque dignitate præfulgeant, etiam R. P. Generalis, tranſactis duobus diebus comunem vitam, & Refectorium ſequi teneantur: & Chorum, non ſecus, ac ſi de eodem eſſent Monaſterio, niſi fortè infirmi, aut debiles eſſent, vel majoribus (quod ad Chorum) detenti negotiis. Hoſpites item extra Monaſterium aggredi non præſumant, niſi facta ſibi prius facultate à Prælato loci illius, qui etiam ſocium eis aſſignare, & benedictionem tribuere debet. Hæc verò intelligenda ſunt de hoſpitibus Religioſis, ſive noſtræ fuerint, ſive alterius Congregationis: Circa quos volunt Prælatos etiam benigniùs agere, uti Regula mandat. Servetur quoque conſuetudo illa laudabilis, & in noſtro ordine pervetuſta: nempe quòd Sacerdotes advenæ Sacerdotibus noſtrorum Monaſteriorum, in noſtris domibus præferantur: Diacones ſimiliter extranei, noſtros Diacones antecedant; & ſic de aliis gradibus. Id enim congruum eſſe videtur, ut honore advenas intra noſtros limites præveniamus.

Quantùm verò ad Hoſpites ſæculares, ſimiliter Charitate recipiantur, maximè verò pauperes, quoniam in illis magis Chriſtus pauper ſuſcipitur. At non introducantur in Monaſterium, niſi fortè intra primam veſtibuli partem, ſi non priùs adventus eorum Prælato ſignificetur. Qui Prælatus cum illis comedere teneatur, ſi alicujus conſiderationis perſonæ fuerint; ſin autem non, mittat cum eis aliquem ex Senioribus moribûs & doctrinâ præcellentem. Nullus verò cujusvis rei prætextu ultra tres dies in noſtris Monaſteriis detineatur, niſi fortè ob negotium aliquod Monaſterii, aut ob urgentem aliquam neceſſitatem: & dum ibi morantur, remotiùs à Monachorum habitatione hoſpitentur, ne fortè illi à nobis, vel nos ab illis incommodum aliquod patiantur. Ad longum verò tempus nemo in domibus noſtris, nec ob mercedem aliquam vel ſpem recipiatur, cujuscunque conditionis, vel gradûs: Imò nec etiam commiſſi, niſi habeant habitum, & de expreſſa licentia Patris Generalis, aut Viſitatorum in ſcriptis habitâ. Quod ſi quis Prælatus fecerit con-

contrà, graviùs puniatur. Id enim fit, niſi Monachorum pax perturbetur. Et revera, nil magis diſſonum videtur Monachis, quàm cum Laicis diuturnam trahere moram, etiamſi ſint familiares.

Strictiſſimè etiam vetant, ne quis audeat mulieres cujuſcunque gradûs, ætatis, conditionis, aut dignitatis, intra ſepta Monaſteriorum noſtrorum, ſeu clauſuram introducere ullô pactô ſub pœna excommunicationis, prout in Bulla Sanctiſſimi Domini Noſtri Pii V. ſatiùs tractatur.

Ad curam verò hoſpitum tales à Prælato præficiantur, qui ſint idonei exemplô, morum gravitate, ſermoniſque modeſtiâ eos ædificare, eorùmque munus ſit cum omni ſollicitudine, & charitate, aquam pro lavandis pedibus, corporalem refectionem, ignem, cellam, menſámque hoſpitibus præparare, iiſdem in omnibus ſollicitè, & diligenter miniſtrare, & omnia, quæ circa hoc eis juſſerit Prælatus, implere. Meminerint ipſi Hoſpitarii æquè pauperes bene tractare: Scientes, quod majorem à Domino recipiunt mercedem, qui pauperes præcipuè commendare curavit, *quamdiu*, inquiens, *uni de his minimis feciſtis, mihi feciſtis*. Quid enim turpiùs, obſecro, apud Chriſti ſervos, quàm id, quod Beatus Jacobus in ſua Canonica in non nullis reprehendit, qui intrantem in Conventum eorum divitem honorificè excipiebant; pauperem verò non ita. Qui demum hoſpitibus inſerviunt, cavebunt, ne omnino quid ab eis, etiam ſponte oblatum, accipiant, maximè verò pecuniam; & qui contrafecerint, quindecim diebus in cella clauſi maneant, & tribûs diebûs in pane, & aqua jejunent. Quoniam autem in ſermone de ablutione pedum incidimus, non abs re fore arbitrantur Patres, hôc locô apponere, quod in ſacræ noſtræ Eremi Conſtitutionibus Capite XXVI. habetur. *Si pedes inquiunt, abluere voluerint Eremitæ* (cur non idem & Monachi) illud diligenter attendant, ut hoc quoque omni religioſa honeſtate faciant, nunquam altiùs, quàm opus ſit, ſe diſcooperiant, neque ſe meliùs tangant. Ne verò hujuſmodi carnis attrectatione aliqua excitetur libidinis titillatio, ſemper, cùm pedes lavare inceperint, pœnitentiales, quos dicimus Pſalmos, ſimul dicere incipiant: qui verò eos memoriter non tenuerint, aut alios Pſalmos dicant, aut orationem Dominicam tamdiu repetant quouſque ablutionem perfecerint.

Si debeat Monachus literas, vel eulogias ſuſcipere.

CAPITULUM LIV.

Nullatenus liceat Monacho nec à parentibus ſuis, nec à quoquam hominum, nec ſibi invicem literas, aut eulogias, vel quælibet munuſcula accipere, aut dare ſine præcepto Abbatis ſui. Quod ſi etiam à parentibus ſuis ei quidquam directum fuerit, non præſumat ſuſcipere illud, niſi priùs indicatum fuerit Abbati. Quod ſi juſſerit ſuſcipi, in Abbatis ſit poteſtate, cui illud jubeat dari. Et non contriſtetur Frater, cui fortè directum fuerat, ut non detur occaſio diabolo. Qui autem aliter præſumpſerit, diſciplinæ regulari ſubjaceat.

Tametſi, quæ modò dicentur, alibi incidenter dicta ſint, non erit abs re, eadem in præſentiarum tanquam in loco proprio, breviter ac perfunctoriè repetere. Nulli ergo, ùt hic Regula monet, liceat litteras, vel munuſcula mittere alicui, vel recipere ab aliquo ſine expreſſa licentia. Imò nec nuncios mittere liceat; nec rem quampiam, quamvis minimam, vel ſibi conceſſam alicui donare abſque dictâ licentiâ. Non valeant etiam inter ſe Monachi præſertim juvenes libros, vel res alias, etiam minimas commutare ſine prædicta Prælatorum ſuorum licentiâ, ùt ſuprà diximus. Ut autem Capitulum hoc pleniùs obſervetur, præcipiunt Oſtiario, ut litteras omnes, quæ ad manus ſuas devenerint, eas non Monacho, cui directæ ſunt, ſed Prælato prius præſentet, ſub pœna toties, quoties id facere omiſerit, abſtinendi per triduum à vino. Similiter Fratres, qui ex itinere veniunt, literas omnes Prælato præſentare teneantur.

Summopere verò cavendum omnibus eſſe denunciant, ne mulieribus cujuſvis conditionis, vel gradûs (Matre, & Sororibûs exceptis) literas vel munuſcula quæcunque mittere præſumant: vel ad eos ab eis tranſmiſſa recipere. Hæc etenim munera literæ, vel munuſcula per ſacros Canones religioſis prohibita ſunt, & quam veriſſimè incentiva libidinis eſſe comperiuntur. Id verò cum de cæteris omnibus mulieribus obſervandum diligenter ſit, de Sanctimonialibus diligentiſſimè eſt cuſtodiendum ſive noſtri Camaldulenſis, ſive alterius ordinis ſint: ut nulla omnino Monachis cum eis intercedat,

cedat, neque per literas, neque per munera familiaritas: Etenim (inquit ille) cautiſſimè ſunt omnia concupiſcentiæ incitamenta declinanda, ne parvo aliquo fomite magnus libidinis æſtus intra præcordiorum avidas cogitationes inſurgat. Et qui contrafecerit, ad arbitrium Patris Generalis graviùs puniatur.

De veſtimentis vel calceamentis Fratrum.

CAPITULUM LV.

Veſtimenta Fratribus ſecundùm locorum qualitatem, ubi habitant, vel aërum temperiem dentur: quia in frigidis regionibus ampliùs indigetur, in calidis verò minùs. Hæc ergo conſideratio penes Abbatem ſit. Nos tamen mediocribus ſufficere credimus Monachis per ſingulos cucullam, & tunicam, cucullam in hyeme villoſam, in æſtate puram, aut vetuſtam, & ſcapulare propter opera. Indumenta pedum, pedules & caligas. De quarum rerum omnium colore aut groſſitudine non cauſentur Monachi: ſed quales inveniri poſſunt in Provincia, in qua habitant, aut quod vilius comparari poteſt. Abbas autem de menſura provideat, ut non ſint curta ipſa veſtimenta utentibus eis, ſed menſurata. Accipientes nova, vetera ſemper reddant in præſenti, deponenda in Veſtiario propter pauperes. Sufficit enim Monacho duas tunicas, & duas cucullas habere propter noctes, & propter lavare ipſas res: Jam quod ſuper fuerit, ſuperfluum eſt, & amputari debet. Et pedules & quodcunque eſt vetuſtum, reddant, cùm accipiunt novum. Femoralia hi, qui in via diriguntur, de Veſtiario accipiant: qui revertentes, lota ibi reſtituant. Et cucullæ, & tunicæ ſint aliquando bis, quas habere ſoliti ſunt modicè meliores, quas exeuntes in viam accipiant de Veſtiario, & revertentes reſtituant.

Stramenta autem Lectorum ſufficiant matta, ſagum, Lana, & Capitale. Qui tamen lecti frequenter ab Abbate ſcrutandi ſunt propter opus peculiare, ne inveniatur; & ſi cui inventum fuerit, quod ab Abbate non acceperit, graviſſimæ diſciplinæ ſubjaceat. Et ut hoc vitium peculiare radicitùs amputetur, dentur ab Abbate omnia, quæ ſunt neceſſaria, id eſt, cuculla, tunica, pedules, caliga, bracile, cultellus, graphium, acus, mappula, tabulæ, ut omnis auferatur neceſſitatis excuſatio. A quo tamen Abbate ſemper conſideretur illa ſententia Actuum Apoſtolorum: Quod dabatur ſingulis, prout cuique opus erat. *Ita ergo & Abbas conſideret infirmitates indigentium, non malam voluntatem invidentium. In omnibus tamen judiciis ſuis Dei retributionem cogitet.*

Inter alia, quæ hodie non parùm indiget declaratione, & quæ maximè opus habent reformatione juxta Regulam, veſtes principem obtinent locum; cùm res jam collapſa ſit, ac multùm ab antiquo noſtrorum Patrum inſtituto diverſa. Itaque ſanxerunt Patres, atque inviolabiliter obſervari volunt, quæcunque modò circa veſtimentorum qualitates ſubjiciemus.

Primum igitur omnium quoad colorem veſtes noſtræ omnes, tam intùs, quàm extra albæ erunt. Etſi namque Beatiſſimus Pater Benedictus hoc loco aſſerat, non eſſe curandum, cujus ſint veſtimenta noſtra coloris, & ipſum, pro conſtanti habeatur, nigrô uſum fuiſſe colore. Nos tamen antiquam quingentorum, & quinquaginta annorum (ob revelationem Divo Patri Romualdo factam) ſequentes conſuetudinem; non niſi candido utemur colore. Nulli itaque deinceps liceat aliquò aliô uti colore, etiam occultè, ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ per biennium. Ut autem quorumdam Monachorum, qui nimis molles, atque delicati videntur, abuſui occurratur, & jam tandem terminus aliquis eorum ſenſualitati ponatur: declarant Patres, cucullas, quæ principalem inter veſtimenta noſtra ac nobiliorem locum tenent, fieri debere ex crudioribus ac vilioribus pannis, quæ in Provinciis, & locis, in quibus habitamus, inveniuntur: Dummodo ejus meminerint proverbii, quod non amplius moramur in ſolitudine, ſed in urbibus. Quod ad ſargias duplas Flandrenſes, quæ vulgò Scota vocantur (fortaſſe enim ex Inſula Scotiâ efferebantur) & ſi videantur aliquando delicatiores, quàm Monachos deceat: tamen quia ſunt durabiliores, & iis complures aliæ Religiones rectè inſtitutæ utuntur: permittunt Patres, quod Prælati ſuos Monachos ex eiſdem veſtire valeant, & earum uſum in noſtra Congregatione admittunt. Circa formam cucullæ, quoad longitudinem ex parte anteriori uſque ad colum pedis deſcendant; ex parte verò poſteriori terram ferme radant.

Quoad latitudinem, qui eas ex Scoto conficiunt, auferant ab ambobus telis principalibos, tertium latitudinis pro habitu uno ſeu Scapulari conficiendo; ita ut cuculla ipſa pauciſſimas habeat rugas ſive plicas. Primæ juncturæ ad humerum

per-

pertingant, reliquæ verò non excedant medium manciæ. Ipſæ autem cucullarum manciæ ſint longæ ultra manum extenſam per dimidium brachii: latæ verò, quantùm eſt ipſa Scoti latitudo plicata. Quod ſi poſt harum publicationem quis repertus fuerit, feciſſe ſibi cucullam alterius menſuræ, vel pluribus cum plicis, quàm poſſint duo tertia latitudinis Scoti facere, cujusque generis panni ſint; privetur ultra amiſſionem prædictæ cucullæ voce tam activâ, quàm paſſivâ, per ſex menſes: Prælatus verò, qui id ſcienter permiſerit, in proximo futuro Capitulo ad electionem Deffinitorum utrâque ſit voce privatus. Habitus ſive Scapularia non excedant in latitudine tertium latitudinis ipſius Scoti, & caputia ſint omnia æqualia, tam cucullarum, quàm habituum juxta formam ab ipſis Patribus Deffinitoribus præfixam, cujus exemplar quilibet Prælatus in ſuo Monaſterio habere teneatur. Qui verò huic Conſtitutioni contrafecerit, aut caputia ipſa ſejuncta à cuculla, vel habitu portaverit gravius ad arbitrium Prælati puniatur. Tunicæ etiam ex parte anteriori usque ad colum pedis pertingant, à parte verò poſteriori, paucis admodum rugis terram radant. Prima junctura ad humerum pertingat, ſecunda ad manicam, ùt ſuprà. Ipſa verò tunicæ manica, quoad longitudinem ad extremitatem digitorum attingat, quod verò ad latitudinem, tantæ ſit capacitatis, ut ambos pugillos recipere valeat, nec amplius. Et qui huic Conſtitutioni contrafecerit, tunicas ipſas amittant. Non habeant prætera Monachi noſtræ Congregationis etiam Prælati ampliùs, quàm duas cucullas, ac binas Tunicas: & ſi quis plures habuerit, auferantur ab eo per Prælatos, ac Communitati applicentur. Cætera omnia veſtimenta, in omnibus ſimplicitatem redoleant & fiant ſecundùm antiquas conſuetudines ſine globulis, & occellis, ſeu uncinulis, & orbiculis; & nihil ſæculare omnino ſapientes. Caligæ ſimiliter, ac perizomata, ſeu femoralia nec minimum quid ſapiant ſenſualitatis, aut conformitatis cum ſæculo; nec ex alio quàm ex lana & lino, ullô pactô ſub graviori pœna fiant: quamquam perizomata ſatiùs foret, non niſi, cùm equitatur, illa ferre. Et quoniam ſunt aliqui, quos non pudet pallium cum collari ferre more ſæcularium, cum globulis ſericis, & hujusmodi vanitatibus, præcipiunt hæc omnia ab uſibus noſtris ammoveri. Et ſi qui deinceps inventi fuerint hujusmodi palliis uti, ultra amiſſionem eorum graviùs à Prælato puniantur. Mandant præterea Patres, ut non ſolùm, quæ dicta ſunt, mira fulgeant ſimplicitate, ſed & reliqua omnia, quæ in uſum noſtrum veniunt, & domi, & foris, dum equitamus, ùt ſunt pilei, cothurni, pallium itinerarium, calcearia, pera coriacea, ornamenta equorum, & hujusmodi: ne ſimus deriſui cernentibus, & noſtram hujusmodi vanitatibûs dedecoremus Religionem. Galeri noſtri tam ex palea, quàm lanei valorem quatuor Juliorum ſinguli non excedant, nec addantur eis ullô pactô ornamenta ſericea. Vitetur etiam omnis ſuperfluitas, & pretioſitas in ſupellectili: nec liceat alicui Monacho cellam ornare quôcumque pannô, niſi fortè lineô viridis coloris aut cæleſtis, non tamen quippiam ſericum ullo pacto permitti poterit in Cameris, nec etiam in domibus hoſpitum, ſed tantummodo id liceat in Eccleſia, & circa cultum divinum; Si quis verò ob ætatem ſenilem aut complexionem frigidam veſte pellicea indigeat, non ei denegetur: verumtamen è pellibus ſilveſtrium animalium, & nobilioribus non fiant, nec permittantur. Et cui tales veſtes pelliceæ tribuuntur, non dentur pro illo anno alia veſtimenta. Accipientes autem nova veſtimenta, videlicet cucullam, vel tunicam, intra octo dies lota & munda omnino reſtituant vetera ſecundùm Regulam. Contrafacientes priventur rebùs novîs quousque reſtituant vetera. Ordinârunt denique ad omnium dictorum majorem obſervantiam, ut Prælatus unacum Decanis Monaſterii, tribus ſaltem vicibus in anno viſitet diligenter omnes cellas Monaſterii, & ſi quem invenerint quippiam habere contra harum Conſtitutionum diſpoſitionem, auferatur ab eo, & graviùs puniatur. Præcipuè verò puniri acriùs volunt, qui ſubuculas, ſeu camiſias lineas habere, vel ferre deprehenſus fuerit: nam laneas tantummodo geſtare debemus, quæ usque ad medium crurium pertingant. Tunicæ cingi non poſſint ſub gravi pœnâ niſi corrigiis coriaceîs, & habitus non cingatur niſi cingulô laneô ex pannorum extremitatibus deſumptô. Fratribus, qui intra annum mutantur, provideat utrumque Monaſterium à quo & ad quod pro rata veſtimentorum, & temporis. Qui Fratres non poſſint habere, neque tenere ad uſum ſuum ultra quatuor tunicellas, & tria Scapularia, præter illud, quod nocte deferimus. Converſis omnibus noſtræ Congregationis locô cucullarum fiant à Prælatis, juxta veterem conſuetudinem planetæ, quæ ſint ſupra terram per quartam partem minus brachii, & omnino ſine rugis. Quæ quidem planetæ quoad latitudinem non excedant ullô pactô manus: nec fiant ex dicto Scoto vel aliis ſimi-

ſimilibus. Omnia ſupradicta veſtimenta, ut omnis proprietatis auferatur occaſio, teneantur Prælati dare ſuis Monachis revera, & in facto, non autem in pecuniis ſub pœoa privationis activæ vocis, & paſſivæ per quinquennium.

De Menſa Abbatis.

CAPITULUM LVI.

Menſa Abbatis cum hoſpitibus & peregrinis ſit ſemper. Quoties tamen minùs ſunt hoſpites, quos vult de Fratribus vocare, in ipſius ſit poteſtate. Seniorum unum tamen aut duos ſemper cum Fratribus dimittendos procuret propter diſciplinam.

Experientia rerum Magiſtra dilucidè ſatis oſtendit, quod ibi meliùs ſacræ Religionis cæremoniæ ac reliqua omnia ad Monaſticam vitam ſpectantia ſervantur, ac diligentiùs cuſtodiuntur, ubi Prælati præſentia adeſt. Quapropter ordinârunt Patres, quod non hujus obſtante Capituli doctrina, Prælati noſtræ Congregationis ſtudeant ſemper, & ubique cum ſuis eſſe Monachis, nedum in Choro, ſed & in menſa commuoi, niſi fortè ad debitum officii interdum cum hoſpitibus eos comedere oporteat. Siquidem & Pater carnalis in una, & eadem cum ſuis Filiis menſa comedens non ſolùm majorem erga illos miniſtrat dilectionis affectum, eisdem cibis cum eis utens, ſive boois, ſive malis: verùm etiam facit, ut modeſtiùs ſe habeant. Nec obſtat, ſi tempore Divi Patris Benedicti ſeorſum ab aliis Abbates comedebant, quoniam id forſan fieri poterat ob hoſpitum multitudinem undique adventantium, aut ob aliquam aliam cauſam, quæ modò non militat. Sed tamen eis vetitum non erat, ſi voluiſſeot communem etiam menſam ſequi. Cùm hoc itaque Divi Patris Beoedicti eſſet permiſſio, non præceptio: oullum erit propterea modò abſurdum, ſi Patres juſtis de cauſis hanc tollunt permiſſiooem, & volunt Abbatem, quoad fieri poteſt, menſam communem frequentare. Sic etiam & Chriſtus ſuis cum diſcipulis, fere ſemper cibum ſumebat.

De Artificibus Monaſterii.

CAPITULUM LVII.

Artifices, ſi ſunt in Monaſterio cum omni humilitate, & reverentia faciant ipſas artes, ſi tamen juſſerit Abbas. Quòd ſi aliquis ex eis extollitur pro ſcientia artis ſuæ, quòd videatur aliquid conferre Monaſterio, hic talis evellatur ab ipſa arte; & denuo per eam non tranſeat: niſi fortè humiliato ei iterum Abbas jubeat. Si quid verò ex operibus artificum venundandum eſt, videant ipſi, per quorum manus tranſigenda ſunt, ne aliquam fraudem Monaſterio præſumant inferre. Memorentur Ananiæ & Saphyræ, ne fortè mortem, quam illi in corpore pertulerunt, hanc iſti vel omnes, qui aliquam fraudem de rebus Monaſterii fecerint, in anima patiantur. In ipſis autem pretiis non ſubrepat avaritiæ malum; ſed ſemper aliquantulum viliùs detur, quàm ab aliis ſæcularibus datur, ut in omnibus glorificetur Deus.

Etſi Capitulum hoc nulla videtur egere declaratiooe, cùm pauci admodum Artifices in præſentiarum in noſtris Monaſteriis reperiantur: nihilomious pro illis paucis, qui adſunt, ſtatuerunt Patres, quòd io omnibus præſcriptum Capitulum obſervetur, ut omnis ſuperbiæ occaſio tollatur. Curent præterea hujusmodi Artifices, ut in venditione ſuorum operum nullam fraudem committant, aut dolum, & res ſuas viliori pretio tribuant, quàm facerent ſæculares. Hortaotur verò Prælatos, ne ſe faciles præbeant in diſpenſatione Chori, aut aliorum exercitiorum ad divinum cultum ſpectantium cum hujusmodi artificibus, qui Clerici eſſent; niſi fortè aliquaodo juſtis de cauſis. Vetant præterea, ne aliquis artifex noſtræ Congregationis mittatur ad aliquod operandum in domibus ſæcularium extra Monaſterium, oiſi fortè interdum vocaretur, & ad horam, ut (exempli gratiá) Inſtrumentum aliquod in harmoniam reduceret, & ex diſſonanti cooſonum redderet, aut quid ſimile ageret. Nihil iidem vendere, aut ullo modo diſtrahere valeant, ſine expreſſa Prælati liceotia. Et cùm rem aliquam de tali licentia vendiderint, ſtatim afferant pretium ad pedes Prælati, juxta Regulæ præceptum. Et ſi iodigeant emere aliquid pro uſu ſuarum artium, petant ab ipſo Prælato, & dum accipiunt, humiliter inclinando dicant: *Benedictus Deus*

in

in donis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum Amen. Quod idem Monachi dicant ſemper pro gratiarum actione, ubi quid à Prælato ipſo, vel Monacho acceperint. Nullus præterea audeat ſub graviori pœna impreſſioni quippiam tradere nec ſuum nec alienum, niſi de licentia Patris Generalis, aut Vicarii Provinciæ, & ultra hoc de licentia Reverendorum Inquiſitorum, aut Ordinarii, juxta Decretum ſacri Concilii Tridentini. Similiter nullus, nec pro ſe nec pro aliis aliquod edat, ſeu componat, tam metrô, quàm ſoluta oratione, in quo quippiam vel minimùm laſcivientis, aut minus religioſi animi deprehendi poſſit, aut quæ maledicentiæ, vel mordacitatis, aut ſcurrilitatis aliquid contineant ſub gravioribus pœnis à Prælato injungendis. Sed magis, qui hujusmodi donum à Deo receperunt, in rebus ſpiritualibus, ac devotis id expendant, vel ſaltem in his ſtudiis, quæ poſſint aliquam hominibus utilitatem afferre, ut ſunt hiſtoriæ, vitæ hominum illuſtrium, opera ad linguas ſpectantia, & hujusmodi, quemadmodum Hieronymum, Antonium, & alios multos factitaſſe comperimus. Nullus item venationi, aut aucupationi vacet, cùm hæc Religioſis à ſacris Canonibus inhibebantur. Nullus quærat Principibus Sæculi ſe gratum exhibere, ſcurram, vel joculatorem agens: Nihil enim à Religioſo viro magis alienum eſſe debere videtur. Nullus artibus Divinatoriis ullô pactô incumbat, nihil iis facultatibus, quæ à ſacris Canonibus, & Decretis interdicuntur, ùt ſunt Chiromantia, Geomantia, & hujusmodi. Nullus item noſtri Ordinis Monachus, ſive tanquam reus, ſive Actor pro aliquo ſæculari dicat apud judices, vel Magiſtratus cauſam ullô pactô, nec ſimiliter cujusvis hominis, etiam Principis poſſit eſſe negotiorum geſtor. Et qui in horum aliquo contrafecerit, graviùs puniatur. Similiter non liceat alicui Profeſſo noſtræ Congregationis publicè legere, nec etiam Lectiones audire in aliquo ſtudio Generali, aut alibi extra Monaſteria noſtra ſub graviſſimis pœnis ad arbitrium Patris Generalis, & Viſitatorum.

De Diſciplina ſuſcipiendorum Fratrum.

CAPITULUM LVIII.

N*Oviter ſi quis veniat ad converſionem, non ei facilis tribuatur ingreſſus. Sed ſicut ait Apoſtolus:* Probentur Spiritus, ſi ex Deo ſunt. *Ergo ſi veniens perſeveraverit pulſans, & illatas ſibi injurias, & difficultatem ingreſſus poſt quatuor aut quinque dies viſus fuerit patienter portare, & perſiſtere petitioni ſuæ, annuatur ei ingreſſus, & ſit in cella hoſpitum paucîs diebûs. Poſtea autem ſit in cella Novitiorum, ubi meditetur, & manducet, & dormiat. Et Senior ei talis deputetur, qui aptus ſit ad lucrandas animas, qui ſuper eum omnino curiosè intendat, & ſollicitus ſit, ſi verè Deum quærit: ſi ſollicitus eſt ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. Prædicentur ei dura, & aſpera, per quæ itur ad Deum: & ſi promiſerit de ſtabilitatis ſuæ perſeverantia, poſt duorum menſium circulum legatur ei hæc Regula per ordinem, & dicatur ei. Ecce lex, ſub qua militare vis, ſi potes obſervare, ingredere: Si verò non potes, liber diſcede. Si adhuc ſteterit, tunc ducatur in ſupradictam cellam Novitiorum, & iterum probetur in omni patientia. Et poſt ſex menſium circulum relegatur ei Regula, ut ſciat, ad quid ingreditur. Et ſi adhuc ſtat, poſt quatuor menſes iterum relegatur ei eadem Regula. Et ſi habitâ ſecum deliberatione promiſerit ſe omnia cuſtodire, & cuncta ſibi imperata ſervare, tunc ſuſcipiatur in Congregatione ſciens ſe ſub lege Regulæ conſtitutum, quod ei ex illa die non liceat egredi de Monaſterio, nec collum excutere de ſub jugo Regulæ, quam ſub tam moroſa deliberatione licuit recuſare, aut ſuſcipere.*

Suſcipiendus autem in Oratorio coram omnibus promittat de ſtabilitate ſua, & converſione morum ſuorum, & obedientia coram Deo & ſanctis ejus, ut ſi aliquando aliter fecerit, ab eo ſe damnandum ſciat, quem irridet. De qua promiſſione ſua faciat petitionem ad nomen Sanctorum, quorum reliquiæ ibi ſunt, & Abbatis præſentis. Quam petitionem manu ſua ſcribat, aut certè ſi non ſcit literas, alter ab eo rogatus ſcribat, & ille Novitius ſignum faciat, & manu ſua eam ſuper Altare ponat. Quam cùm poſuerit, incipiat ipſe Novitius mox hunc verſum. Suſcipe me Domine ſecundùm eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab expectatione mea. *Quem verſum omnis Congregatio tertiò reſpondeat, adjungentes,* Gloria Patri. *Tunc ipſe Frater Novitius proſternatur ſingulorum pedibus, ut orent pro eo: & jam ex illa hora in Congregatione reputetur. Res, ſi quas habet, aut eroget prius pauperibus aut facta ſolemniter donatione, conferat Monaſterio, nihil ſibi reſervans ex omnibus, quippe qui ex illo die nec proprii corporis poteſtatem ſe habiturum ſciat. Mox ergo in Oratorio exuatur rebûs propriîs, quibus veſtitus eſt, & induatur*

rebus Monaſterii. Illa autem veſtimenta, quibus exutus eſt, reponantur in Veſtiario conſervanda: ut ſi aliquando ſuadente diabolo conſenſerit, ut egrediatur de Monaſterio (quod abſit) tunc exutus rebus Monaſterii projiciatur. Illam tamen petitionem, quam deſuper Altare Abbas tulit, non recipiat, ſed in Monaſterio reſervetur.

Si in conficiendis negotiis alicujus momenti, magnâ uti convenit ſolertiâ, & attentione: In hoc uno, de quo in præſenti Capitulo agitur, oportet uti maximâ, & pluſquam communi. Raro ſiquidem evenit, ut bonæ plantationes, ſi rectè fuerint cuſtoditæ, degenerent, & expectato careant fructu, quemadmodum è contra malæ malos fructus, ut plurimum, etiamſi aliquâ diſciplinâ excultæ fuerint, afferant, & producant. Sed dato etiam, quod hæc Regula aliquoties falleret, non propterea eſſe debent in hac parte Præſules ſomniculoſi, ac minùs diligentes, in recipiendo ad habitum juvenes, undecunque venientes. Præcipiunt itaque Patres, ut Capitulum hoc Regulæ, cum declarationibus, quos modo ſubinſerimus, inviolabiliter obſervetur.

Primùm itaque curabit Prælatus, antequam in Monaſterium recipiatur aliquis juvenis, qui petat habitum, & inter noſtros connumerari, diligenter ſcire, cujus ſit Filius, cujus famæ fuerint Parentes, cui arti vacaverit puer usque ad illum diem, quam ætatem habeat, & utrùm ſit ſanus mente, ac corpore. Et ſi ſuper his bonam retulerint informationem, qui fuerint de hoc interrogati, recipiatur puer in Monaſterium, ut hoſpes tamen, & in Domo hoſpitum ſub cura alicujus Senioris ad tres, vel quatuor dies teneatur. Quò ſanè dierum interſtitiò facilè ex ſermonibus ejus, ac moribus, & actionibus conjecturari poterit, qualis futurus ſit in habitu Religioſo, & an bono ſpiritu ducatur, nec ne. Quod ſi in dicto tempore bonam de ſe expectationem excitaverit, tum Prælatus de conſilio Seniorum, tradat eum Magiſtro Novitiorum, & per menſem adhuc in tyrocinio, & habitu Laicali probetur, comedens in menſa communi cum aliis, ac Chorum frequentans. Tranſacto denique menſe, in quo proponatur ei Regula, ut eam benè legat, ac diligenter conſideret; ſi ejusdem fuerit animi, ac voluntatis, & Seniores eandem de ipſo ſpem retinuerint, proponatur à Prælato in communi Capitulo. Et ſi à majori parte ultra medietatem receptus fuerit, ſanctæ Religionis habitu induatur, dummodo decimum quintum ſaltem annum attingat. Et ſi Clericus eſſe debet, ita in Gramaticalibus ſit inſtructus, ut benè de ipſo quoad ſcientiam ſperari poſſit. Verùm ſi in dicto tempore unius menſis levem ſe ac minùs conſtantem præſtiterit, vel parùm religiosè converſatus fuerit, vel indicia dederit ſuperbi ac vitioſi animi, cum pace ad ſuos remittatur. Hi verò, qui ſancto induti fuerint habitu, ſub cura diligentis Magiſtri à Prælato tradantur, qui non minùs exemplô, quàm verbô, & doctrinâ aptus ſit in via Dei, & inſtitutis Religionis eum ædificare.

Si in anno probationis Novitius aliquis notabile aliquod delictum commiſerit, vel ob incultos ſuos mores, & parùm virtuoſam vitam id commeruerit, Prælatus de conſilio Seniorum veſtimenta ſua laicalia, quæ in communi Veſtiario usque ad profeſſionem aſſervari debent, illi reddens domum eum remittat. Qui verò benè ſe geſſerit in tyrocinio, poſt annum probationis priùs inter Seniores, deinde in communi Capitulo coram Fratribus à Prælato recipiendus ad Profeſſionem proponatur. Et poſt ubi Magiſter ea, quæ de ipſo habuerit dicere, retulerit, egrediatur à Capitulo, ut liberè, ſi qui aliquid dicere de tali recipiendo voluerint, aliquid dicere valeant. Foras, inquam, & extra Capitulum egrediatur, etiamſi ipſe Prælatus. Deinde vota Fratrum, ac ſuffragia diſquirantur, & ſi à majori parte vocalium ultra medietatem fuerit receptus, pro profeſſo habeatur. Deinde octo vel decem diebùs elapſis, in Miſſa poſt Tertiam à Prælato habitum noſtræ Congregationis verum, nempe cucullam donetur, & profeſſionem ſuam cum iis cæremoniis faciat, quæ alibi notatæ ſunt. Quam Profeſſionem declaramus juxta ſacri Concilii Tridentini Decreta fieri non debere ante ſextum decimum annum completum: & ſi ante fiat, nullam eſſe, ſed irritam & inanem.

Qui verò Profeſſionem fecerit, adhuc (ita præcipiunt Patres) ſub cura Magiſtri tres alios annos manere debet, ita ut nulli liceat, ante quatuor annos à receptione habitus è tyrocinio, quod Novitiatum dicimus, egredi: niſi fortè ob cauſam aliquam urgentem, & de conſenſu Patrum Deffinitorum, vel cùm ob ætatem grandævam ante illud quadriennium Sacerdos fieret. Nemo verò putet, nos ſacris Regulæ Conſtitutionibus contraire, dum Novitios per menſem duntaxat in Laicali habitu detinemus, & non per annum, quemadmodum tempore Divi Benedicti: quoniam

vice

vice unius actionis, quæ tum temporis fiebat, nimirum tradendi habitum, & in ſimul ad Profeſſionem recipiendi, nos duas diſtinctas actiones facimus, tradendo primitus habitum, deinde annò revolutò recipiendo ad Profeſſionem. Non enim condecet modò, cùm Monaſteria ſint intra urbes, videre Laicum inſimul cum Monachis vitam per annum degere, cum illis pſallere, comedere, pernoctare. Quamobrem ſapienter Patres jam à pluribus annis Conſtitutionem illam Regulæ, ùt diximus, immutârunt. Profeſſio autem in noſtra Congregatione fiat hôc pactô.

„ Ego Frater talis, de tali loco, promitto ſtabilitatem meam, & converſionem morum meorum, & obedientiam ſecundùm Regulam ſancti Benedicti, & Statuta Camaldulenſis Ordinis in Congregatione ſacræ Eremi, & ſancti Michaelis de Murano, coram Deo, & Sanctis ejus in præſentia Reverendi in Chriſto Patris D. talis, de tali loco, Abbatis hujus Monaſterii, & aliorum Fratrum. Anno Domini &c.

Ut autem de officio Magiſtri Noviticrum, non nihil dicamus, ejus partes ſunt, in anno probationis ea omnia ſervare circa Novitios, quæ in priori parte ſupradicti Capituli Regulæ continentur, ne aliquando excuſare ſe poſſint tyrones, & ignorantiam prætendere, quòd videlicet non ſciêrint, ſe tot & tanta ſervaturos. Doceat igitur eos non propriam, ſed ſuorum Superiorum voluntatem facere debere, caſtè, & purè vivere. Nihil proprium, & quod non ad Prælati nutum parati ſint reſignare, poſſidere. Cordis humilitatem, ac corporis amplecti. Pacem cum omnibus habere. Revereri ſenes. Cum æqualibus mites eſſe. Omnes diligere. In Eccleſia ſolliciros eſſe, & attentos. In Gymnaſio ſtudioſos. In obedientia promptos, & ubique compoſitos, ac devotos. Et ut hæc omnia facilius ipſi obſervent diſcipuli, ſtudeat ipſe priùs ea effectui mandare, ut ſic cum Domino dicere bono animo valeat. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Studeat etiam Magiſter facere, ut ſui Tyrones à teneris aſſueſcant eſſe, non ſolùm extra, ſed etiam in cella, & lectulis, & ubique verecundi, modeſti, & decenti munditiâ præditi. Quoties indumenta mutare voluerint, ſemper ſummâ vigilantia attendant, ut, quantocius poterunt, hoc efficiant. Sine habitu & Scapulari etiam in ſecreto, non ſine maxima urgente neceſſitate, audeant immorari. Caveant etiam, ne aut lavando, aut menſæ ſerviendo, aut pavimenta verrendo, aut quid aliud ſimile agendo, ita ſe diſcooperiant, ut verenda poſſint videri, etiam ſemolaribus cooperta. Hoc autem facillimè fiet, ſi cùm opus eſt hujuſmodi ſervitia peragere, ſe linteo præcingent, & quodcunque & Novitii, & Monachi faciant, quodcunque operentur, nunquam ſolos ſe eſſe exiſtiment, ſed in præſentia multorum Angelorum, qui honeſta, & decenti eorum compoſitione maximè delectantur. Et non minùs Dæmones ſemper adeſſe credant, qui eorum inhoneſtam, aut indecentem habitudinem ſubſannantes lætentur, & irrideant. Illud pro certo noverint juvenes, quod niſi in cella aſſueti fuerint honeſtatem, ac decentem compoſitionem, & gravitatem ſervare, illam nunquam in hominum præſentia poterunt cuſtodire. Sed qualis unuſquiſque ſecum in cella fuerit, talis etiam vel invitus ſeſe in præſentia hominum exhibebit. Cellam præterea ipſam, & omnia utenſilia in ea ita compoſita, & ordinata, ac munda habere aſſueſcant, ut neque confuſa, & inordinata, aut ſordibûs polluta magnam arguant negligentiam: neque etiam nimium accuratè nitida, ac terſa, fœminilem mollitiem oſtendant. Ad hæc, inquam, obſervanda in primis ſuos aſſueſaciant diſcipulos Præceptores, quoniam ùt plurimùm, quem ſemel fuerint imbuti recentes, ſervabunt odorem. Caveant etiam Magiſtri, imò & Prælati, ne in eo, ob quod alios corrigere, ac reprehendere volunt, rei dicantur, quoniam cujus vita deſpicitur, neceſſe eſt, ut etiam admonitio facilè contemnatur. Iidem provideant, ut in cella Novitii neceſſaria, atque opportuna omnia habeant, & quotidie, quibûs indigeant, miniſtrentur. Similiter de divino officio, de Regularibus Inſtitutionibus, de ſolitudine ſervanda, & perſonarum frequentia fugienda: de paupertate, caſtitate, & obedientia plenè amanda, & cuſtodienda: de dilectione, meditatione, & oratione: de ſtabilitate in cella, de jejunio, & abſtinentia, de ſilentio, & aliis omnibus Monaſticis conſuetudinibus eos inſtruant: potiſſiméque humilitatem cordis, & corporis, exterioremque compoſitionem ſervare non tantùm verbis, quantùm exemplò doceant. Minùs enim efficax eſt verborum inſtructio, niſi doctoris fuerit in exemplo confirmata.

Quod ad Converſos attinet, poſt ubi etiam ipſi, antequam habitum ſuſcipiant, probati modò ſupradictô fuerint, recipiantur, & habitu Noviriorum induantur. Et annò probationis elapsô, priùs inter Patres ac Seniores, deinde modò ſupradictô, in communi Capitulo à majori parte

parte recepti ad ſacram admittantur profeſſionem, in qua eis à Prælato in Capitulo de more caſula, ſeu planeta radetur, & habitus cinguló coriaceo cingatur, & poſtremò ad amplexum pacis admittentur. Declararunt etiam juxta Majorum Conſtitutiones, Converſos antedictos Fratres vocari debere, ac eſſe, omnibúſque Gratiis, & Privilegiis gaudere, ſicuti & Clerici gaudent. Idémque de Commiſſis etiam intelligi volunt. Fratres itidem Converſos participes eſſe volunt omnium bonorum ſpiritualium, quæ fiunt in Congregatione: dummodo & ipſi locô divini officii ſua *Pater noſter* & *Ave Maria* perſolvant. Nempe pro Matutinis, ſeu Vigiliis quadraginta *Pater noſter*, pro Laudibus Decem, & pro qualibet alia hora Canonica quinque. Quoad Suffragia Mortuorum, pro anima cujuslibet Fratris defuncti noſtræ Congregationis, etiamſi ſit Converſus, aut Commiſſus, & pro qualibet Moniali dicent Sacerdotes tres Miſſas: Clerici autem non Sacerdotes tribûs vicibûs Officium Mortuorum. Converſi verò, & Commiſſi trecenta *Pater noſter*, & totidem *Ave Maria*. Quod ad locum ſecundùm ordinem profeſſionis poſt omnes Monachos Clericos ſua loca inter ſe ſervabunt: & in Refectorio ſeparatam menſam habebunt, eosdem tamen cibos, ùt alii, comedent. Omnibùs diebûs, tam Feſtis, quàm ferialibûs teneantur, & ipſi iidem converſi ſurgere ad Matutinas, niſi fortè ſenio, infirmitate, vel gravi officio impediantur: & in Choro in locis ſuis poſt Novitios, vel alibi audituri conſiſtere. Similiter teneantur diebûs Feſtis intereſſe Veſperis in Choro, niſi fortè in aliquo negotio à Prælato fuerint occupati, vel ad cuſtodiam Monaſterii, & ad januam poſiti eſſent.

Ut autem hæc omnia addiſcere, & obſervare valeant, aſſignetur Novitiis Converſis à Prælato peculiaris Magiſter & Confeſſarius, ut eos de his omnibus frequenter admoneant, ut ſic vel aliquam Religionis formam ipſi etiam nacti eſſe videantur.

Converſi poſt profeſſionem, ſi aliquô pactô deliquerint, ùt alii profeſſi, emendentur, & puniantur. At verò Commiſſi, ſi vitioſam duxerint vitam, poſſint à Prælato de conſilio Seniorum (ſi emendatio non ſperatur) habitu Religionis exuti à Monaſterio licentiari. Ad hos enim tam recipiendos, quàm licentiandos non requiritur aſſenſus totius Capituli, ſed tantùm Seniorum, & Patrum. Placet Patribus, ut Prælatus poſſit Converſis, qui legere ſciant, dare licentiam Officiolum Virginis dicendi locô ſuorum *Pater noſter*; & ſimiliter Officium Mortuorum. Verùm illud in propriis cellis perſolvant, aut in aliquo alio loco repoſito, ne fortè ſpiritu ſuperbiæ tententur, aut admirationem alicui ingerant, vel ſcandalum.

Vetuerunt præterea, ne aliquis Converſus permittatur fieri Sacerdos, vel Clericus: eô enim quis redditur indignus, & tantô munere, cùm illud præſumptuosè quærit, & non vocatus Majorum imperio, imò ipſis invitis ad tantum gradum nititur aſcendere. Quicunque autem per viam extraordinariam (quemadmodum aliquando contingit) id muneris nanciſceretur, & Sacerdos vel Clericus fieret absque ſuorum Prælatorum licentia, veluti fur, & latro (cùm per oſtium non intraverit) ceuſeatur, & in noſtra Congregatione nunquam niſi pro Converſo recipiatur. Et ſi redeat, aliis quoque gravioribus pœnis mulctetur. Neque poſſit ad celebrandum habilitari, niſi à Deffinitorio per tria Capitula ſucceſive celebrata & conformia. Et prioribus quinque annis à ſua reverſione in Congregatione ultimum locum teneat inter Converſos, & ſit omnium noviſſimus, nec vocetur Domnus, ſed Frater, ut alii Converſi, & Clerici non Sacerdotes. Quod ſi quis eum Domnum vocaverir, dicat de eo ſuam culpam in Capitulo coram omnibus.

Si quis Novitius Clericus, vel Converſus infra añum probationis habitū abjiciens receſſerit, vel ob ſua demerita à Patribus expulſus fuerit, non audeat Prælatus ejusdem Monaſterii, neque alicujus alterius noſtræ Congregationis ipſum ſic diſceſſum, vel expulſum denuo recipere, niſi de licentia ſpeciali Patrum Deffinitorum. Idem quoque fieri mandant circa eos, qui alterius Religionis Novitii fuerint. Quòd ſi Prælatus contrafeceris, per tres annos in pœnam in electione Deffinitorum in Capitulo ſit privatus voce tam activa, quàm paſſiva. Teneantur omnes & ſinguli Fratres Converſi, ac etiam Commiſſi quotidie, antequam manum ſuis exercitiis apponant, Miſſam audire: nec id prætermittant quâvis de cauſa, cùm ſcriptum ſit. *Primùm quærite Regnum Dei &c.* Et qui ſecus fecerint, ad arbitrium Prælati puniantur. Electio Magiſtri Novitiorum ad Prælatum ſolum pertinebit, qui diligentiùs conſideret, cui parvi ſui gregis curam committit. Cùm revera nullum videatur Officium in Religionibus Magiſterio Novitiorum difficilius, ac majoris momenti. Et ſi inveniri quidam poſſet, talis ad id mune-

muneris obeundum deligendus eſſet, qui (uti Erhnicus ille cecinit) eſſet integer vitæ, ſceletiſque purus : Imò verò, ùt Pſaltes ait, *innocens manibus, & munde corde.*

De Filiis Nobilium, vel Pauperum, qui offeruntur.

CAPITULUM LIX.

SI quis fortè de nobilibus offert Filium ſuum Deo in Monaſterio : Si ipſe puer minori ætate eſt, parentes ejus faciant petitionem, quam ſuprà diximus, & cum oblatione ipſam petitionem, & manum pueri involvant in palla Altaris, & ſic eum offerant. De rebus autem ſuis, aut in præſenti petitione promittant ſub jurejurando, quia nunquam per ſe, nunquam per ſuſpectam perſonam, nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occaſionem habendi. Vel certè, ſi hoc facere noluerint, & aliquid offerre voluerint in eleemoſynam Monaſterio pro mercede ſua, faciant ex rebus, quas Monaſterio dare volunt, donationem, reſervato ſibi ; ſi ita voluerint, Uſufructuario. Atque ita omnia obſerventur, ut nulla ſuſpicio remaneat puero, per quam deceptus perire poſſit (quod abſit) quod experimento dicimus. Similiter autem & pauperiores faciant. Qui verò ex toto nihil habent, ſimpliciter petitionem faciant, & cum oblatione offerant Filium ſuum coram teſtibus.

Hoc Capitulum Regulæ non videtur multa egere declaratione, cùm jam dictum ſit, nullum recipi debere ad habitum, qui ſit minor quindecim annorum, non enim modò, uti temporis D. Patris Benedicti, parvuli à Parentibus imbuendi ſacris moribus noſtris Monaſteriis traduntur. Et quidem ſacroſanctum Tridentinum Concilium prudenter egit, inhibens, ne quis ante decimum ſextum annum expletum faciat profeſſionem. Si namque cum pueris Regularis obſervantiæ rigor non flecteretur, facilè infirmarentur, aut debiles fierent, & minimè ſecundùm corpus, & pro ætate perficerentur. Si verò ſacræ Religionis auſteritates cum eis diſpenſarentur, jam Monaſticam obſervantiam minui, quis non videat ? quod ad nobilitatem in noſtra Congregatione abſque ullo diſcrimine tam nobiles, quàm ignobiles, & humilì nati locò recipiuntur, dummodo cætera adſint, & benè educati ſint, & cum timore Dei. Nam & Chriſtus humilì natus eſt locò ſcilicet apud Bethlehem in præſepio, & pauperes, & piſcatores in hoc mundo elegit ſibi diſcipulos, & amicos.

Ubi in Regula dicitur : *Vel certè ſi hoc facere noluerint.* Præcipiunt Patres, quòd nullus ſolò, ac principali reſpectu, aut ſpe diviriarum, vel hæreditatis ullò pactò in noſtra Congregatione recipiatur, ſed habeatur in primis duntaxat ratio bonitatis, morum, ac meritorum. Non enim rerum terrenarum avidirate in domo Dei admitti debent, qui prorſus indigni exiſtimantur, nec ad munera Religionis obeunda ullò modò ſunt aptì. Ubi dicitur : *Ut nulla ſuſpicio remaneat puero &c.* Omni diligentia curetur, ut pueris ad noſtram Religionem tranſeuntibus nulla ſpes amicitiæ, divitiarum, aut cognationis in ſæculo remaneat, per quam poſſint à Divino ſervitio facilè avocari. Idcirco poſt habitûs receptionem eum adhortentur, imò cogant, ut ante profeſſionem renunciarionem faciat omnium, quæ in ſæculo poſſidebat, juxta Decretum ſacri Concilii Tridenrini : & omnino ab omnibus ſæcularibus ſe expediat. Caveat etiam Magiſter ſub graviori pœna, ne permittat quempiam Novitium loqui cum ſæcularibus, niſi ipſe vel alius vice ſui eum comitetur.

De Sacerdotibus, qui voluerint in Monaſterio habitare.

CAPITULUM LX.

SI quis de ordine Sacerdotum in Monaſterio ſe ſuſcipi rogaverit, non quidem ei citiùs aſſentiatur. Tamen ſi omnino perſtiterit in hac ſupplicatione, ſciat ſe omnem Regulæ diſciplinam ſervaturum, nec aliquid ei relaxabitur, ùt ſicut ſcriptum eſt : Amice ! ad quid veniſti ? *Concedatur ei tamen poſt Abbatem ſtare, & benedicere, aut Miſſas tenere, ſi tamen juſſerit ei Abbas. Sin aliàs, nullatenus aliqua præſumat, ſciens ſe diſciplinæ regulari ſubditum, & màgis humilitatis exempla omnibus det. Si fortè ordinationis, aut alicujus rei causâ fuerit in Monaſterio, illum locum attendat, quando ingreſſus eſt Monaſterium, non illum, qui ei pro reverentia Sacerdotii conceſſus eſt. Clericorum autem, ſi quis*

eodem

eôdem deſideriô Monaſterio ſociari voluerit, locô mediocrî collocetur, ſi promittit tamen ipſe de obſervatione Regulæ, vel propria ſtabilitate.

Cùm nunquam conſueverit noſtra Congregatio neque Sacerdotes neque alios, qui fuerint alterius Religionis, recipere, eam conſuetudinem mandant Patres nunc etiam, ac inpoſterum obſervari. Si tamen aliquando quiſpiam literatus, ac bonîs moribûs præditus cum licentia ſuorum Superiorum peteret in noſtram Congregationem tanquam ad ſtrictiorem vitam admitti, recipi poſſit ad probationem, ſed per annum cum proprio habitu maneat. Transactô verò annô, ſi mores, & merita ejus id expoſcerint, fueritque ipſe ejusdemet animi, de licentia Patris Generalis, aut Deffinitoris proponatur Fratribus, & ſi ab eis receptus fuerit (cùm jam per annum ſub Magiſtri diſciplina quamquam in proprio habitu perſeveraverit) ſacro habitu noſtro induatur, & ſimul profeſſionem faciat, uti moris erat tempore Divi Benedicti. Et ſiquidem fuerit Sacerdos, amoveatur à cura Magiſtri, & locum ſuæ profeſſionis inter Fratres Sacerdotes obtineat. Nihilominus qui ante eum profeſſionē fecerint, cùm fuerint & ipſi Sacerdotes, eum præcedant. Si autem Sacerdos non fuerit, manebit ſub cura Magiſtri, ut alii usque ad Sacerdotium ipſum. Hæc autem intelligi debent de Regularibus, nam quoad Sacerdotes ſæculares recipiantur, induantur, ac profiteantur, ſicut & cæteri, qui à ſæculo veniunt. Sint tamen Prælati circa hoc prudentes, ne facilè recipiendo tales Regulares, vel Sacerdotes Laicos offendant, aut ſcandalizent eos, à quibus diſceſſerunt. Cùm autem contigerit Sacerdotes ſeu Presbyteros in tyrocinio recipi, ob reverentiam gradus omnes alios Novitios non Presbyteros antecellent, nullô tamen factô præjudicio quoad profeſſionem.

De Monachis Peregrinis, qualiter ſuſcipiantur.

CAPITULUM LXI.

Si quis Monachus peregrinus de longinquis Provinciis ſupervenerit, ſi pro hoſpite voluerit habitare in Monaſterio, & contentus fuerit conſuetudine loci, quam invenerit, non fortè ſuperfluitate ſua perturbat Monaſterium: ſed ſimpliciter contentus eſt, quod invenerit, ſuſcipiatur, quanto tempore cupit. Si qua ſanè rationabiliter, & cum humilitate charitatis reprehendit, aut oſtendit, tractet Abbas prudenter, ne fortè eum propter hoc ipſum Dominus direxerit. Si verò poſtea voluerit ſtabilitatem ſuam firmare, non renuatur talis voluntas: & maximè, quia tempore hoſpitalitatis potuit ejus vita dignoſci. Quòd ſi ſuperfluus, aut vitioſus inventus fuerit tempore hoſpitalitatis: non ſolùm non debet ſociari corpori Monaſterii: verùm etiam dicatur ei honeſtè, ut diſcedat, ne ejus miſeriâ etiam alii vitientur. Quòd ſi non fuerit talis, qui mereatur projici, non ſolùm, ſi petierit, ſuſcipiatur Congregationi ſociandus: Verùm etiam ſuadeatur, ut ſtet, ut ejus exemplô alii erudiantur, quia in omni loco uni Domino ſervitur, uni Regi militatur. Quem ſi etiam talem eſſe perſpexerit Abbas, liceat eum in ſuperiori aliquantulum conſtituere loco. Non ſolùm autem Monachum, ſed etiam de ſupradictis gradibus Sacerdotum vel Clericorum, ſtabilire poteſt Abbas in majori, quàm ingreditur, loco, ſi ejus talem proſpexerit eſſe vitam. Caveat autem Abbas, ne aliquando de alio noto Monaſterio Monachum ad habitandum ſuſcipiat ſine conſenſu Abbatis ejus, aut literis commendatiis: quia ſcriptum eſt: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Circa Capitulum hoc ſexageſimum primum præcedenti non abſimile ſanxerunt in primis Patres, quòd Monachi peregrini omni charitatis affectu ceu hoſpites in noſtris Monaſteriis recipiantur.

At verò non ita facile in Congregationem admittantur. Siquidem ſunt complures, qui non zelo vitæ, ſed magis levitate quadam ducti, ſeu magis indignatione proprias dimittunt Religiones, & alienas quærunt. Hujusmodi itaque peregrini Monachi, ac Presbyteri, de quorum vita, & moribus nulla certa informatio haberi poteſt, non poſſint recipi inter nos, niſi de licentia Deffinitorii. Imò verò in recipiendis etiam illis, qui de proximo veniunt, maturè procedant Prælati: cùm plerumque tales antiquis eorum moribus minimè renunciantes, cæteris perturbationi, & faſtidio eſſe ſoleant. Quod ad Mendicantes, ſtante Conſtitutione Martini V., qui eos reciperet, eſſet ipſo facto excommunicatus, & ipſe quoque receptus teneretur ad ordinem ſuum redire. Ubi in Regula dicitur: *Quanto tempore cupit*: declarant Patres, quòd Monachi peregrini, ac hoſpites non admittantur, ùt eſt ſupradictum, in noſtris Monaſteriis ultra tres dies. Id enim exigere videntur tempora, in quibus nos in præſentia ſumus.

De

De Sacerdotibus Monaſterii.

CAPITULUM LXII.

SI quis Abbas ſibi Presbyterum, vel Diaconum ordinari petiêrit, de ſuis eligat, qui dignus ſit Sacerdotiô fungi. Ordinatus autem caveat elationem, aut ſuperbiam; nec quidquam præſumat, niſi quod ei ab Abbate præcipitur: ſciens ſe multo magis diſciplinæ Regulari ſubditum. Nec occaſione Sacerdotii obliviſcatur Regulæ obedientiam & diſciplinam; ſed magis ac magis in Deum proficiat. Locum verò illum ſemper attendat, quô ingreſſus eſt Monaſterium, præter Officium Altaris, & ſi fortè electio Congregationis & voluntas Abbatis pro vitæ merito eum promovere voluerit. Qui tamen Regulam à Decanis, vel Præpoſitis conſtitutam ſibi ſervandam ſciat. Quòd ſi aliter præſumpſerit, non ùt Sacerdos, ſed ut rebellis judicetur. Et ſæpe admonitus, ſi non correxerit, etiam Epiſcopus adhibeatur in teſtimonium. Quod ſi nec ſic emendaverit, clareſcentibûs culpîs projiciatur de Monaſterio: Si tamen talis fuerit ejus contumacia, ut ſubdi, aut obedire Regulæ nolit.

Quod ad Sacerdotes Monaſterii nolunt Patres, ùt, cùm mittendi ſunt juvenes ad ſacros Ordines ſuſcipiendos ea omnia quoad mores, doctrinam, & ætatem ſerventur, quæ in Concilio ſacro Tridentino notata ſunt. Nullum præterea Prælatus mittere poſſit, niſi de Seniorum conſilio, & approbatione: quorum conſcientias gravant nunc Patres, ſi vel odio, vel amore à juſtitia deviantes quempiam indignum admiſerint, vel dignum, & idoneum amovere, ac rejicere præſumpſerint. Prius itaque in Monaſterio tales promovendi examinentur circa ætatem, mores, & doctrinam. Et ſi idonei reperti fuerint, tum ad Epiſcopum transmittantur cum aliquo Seniore. Nullus abſque licentia Patris Generalis ad aliquem Ordinem ſacrum promoveri poſſit, niſi tantùm ad quatuor minores, ad quos ſuſcipiendos ſufficiat licentia Prælati ſui ordinarii cum conſilio Seniorum.

Ad Sacerdotium verò nullus promoveatur, niſi poſt decennium à receptione habitûs noſtri, niſi fortè cum aliquo diſpenſetur per Patres Deffinitores. Præcipiunt etiam Prælatis omnibus noſtræ Congregationis, quòd, quando cantantur Miſſæ novellæ, non permittant fieri invitationes, neque oblationes ſolemnes, ſed cum ſimplicitate magis, ac devotione ea omnia fiant, ùt Religioſos decet. Qui verò ſecus fecerit, graviorî pœnâ puniatur.

Quicunque per viam extraordinariam, aut fraudem ordinem aliquem ſacrum indignus, & non præſcripto ſervato ordine ſuſceperit, detecta ejus fraude ſuſpendatur, nec poſſit tali officio fungi, quoad viſum fuerit Patri Generali. Et Prælati, qui hujusmodi indignos ſcienter ordinari permiſerint, per biennium omni regimine ſint privati. Ad confeſſiones verò audiendas, præcipuè ſæcularium diligentiſſimè caveant Prælati, ne tales exponant, qui eo munere ſint indigni, ſed viros duntaxat probatos, bonos, & doctos, qui ſciant morbis animarum ſalutarem adhibere medicinam, præſertim conſiderantes, quod, qui non ſunt in quibusdam caſibus maximè periti, facillimè cæſpitare poſſint. Et quamquam ob Privilegia Facultatem Epiſcopalem in abſolvendis peccata habere videamur, nihilominus parcè, & cum moderatione eâ uti debemus: ne anſam peccatoribus recidendi obtentu novæ abſolutionis demus. Pro Confeſſionibus autem nihil omnino petere audeant Fratres noſtri, imò nec, ſi offerantur, accipiant. Si tamen aliquando quidpiam recipere cogantur, ſtatim illud Sacriſtæ reſignent, vel Prælato. Et qui ſecùs feciſſe deprehenſus fuerit, ejus in pœnam officiô privetur. Denique circa dictas confeſſiones, communiones, celebrationes Miſſarum, ſepulturas, & hujusmodi, ſint in Monaſteriis noſtris, & Eccleſiis juxta morem Privilegiorum felicis recordationis Leonis X., multorúmque aliorum Summorum Pontificum.

De

De Ordine Congregationis.

CAPITULUM LXIII.

ORdines ſuos in Monaſterio ita conſervent, ut converſionis tempus, & vitæ meritum diſcernit, vel ut Abbas conſtituerit. Qui Abbas non conturbet gregem ſibi commiſſum, nec quaſi libera utens poteſtate diſponat aliquid: Sed cogitet ſemper, quòd de omnibus judiciis, & operibus ſuis redditurus eſt Deo rationem. Ergo ſecundùm ordines, quos conſtituerit, vel quos habuerint ipſi Fratres, ſic accedant ad pacem, ad communionem, ad Pſalmum imponendum, in Choro ſtandum. Et in omnibus omnino locis ætas non diſcernatur in ordine, nec præjudicet: quia Samuel, & Daniel pueri in Presbyteros judicaverunt. Ergo exceptîs his, quos (ùt diximus) altiorî conſiliô Abbas prætulerit, vel degradaverit certis ex cauſis, reliqui omnes, ut convertuntur, ita ſint; ùt verbi gratia: qui ſecundâ diei horâ venerit in Monaſterio, juniorem ſe noverit eſſe illo, qui prima hora diei venit, cujuslibet ætatis aut dignitatis ſit.

Pueris verò per omnia ab omnibus diſciplina teneatur. Juniores ergo Priores ſuos honorent, Priores juniores ſuos diligant. In ipſa autem appellatione nominũ nulli liceat alium puro appellare nomine. Sed Priores juniores ſuos Fratres nominent: juniores autem Priores ſuos Domnos vocent, quod intelligitur paterna reverentia. Abbas autem, quia vices Chriſti agere videtur, Domnus, & Abbas vocetur; non ſuâ aſſumptione, ſed honore, & amore Chriſti. Ipſe autem cogitet, & ſic ſe exhibeat, ut dignus ſit tali honore. Ubicunque autem obviant Fratres, junior à Priore benedictionem petat, tranſeunte Majore junior ſurgat, & det ei locum ſedendi, nec præſumat junior conſedere, niſi ei præcipiat Senior ſuus: ut fiat, quod ſcriptum eſt: Honore invicem prævenientes. *Pueri vel adoleſcentes in Oratorio, vel ad menſam cum diſciplina ordines ſuos conſequantur: foris autem vel ubi ubi cuſtodiam habeant, & diſciplinam usque dum ad intelligibilem ætatem perveniant.*

Circa ordinem Congregationis, ut obſervetur, quoad fieri poteſt, quantum in præſcripto Regulæ Capitulo inſtituitur, præcipiunt Patres, ut poſt Prælatum Monaſterii, Priorem, vel Subpriorem, Titulares, & Decanos, unusquisque Monachus locum ſuæ profeſſionis obtineat: & inter Decanos illi præcedant, qui primitùs profeſſionem fecerunt. Verùm ſi quis ob aliquod ſuum delictum ex gradu, & loco ſuo dejectus fuiſſet, non locum ſuæ profeſſionis inter Fratres obtineat, ſed eum, qui ſibi ob ſua demerita aſſignatus fuerit. Ubi Regula dicit: *Abbas non conturbet gregem ſibi commiſſum, nec quaſi liberâ utens poteſtate, injuſtè deponat aliquem &c.* Præcipiunt Patres, ne Prælati circa ea, quæ in hoc Capitulo tractantur, & circa omnia alia, nihil, quod ſit alicujus momenti, innovent, aut faciant citra rationem, nec ſine aſſenſu Seniorum, ac etiam aliquando Fratrum. Neque ſibi perſuadeat Prælatus abſolutum ſuper Monachos habere dominium, ſed magìs Paſtorem eſſe, Miniſtrum, & Servum in Domino. Cogitétque ſe aliquando, non ſolùm Deo, ſed & hominibus redditurum eſſe miniſterii ſui rationem. Ubi dicitur: *Exceptîs, quos ut diximus altiori conſilio &c.* Nolunt Patres, ut aliquis poſſit ſupra locum ſuæ profeſſionis aſcendere, niſi ſit in aliquo dignitatis gradu, ùt dictum eſt in Cap. de Decanis. Itaque primum locum in Monaſterio teneat Prælatus, ſecundum Prior, vel Subprior, deinde ſequantur Decani, tum Magiſter Novitiorum. Poſtremò reliqui omnes, ſecundùm locum profeſſionis, & hoc in Choro, Refectorio, Capitulo, & aliis locis, in quibus omnes conveniunt. Ratio tamen habeatur ſacrorum Ordinum, ita ut Sacerdos Diaconum antecellat, Diaconus Subdiaconum &c.

Prælati inter ſe locum teneant juxta Monaſteriorum ordinem, prout infrà declarabitur: ita tamen, ut Prælatus domûs omnes alios (cùm plures ibidem ſimul eſſe contigerit) antecellat. Reverendiſſimus tamen Generalis ſupra omnes ſemper, & ubique in noſtra Congregatione ſit. Similiter Viſitatores, ſed in actu duntaxat Viſitationis ſuprà omnes poſt Generalem locum teneant, etiam ſupra Prælatum domûs.

Quoad Prælatos Titulares in Monaſterio, ubi morantur, poſt Abbatem, & Priorem Clauſtralem primum locum teneant: inter ſe autem ſecundùm ordinem Titulorum. Vicarii verò Provinciarùm poſt P. Generalem primum locum habeant ubique in ſua Provincia etiam ſupra Viſitatores, licèt præſens ſit Generalis, niſi dum ſunt in actu Viſitationis.

Cùm verò omnes quatuor Vicarii ſimul adeſſe contigerit, tunc cum Reverendiſſimo Patre Generali, & Viſitatoribus primum locum tenebit ipſe Generalis, ſecundum Vicarius illius Provinciæ, tertium Viſitatores: alios deinde

alii

alii tres Vicarii ſecundùm ordinem ſuarum Provinciarum. Provinciæ verò hunc inter ſe ordinem ſervent. Prima Provincia ſit Hetruriæ reſpectu Eremi. Secunda Venetiarum. Tertia Emiliæ ſeu Romandiolæ. Quarta ac poſtrema Agri Piceni, ſive Mariæ Anconitanæ, & Umbriæ.

In Provincia Tuſciæ, & Dominio Florentino, ſunt ſacra Eremus Camaldulenſis, totius Ordinis Caput. Monaſterium ſanctæ Mariæ de Angelis in Urbe Florentina. Abbatia ſancti Michaelis Piſarum. Abbatia Roſæ, & Prioratus Arcûs Senarum. Abbatia ſancti Juſti, & Clementis Vollaterrarum. Prioratus ſanctæ Mariæ & Benedicti, prope Caſtrum Montis ſancti Sabini. Abbatia ſanctæ Mariæ de Agnano in Diœc. Arr. Abbatia ſanctæ Mariæ in Balneo. Abbatia S. Michaelis de Arretio. Prioratus ſancti Nicolai de Burgo. Abbatia S. Mariæ in Trivio, ſive Montis Cornarii. Abbatia Inſulæ Montis Chriſti, & Monaſteria Monialium ſancti Petri de Lucho in agro Muellano. Sancti Joannis Evangeliſtæ de Buldrone, prope Florentiam. Sancti Joannis Evangeliſtæ de Prato Veteri, & Divi Benedicti de Arretio.

In Provincia Venetiarum ſunt hæc Monaſteria. Abbatia S. Michaelis, & Prioratus S. Mathiæ de Murano. Sancti Joannis à Judaica. Abbatia Carceris in Territorio Patavino. Prioratus S. Juſti de Vicentia; & Monaſterium Monialium S. Chriſtinæ de Triviſio.

In Provincia Romandiolæ ſunt, Abbatia Claſſis in Civitate Ravenna. Abbatia S. Mariæ de Urano, prope Bretinorium. Monaſteria S. Joannis, & ſancti Hypoliti de Faventia. Prioratus ſancti Salvatoris de Forozivio. S. Joannis de Bagnacavallo: & Monaſteria Monialium S. Chriſtinæ Bononiæ. S. Maglorii, & S. Trinitatis Faventiæ.

In Provincia Agri Piceni, & Umbriæ, ſunt Abbatia ſanctæ Crucis de Avellana à Pio V. Pontifice Maximo Congregationi noſtræ unita. Abbatia Vallis Caſtri, ſive S. Blaſii de Fabriano, ubi ſacrum Divi Romualdi Corpus colitur. Prioratus S. Severi de Peruſia, & Monaſterium Monialium S. Sebaſtiani de Fabriano. Procurator verò Generalis, Prioratus S. Nicolai de Urbe, & Abbas Sanctorum Quatuor. Nullæ harum Provinciarum ſunt in præſentiarum ſubjecti. Declarârunt etiam, ac volunt, ſi aliquis Prælatus Titularis fieret à Patre Generali Vicarius alicujus Provinciæ electus, quod in Monaſterio, ubi moratur, & in omnibus membris illius Monaſterii poſt Prælatum primum locum habeat: extra verò illius Monaſterii juriſdictionem, etiam Prælatum illius loci, in quo moratur, antecellat: imò verò in Proceſſione per Civitatem, ſi contingat eos ire, Vicarius primum locum tenebit, & non Prælatus. In domo igitur duntaxat ſua, & illius membris Prælatus ordinarius præibit. In aliis verò Monaſteriis Provinciæ ſuæ dictus Vicarius ſupra omnes erit, exceptô, quando præſens extiterit Reverendiſſimus Generalis: quoniam tunc poſt Generalem primum locum habebit Prælatus Domûs, tertium verò Vicarius. In aliis verò caſibus, abſente Generali, & Vicario, Prælatus in ſua domo omnes alios, etiam Prælatos, anteibit. Ii etiam, qui Generales fuerunt, volunt Patres, ut ſemper, & ubique primum locum poſt ipſum Reverendiſſimum Generalem, & Prælatum Domûs obtineant, etiam ſupra Viſitatores, niſi dum ſunt in actu Viſitationis. Ut autem ſciatur, quem ordinem inter ſeſe Prælati noſtræ Congregationis tenere debeant in Capitulo, vel ubicunque ſimul convenire eos contigerit. R. P. Domnus Joannes Baptiſta Generalis, & R. P. Domnus Antonius de Piſis Prior S. Mariæ de Angelis de Florentia, ex commiſſione ſibi à Patribus Deffinitoribus data, poſt maturam conſiderationem, ita ordinantes declarârunt debere inter ſe Patres Congregationis loca tenere, videlicet primum locum.

1. Reverendiſſimus Pater Generalis.
2. Primus Viſitator.
3. Secundus Viſitator.
4. Prior Eremi.
5. Abbas S. Michaelis de Murano.
6. Abbas Claſſis.
7. Abbas S. Mariæ de Carceribus.
8. Abbas S. Crucis de Avellana.
9. Abbas Vallis Caſtri.
10. Prior S. Mariæ de Murano.
11. Prior Angelorum de Florentia.
12. Procurator Generalis.
13. Abbas S. Mariæ de Urano Bret.
14. Abbas Sanctorum Juſti, & Clementis de Vollaterris.
15. Abbas S. Michaelis de Piſis.
16. Abbas S. Mariæ de Agnano.
17. Abbas S. Mariæ in Balneo.
18. Prior S. Hypoliti de Faventia.
19. Abbas Roſæ Senarum.
20. Prior S. Joannis de Faventia.
21. Prior S. Joannis à Judaica.
22. Prior S. Mariæ & Benedicti de Monte S. Sabini.
23. Prior S. Joannis de Bagnacavallo.
24. Prior S. Salvatoris de Forozivio.
25. Prior S. Severi de Peruſia.
26. Prior S. Juſti de Vicentia.
27. Abbas Inſulæ Montis Chriſti. Tit.

28. Abbas S. Michaelis de Arretio. Tit.
29. Abbas S. Mariæ in Trivio. Tit.
30. Prior Arcûs Senarum. Tit.
31. Prior S. Nicolai de Burgo. Tit.
32. Prior S. Nicolai de Urbe. Tit.
33. Abbas Sanctorum Quatuor. Tit.

Sciendum præterea, quod Prælati Titulares ultra ea, quæ dicta ſunt, in omnibus ſubditi eſſe debent Prælatis ordinariis Monaſteriorum, in quibus morantur; non ſecus, quàm alii privati Monachi in omnibus, inquam, ad illud idem Monaſterium pertinentibus. Ordinàrunt etiam, Priores, vel Subpriores clauſtrales, nec non Decanos, & Magiſtros Novitiorum extra Monaſterium, ubi tales gradus habent, & ejus loca, & membra, nullum alium locum tenere debere, quàm ſuæ profeſſionis. Ubi Regula dicit: *Pueris verò &c.* Præcipiunt Patres, ac volunt, quòd pueri ubique revereri debeant Senes, ac Sacerdotes, detegendo caput, ſiſtendo, ac locum dando, ſeu aſſurgendo, dum tranſeunt, inclinando, & alia hujuſmodi reverentiæ ſigna faciendo. Imò hoc non ſolùm erga Majores & Seniores obſervare debent Novitii, ac juvenes: verùm etiam inter ſe Sacerdotes juniores, & Senes, dum ſibi invicem obviant, inclinando caput, vel detegendo, & id genus reliqua faciendo, quæ etiamnum urbanitas docet.

De Ordinatione Abbatis.

CAPITULUM LXIV.

IN Abbatis ordinatione illa ſemper conſideretur ratio, ut hic conſtituatur, quem ſibi omnis concors Congregatio ſecundùm timorem Dei, ſive etiam pars, quamvis parva Congregationis ſaniori conſiliò elegerit. Vita autem meritô, & ſapientiæ doctrinâ eligatur, qui ordinandus eſt, etiamſi ultimus fuerit in ordine Congregationis. Quod ſi etiam omnis Congregatio vitiis ſuis (quod quidem abſit) conſentientem perſonam parî conſiliò elegerit, & vitia ipſa aliquatenus in notitiam Epiſcopi pervenerint (ad cujus Diœceſim pertinet locus ipſe) vel Abbatibus aut Chriſtianis vicinis claruerint, prohibeant pravorum prævalere conſenſum, ſed domui Dei dignum conſtituant diſpenſatorem, ſcientes, pro hoc ſe recepturos mercedem bonam, ſi illud caſtè, & Zelo Dei faciant, ſicut è contrario peccatum incurſuros, ſi negligant.

Ordinatus autem Abbas cogitet ſemper, quale onus ſuſcepit, & cui redditurus eſt rationem Villicationis ſuæ, ſciátque ſibi oportere prodeſſe magis, quàm præeſſe. Oportet ergo eum eſſe doctum lege divinâ, ut ſciat & ſit, unde proferat nova & vetera, caſtum, ſobrium, miſericordem, humilem, & ſemper ſuperexaltantem miſericordiam judiciô, ut idem ipſe conſequatur. Oderit vitia, diligat Fratres. In ipſa autem correptione prudenter agat, & ne quid nimis; ne dum nimis cupit eradere æruginem, frangatur vas. Suámque fragilitatem ſemper ſuſpectus ſit, memineritque calamum quaſſatum non conterendum. In quibus non dicimus, ut permittat nutriri vitia: ſed prudenter, & cum charitate ea amputet, prout viderit cuique expedire, ſicut jam diximus, & ſtudeat plus amari, quàm timeri. Non ſit turbulentus, & anxius, non ſit nimius, & obſtinatus, non ſit zelotypus, & nimis ſuſpicioſus: quia nunquam requieſcet. In ipſis imperiis ſuis ſit providus, & conſideratus, ſive ſecundùm Deum, ſive ſecundùm ſæculum ſint. Opera, quæ injungit, diſcernat, & temperet, cogitans diſcretionem S. Jacob, dicentis: Si greges meos plus in ambulando ſecero laborare, morientur cuncti una die. *Hæc ergo aliáque teſtimonia diſcretionis matris virtutum ſumens, ſic omnia temperet, ut ſit, quod & fortes cupiant, & infirmi non refugiant. Et præcipuè, ut præſentem Regulam in omnibus conſervet: ut, cùm benè miniſtraverit, audiat à Domino, quod ſervus bonus, qui erogavit triticum conſervis ſuis in tempore ſuo.* Amen dico vobis (*ait*) ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.

Quoniam, ſic exigente noſtrorum horum temporum qualitate, non hodie per omnia eliguntur Abbates, aliíque Prælati à Monachis Monaſteriorum, ſed ab univerſa Congregatione, & Capitulo. Ea propter, quæ ad regimen Congregationis, & ordinationem Abbatum, & aliorum Prælatorum ſpectant, ex ordine juſſerunt apponi Patres non ſub hoc Regulæ Capitulo (longior enim eſſet hic noſtra oratio) ſed in calce hujus voluminis, & in libro ab aliis Declarationibus & Conſtitutionibus ſeparato. Attamen hoc loco dicuntur aliqua de authoritate, & poteſtate Prælatorum.

Sciendum igitur inprimis eſt, quòd Abbates noſtræ Congregationis, imò & Priores (ubi titulus eſt Prioratûs, & non Abbatiæ) habent omnia Privilegia, inſignia & juriſdictionem, quam perpetui Abbates, ac Benedicti habere conſueverunt, & quod conſequenter poſſunt benedicere corporalia, veſtes, cæteráque Eccleſiaſtica ornamenta, etiam eis undecunque

cunque delata, tam à noſtris, quàm ab aliis: uti videre eſt in Privilegiis felic. record. Leonis X. §. 34. Præfati ſic electi &c.

In Confeſſionibus ſæcularium abſolvere poſſunt ab omnibus Caſibus conceſſis à dicto, & aliis ſummis Pontificibus noſtræ Congregationi, & eandem facultatem abſolvendis ſuis ſubditis concedere.

Liberam quoque poteſtatem habent iidem Prælati noſtræ Congregationis ſuper Monaſteria, loca, & perſonas eis commiſſas, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus juxta Divi Benedicti Regulam, & præſentes has Conſtitutiones, atque Declarationes: & conſequenter corrigendi, puniendi, & pœnitentiandi ſubditos ſuos delinqnentes juxta hos noſtros ordines.

Item Prælatus quilibet facultatem habeat videndi, atque examinandi licentias Fratrum, qui fortè extra Congregationem vagarentur, & ſi invenerit, eos non ſervaſſe conditiones dictarum licentiarum, vel aliter deliquiſſe ſcandalo ſæcularium, & dedecore Religionis, poteſt, ac tenetur punire eos incarcerando, & alia faciendo, quæ opus erunt invocato etiam auxilio brachii ſæcularis.

Ubi dicitur in ſupraſcripto Capitulo Regulæ. *In notitiam Epiſcopi &c.* Sciendum eſt, quod hodie Congregatio noſtra (quemadmodum & aliæ complures) exempta eſt à juriſdictione ordinaria, & immediatè ſanctæ Sedi Apoſtolicæ ſubjecta. Quare dum quidpiam occurrit, quod majoris poteſtatis authoritate egeat, quàm ea ſit Patris Reverendiſſimi Generalis, non ad Epiſcopum, ſed ad ipſum Beatiſſimum Patrem recurſus haberi debet. Tanta ſiquidem eſt Reverendiſſimi noſtri in ſua Congregatione facultas, quanta Epiſcopi in ſua Diœceſi, imò verò major; quoniam Epiſcopus non niſi in ſpiritualibus poteſtatem habet, at verò noſter Generalis tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus. Ubi rurſus in Regula dicitur. *Ordinatus autem Abbas &c.* Cùm toties, ac tot in locis de partibus ejus, qui in Abbatem eligi debet, diſſertum ſit, cùm à nobis, tum à Patre Divo Benedicto, præſertim ubi dicit: *Vitæ autem meritò & ſapientiæ doctrinâ eligatur.* Item ibi: *ſciàtque ſibi oportere prodeſſe magis, quàm præeſſe*: Viſum eſt Patribus nihil circa hoc addere. Tantummodo hortantur tam eligendos, quàm Electores, ut diligenter animadvertant, quàm grave onus, & difficile jugum, vel ſuſcipiant ipſi, vel alienis imponant humeris. Sed hactenus de his.

Iidem Patres ordinârunt non obſtante authoritate, quam diximus habere Prælatos, nemini eorum licere in locationibus, & effectibus annualibus de triennio in triennium accipere pecuniam unius triennii ante cum damno & præjudicio ſucceſſoris: imò nec unius anni, ſed tantummodo exigantur hujusmodi pecuniæ poſt annum decurſum annuatim. Si quis autem contrafecerit, in proximo Capitulo puniatur graviùs, ita ut ſaltem careat per biennium voce activa, & paſſiva. Quòd ſi aliquis Prælatus in urgenti ſit poſitus neceſſitate, nec refugium aliquod habeat, recurrat ad Reverendiſſimũ Patrem Generalem, qui, causâ diligenter examinatâ, quod ei juſtum viſum fuerit, decernat. Ipſe enim Generalis, ùt etiam habetur in dictis Privilegiis §. 129. locorum omnium, qui nunc in noſtro ſunt ordine, aut in futurum erunt, ſive in Congregatione in præſentiarum ſunt, ſive in poſterum aggregabuntur, ſive extra Congregationem ſint: totius ſcilicet Camaldulenſium Religionis caput, & Pater Generalis de anno in annum maxima cum authoritate eſſe cenſeatur.

Quoad Prælatos Titulares, volunt Patres, ut plurimùm reſideant in Monaſteriis, in quibus ſunt Profeſſi, & de omnibus neceſſariis ibidem, ut reliqui Monachi provideantur; niſi fortè aliter Patri Reverendiſſimo, vel Deffinitoribus videretur. Primum quoque locum eos habere volunt poſt Prælatum Monaſterii, & Priorem, vel Subpriorem, & ùt ſuprà poſſint ſingulis annis, ùt alii Prælati, ad Capitulum, ſi velint, pergere, expenſis Monaſterii. Si autem noluerint, non teneantur, niſi tertio quoque anno, & quando debet poſt triennium eligi novus Generalis. Declarant item Patres, ac volunt eos exemptos eſſe in Monaſteriis, ubi morantur, ab hebdomadaria Chori, à lectura Menſæ, & ab omni alio conſimili onere. Hortantur nihilominus eos, ut velint & Chorum & alias Monaſterii communes actiones, quantùm eis licuerit, frequentare, & domum ipſam, in qua morantur, cùm in ſpiritualibus, tum in temporalibus juvare, & obedientiam, ùt decet, Prælato ipſius in omnibus exhibere. Ipſos autem Prælaros Titulares in Capitulis noſtræ Congregationis vocem habere ſicut & cæteri Prælati, non eſt, qui neſciat.

Quoad officium Patrum Viſitatorum, ſciendum eſt, quod poſt ipſum R. P. Generalem debent ipſi ſuper Congregationem invigilare die noctúque & ipſum in omnibus adjuvare. Neque poſſit Reverendiſſimus abſque eorum conſilio, & aſſen-

aſſenſu, quippiam alicujus momenti facere, ut puta, creare Præſules intra annum, Confeſſarios conſtituere Monialium, & id genus reliqua: quod ſi ſecus fecerit, totum ſit irritum, & inane. Propterea ubi pluribus in locis harum Conſtitutionum dicitur, quod pœnæ ad arbitrium Patris Generalis & conſimilia fiant, ſemper intelligi debet cum conſenſu Patrum Viſitatorum. Ubi verò Pater Reverendiſſimus locum aliquem unà cum iis viſitare perſonaliter non poſſet tempore Viſitationum ſolito, valeat ipſos Viſitatores ſolos mittere, qui in omnibus vices ejus gerant. Quorum Major locum ipſius Generalis obtinebit, & ſupremam habebit authoritatem. Viſitatores in Monaſteriis, in quibus ſunt de familia, præſente Prælato, primum locum poſt ipſum, habebunt: ipsò verò abſente, poſt Priorem vel Subpriorem clauſtralem immediatè.

De Præpoſito Monaſterii.

CAPITULUM LXV.

SÆpiùs quidem contingit, ut per ordinationem Præpoſiti ſcandala gravia in Monaſteriis oriantur: dum ſunt aliqui maligno ſpiritu ſuperbiæ inflati, qui exiſtimantes ſe ſecundos Abbates eſſe, aſſumentes ſibi tyrannidem ſcandala nutriunt, & diſſenſiones in Congregatione faciunt, & maxime in illis locis, ubi ab eodem Sacerdote, vel ab eisdem Abbatibus, qui Abbatem ordinant, ab ipſis etiam & Præpoſitus ordinatur. Quod quàm ſit abſurdum, facilè advertitur: quia ab ipſo initio ordinationis materia ei datur ſuperbiendi, dum ei ſuggeritur à cogitationibus ſuis, exutum ſe eſſe à poteſtate Abbatis ſui, quia ab ipſis eſt ordinatus, à quibus & Abbas. Hinc ſuſcitantur invidiæ, rixæ, detractiones, æmulationes, diſſenſſiones, & inordinationes. Et dum contraria ſibi invicem Abbas Præpoſitúſque ſentiunt, & ipſorum neceſſe eſt ſub hac diſſenſione animas periclitari, & hi, qui ſub ipſis ſunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionem. Cujus periculi malum illos reſpicit in capite, qui talibus in ordinatione ſe fecerunt auctores.

Ideóque nos prævidemus expedire propter pacis, charitatíſque cuſtodiam in Abbatis pendere arbitrio ordinationem Monaſterii ſui, & ſi poteſt fieri, per Decanos ordinetur, ùt antea diſpoſuimus, omnis utilitas Monaſterii, prout Abbas diſpoſuerit: ut, dum pluribus committitur, unus non ſuperbiat. Quod ſi aut locus expetit, aut Abbas judicaverit expedire, quemcunque elegerit Abbas cum conſilio Fratrum timentium Deum, ordinet ipſe ſibi Præpoſitum. Qui tamen Præpoſitus illa agat cum reverentia, quæ ab Abbate ſuo ei injuncta fuerit, nihil contra Abbatis voluntatem, aut ordinationem faciens: quia quantùm Prælatus eſt cæteris, tantùm enim oportet ſollicitiùs obſervare præcepta Regulæ.

Qui Præpoſitus, ſi repertus fuerit vitioſus, aut elatione deceptus ſuperbiæ, aut contemptor ſanctæ Regulæ fuerit comprobatus, admoneatur verbîs usque quater: ſi non emendaverit, adhibeatur ei correptio diſciplinæ Regularis. Quod ſi neque ſic correxerit, tunc dejiciatur de ordine præpoſituræ, & alius, qui dignus ſit, in loco ejus ſubrogetur. Quod & ſi poſtea in Congregatione quietus, & obediens non fuerit, etiam de Monaſterio expellatur. Cogitet tamen Abbas, ſe de omnibus judiciis ſuis Deo redditurum rationem, ne fortè invidiæ, aut zeli flamma urat animam.

Priores in Abbatiis, & Subpriores in Monaſteriis habentibus Titulum Prioratus, qui hoc in loco à Divo Patre Benedicto Præpoſiti Monaſteriorum vocantur, eligantur ab Abbate, ſeu Priore loci ob veriſſimas cauſas, quæ in hoc Capitulo Regulæ enarrantur. Et tam ipſi Præpoſiti, quàm alii omnes Monachi ſint in omnibus Prælatis ſuis obedientes, nec à voluntate illorum unquam, vel latum unguem diſcedant. Volunt præterea præſcripti Patres, ut Prælatus teneatur in primo ſuo Capitulo poſt collationem Officiorum intimare Fratribus cunctas Patrum ordinationes, & Conſtitutiones novas, in Capitulo editas, quæ ad eos pertinere videbuntur. Similiter ſtatuerunt, quòd mortuo, vel amoto, vel abſente, (ùt puta, cùm ad Capitulum pergit) Prælato Prior, vel Subprior vices ejus in omnibus obtineat, & eandem habeat authoritatem, tam in ſpiritualibus, quàm in corporalibus, usque ad ejus reditum, vel alterius novi Prælati. Attamen obſerventur quæcunque ipſe in ſuo receſſu peculiariter ſervari mandâſſet. Item ſi Prælatus quiſpiam ob aliquam legitimam cauſam Capitulo Generali intereſſe nequiverit, volunt nihilominus Patres, quòd eo die, quo præſumitur alios Prælatos in Capitulo eſſe abſolutos, ipſe quamquam abſens pro ſuſpenſo habeatur, & ſit, quousque nuncii advenerint de ejus, vel omnimoda abſolutione, vel confirmatione. At verò ſi quis à Capitulo de licentia Patris Generalis ob juſtam cauſam emaneret, volunt Patres hujusmodi perſeverare cum ſolita authoritate in Prælatura usque ad adventum novi Prælati,

vel

vel confirmationem ſui. Qui autem ſine tali licentia non poterunt ire ad Capitulum, mittant aliquem, qui per eos renunciat, & abſolvat, vel id Conventuali, ùt infrà latius, committant. Denique in abſentia Prælati in omnibus recurſus ad ipſos Priores, vel Subpriores habeatur. Et ſi qua negotia alicujus momenti differi poterunt, usque ad Prælati reditum differantur. Cavebitque ſummopere Prior, vel Subprior, ne quidpiam innovet contra ipſius Prælati abſentis voluntatem, ut morem gerat Fratribus. Et ſi ſecus fecerit, permiſeritque Religionis diſſolutionem, nedum puniri ab Abbate in reditu ſuo valeant, ſed & aliquando ab officio deponi, juxta criminis, vel relaxationis qualitatem. Volunt etiam Patres, quòd pro exceſſibus, qui tempore Capituli committuntur, pœnæ ordinariæ duplicentur. Habeant verò Priores ſeu Subpriores primum locum in ſiniſtra parte Chori: Similiter, & in Refectorio, in Capitulo, & omnibus aliis locis. Et in abſentia Prælati in Benedictionibus dandis, confeſſionibus, & abſolutionibus, & hujusmodi faciendis vices ejus exequantur. Attamen non eximuntur ab officio hebdomadariæ, neque à lectura menſæ, niſi fortè eſſent Titulares.

Nam ea, quæ indicta ſunt in favorem, in odium retorqueri minimè debent. Iidem Priores, & Subpriores in propriis Monaſteriis, & eorum membris & locis poſt Prælatum omnes alios antecedant. Extra verò Monaſterium, & ejus loca, proprium locum ſuæ profeſſionis ubique teneant. Tempore verò Capituli Prior ejus loci, ubi celebratur, locum immediatè poſt Oeconomum ſpiritualem teneat, & officium ſuum exequatur. Prælati verò, cùm ad Capitulum pergunt, non ſolùm ſecum deferre debent libellum, ubi ſunt debita, & credita domûs ſcripta cum cauſis eorum: verùm etiam earundem rerum copiam, vel transſumptum, ac omnia rerum inventaria relinquere debent Priori, vel Subpriori, ut is ſucceſſorem in officio Prælaturæ de omnibus iis informare valeat. Et ſi Prælatus hoc facere contempſerit, graviùs puniatur.

Priorum etiam & Subpriorum ſit principalis cura & officium agere, ut in omnibus, & in ſpiritualibus ſpecialiter Conſtitutiones noſtri Ordinis, & conſuetudines, & cæremoniæ omni modo in Choro, Capitulo, Refectorio, aliisque locis in omnibus obſerventur. Ac etiam docere Sacriſtas, Choriſtas, Cantores, Succentores, Lectores, ac alios omnes, quomodo unusquisque ſuum officium debeat implere; procuret inſuper, ut infirmi, cùm primò ſe in manus Medici dederint, confiteantur, communicentur, conſolentur, & rebus omnibus ſpiritualibus adjuventur.

Quoniam verò libri, omniáque alia bona, quæ ad uſum fuêre Monachorum (præterquam veſtimenta) volunt Patres iis defunctis ad ea Monaſteria reverti, in quibus fecerint profeſſionem: & tantummodo veſtimenta Monaſterio acquiri, in quo Fratres moriuntur. Sit Prioris cura, vel Subprioris, ſtatim ut aliquis vitâ migravit, per inventarium omnia accipere, quæ ejus Fratris defuncti fuerunt ad uſum, eadémque cuſtodire diligenter, donec à Prælato unicuique Monaſterio, quod ſuum eſt, reſignent. Quod ſi quis Monachus, vel Capellanus, Confeſſor, aut Procurator apud aliquod Monaſterium Monialium noſtri Ordinis mortem obiret: decreverunt Patres in tali caſu, non ſolùm libros, & omnia alia bona, ùt ſuprà, verùm etiam & veſtimenta, quæ ad ejus fuêre uſum, debere reſtitui ad Monaſterium, in quo fecerit profeſſionem, quoniam, ùt ſæpiùs dictum eſt, quidquid acquirit Monachus, acquirit ſuo Monaſterio, & Congregationi.

De Oſtiariis Monaſterii.

CAPITULUM LXVI.

Ad portam Monaſterii ponatur ſenex ſapiens, qui ſciat accipere reſponſum, & reddere: cujus maturitas eum non ſinat vagari. Qui Portarius cellam debet habere juxta portam: ut venientes ſemper præſentem inveniant, à quo reſponſum accipiant. Et mox, ut aliquis pulſaverit, aut pauper clamaverit, Deo gratias, *reſpondeat, aut benedicat, & cum omni manſuetudine timoris Dei reddat reſponſum feſtinanter cum fervore charitatis. Qui Portarius, ſi indiget ſolatiô, juniorem Fratrem accipiat. Monaſterium autem ſi poſſit fieri, ita debet conſtrui, ut omnia neceſſaria, id eſt, aqua, molendinum, hortus, piſtrinum, vel artes diverſa intra Monaſterium exerceantur, ut non ſit neceſſitas Monachis vagandi foras: quia omnino non expedit animabus eorum. Hanc autem Regulam ſæpius volumus in Congregatione legi, ne quis Fratrum ſe de ignorantia excuſet.*

Nemini dubium eſſe debet, Oſtiarium univerſam domum repræſentare, ideóque oportere illum, non mediocrî prudentiâ, devotione, humanitate, vigilantiâ præditum eſſe, ne ſcandalum aliquod ejus causâ oriatur. Quamobrem Patres conformiter ad hoc Capitulum, in quo D. P. Benedictus præcipit, ut oſtii cuſtodia Monaſterii non niſi prudenti, & antiquo Patri committatur. Mandant omnibus, & ſingulis Prælatis, ut diligenter curent, tales deligere Oſtiarios ſuarum ædium, qui ædificare Laicos, & quoscumque ad domos noſtras accedentes, valeant. Doceant illos, ne ullum tempore ſilentii niſi magnis de cauſis intrà clauſtra admittant: & quô pactô privatos Monachos accerſere debeant, itémque & Prælatum. Ubi verò Regula dicit: *Ponatur ſenex ſapiens*, volunt Patres hujusmodi deligendum ad cuſtodiam portæ, non ſolùm eſſe ſenem quoad annos: verùm etiam quoad mores & rerum agendarum experientiam. Denique præcipiunt, ut ſanctiſſimum hoc Capitulum Regulæ in omnibus obſervetur. Cæterum occaſione quorundam verborum ejusdem Regulæ, quoad fabricationem domorum ſanxerunt Patres, ut nullus Prælatus absque conſilio Seniorum audeat vel antiqua ædificia deſtruere, vel nova fabricare ullô pactô. Quòd ſi velit membrum aliquod notabile conſtruere, ùt puta, Clauſtrum, Dormitorium, aut Refectorium ſive Bibliothecam, vel Tyrocinium, & hujusmodi: non poſſit id facere niſi (ultra conſilium Seniorum) licentiam quoque ſpecialem habeat à Reverendiſſimo P. Generali.

Qui eam minimè tribuat, niſi priùs admonuerit, ut talia ædificent, quæ modeſtiam Religioſam deceant. Et ſibi monſtretur à Prælato, & Patribus, quibusnam fulti pecuniis id attentare præſumant. Quoniam docuit experientia, non nunquam Prælatos quosdam nimiô ædificandi deſideriô Monaſteriorum facultates, ac bona fere omnia conſumpſiſſe. Quoniam verò perſæpe contingit Prælatum aliquem opus aliquod inchoare, & illo infecto abire, ne is, qui poſtea in officio ei ſubrogatus fuerit, poſſit ad libitum inchoatum jam opus, & ædificium diruere, & aliud ſuo marte erigere cum diſpendio Monaſterii, & ſcandalo plerumque Laicorum, præcipiunt, ut antequam fabrica aliqua notabilis incipiatur, fiat de illa typus de conſilio peritorum, ac Reverendiſſimi P. Generalis, à quo ſubinde nulli recedere liceat, ſed eâ omninò formâ quoad ſubſtantialia ſervetur ab omnibus. Qui verò huic ordinationi contraire præſumpſerit, pœnæ graviori culpæ debitæ ſubjacebunt. Et Prælati etiam quandoque deponi ad arbitrium Reverendiſſimi Patris Generalis ſeu Deffinitorum poterunt, & omni dignitate juxta criminis qualitatem privari.

Ut autem Oſtiarii, onere introducendi Laicos per ſingulas horas, intra clauſuram Monaſterii gratiâ alloquendi Camerarium non graventur, curabunt Prælati quantocius juxta portam Monaſterii, & extra clauſuram erigere (ſi jam non eſt) domum & officinam ipſius Camerarii, ad quam eum convenire poterunt citra inquietudinem Fratrum, quicunque ad illum negotia habebunt.

In illis autem locis, in quibus eſt conſuetudo admittendi diebûs Feſtîs Laicos intra clauſtrum, & viridarium noſtrorum Monaſteriorum: quoniam difficile eſſet ſine ſcandalo eam ammovere, permittatur. Caveant tamen Fratres, illâ horâ à vagatione per Monaſterium, & qui ex obedientia, aut de licentia Prælati cum illis Laicis exire compellentur, meminerint modeſtè, ac Religiosè in omnibus ſe habere, & parùm omnino, ac prudenter, & non niſi de iis, quæ Dei ſunt, cum illis loqui. Prælati verò non niſi eos, quos bene morigeratos ac prudentes noverint, cum Laicis aſſociare curabunt. Solitæ eleemoſynæ, quæ in noſtris Monaſteriis ſecundùm veterem conſuetudinem fiunt, diſtribuantur ab Oſtiariis cum omni diſcretione, & charitate. Et licèt velint Patres, ut nunquam (ſi fieri poteſt) pauper dimittatur vacuus: attamen, ubi non omnibus re ipsâ ſatîs fieri poſſet, ſaltem bonîs, & conſolatoriîs verbîs pauper dimittatur. Meminerint tamen Prælati inter principalia Legis Chriſtianæ bona, eleemoſynas numerari: Majoréſque noſtros ſibi ipſis victui neceſſaria abſtuliſſe, ut Chriſti pauperibus erogarent, imò ipſi Chriſto, qui dicturus eſt nobis in die illa tremenda: *Eſurivi, & dediſtis mibi &c.*

De

De Fratribus in via directis.

CAPITULUM LXVII.

DIrigendi Fratres in via omnium Fratrum, vel Abbatis orationi ſe commendent, & ſemper ad orationem ultimam operis Dei commemoratio omnium abſentium fiat. Revertentes autem de via Fratres ipſo die, quo redeunt, per omnes Canonicas horas, dum expletur opus Dei, proſtrati ſolo Oratorii, ab omnibus petant orationem propter exceſſus; ne quid fortè ſurrepſerit in via viſus, aut auditus malæ rei, aut otioſi ſermonis. Nec præſumat quiſquam aliis referre, quæcunque extra Monaſterium viderit, aut audiverit, quia plurima deſtructio eſt. Quod ſi quis præſumpſerit, vindictæ Regulari ſubjaceat. Similiter & qui præſumpſerit clauſtra Monaſterii egredi, vel quocunque ire, vel quippiam, quamvis parvum ſine Abbatis juſſione facere.

Ut autem id, quod præcipit D. P. Benedictus hôc locô, faciliùs obſervetur, ordinârunt antiqui Patres, ut in orationibus ſecundis, quæ dicuntur in Officio Virginis, ad horam Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam dicerentur & illa verba (licèt etiam alium ſenſum habere poſſint) *Et iter famulorum tuorum in ſalutis tuæ proſperitate diſpone &c.* Quoniam autem nunc frequentiùs itinerantur Fratres ex cauſis jam toties repetitis, nec facilè poſſunt ſe Fratrum omnium orationibus ita ſolemniter commendare. Idcircò contentantur Patres, ut vice ſolemnis illius commendationis, qui breviter accepturi ſunt, dum accipiunt à Prælato benedictionem, dicant: *Benedicite, & orate pro me.* Id enim permittitur à Regula, dum dicit: *Vel Abbati.* In longis verò peregrinationibus ſe commendent totius Conventûs precibus, ut in Regula. Quantùm verò ad commendationem, quæ fieri debet ſecundùm Regulam in reditu ex itinere, volunt Patres, quod is, qui foras ultra numerum quindecim dierum moratus fuerit, regreſſus primâ Feriâ ſextâ, dum culpæ audiuntur in Capitulo, dicat & ipſe culpam ſuam hoc pacto. Dico etiam meam culpam de omnibus exceſſibus, & erroribus in hoc meo proximo præterito itinere à me commiſſis, ignoranter, vel ſcienter, & precor vos pro me orare. Qui verò hoc facere omiſerit, toties quoties comedet in medio Refectorii in ſolo pane, & aqua.

Ubi dicitur: *Nec præſumat quiſquam aliis referre &c.* Præcipiunt Patres Prælatis omnibus & ſingulis, ut Regulam in hac parte inviolabiliter obſervari faciant, & eos, quos transgreſſores invenerint, qui videlicet audita, vel viſa in itinere, è quibus ſcandalum puſillis oriri poſſet, narraverint, graviter puniantur. Ubi item dicit Regula: *Similiter, & qui præſumpſerit &c.* antiquiſſimam & ſanctiſſimam conſuetudinem non egrediendi extra clauſuram Monaſterii ſine expreſſa licentia & benedictione Prælati ad memoriam omnibus noſtræ Congregationis Monachis, ac Fratribus Patres reducunt. Itaque ſub pœna fugitivis debita (juxta tamen declarationes ſupradictas) præcipiunt, ut nullus egredi extra Monaſterium præſumat, niſi facta ſibi à Prælato facultate, & benedictione data. Quam ſanè benedictionem regredientes pariter de itinere quamprimum accipere ab eodem Prælato, vel eo abſente à Majore domûs teneantur ſub iiſdem pœnis. Caveant verò maximopere Fratres, ne iter aggrediantur, aut equitent diebûs Feſtîs ab Eccleſia præceptîs. Quod ſi aliqua urgens neceſſitas eos coegerit, tum non niſi celebratâ, vel auditâ Miſsâ, vadant.

In itinere autem meminerint ſe eſſe Monachos ac Dei famulos, & idcirco non agitent ſuperbè, & noviter equos, non eos curſitare faciant, non ipſi elatîs incedant ſuperciliîs, non denique cantillent more Laicorum, maximè, ubi audiri ab aliquibus poſſent, ſed modeſtè, graviter, & cum ſilentio orando, vel pſallendo, vel de rebus ſanctis loquendo iter cæptum proſequantur. In hoſpitiis verò meritoriis, ſi quando eos in eis morari contigerit, cameram ſibi aſſignari ab hoſpite faciant, ibique maneant ab aliis ſemoti, ibi comedant, ibi Canonicas horas devotè perſolvant, & ſint omnibus probitatis, ac ſanctitatis exemplar.

Si

Si Fratri impoſſibilia injungantur.

CAPITULUM LXVIII.

SI cui Fratri aliqua fortè gravia, aut impoſſibilia injunguntur, ſuſcipiat quidem jubentis imperium cum omni manſuetudine, & obedientia. Quòd ſi omnino virium ſuarum menſuram viderit pondus excedere, impoſſibilitatis ſuæ cauſas ei, qui ſibi præeſt, patienter & opportunè ſuggerat, non ſuperbiendo, aut reſiſtendo, vel contradicendo. Quodſi poſt ſuggeſtionem ſuam in ſua ſententia Prioris imperium perduraverit, ſciat junior ita ſibi expedire, & ex charitate confidens de adjutorio Dei obediat.

Profeſſio devoti Monachi, & ſanctæ humilitatis virtus jure ſuo exigunt, ut ſubditus quamprimum auditô ſui Prælati præceptô, imò & nutu perſpectô ad obedientiam ſe accingat. Ubi verò quidpiam ſibi, quod ſupra vires videretur, præceptum fuerit, poterit ſe modeſtè, & humiliter excuſare, rationem impoſſibilitatis adducendo. Quod ſi tunc etiam Prælatum in opinione ſuâ perſiſtere videbit, patienter impoſitum ſibi onus accipiat, ac pro viribus exequi curabit. Atqui Prælati ſummopere curare debent, ne de eis dici jure merito poſſit, quod de Phariſæis quondam Servator noſter prædicavit (uti etiam dictum eſt in Capitulo de qualitate Abbatis.) *Alligant onera gravia, & importabilia in humeros ſubditorum, digitô autem ſuô nolunt ea movere.* Meminerintque ſe Patres, ac Paſtores eſſe, non autem Tyrannos, vel carnifices. Blandè igitur imperent, ac diſcretè. Et ea tantummodo Filiis ac Fratribus ſuis præcipiant, quæ poſſint vultu hilari, & pro viribus adimplere. Qui verò ab indiſcretis Prælatis ſe gravari ſupra vires perſenſerint: In viſitatione de hoc apud Patres conquerantur: & ſi opus fuerit, etiam apud ipſum Deffinitorium, per literas tempore Capituli: ut ſic diſcant Prælati mitiùs cum ſibi ſubditis agere. Majores verò Prælati tales in ſubditos ſuos inhumanos, ac feros ab omni dignitate, ac Prælatura abſolvere debent, imò de Jure tenentur. Cùm enim à ſupremo omnium Paſtore, qui dixit: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*, tam inſigniter degenerent, indigni videntur, qui animabus ejus pretioſo ſanguine redemptis præſint, & imperent. Quantùm ad Prælaturas, dignitates, & gradus, licet poſſit quilibet renunciare favori ſuo, volunt Patres, ut nemini liceat renunciare Prælationibus, aut recuſare dignitates ſibi à Patribus traditas, niſi ob aliquam ex ſex cauſis, quæ habentur in Decretal. Divi Gregorii Lib. I. Cap. *Niſi cum pridem de Renunciatione* per totum.

Ut in Monaſterio non præſumat alter alterum defendere.

CAPITULUM LXIX.

SUmmopere præcavendum eſt, ne quavis occaſione præſumat alius alium defendere Monachum in Monaſterio, aut quaſi tueri, etiamſi qualibet conſanguinitatis propinquitate jungantur. Nec quolibet modo id à Monachis præſumatur, quia exinde graviſſima occaſio ſcandalorum oriri poteſt. Quod ſi quis hæc tranſgreſſus fuerit, acriùs coerceatur.

Quantum ad præſens Capitulum, tametſi perbreve eſt, nihilominus eſt multa conſideratione dignum: quoniam nihil magis perturbat pacem, & ſcandali occaſionem præbet, quàm videre impios, ac improbos exaltari, tueri, atque defendi. Itaque cùm quis à Prælato jure corripitur, ejus amici vel Fratres, non ſolùm publicè, & coram Præſule eumdemmet corrigant, vel ſaltem juſtè correptum, & emendatum à Præpoſito nutibûs, & ſignîs oſtendant: Verùm etiam privatim ipſum admoneant, & hortentur, ut humiliter pœnam ſubeat, quam Prælatus non odio vel livore, ſed amore, & pietate ductus ei injungendam judicavit. Cùm verò noverint, Prælatum aliquem injuſtè corripere ob informationes falſas ſibi de illo factas, publicè, & coram aliis nullô modô præſumant ipſum de injuſtitia arguere, nec injuſtè correpto anſam aliquam ſuperbiendi, vel reſpondendi Prælato tum præbeant: ſed poſtmodum privatim curent, ut Prælatus rem diligentiùs cognoſcat, & veritate perſpectâ, innocentem abſolvat.

Ut

Ut non præſumat quiſquam aliquem paſſim cædere, aut excommunicare.

CAPITULUM LXX.

UT vitetur in Monaſterio omnis præſumptionis occaſio, ordinamus, atque conſtituimus, ut nulli liceat quemquam Fratrum ſuorum excommunicare, aut cædere, niſi cui poteſtas ab Abbate data fuerit. Peccantes autem coram omnibus arguentur, ut ceteri metum habeant. Infantibus verò uſque ad quintum decimum annum ætatis diſciplinæ diligentia ſit, & cuſtodia adhibeatur ab omnibus: ſed & hoc cum omni menſura & ratione. Nam in fortiori ætate, qui præſumpſerit aliquatenus ſine præcepto Abbatis, vel in ipſos infantes ſine diſcretione exarſerit, diſciplinæ regulari ſubjaceat. Quia ſcriptum eſt: Quod tibi non vis fieri alteri, ne feceris.

Cùm ſuperiùs in declaratione Capituli Regulæ viceſimi quinti nos incidenter, & perfunctoriè de pœnis, quas ſubire debent, qui in Fratres convitia dixeriot, vel eos percuſſerint, locuti fuerimos: operæ pretium eſt, ut in loco fuſiùs de iis diſſeramus. Declarando itaque hunc locum Regulæ Ita Patres ordinarunt, quod ſi duo Fratres æquales invicem verbis injurioſis contenderint, ambo puniantur jejuniis panis & aquæ in medio Refectorii juxta qualitatem delicti: & ille magis, qui magis commeruerit. Si autem junior ſe majorem verbis contumelioſis affecerit, ut puta, ſimplex Frater Diaconum, aut Magiſtrum Novitiorum, vel Subpriorem, puniatur graviùs, & ſaltem per quindecim dies cameram propriam pro carcere habeat, & quâlibet ſextâ Feriâ in ſolo pane, & aqua, dum ſic clauſus manſerit, jejunet. Et ſi verba fuerint infamatoria, & in publico prolata, pœna hujuſmodi duplicetur. Si verò (quod Deus avertat) Prælatum ſuum verbis hujuſmodi vituperoſis quiſpiam etiam provocatus aggredi ullô pactô præſumpſerit, carceri per menſem ad minus mancipetur, & qualibet Feriâ quartâ, & ſextâ dicti menſis in ſolo pane & aqoa jejunet. Demum in Capitulo coram omnibus culpam ſuam dicat, & veniâ petat ab ipſo Prælato, & Fratribus, quos verbis ſuis Ita imprudéter ſcandalizavit. Si autem duo Fratres invicem rixantes pugnis ſe Invicem percuſſerint citra ſanguinis effuſionem ac fracturam membrorum, per menſem in propriis cellis, vice carcerum recludantur. Si verò fuſte, aut baculo, aut cum ſanguinis effuſione, duplicetur pœna, & addantur jejunia panis, & aquæ Feriâ quartâ & ſextâ.

Si quis autem citra rixam, aut ſubitam bilem, ſed ſolo odio, ac livore quempiam lignô, pugnîs, vel lapidibûs percuſſerit, ſine tamen ſanguinis effuſione, & fractura oſſium per duos menſes carceribus mancipetur, & quâlibet Feriâ quartâ, & ſextâ dicti temporis in ſolo pane, & aqua jejunet. Si verò cum effuſione ſanguinis, aut fractura aliqua, dicta pœna duplicetur. Si quis verò quempiam cum gladio, quem de more ad latus deferre conſuevimus pro ſervitio menſæ, percuſſerit cum ſanguinis effuſione citra tamen neceſſitatem decumbendi in lecto, per ſex menſes carceri addicatur, ſi verò cum armis, quæ à Religioſis deferri non conſueverint, quæcunque minima fuerit ſanguinis effuſio, actutum carceri damnetur ad minus per annum: vel, ſi crimen id exigere videbitur, per tres annos. Et inſuper in dicto tempore quâlibet ſextâ Feriâ jejunet pane, & aqua. Qui verò Prælatum ſuum aliquô dictorum modorum percutere, aut ferire auſus fuerit, pœnis ſupradictis duplicatis puniatur, & ante XV. annum à dicta percuſſione nullam dignitatem, aut Prælaturam io noſtra Congregatione conſequi valeat. Si autem (quod Deus Optimus Maximus omnino avertere velit) Monachus aliquis alium occiderit Monachum ſcienter ac deditâ operâ, talis occiſor carceri perpetuò adjudicetur, ibique jejuniis, & orationibus peccatum ſuum defleat, nec poſſit ullo pacto liberari, niſi fortè poſt vigeſimum aonum de conſilio, & conſenſu Deffinitorum. Qui verò aliquem percutere attentaverit, etiamſi effectus poſtmodum ſecutus non fuerit, nihilominus ſeverè puniatur juxta animi affectionem.

Si percuſſor, & percuſſus ambo fuerint converſi, vel Clerici, modò ſupradictò puniantur. At ſi converſus Clericum percuſſerit, pœnæ ſupradictæ dupliceotur juxta percuſſionis gravitatem. Et ſi percuſſus notabilem occaſionem percutienti, ſeu percuſſori dederit ultra percuſſiones receptas, & ipſe aliquâ etiam pœnâ puniatur.

Notandum verò, quod culpas, quæ pœnam carceralem ultrà ſex menſes exigunt, Prælatus ſolus minimè ſententiare poteſt, ſed ad Reverendiſſimum Patrem Generalem, & Viſitatores reſervantur.

Similiter in cauſis, quæ ad ipſum Prælatum attinerent, non poteſt ipſe ſententiare, ſed Patri Generali talis ſententia reſervetur. Sed interim Monachus, ſi id res exegerir, à Prælato de conſenſu Seniorum carceri mancipetur. Cæterùm non admittantur excuſationes eorum, qui dicerent, ſe gratiâ defenſionis proximum percuſſiſſe, niſi id legitimè comprobaverit, ùt puta, quia, cùm fugerent, ab ipſo perſequente inter anguſtias detenti nullum alium refugium habuerint, niſi percutere volentem repercutere. Similiter puniantur etiam Prælati, ſi quempiam aliquô modorum ſupradictorum percuſſerint. Non tamen id intelligi debet, dum Magiſter Novitius, ſeu Prælatus juvenes, gratiâ correctionis aliquando diſcretè, & charitativè corripuerint.

Volunt etiam Patres, ut murmuratores, & maledici graviter à Prælatis puniantur, tum præſertim, cùm murmurando velut infames falſa protulerint. Prælati verò ipſi omnem dabunt operam, ne quid de ipſis verè murmurare queant.

Super illud verbum, *Præſumpſerint*, quod eſt in principio Capituli, præcipiunt Patres, ut nemini comportetur, ut plùs audaciæ, & authoritatis ſibi vendicet, quàm oporteat. Etenim aliqui reperiuntur, qui in omnibus, & de omnibus negotiis ſe intromittere volunt, & Magiſtrum agere, quod ſanè arrogantiam ac ſuperbiam ſapit. Sunt enim hujusmodi quàm primum coercendi, & admonendi, ut ſibi duntaxat attendant, ac invigilent.

Super illud verbum *Excommunicare*. Præcipiunt Patres ac volunt, ut omnino imprecatores malorum puniantur, neque enim decet Religioſos dicere, vade in malam crucem, infelicem tibi annum det Deus. Vade, ne amplius revertaris. Abi, ut collum, nedum tibiæ tibi frangantur, & hujusmodi, quæ non niſi homines plebæi, ac ſtultæ mulierculæ uſurpare videntur.

Prælatos quoque admonent, ut caveant in ſermonibus ſuis tam in Capitulo quàm extra à verbis, quæ poſſent pacem perturbare, & non niſi amaritudinem, & diſplicentiam afferre Fratribus. Neminem contemnat; omnes enim ad imaginem Dei conditi ſumus, & ejus pretioſo redempti ſanguine. Nulli ignobilitatem ſuam, vel paupertatem in ſæculo, vel delicta parentum, vel hujusmodi alia improperent: quandoquidem ab uno omnes Patre Adam originem trahimus, & ipſe quoque Dei Filius pauperrimus fuit, & pauperes in hoc mundo elegit.

Ut Obedientes ſint ſibi Fratres invicem.

CAPITULUM LXXI.

Obedientia bonum non ſolùm Abbati exhibendum eſt, ſed etiam ſibi invicem obediant Fratres, ſcientes, per hanc obedientiæ viam ſe ituros ad Deum. Præmiſſô ergo Abbatis, aut Præpoſitorum, qui ab eo conſtituuntur imperiô, cui non permittimus privata imperia præponi, de cætero omnes juniores Prioribus ſuis omni charitate, & ſollicitudine obediant. Quod ſi quis contentioſus reperitur, corripiatur. Si quis autem Frater pro quavis minimâ causâ ab Abbate, vel à quocunque Priore ſuo corripitur quôlibet modô, vel ſi leviter ſenſerit animum Prioris cujuscunque contra ſe iratum, vel commotum, quamvis modicè, mox ſine mora tamdiu proſtratus in terra ante pedes ejus jaceat ſatisfaciens, usque dum benedictione ſanetur illa commotio. Quod ſi quis contempſerit facere, aut corporali vindictæ ſubjaceat, aut ſi contumax fuerit, de Monaſterio expellatur.

Quamvis forſan alicui videtur Capitulum hoc Regulæ ſupervacaneum eſſe, cùm ſatis ſuperque in ſuperioribus Capitulis de obedientia diſſertum ſit: revera tamen res ſe aliter habet. Conſiderans namque Divus Pater Benedictus, quod illæ ſolæ actiones apud Deum meritoriæ exiſtunt, quæ ejus gratiâ, & amore fiunt: quódque virtuoſi minimè dici debent, qui non ob amorem virtutis juſta operantur, ſed aliquo alio fine non rectò, ùt puta, ob inanem Gloriam, Adulationem, Vanitatem, ſpem rerum temporalium, & hujusmodi: Voléns que obedientiam noſtram amore Dei, & non perſonarum intuitu opus ſuum peragere, præcipit, quòd non ſolùm Abbati, & Superioribus obtemperemus, verùm etiam aliis humilitate, & charitate id ſuggerentibus. Præcipiunt itaque Patres, ac volunt, quòd Monachi noſtræ Congregationis inprimis obedientes ſint Prælatis, tanquam Dei vicem agentibus: poſt Senioribus, deinde verò ſeſe Invicem charitate, & obſequiis præveniant.

Ut autem omnis vitetur abuſus, & omnis ſcandali occaſio tollatur, prohibent, ne quis præſumat Novitios, qui ſunt

ſunt ſub cura Magiſtri ullô pactô alloqui, vel eis quidpiam præcipere quantumcunque minimum, quoniam hujuſmodi adoleſcentes, non niſi à Prælato, & Magiſtro proprio corrigi, inſtrui, ac regi debent. Et qui huic ordinationi contrafecerit, ad arbitrium Prælati graviter puniatur: Et Novitius ſi fuerit in culpa, à Magiſtro.

Quoniam verò in nonnullis Monaſteriis damnandus abuſus ſubrepſiſſe videtur nimirum, quòd Magiſtri Novitiorum, cùm eis adoleſcentium cura demandata fuerit, gravatè ferunt, ac iniquo animo, quod Prælatus eos alloquatur, corrigat, vel aliquando eis quidpiam præcipiat: omnino hunc tollere volentes declararunt Patres, Prælatum omnium tam Seniorum, quàm juvenum, ac Novitiorum communem Parentem, ac Paſtorem eſſe. Omnéſque alloqui poſſe, cunctiſque præcipere, uti & quando ei libuerit: ac propterea, nec Magiſtros Novitiorum, nec alios quosvis inferiores, ac privatos Monachos, jure poſſe illos ſuper his redarguere, aut aliquo pacto reprehendere. Nihilominus Prælati, niſi urgens aliqua occurrat neceſſitas, eorum curam ac regimen Magiſtris ad id deputatis relinquere contenti ſint. Qui Magiſtri diligenter ipſos in omnibus inſtruant, ùt jam dictum eſt: nec unquam permittant eos ſolos extra Tyrocinium exire, nec cellam aliquam cujusvis alterius Profeſſi ingredi ſub pœna privationis ab officio, & ab omni alia dignitate per annum. Ubi in Regula dicitur: *Si quis autem Frater.* Præcipiunt Patres, ut ſecundùm veterem conſuetudinem, cùm quis à Prælato de quavis re etiam minima reprehenditur ſive privatim ſive publicè; ſtatim genuflectat, & ſic capite demiſſo maneat, quouſque Prælatus eum benedixerit, ac ſurgendi ſignum ſecerit. Ita enim famulus ille Dei, Benedicti veſtigiis ſe provolvit, qui ob acceptas mappulas à Sanctimoniali fœmina increpabatur. Ab eo præſertim verò ſic correptus à Prælato maximè in publico ſummopere caveat, ne verbunculum quidem reſpondeat, niſi interrogatus, & tunc cum modeſtia, & reverentia. Quod ſi gravatum ſe quiſque ſentiet, liceat ei poſtmodum Prælatum privatim in cellam convenire, & humiliter ab eo petere, ut rationes ſuas audire velit, & ſi id permiſerit (quod ſanè ſacere debet) excuſationes ſuas veras, & non ſimulatas, acſi coram Deo exiſteret, proferat. Et qui ſecus ſecerint, graviter ad arbitrium Prælati puniantur.

Quoniam verò nonnulli, quippe qui parùm humilitati ſtuduerunt, cùm extra Monaſterium egrediuntur, vel revertuntur, petendo benedictionem non integre genuflectunt, ſed potiùs Aulicorum more tantiſper inclinant. Volentes hujusmodi abuſum eliminare, præcipiunt Patres, ut in petitione Benedictionis tam Prælati, quàm alii privati Monachi, realiter inclinent, ac genuflectant; ita ut genua terram ipſam attingant. Idque omnes facilius efficient, ſi meminerint Prælatum (quemadmodum D. Pater ſuprà in Regula dicit) Chriſti locum tenere, & qui huic ordinationi contraſecerit, graviter puniatur.

De Zelo bono, quem debent Monachi habere.

CAPITULUM LXXII.

Sicut eſt Zelus amaritudinis malus, qui ſeparat à Deo, & ducit ad infernum: ita eſt & Zelus bonus, qui ſeparat à vitiis, & ducit ad Deum, & ad vitam æternam. Hunc ergo Zelum ferventiſſimo amore exerceant Monachi, id eſt, ut honore ſe invicem præveniant. Infirmitates ſuas ſive corporum, ſive morum patientiſſimè tolerent, obedientiam ſibi certatim impendant. Nullus, quod ſibi utile judicat, ſequatur, ſed quod magis alii. Charitatem Fraternitatis caſto impendant amore; Deum timeant, Abbatem ſuum ſincerâ, & humili charitate diligant; Chriſto omnino nihil præponant, qui nos pariter ad vitam æternam perducat. Amen.

Epilogando humilis Dei Servus Benedictus in hoc penultimo, ac brevi Capitulo ſuæ Regulæ, quæcunque ſuperius dicta ſunt, ac veluti ſub oculis omnia colligendo, quemadmodum, inquit, nimius zelus, ac inordinatus amor rerum ſublunarium nos ſeparat à Deo, & ad inferna deducit. Ita Zelus bonus, & ſanctus Dei amor nos ſeparat à vitiis, & ad ipſum Deum, æternámque patriam perducit. Hic, inquam, ſanctiſſimus Zelus Deum ſuper omnia nos diligere facit, cor in cæleſtibus ſemper tenere: ſupremam erga nos Chriſti dilectionem præ oculis jugiter habere: ad æternam illam, ac ſuper beatam Gloriam nunquam non ſuſpirare, omnia mundi hujus oblectamenta deſpectui habere, & pro nihilo ducere. Hic, hic ſanctus amor edocet, quàm miſeram hic vitam ducant, qui

dæmoni, qui carni, qui mundo, qui peccatis deſerviunt. Quantis undique ærumnis premantur, qui legem Dei derelinquunr. Quàm ſtultus, & vecors ille ſit, qui ſpem ſuam in his caducis, ac tranſitoriis rebus collocat.

E contra verò quàm prudens, quàm ſapiens, & verè felix ille habendus ſit, qui omnibûs mundi rebûs poſthabitis, uni, ac ſoli Deo ſervire ſatagit. Hunc amare juvat, hunc diligere, hunc laudare, huic ſoli obſequi, ei vivere, ac mori deſiderat. Sanctus item hic amor non ſuam ſed Dei gloriam, in omnibus quærere docet, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Diligit omnes, odit neminem, nulli nocet, juvat omnes, cunctis bona erogat, rogat pro omnibus, & in ſingulis deni͏que, quæ agit, non hominibus placere ſed Deo totis viribûs conatur. Hunc ſanctiſſimum Zelum cuncti homines amplecti deberenr, præcipuè verò Monachi, ac Religioſi, qui veluti lucernæ ardentes, ac ſuper candelabrum Eccleſiæ poſiti Laicos luce doctrinæ, & vitæ exemplo illuminare debent, quique uti ſal terræ inſipida hominum corda condire, & ab omni contagio, & corruptione cuſtodire ac ſervare deberent. Monachi igitur, qui hoc amore, ac Zelo ſunt præditi, invicem ſe diligunt, honorant, juvant, ùt Dei famuli, ùt Chriſti membra: & alter alterius onera cùm animi, rum corporis libenter portant. Ubi exulat hic ſanctus amor, ibi confuſiſſimam Babylonem eſt videre: ubi verò regnat, non niſi Paradiſum invenias. Donet igitur nobis Deus hunc ſanctiſſimum Zelum, ut eum propter ſe, & proximum propter eum diligere valeamus. Amen.

De eo, quod non omnis obſervatio juſtitiæ in hac ſit Regula conſtituta.

CAPITULUM LXXIII.

Regulam autem hanc deſcripſimus, ut eam obſervantes in Monaſteriis aliquatenus vel honeſtatem morum, aut initium converſationis nos demonſtremus habere. Cæterùm ad perfectionem converſationis, qui feſtinant, ſunt doctrina ſanctorum Patrum, quarum obſervatio perducit hominem ad celſitudinem perfectionis. Quæ enim pagina, aut quis ſermo divinæ auctoritatis veteris, ac novi Teſtamenti non eſt rectiſſima norma vitæ humanæ? Aut quis liber ſanctorum Catholicorum Patrum hoc non reſonat, ut recto curſu perveniamus ad Creatorem noſtrum? Nec non & collationes Patrum & inſtituta & vitæ eorum, ſed & Regula ſancti Patris noſtri Baſilii, quid aliud ſunt, niſi bene viventium, & obedientium Monachorum exempla, & inſtrumenta viventibus? Nobis autem deſidioſis, & malè viventibus, atque negligentibus rubor confuſionis eſt. Quiſquis ergo ad patriam cæleſtem feſtinas hanc minimam inchoationis Regulam deſcriptam adjuvante Chriſto perfice: & tunc demum ad majora, quæ ſupra commemoravimus, doctrinæ virtutúmque culmina Deo protegente pervenies. Amen.

Infelices ſanè ii ſunt, & indigni, qui Religioſi, & Dei famuli dicantur, quibus aſpera, dura, ac fere intolerabilis videtur hujus Regulæ diſciplina. Cùm D. P. Benedictus aſſerat in hoc poſtremo capite, ſe illam incipientibus duntaxat edidiſſe. Qui namque ad perfectionem aſpirant, non debent in iis ſiſtere, ſed ulteriùs progredi, & pro Regula ſibi aſſumere vitam, ac doctrinas ſanctorum Patrum, qui penitus huic mundo mortui, ſoli Deo in abditis ſolitudinibus vivebant. Itaque qui in hoc quaſi Tyrocinio vitæ ſpiritualis diu verſatus fuerit, & omnia, quæ hic Divus Pater ponit, ad unguem ſervaverit, ſi deſiderio majoris perfectionis ad ſacram Eremum noſtram ire voluerit, petitâ à Patribus licentiâ, poterit. Attamen nullus hoc attentare præſumat, niſi prius virium ſuarum experimentum ſumpſerit. Etenim qui centum librarum pondus ferre nequit, multo minùs poterit majorem ferre ſarcinam. Dedecus quoque eſt manus ad aratrum ponere, & deinceps retro aſpicere, cœptum nimirum propoſitum deſerere. Et revera ſumma imprudentia eſt, quod aliquis rem aggrediatur virium ſuarum metas excedentem, ſiquidem ei, aut paulo poſt ab incepto deſiſtendum, aut ſub onere ſuccumbendum neceſſe eſt.

CONSTITUTIONUM CAMALDULENSIUM LIBER SECUNDUS.

PROEMIUM.

CUm electio Abbatum, aliorúmque Prælatorum (uti jam dictum eſt) hodie fieri nequeat, quemadmodum tempore Divi Patris Benedicti , quando unumquodque Monaſterium ſibimet leges condebat , nec erant ſub una Congregatione plura Monaſteria , uti modò ſunt ; ordinârunt ſummi Pontifices, quando ſingulis annis , aut quolibet tertio anno, juxta diverſos Congregationum ritus , in qualibet Congregatione ſupremus Magiſtratus crearetur : cujus partes eſſent diſtribuere Monaſteriorum regimina , ac Prælaturas. Cum itaque ſupremus hic Magiſtratus , quem nos vocamus Deffinitorium , ſummam habeat authoritatem , & ſpeciatim creandi Abbates , & alios Prælatos , qui Monaſteria ex anno in annum regant ; antequam ad alia deſcendamus , operæ pretium videtur declarare , quônam pactô ab univerſa ereetur Congregatione ſupremus iſte Magiſtratus : deinde verò dicemus, quomodo reliquæ dignitates, ac Prælaturæ inter Patres ſunt deſtribuendæ. Sed unum illud præmittam, nempe authoritatem hanc ſummam Deffinitorii non ſolùm ex diuturna & antiqua conſuetudine robur habere , verùm etiam ex inſtitutione plurium ſummorum Pontificum præcipuè verò Alexandri IV. & V. Caliſti III. Gregorii IX. Pii II. Sixti IV. Innocentii VIII. ac demum Leonis X. Qui motu proprio Privilegia omnia , & indulta Eremo , & Congregationi , tam per Pontifices præfatos , quàm per Imperatores , ac Reges conceſſa , nec non ſtatuta , & ordinationes in Capitulo Florentino ſuper hoc edita Apoſtolica authoritate approbavit , & confirmavit : uti eſt videre in ipſorum Privilegiorum initio, & præſertim §. ſexto cum ſequentibus uſque ad ſextum decimum incluſivè. Quæ quidem Privilegia Leonis X. ab omnibus ejus Succeſſoribus usque in hunc diem confirmata , & approbata fuêre.

De Electione Conventualis , & iis, qui ad Capitulum venire tenentur.

CAPITULUM II.

MOdus itaque ereandi Deffinitorium , qui hactenus ſervatus eſt in noſtra Congregatione, & quem modò mandant Patres ſervari inviolabiliter, hic eſt. In primis omnes Prælati , qui ſcilicet habent ad minus numerum decem Monachorum profeſſorum ſub ſua cura ; quindecim , vel viginti dies ante Capitulum teneantur Vocales omnes in unum poſt Nonam colligere , ùt puta, Feriâ ſecundâ, vel tertiâ Paſchatis , ſanctiſſimæ Reſurrectionis , atque eis intimare , qualiter eos ibi in unum vocavit , ut Conventualis de more creetur. Cujus ſanè partes erunt univerſam Monaſterii indigentiam coram Reverendo Deffinitorio exponere , quomodo item ſe habuerit illô annô Prælatus erga ſubditos : quinam extiterint ſubditi erga Prælatum : quonam pacto cultus Divinus auctus fuerit : & quæ ſit Monaſterii diſpoſitio circa temporalia. Denique poſt authoritatem, brevî oratione præmiſsâ , & invocato Spiritu ſancto , cujus nutu cuncta reguntur ; cujusque fiat de manè in Miſſa Tertiæ commemoratio, ponantur in vaſe ſeu ſacculo tot ſchedulæ , quot ſunt nomina Monachorum non Sacerdotum : deinde unus eorumdem juvenum ad arbitrium Prælati , & de conſilio Seniorum extrahat ſchedulas duas è dicto vaſe ; & ii , quorum nomina extracta fuerint , ſtatim ante Prælatum (cui aſſiſtant hinc inde duo Seniores) euntes genuflectant. Deinde coram omnibus tot ſchedulæ in uno ſacculo ponantur , quot ſunt Monachi Sacerdotes ejuſdem Monaſterii , in quibus ſchedulis ſcripta ſint nomina eorum. Deinde verò in alio ſacculo ponantur totidem ſchedulæ albæ , præter duas vel tres , juxta numerum Monachorum , in quibus Crux una ſignari debet. Notandum verò , quod hujusmodi ſchedulæ ejusdem eſſe debent papyri , quanti-

titatis, plicaturæ, & ita benè clauſæ, ut legi non poſſint.

His itaque in hunc modum diſpoſitis alter juvenum, qui forte extractus fuerat, educat ſingillatim ſchedulas nominum: Alter verò ſchedulas albas, & notentur nomina eorum, cui ſchedulæ cum Cruce contigerint. Cúmque omnes ſchedulæ nominum eorum, quibus Cruces contigerunt, ſive duæ ſive tres fuerint, & ponantur in uno ſacculo omnes, cúmque bene invicem mixtæ fuerint, ab altero illorum juvenum, qui erit minor natu, una illarum extrahatur, & ille, cujus nomen ſcriptum erit in tali ſchedula, pro vero, & legitimo ſocio Conventuali habeatur; eique plenam, & indubitatam fidem in iis, quæ Fratrum, & Monaſteriorum noſtrorum honorem, & utilitatem concernunt, Patres Deffinitores adhibeant. Huic neceſſitates ſuas Monachi exponant: Dent literas ad Deffinitorium, ſi quas habent: Committant verbotenus, ſi quid habent.

Hic in Capitulo, cùm repræſentet omnes ſui Monaſterii Fratres, vocem habebit in electione Deffinitorum; & cuncta Monaſterii, ac Fratrum particularium negotia fideliter ibi tractabit: Secretiſſima tenendo, quæ ſibi tradentur in ſcriptis, ſolis Deffinitoribus portanda, aut verbo referenda, ex quorum relatione notabile ſcandalum poſſet oriri. Quod ſi contrafecerit, non poſſit eligi uſque ad triennium, & inſuper ab ipſo Generali etiam graviùs juxta rei exigentiam puniatur.

Notandum verò, quòd in Conventualem eligi non poteſt, qui voce paſſiva, vel in genere, vel in illo actu ſpeciali eſſet privatus. Similiter ſi aliquis Fratrum ſciret quempiam Sacerdotem ob alium quemvis defectum non debere admitti ad talem electionem, poteſt, imò verò debet illum detegere, vel in ſecreto ipſi Prælato, vel publicè, ſi ei viſum fuerit, citra tamen odium, & indignationem aut paſſionem ullam, ſed zelo tantùm juſtitiæ, & debito. Et in tali caſu Prælatus judicet cum conſilio Seniorum quid agendum, & ſi juſtitia ita exigere videbitur, vocet Fratrem illum, & verbis conſolatoriis rem illi exponat hortans, ut pacificè cedat. Si in aliquo Monaſterio non eſſent juvenes, aut Novitii ad extrahendas dictas ſchedulas, aſſumantur unus, vel duo Fratres converſi ad arbitrium Prælati, & Seniorum. Qui verò Conventualem aliter creare præſumpſerint, tam Prælatus, quàm Conventualis in futuro Capitulo utraque voce careant. Et ſi aliquis Prælatus in hujuſmodi Conventualis creatione fraudem aliquam (quod abſit) commiſerit, & fuerit convictus, per triennium omni dignitate, & Prælatione in pœnam ſit privatus: & talis creatio invalida ſit, & nulla. Quoniam verò Conventualis univerſos ſui Monaſterii repræſentat, caveat Prælatus, ne eum habeat in itinere loco famuli, ſed tanquam comitem. Ipſe autem Conventualis officium ſuum fideliter, & animosè exequatur. Et ſi quid habet referre Deffinitorio contra Prælatum, illud eidem Prælato nullô pactô detegat ſub pœna carceris per duos menſes, & jejunandi quâlibet Feriâ ſextâ dicti temporis in pane, & aqua. Nec Prælatus ægrè ferat, quod ipſe Conventualis ſuo munere diligenter utatur, ſed curet magis ita ſe gerere in ſuo Magiſtratu, ut de eo non niſi bona referri poſſint ad Capitulum. Volunt præterea Patres, ut excludantur ab hujuſmodi electione, qui propter infirmitatem, ſenectutem, vel aliud legitimum impedimentum ſe ante excuſaverint, dummodo videatur inſuper, quod ea die, quâ hujuſmodi debet fieri electio, Prælatus legat, ita ut omnes intelligant, hoc præſens Capitulum, vel legi faciat Fratribus congregatis in Capitulo poſt Nonam. Denique ſuos Monachos Patres admonent, ne vetentes Capitulo ſcribere, inordinatis paſſionibus ſeducantur: nec quadam animi facilitate, ne dicam levitate, ſcribant, ſed Deum præ oculis habentes ea, quæ fuerint neceſſaria, & utilia, ſuggerant Patribus cum omni honeſtate, & gravitate. Ut autem pax, & benevolentia inter nos quàm maximè conſervetur, admonent Prælatos & Monachos, ut nullo unquam tempore quærant, quis contra eos ſcripſerit Capitulo, vel ipſos in Viſitationibus accuſaverit.

Electô autem Conventualî fiant à Senioribus literæ Teſtimoniales, ſive credentiales, cum appoſitione ſigilli ipſius Monaſterii, fidem Generali, & Patribus facientes de hujuſmodi electione. Quarum quidem literarum tenor & forma ſit hujuſmodi: videlicet Reverendiſſimi Patres, Mittimus ad vos dilectiſſimum Fratrem noſtrum Dominum N. in Conventualem, ſecundùm ordinationes noſtras electum ab univerſo conventu, & Fratribus, cui plenam & indubitatam fidem in iis, quæ Fratrum, & noſtri hujus Monaſterii utilitatem concernunt, adhibere dignemini. Valete in Chriſto. Ex Monaſterio noſtro ſancti N. Die Menſis &c. Et infra. Filii Monaſterii ſancti N. Venire autem ad Capitulum teneantur, & debeant non ſolùm Reverendiſſimus Pater Gene-

Generalis, Viſitatores, Prælati regimen habentes, & Titulares, ùt ſuprà: verùm etiam Rectores, qui quovis nomine cenſeantur, in aliquo Monaſterio Congregationis noſtræ principalem adminiſtrationem de mandato Deffinitorum, etiam ſine titulo, habuerint. Similiter, & Monachus qui, ùt ſuprà, electus fuerit ſocius Conventualis, quod ſi aliquâ rationabili, & legitimâ causâ contigerit Prælatum non poſſe venire, in tali caſu mittat ipſum Conventualem. Si verò & Prælatus, & Conventualis, juſtis cauſis eſſent impediti: tunc ipſe Prælatus, & conventus teneantur mittere literas, tam bonum Congregationis, quàm ſui Monaſterii concernentes per unum ex Fratribus, de communi conſenſu majoris partis Monachorum, ſeu per Conventualem propinquioris Monaſterii.

Si aliquis Prælatus propter infirmitatem, aut aliam legitimam cauſam (habitâ licentiâ à Patre Generali, & Viſitatoribus) non veniret ad Capitulum, permaneat omni modo (uti jam dictum eſt) in ſua authoritate: Si verò non habitâ licentiâ, ipſo facto, die quâ omnes Prælatos abſolvi ſolitum eſt, authoritate, titulo, loco, regimine, & cura, quâ Prælati tenebant, ſe privatum noverit pariter & abſolutum, & cura omnis tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus ad Priorem, vel Subpriorem devolvatur. Præter ſupradictos autem non præſumat aliquis cujuſcunque gradûs, ſeu conditionis exiſtat, venire ad Capitulum, niſi habitâ priùs à Patre Generali licentiâ. Quod ſi quis contrafecerit, non audiatur à Deffinitoribus: & eodem tempore Capituli jejunet ter in pane & aqua in Refectorio: & inſuper per triennium non poſſit ad aliquam dignitatem, & gradum promoveri. Si verò quis Prælatus causâ manifeſtâ infirmitatis voluerit ſecum adducere unum ex Fratribus converſum, vel commiſſum pro ſui obſequio, permittatur ei, cognitâ causâ à Patre Generali, & Viſitatoribus. Si Conventualis ſolus ſine Prælato venerit ad Capitulum, & id ſuâ culpâ acciderit, jejunet bis coram Patribus omnibus in Refectorio, & in terra pane, & aqua.

Quæ per Prælatos ad Capitulum ſint deferenda.

CAPITULUM III.

Appropinquante tempore Capituli, quilibet Prælatus unacum ſuo Conventuali ſic iter arripiat, ùt Feriâ ſextâ præcedente Dominicam, in qua inchoari debet Capitulum, vel ſaltem ſequenti mane ante Miſſam Tertiæ ad Monaſterium, & locum deputatum perveniat, ſub pœna privationis activæ vocis, & paſſivæ in electione Deffinitorum: niſi fortè aliqua urgente, & legitima cauſa fuerint impediti, aut licentiam retardandi à Reverendiſſimo Patre Generali habuerint.

Itaque in unum ſic collecti Fratres mane Sabbati Chorum ingrediantur, & ſolemniſſimè cantetur Miſſa Beatæ Virginis Mariæ ab Abbate ſancti Michaelis de Murano. Eodem die poſt Nonam in loco ſolitæ reſidentiæ Patris Generalis ſimul congregentur unacum ipſo Reverendiſſimo Viſitatores, & Abbas ſancti Michaelis prædicti, uti & Camerarius, ſive Capſarius univerſæ Congregationis. Ad quos ſubinde veniant Prælati omnes deferentes extractum, ùt dicimus, ſive notam redditaum, & expenſarum ſuorum Monaſteriorum.

Et ſolvent juxta numerum redditaum pro quolibet centenario unum pro expenſis neceſſariis, quæ quotidie fiunt ad commodum ipſius Congregationis. Si quis verò aut extractum non detulerit, aut in præſentatione hujuſmodi rationum fraudem aliquam commiſiſſe depræhenſus fuerit, ad arbitrium Patrum Deffinitorum in eodem Capitulo graviùs puniatur, vel poſt Capitulum, ſi tum res in lucem venerit, à Patre Generali, & Viſitatoribus.

Soluto autem uno centenario, proferat Prælatus quilibet fidem à duobus Senioribus ſui Monaſterii ad minus, & à Patre Vicario Provinciæ ſubſcriptam, in qua habeatur, Prælatum ipſum depoſuiſſe in capſa ſui Monaſterii ſuam ratam quindenii, & quæ à ſuis prædeceſſoribus ante repoſita fuerant ſervâſſe, & in eadem capſa verè, ac realiter reliquiſſe. Et quicunque hoc facere contempſerit, ſit ipſo jure, & abſque alia ſententia omni dignitate, & officio privatus ad quinquennium. Eandem quoque pœnam incurrere volunt, quicunque dictam fidem falſificaſſet. Qui verò eam ſubſcribunt, non credant ſimplicibus verbis Prælati, ſed teneantur ſub ſcrupulo conſcientiæ eam in capſa videre, ac numerare. Quæ pecunia quindenniorum in abſentia Prælati nemo attingere præſumat.

Et

Et ſi ipſe Prælatus eô uteretur in aliqua extrema neceſſitate, teneatur, antequam ad Capitulum pergat, eandem in capſa refundere, ſub pœna privationis ut ſuprà.

Teneantur etiam iidem Prælati deferre ſecum ad Capitulum libellum Debitorum, & Creditorum Domûs & Monaſterii ſui cum cauſis eorum, ut de omnibus Patres Deffinitores informare valeant, ac etiam ſuos ſucceſſores in officio. Quod ſi quis hoc facere contempſerit, aut fraudem in his conficiendis admiſerit, careat voce activa, & paſſiva in electione Deffinitorum. Ad officium etiam Prælatorũ ſpectat petere licentias pro eis, qui promovendi ſunt ad Sacerdotium, ſi opus fuerit, & petere literas gratioſas pro Benefactoribus Monaſterii ſui. Conventuales autem ad Capitulum ferre teneantur, omnî cum diligentiâ, literas Fratrum & ſuam pariter literam teſtimonialem, & ſi quid eis ſimile fuerit à Fratribus demandatum.

De Abſolutione Generalis, & aliorum Prælatorum ab omni regimine, dignitate, ac titulo.

CAPITULUM IV.

His omnibûs in Sabbato ita peractîs, die Dominico ſequenti, cum maxima ſolemnitate cantabit Miſſam de Spiritu ſancto Reverendiſſimus P. Generalis, Diaconus erit major Viſitator, Subdiaconus verò minor. In qua quidem Miſſa omnino prohibetur cantus figuratus, ſed cantus duntaxat firmus, & organa ibidem reſonent. Eadem pariter die Sacerdotes omnes privatas Miſſas de Spiritu ſancto celebrabunt. Dictâ ſextâ, omnes in Refectorium conveniant, ubi ſub gravibus pœnis præcipitur, ne hac die, & aliis, durante Capitulo, dentur niſi duo fercula, ſive duæ pictantiæ. Nec deſit ſacra lectio de Homilia Evangelii currentis. Circa finem verò prandii, facto ſigno à Prælato, deſcendat, qui legerit è ſuggeſto, & is, qui ſermonem latinum de more habiturus eſt, accepta benedictione aſcendat, & orationem ſuam recitet, quæ brevis eſſe debet, & circa ea, quæ tractanda ſunt eadem die, verſari, antequam verò recitetur, Pater Reverendiſſimus, & Viſitatores teneantur eam, & alios ſimiles videre, & audire.

Deinde, Nonâ dictâ, ad ſonum Campanulæ Pater Generalis, Viſitatores, ac Prælati omnes cum ſuis Conventualibus (qui omnes totum Capitulum faciunt, & repræſentant univerſam Congregationem) in Capitulum veniant: ibique mentali prius oratione præmiſſa, Pater Generalis dicat: ℣. *Salvos fac Servos tuos.* ℟. *Deus meus ſperantes in te.* ℣. *Eſto nobis Domine Turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in nobis.* ℟. *Et Filius iniquitatis non apponat nocere nobis.* ℣. *Domine non ſecundùm peccata noſtra facias nobis.* ℟. *Neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuas nobis.* ℣. *Mitte nobis Domine auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Syon tuere nos.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra oratio, & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.

Famulorum tuorum, quæſumus Domine, delictis ignoſce, ut qui tibi placere de actibus noſtris non valemus, Genitricis Filii tui Domini noſtri interceſſione ſalvemur.

Interceſſio nos, quæſumus Domine, Beatorum Patrum noſtrorum Benedicti, & Romualdi commendet, ut quod noſtris meritis non valemus, eorum patrocinio aſſequamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

His præmiſſis & facta proteſtatione à Patre Reverendiſſimo, de non admittendis, qui admitti non merentur, nec excludendis, qui excludi non debent ab electione Deffinitorum, ſedente ipſo Reverendiſſimo in loco ſuo in medio Viſitatorum, omnes Prælati genuflexi, ſeu in terram proſtrati, humiliter ac per ordinem culpas ſuas dicant, & renuncient ſuis dignitatibus, ac Prælaturis in manibus ipſius Reverendiſſimi, ac Viſitatorum. Vel ſi placuerit, antiquior Prælatus vice omnium aliorum alta voce culpam dicat, ac veniam petat de omnibus negligentiis, renunciétque modô dictô Prælaturis omnibus, ac officiis, ab eisque petat abſolvi. Cúmque Pater Reverendiſſimus renunciationes factas acceptaverit, & abſolverit, ac abſolutos pronuntiaverit Prælatos dictos ab omni eorum dignitate, & adminiſtratione, imponendo pro negligentiis ſalutarem pœnitentiam, renunciabit & ipſe Generalatui ſtando in ſuo loco, coram Viſi-

Viſitatoribus ſedentibus. Cúmque Viſitatores dictam renunciationem acceptaverint, & abſolutum pronunciaverint, ſurgant omnes Prælati, & ſua loca ſecundùm ordinem profeſſionis illicò petant, ſupra tamen Conventuales.

De Electione Scrutatorum.

CAPITULUM V.

POſt hæc Pater Reverendiſſimus, Viſitatores, & quatuor ex Senioribus, proponant ſinguli, & nominent ſecretè in aurem Patris Generalis, quos ille conſcribat in ſchedula, unum vel duos Monachos, hoſpites, vel ejuſdem Monaſterii, non Prælatos, neque Conventuales, qui per diſquiſitionem eligantur ad recipiendum ſcrutinium Deffinitorum: & horum tres, qui pluribus (ultra medietatem) ſuffragiis nominati fuerint, pro veris, & legitimis ſcrutatoribus habeantur. Quod ſi nullus ex iis, qui præpoſiti fuerant, à pluribus (ultra medietatem) approbatus fuerit, & electus, iis omnibus excluſis, alii denuo proponantur, & per diſquiſitionem eligantur, & ſic deinceps, donec dictus numerus ternarius ſcrutatorum legitimè habeatur. Et ſi fuerint aliqui pares in vocibus, præferatur, qui major eſt profeſſione.

His itaque hunc in modum electis, & vocatis coram Patribus, exponat eis Reverendiſſimus præteritus, quod ſit eorum officium, & quid agere debeant. Præcipiátque eis in virtute ſanctæ Obedientiæ, ut impoſitum ſibi officium fideliter exequantur: nec unquam revelent ullô pactô, nec directè, nec indirectè, quot quis voces, aut fabas habuerit, nec aliud quid eorum, quæ à Patribus ſecretè tractantur, ſub pœna privationis vocis utriusque per triennium. Quam pœnam eos etiam incurrere volunt, ſive Prælati ſint, ſive Scribæ, qui quidpiam eorum, quæ in Deffinitorio geruntur, revelare præſumpſerint. Neque verò hoc loco tacendum putamus, quod, qui voce paſſiva privati ſunt, ad nullam dignitatem, aut Prælaturam in noſtro ordine, quamdiu ſic fuerint ſuſpenſi, eligi poſſunt.

Facta deinceps Scrutatorum electione, & vaſibus ad hoc præparatis, tot ſacculi ex ordine ponantur in uno, quot ſunt illi, qui paulo ante Prælaturis renunciârunt: ſintque hujuſmodi ſacculi nominibus eorum inſcripti. In alia verò urna, ſeu vaſe ſimiliter totidem ſacculi ex ordine ponantur, quot ſunt Conventuales, & in ſingulis nomen unius illorum ſcriptum ſit.

De Electione, & Poteſtate Patrum Deffinitorum.

CAPITULUM VI.

POſt hæc reſidentibus, ùt ſuprà præſcriptis Patribus, unicuique tot fabæ albæ, & nigræ dentur, quot ſufficere poſſint ad hujuſmodi electionem faciendam. Et demum Pater Generalis adhortetur omnes in Chriſti viſceribus, ut velint in tanti Magiſtratûs electione (ſepoſitis paſſionibus, & affectibus propriis) bonum ſibi commune proponere, & Dei duntaxat Gloriam & animarum commodum inveſtigare. Quibus omnibus peractis primus Scrutator, accipiens ſacculum Patris Generalis præteriti, ab unoquoque ſuffragium recipiat, ſæpe repetens alta voce Reverendus Pater Domnus N. vobis proponitur pro Deffinitore, ſi placeat.

Deinde ſecundus Scrutator accipiens ſacculum ſecundum, circumferat illum ſimiliter, accipiendo fabas, & ſuffragia, pro illo Prælato, quem pariter nominet ſæpius. Tertius ſimiliter Scrutator tertium ſacculum deferat, & accipiat vota; & primus deinceps Scrutator quartum ſacculum, & ſic de ſingulis. Delatis ergo omnibus & ſingulis ſacculis Prælatorum, bene clauſi reponantur in propria urna, ſeu vaſe: & poſtmodum ſimiliter ſacculi Conventualium circumferantur eodemmet modo. Et his quoque abſolutis, & in proprio vaſe repoſitis, Scrutatores (omnibus aliis licentiatis) ſoli remaneant, & apertis primum ſacculis Prælatorum, & facta collatione numeri ad numerum, ſignent, quot fabas nigras unuſquiſque Prælatus habuerit, incipiendo à ſacculo Patris Generalis. Et illi ſex, qui ultra medietatem plures fabas nigras habuerint, ſeorſum ſcribantur ſecundùm profeſſionem, cum hac ſuperſcriptione, Deffinitores Prælati. Deinde, per ordinem

dinem aperiant ſacculos Conventualium, & facta ſimiliter collatione fabarum, illi tres, qui ultra medietatem plures fabas nigras habuerint, ſeorſum ponantur cum inſcriptione, Deffinitores Conventuales.

Quod ſi duo pariter totidem votis eligerentur, ſi ambo fuerint Prælati, anteponatur, qui major eſt ſecundùm profeſſionem. Simiter ſi ambo fuerint Conventuales, major ſecundùm profeſſionem, ſit Deffinitor, alterô excluſò. At ſi unus Prælatus, & duo Conventuales iiſdem votis peterentur, Prælatus primò admittatur, deinde Conventualis, qui major eſt profeſſione, altero Conventuali cedente. Quod ſi vice verſa, duo Prælati, & unus Conventualis paribus votis concurrerint, Conventualis primò admittarur, deinde Prælatus major ſecundùm profeſſionem, minore Prælato excluſo. Verùm ſciendum, quòd fabæ nigræ approbant, albæ negant & explodunt.

Sciendum item, quod ſi quis ſacculus repertus fuerit plures fabas habere, quàm ſit numerus electorum, inanis erit talis electio per fraudem factam. Quod ſi fabæ albæ additæ, vel ſubtractæ, nec damnum, nec utile afferunt, non propterea electio erit Invalida, ut puta, ſi quis vigintiquinque fabis nigris electus eſſet Deffinitor, & haberet per fraudem viginti ſeptem, illæ duæ per fraudem additæ non propterea invalidam reddunt electionem. Et ſic de ſimilibus.

Item ſciendum, quod non poſſunt eligi in Deffinitores ii, qui ob aliquod flagitium carceri mancipati fuerint, niſi à Patribus denuo habilitati fuerint ad hujuſmodi munera obeunda. Imò verò nec Prælaturas alias tales ſine diſpenſatione obire poſſunt.

Item ſciendum omnibus eſt, quod ex Conſtitutione à duobus jam Deffinitoriis approbata, & authoritate etiamnum Apoſtolica confirmata, non poſſunt eligi in Deffinitores pluſquam duo Profeſſi ejuſdem Monaſterii, ſive ſint Prælati, ſive Conventuales. Non tamen id intelligi debet de Patre Reverendiſſimo Generali, qui ratione officii univerſalis perſona cenſetur. Quare, ſi plures, quàm duo ejuſdem Monaſterii in Deffinitores electi eſſent, duo priores, qui ſcilicet plures voces habuerint, prævaleant, aliis cedentibus.

Item notandum, quod ſi quis ambitiosè, ac fraudulenter ſeducendo aliquos, hunc ſibi gradum ſubripuerit, omni dignitate perpetuò carere debet. Deffinitoribus itaque hunc in modum creatis, denuo ad ſonum campanulæ vocentur Patres in Capitulum, & omnibus ſedentibus primus Scrutator accepta benedictione à Patre Generali alta voce legat, & pronunciet, primum Deffinitores Prælatos: deinde Conventuales.

Sed antequam ad alia progrediamur, ſciendum eſt, quod ad officium Deffinitorum pertinet cuncta in Capitulo occurrentia, atque de Congregatione diſponere: quod tempore Capituli ipſi Deffitores omnem repræſentant Congregationem: quodque ipſis electis, intelligitur omnis à Capitulo, & Patribus univerſis tributa poteſtas. Idcirco omnia, quæ fuerint per ipſos in Capitulo diffinita, juxta Privilegiorum noſtrorum tenorem inviolabiliter obſerventur ab omnibus Prælatis, & Fratribus noſtræ Congregationis, cujuscunqne gradûs, ſeu conditionis exiſtant.

De his, quæ agere debent Patres Deffinitores, immediatè poſt eorum creationem: & de electione Præſidentis Deffinitorii, Scribæ, & aliorum.

CAPITULUM VII.

Mox abeuntibus Monachis ad propria, Deffinitores in loco ſolitæ reſidentiæ adnnati, & ſedentes ſecundùm ordinem profeſſionis: primum ſemper locum tenente Reverendiſſimo Patre Generali, qui ſemper eſſe debet, niſi aliquod notabile eſſet impedimentum, unus ex Patribus Deffinitoribus: eligant per fabas unum è gremio illorum, qui ſit caput, & Præſidens Deffinitorii, & Ipſe (niſi adſit ùt ſuprà legitimum aliquod impedimentum) juxta conſuetudinem hactenus ſervatam, eſſe debet Reverendiſſimus P. Generalis præteritus. His peractis, ut omnia cum ordine fiant, creent Patres Deffinitores, Oeconomum ſpiritualem, qui primum locum poſt Deffinitores teneat cum ea authoritate, quam quilibet Prælatus in ſuo Monaſterio habere ſolet. Hujus erit in primis curare, quod officia divina congruè celebrentur, ordinare, qui debeant ſingulis diebus Miſſas canere, qui debeant illis miniſtrare; ſollicitare Fratres ad frequentationem Chori; ſtatuere, quibus horis refectio ſumi debeat, licentiare Fratres,

ut

ut extra Monaſterium vadant pro neceſſariis Domûs, & alia hujusmodi facere, quæ ſolet Prælatus in ſuo Monaſterio.

Creent præterea Oeconomum temporalem, cujus officium ſit providere neceſſaria pro victu Capituli. Deinde eligatur Scriba, qui omnes Capituli actiones conſcribat, quique plenus rimarum non ſit, ſed fidelis, prudens, & ſecretus. Sciátque per eum ſcripta non minùs roboris habere, quàm ſcripta per Scribam publicum, ſeu Notarium. Cujus quidem Scribæ (qui debet eligi de numero Prælatorum vel Conventualium) ſit officium, literas omnes Capitulo præſentatas coram Deffinitoribus legere, & ea, quæ alicujus ponderis, aut digna examine conſpexerit, in uno folio in modum memorialis notare, ut poſtea per Deffinitores examinentur. Sit etiam ejus officium ſtatuta, & terminata per Deffinitores in Regiſtro deſcribere diligenter, & annotare. Scribi etiam faciat literas gratioſas pro Benefactoribus Congregationis, cum appoſitione ſigilli, quas ipſe ſubſcribat.

Licentias quoque vendendi, ſeu quòvis titulò alienandi, per Deffinitores conceſſas ſcribat, vel ſcribi faciat, ipſe ſubſcribat, & ſignet. Ejus quoque partes erunt, reſpondere literis ad Deffinitorium directis, & dare copiam Conſtitutionum eòdem Capitulô factarum. Et ſi opus fuerit, detur ei Coajutor. Et demum in abſolutione Capituli publicè, & coram omnibus, ùt infra dicetur, perlegat omnia acta, ſtatuta, & terminata, ac deffinita per ipſos Patres Deffinitores.

Deinde, eadem ſeſſione, inſtituantur tres Oſtiarii, qui ſemper adſtent januæ Deffinitorii. Quatuor ſubinde Servitores menſæ, & Lector. Qui omnes intra Deffinitorium vocati, à Præſidente inſtruantur circa eorum officia. Similiter à Patribus tres Computiſtæ eligi debent, ad quos attineat in ſupradictis extractibus rationes Monaſteriorum, reddituum videlicet, & expenſarum, diligenter inſpicere, & examinare, & poſtea relationem facere coram Patribus Deffinitoribus citra perſonarum acceptionem.

De Abſolutione Viſitatorum ab eorum officio.

CAPITULUM VIII.

SEquenti die, poſt celebrationem, vel auditionem Miſſarum, congregati in unum Patres Deffinitores primum vocari faciant ad ſe Patres Viſitatores, & ab ipſis audiant in primis diligenter viſitationes uniuscujusque Monaſterii, tam Monialium, quàm Monachorum: & poſtmodum diſpoſitionem Ordinis, ac Monaſteriorum: quid viderint, quid intellexerint in ſuis Viſitationibus, quo in ſtatu Congregatio noſtra ſit poſita, quinam ſint mores Monachorum, quanta obſervantia, quæ fama de ipſis in populis habeatur, & hujusmodi. Qua relatione fideliter facta renuncient & ipſi officium in manibus Patris Præſidentis, & Deffinitorum, qui dictam renunciationem acceptando pro negligentiis de more pœnitentiam eis injungant.

Sed non videtur Patribus, hôc locô ſilentiô prætereundum, quòd quemadmodum errant Viſitatores, non conſiderando in viſitationibus ſuis multa, quæ, etſi non eis in viſitationibus dicuntur, tamẽ per aliam viam ſciunt, & intelligunt, nec referendo ea Patribus Deffinitoribus: Ita etiam errat Reverendiſſimus, cùm diſſimulat, nec intelligere curat, quæ eſſent intelligenda, imò perquirenda, ut neminem contriſtet. Necnon & Deffinitores aliquando ſimiliter errant, aut difficiles ſe exhibendo in danda audientia, aut modicam fidem eis, qui aliqua referunt, adhibendo. Quare ſequitur, ut vitia à Patribus ſine punitione & emendatione relicta, plerumque ab aliis cum dedecore Religionis, & multorum ſcandalo puniantur. Idcirco Patres obſecrant, ac in Chriſti viſceribus monent Generales, ac Viſitatores omnes, qui futuris temporibus erunt, ut omni cum diligentia exequi curent eorum officium, quod ſanè majoris eſt momenti, quàm multi forſan arbitrantur: & minuatim ſingula Deffinitoribus referant, quæ in ſuis Viſitationibus cognoverunt. Ipſi verò Patres Deffinitores quæcunque eis referuntur, maturè conſiderent, & nihil parvi pendant, quoniam perſæpe parva ſcintilla, quæ modico labore extingui poterat, neglecta in ardentiſſimam, & penè inextinguibilem flammam ſuccrevit. Sciántque verum eſſe illud Prophetæ, multa nimirum parvulis, & humilibus plerumque revelari, quæ magnis, & ſapientibus denegantur.

De Prælatorum, & Conventualium examinatione.

CAPITULUM IX.

Proinde licentiatis Viſitatoribus, Patres Deffinitores perlegant literas, ad eos transmiſſas ſive à Monaſteriis, ſive ab aliis: & ſi quid in eis erit, quod aliqua egeat diſcuſſione, vel conſultatione, faciant Scribam ejus rei memoriale aliquod ſumere, uti jam dictum eſt.

Mox audiant Prælatos, qui Monaſteriorum curam geſſerunt, inquirentes ab eis ſtatum Monaſteriorum, & diſpoſitionem: quot habeant Monachos, quomodo ſe gerant in Dei ſervitio, ac ſi pacificè vivunt. Poſt Prælatos autem ingreſſus detur Conventualibus, & ſingillatim examinentur de regimine ſuorum Prælatorum, qualiter ſe geſſerint, tam circa cultum divinum, quàm circa adminiſtrationem rerum temporalium. Utrum ſcandalum aliquod notabile contigerit in eorum Monaſterio, & utrum id iocuriâ, & negligentiâ Prælati acciderit. Quem Monachi deſiderent habere in Prælatum, cùm ſit innovandus. Et ſimiliter, quem vellent eſſe Generalem, ſi eſſet mutandus. Præterea exponant ipſimet Conventuales, ſi quid habent dicere ex perſona particularium Monachorum, quoad mutationes, & alia. Sed animadvertant, quod etſi cuncta exponere habent, quæ & bonum univerſale concernunt, & peculiare ſuorum Monaſteriorum commodum, non tamen debent ſe ipſos, ac Patres Deffinitores, nugis, ac rebus nullius momenti tædiô, ac moleſtiâ afficere. In medium itaque afferant non defectus, ac imperfectiones, quæ quotidie, & paſſim in Monaſteriis accidunt (has enim Prælatus ordinarias corrigere, & emendare debet) ſed ſi qua ſunt conſideratione digna, ac tanti Magiſtratûs animadverſione, ea denuncient, & inculcent. Qui verò falſum aliquod ſcienter retuliſſe depræhenſus fuerit, contra Prælatum ſuum, vel alium quemvis, veluti infamis, ac Monaſtico habitu indignus, graviùs puniatur. Qui verò veraces, & Dei Zelo ducti, in ſuis narrationibus inventi fuerint, commendentur à Patribus, & congruo tempore dignis honoribus cumulentur. Ut autem Conventuales prædicti liberè, quæ habent, & ſentiunt, exponere coram Patribus valeant, præcipitur omnibus, & ſingulis Deffinitoribus, ut nullo unquam tempore revelare præſumant, quæ viderint, & audierint ab ipſis Conventualibus in loco ſolitæ reſidentiæ, & in Deffinitorio exiſtentes. Et qui contrafeciſſe depræhenſi fuerint, cùm ex officio fuerint egreſſi, graviter à Reverendiſſimo Patre Generali puniantur, & per quinquennium, omni dignitate, & Prælatura priventur. Cùm ſanè indignus meritò cenſeri debeat quocunque vel minimo Magiſtratu, qui audita ſub ſecreto revelare præſumit.

Statuerunt etiam Patres, quod Prælatus, de quo facienda eſt examinatio, ſi ſit Deffinitor, exeat de Capitulo. Similiter, ſi quis Deffinitorum habeat Prælatum ſibi conſanguinitate conjunctum, quando de illo Prælato fit examinatio, Deffinitor ille tunc exeat, nec præſens ſit in illa examinatione, & Conventualis relatione. Conventuales etiam Deffinitores exeant Capitulum, cùm ſuorum Monaſteriorum Prælati ingrediuntur examinandi. Habita igitur de omnibus informatione, notentur à Scriba, ſi qua repræhenſione digna fuerint: & accerſito eo (cùm tempus erit) qui eſt repræhendendus, à Præſidente Capituli interrogetur diſtinctè, & ſeriatim de ſibi oppoſitis importantibus, ne inaudita parte contraria procedatur minùs juſtè. Et tandem audita ejus reſponſione, Præſidens eum, prout viderit expedire, de conſenſu Patrum abſolvat, vel moneat, corripiat, & puniat. Et ſimiliter cum quocunque alio, ſi præſens fuerit, procedatur.

Quam quidem correctionem, vel admonitionem volunt Patres recipi cum omni reverentia, & devotione.

Si verò per Conventualem, aut quemvis alium relata fuerint aliqua, de quibus tunc haberi certa informatio non poſſit, dentur Generali, & Viſitatoribus, aut Provinciæ Vicario, ut examinent & procedant, prout infra Capitulo de Viſitationibus ordinabitur.

Quo-

Quomodo terminanda expedire debeant Deffinitores.

CAPITULUM X.

His itaque peractis, in ſequentibus ſeſſionibus tertiæ, & quartæ Feriæ, ſi tot negotia præcedenti die expleta fuerint: Patres Deffinitores nuncios, ſi qui ad eos miſſi fuerint, audient primùm, deinde reliquos omnes & privatos Monachos, & ſæculares, qui audiri ab eis expetent: & notari à Scriba faciant, ſi quid eis adnotatione dignum delatum fuerit. Et hac ſeu ſequenti die in Refectorio poſt lectionem menſæ fiat, & habeatur oratio ab eo, cui anno ſuperiori injuncta fuit, in qua tractetur de authoritate, ſeu poteſtate judicum, & Magiſtratuum, ſeu de alia conſimili materia. Nec Miſſa ſolemnis etiam hìs diebûs intermittatur.

Quod ſi Patres Deffinitores ob multitudinem negotiorum hujuſmodi Miſſis intereſſe non poterunt, ſaltem intereſſe velint, ac teneantur Miſſæ Anniverſarii omnium Defunctorum Congregationis, quæ cantari debet Feriâ quartâ. In quo die poſt Miſſarum celebrationem deffiniri, ac terminari ſolent, quæcunque deffinienda, ac terminanda ſunt, pro obſervantia Regulæ, morum reformatione, & augmento majoris perfectionis in noſtra Congregatione. Quoniam autem iisdem diebus, pro transgreſſionum qualitate, pœnæ delinquentibus injunguntur, ut diligentius omnes à malo declinent, & bonum proſequi ſtudeant: Declarant Patres, quod pœnæ, quæ à Patribus Deffinitoribus injunctæ fuerint pro erratis Monachorum, nullô pactô neque in totum, neque in partem à quoquam minui poſſint, niſi ab eodemmet Deffinitorio, nemine diſcrepante. Volunt etiam Patres, Præſidentem Capituli, & Generalem ſemper, & ubique eſſe promotorem omnium cauſarum, & quod ipſe teneatur inter Deffinitores, tempore Capituli, & inter Viſitatores, & alios, tempore Viſitationum, quæcunque proponere, de quibus inter Patres fuerit tractandum: & ſuper quibus ab aliquo Deffinitorum fuerit requiſitus. Omnia igitur, quæ notata fuerint per Scribam in medio deffinienda, ſeriatim, & ſucceſſivè producat: & incipiens à Senioribus, & primis, usque ad noviſſimos ſciſcitetur vota uniuscujusque: poſt quos omnes per ordinem conſideratis omnibûs dicat & ipſe ſententiam ſuam. Si quem verò depræhenderit in dicendo prolixiorem, & extra materiam vagari: moneat eum Præſidens, non tamen mordacibus verbis, ſed perbenignè, ut paucis exponat votum ſuum, & ad rem pertinentibus. Omnibus verò auditis, illa opinio, in qua major pars Deffinitorum per vota, fabas, vel viva voce convenerint, cenſeatur ab omnibus deffinita.

Et quoniam nolunt Patres, ut facilè amodò fiant quotidie novæ ordinationes, & non niſi maxima cum gravitate, & maturitate, & ex urgentiſſima cauſa: propterea ordinârunt. Quòd ſi quæ amodò in futurum faciendæ ſunt Conſtitutiones, poſtquam fuerint à Patribus Deffinitoribus formatæ, vocatis omnibus Prælatis, coram ipſis ſingillatim, per Scribam, aut cui Deffinitores mandaverint, legantur, & quæ à duabus partibus dictorum Prælatorum pari votô approbatæ fuerint: Patres Deffinitores faciant publicari immediatè, ſequenti anno practicandas, & futuro proximo Capitulo modô, quô ſuprà, à duobus Prælatorum partibus approbandas, & confirmandas. Quæ deinceps non valeant niſi eôdem modô, quo confirmatæ fuerant, revocari. Deffinitores igitur ſequenti anno expeditis aliis ſupradictis, legi faciant ordinationes præteriti Capituli, & judicio duarum partium Prælatorum, vel approbentur, vel revocentur. Quod ſi fuerint approbatæ, revocari non poſſint niſi modô, quô ſuprà, & ex novis Deffinitoribus, ad minus octo conſenſerint.

Poſt hæc audiant iidem Deffinitores à Computiſtis, qui viderint, extractus, & expenſas uniuscujusque Monaſterii, quo in ſtatu unumquodque Monaſterium habeatur, & ſi quid eſt animadverſione dignum.

De Taxis & Subventionibus.

CAPITULUM XI.

Quoad diſtributionem taxarum, quæ quatenus fieri ſolet, ob ſolutionem quartæ partis fructuum, penſionum, & aliarum rerum, volunt Patres, ut poſt hac, non caſu vel ad beneplacitum fiat, ſed conſideratè, & ſecundùm quod juſtum fuerit, ac rationabile. Itaque diligenter conſideratis cujuſcunque Monaſterii redditibus, & expenſis, ſeu gravaminibus, fiat talis diſtributio inter Monaſteria, ad libram, ut ajunt, & ſolidum. Illud tamen animadverſione dignum hoc loco ducimus, non eſſe videlicet æquè gravandum Monaſterium, quod mille quidem aureorum redditunm (exempli gratiâ) habet, ſed longè majores expenſas, ut illud, quod quingentorum duntaxat aureorum redditum habens, longè tamen minores expenſas, & exitus habuerit, quàm dicta aureorum ſumma ſuſtentare, ac pati poſſet: Quandoquidem illud mille aureorum deficit in neceſſariis, iſtud verò quingentorum abundat. Horum igitur, & conſimilium ratio habeatur. Et meminerit omnia loca noſtra unius eſſe corporis, & Congregationis membra. Neque velint peculiari aliqua affectione ducti (quod ſane vitium eſt maximè proprietatis) membrum aliquod, ùt puta, brachium unum, ita ſanum, validum, ac forte, nimia indulgentia efficere, ut alterum infirmum, invalidum, ac imbecille, nulliusque roboris reddatur. Quæ quidem taxæ cuilibet Monaſterio, ùt ſuprà impoſitæ, infra præfixionem termini abſolvendum, à Prælatis omnibus, & à quolibet ipſorum pro ſui rata Monaſterii, quibus, & ubi ſolvi debebunt, ſolvantur. Quod ſi quis elapſo termino non ſolverit, intelligatur, & ſit ipſo jure à ſuo officio & Prælatura ſuſpenſus.

Quônam pactô facillimè fieri poteſt, imò & debet, ut Generalis ab univerſa Congregatione, & quilibet Prælatus à Monachis ſui Monaſterii eligantur.

CAPITULUM XII.

Quoad electionem verò Prælatorum, quæ regulariter fieri ſolet, Feriâ quintâ in prima, vel ſecunda ſeſſione, quando ſcilicet cætera omnia ſuperioribus diebus abſoluta fuerint, Patres in primis ſtatuerunt, ut in tertio ac poſtremo anno generalatûs, teneatur Reverendiſſimus Pater, ac Viſitatores in viſitationibus ſuis diſquirere à Monachis ſingillatim, tam Prælatis, quàm ſubditis, quemnam è Patribus, in futuro Capitulo, pro bono Congregationis cuperent fieri Generalem: & vota ſingulorum in libro viſitationum conſcribere. Abſolutis deinceps viſitationibus, antequam ad determinationem Deffinitorii veniatur, ipſemet Reverendiſſimus, ac Viſitatores colligant diligenter in unum vota ſingulorum, nullum omnino prætereuntes: & perſonas nominatas cum numero votnrum ſeorſum ſcribant. Poſtremò dum Viſitationes Patribus Deffinitoribus legendæ erunt, legantur & hujuſmodi petitiones, ut videant Patres, quinam pluribus ſuffragiis petantur, & notent, ut ſubinde habita matura conſideratione, ſtudeant univerſitati, quoad fieri poteſt, ſatisfacere. Et hunc eundem ordinem ſervari volunt in electione aliorum Prælatorum: nempe ut Prælatus, cùm fuerit in fine ſui officii, interrogetur, ac pariter omnes Monachi ejusdem Monaſterii, quemnam vellent in Prælatum illius loci, & quem idoneum ad id oneris ſubeundum pro illo tempore judicarent. Et habitis hôc pactô votis uniuscujuſque Monaſterii, ac etiam Filiorum earundem Domorum, etiam abſentium, quemnam videlicet & ipſi cuperent domibus, quarum ſunt Profeſſi, præfici; ſcribant omnia, & ad Capitulum, ùt dictum eſt, deferantur. Et Patres Deffinitores curabunt (poſtpoſito quocunque intereſſe particulari) eos præficere Monaſteriis, qui à majori, & ſaniori parte fuerint expoſtulati.

Ita enim omnia cum pace, & ſatisfactione Monaſteriorum diſponentur, & Reverendiſſimus Pater, fere ab omnibus & ſingulis Congregationis Monachis quodammodo eligetur. Et Prælati reliqui à ſuis Monaſteriis juxta Regulæ diſpoſitionem. Ut autem hæc omnia feliciter ſuccedant, neceſſe eſt, ut omnes, & ſingulis ſolius Dei timorem, ac rationem in ſuis petitionibus præ oculis habeant, & bonum Congregationis univerſale, nec

ſinant

ſinant ſe paſſionibus, vel aliquo peculiari commodo à bono, & vero abduci.

Præcipiunt etiam inviolabiliter obſervari Conſtitutionem factam in Capitulo Marthæ, per quam diſponitur, ut poſt duos Generales Cœnobitas ſequatur de neceſſitate in eodem gradu, & fiat Generalis unus ex Eremitis. Et ſimiliter poſt duos Eremitas Generales (quando ſic eſſe contigerit) ſuccedat neceſſariò in ejus loco, & ſubrogetur unus ex Cœnobitis: ſed modo ex Eremitis, & alternatim ad eundem Generalatus gradum aſſumi, hoc duntaxat intelligunt, ac volunt, ut non poſſint immediate ſibi invicem ſubrogari in officio Generalatus, aut eligi niſi duo Cœnobitæ, vel Eremitæ: ita ut nunquam tertius ſuperaddi poſſit.

Nolunt præterea juxta tenorem dictæ Conſtitutionis quoad Cœnobitas, ut poſſint duo Generales ejuſdem Monaſterii profeſſi immediatè ſibi invicem ſuccedere. Similiter vetant, ne ullus aſſumatur in Viſitatorem, qui ejuſdem ſit profeſſionis cum Reverendiſſimo Patre Generali. Pari etiam modo aſſumi non poſſint ex eodem Monaſterio, ſeu profeſſione plusquam ſeptem Prælati juxta Conſtitutionem, & Conſuetudinem jam per multos annos, & toties approbatam, ac tandem à ſancta Sede Apoſtolica. Declarant nihilominus, quod in numero hoc ſeptenario Prælatorum ejuſdem domûs, & profeſſionis, computari nullo modo debeat Pater Generalis.

De Generalis, ac aliorum Prælatorum electione.

CAPITULUM XIII.

His igitur omnibus, & ſingulis diligenter inſpectis, cùm indicta dies, quâ electiones Prælatorum fieri debent, advenerit, omnibus aliis Capituli negotiis abſolutis, & cantata ſolemniter Miſſa Spiritûs ſancti ab eo, cui contigerit, ad electiones Prælatorum hoc pacto procedatur. Eligantur primum, modo ſupradicto, tres aliis Scrutatores, vel jam electi, pro ſcrutinio Patrum Deffinitorum, confirmabuntur. Deinde Reverendiſſimus Pater brevi admodum oratione adhortabitur, & Scrutatores, ut fideles eſſe velint, ac diligentes in negotio tanti momenti, & reliquos Patres, ut ſemotis omnibus privatis commodis, permittant ſe à Spiritu ſancto (cujus nutu omnia rectè geruntur) duci ac gubernari. Poſtremo quilibet Deffinitor proponat aliquem eligendum in Generalem, prout ei conſcientia dictaverit, ſcribendo nomen ejus in ſchedula. Verùm animadvertant ſedulo Patres noſtræ Congregationis morem, hactenus, & quidem laudabilem extitiſſe, ſemper confirmandi uſque ad triennium completum in Generalem, eum, qui gradum illum tunc obtinet: niſi fortè legitimum aliquod impedimentum obſtaret. Cùm itaque omnes & ſinguli Deffinitores ſcripſerint, & aliquem unum in ſchedula nominaverint, ponant ſchedulas illas in vaſe, ita ut legi non poſſint, & accitis Scrutatoribus, eas in eodem vaſe, illis tradant.

Qui inde recedentes, in proximam eorum reſidentiam veniant, & lectis ſchedulis, & collatione facta numeri ad numerum, fideliter ſcribant, ſecundùm ordinem profeſſionis omnes propoſitos, & nominatos. Deinde revertentes ad Deffinitorium, pronunciabunt eos coram Patribus, dicentes hoc pacto: Reverentiæ veſtræ propoſuerunt in Generalem R.P. Domnum N. & R.P. Domnum N. & relicta ibi ſchedula nominatorum ad Generalatum (ſervando ſibi ejus copiam in folio cum numero fabarum, quibus unuſquiſque fuerit nominatus) accipient ſcrutinium primi Viſitatoris, quod interim Patres fecerint, ne tempus abſumatur; & ſic deinceps de aliis Viſitatoribus, & Prælatis.

Habitô ſcrutinio Patres, poſt colloquium aliquod, ſi opus fuerit, circa idoneitatem propoſitorum in ſchedulis, unum quemque proponent inter ſe ipſos novem: & qui inventus fuerit, plura ſuffragia (ultra medietatem) habuiſſe, ſeu plures fabas nigras ſcribatur ab uno ex Deffinitoribus in papyro ad id deputata, ſic datis ad Generalatum tot vocibûs ſeu fabîs eſt petitus, & electus. Et ſic de aliis Viſitatoribus, & Prælatis.

Sed notandum quod Scriba, niſi fuerit de numero Deffinitorum, non debet intereſſe hujuſmodi electionibus, ſed vices ejus aliquis de corpore Deffinitorii ſupplebit. Item notandum, quòd Præſidens, ſi eſt de numero Propoſitorum in ſchedulis, ante omnes ſemper proponi debet ſcrutandus per fabas. Item notandum, quod dum aliquis de corpore Deffinitorii proponendus eſt, egredi debet extra Deffinitorium, ut magis libera ſit electio, & ipſe ſibi ſuffragium minimè tribuere valeat.

Scien-

Sciendum eſt etiam, quod fruſtra nominatur, ſive proponitur, qui jam electus eſt Prælatus alicujus Monaſterii. Ut autem occurratur ſcandalis, quæ evenire poſſent, præcipiunt Patres, ne aliquis Conventualis, exiſtens Deſſinitor, poſſit ab illo Deſſinitorio eligi ullo pacto in Prælatum, ſed hanc eis duntaxat facultatem faciant, ut tales Conventuales valeant pro illo anno eligere ſibi ad habitandum quodcunque Monaſterium noſtræ Congregationis, quod illis magis placuerit. Electis proinde Prælatis, eligantur Confeſſarii, ac Capellani Monialium ſi opus fuerit, quod ſi non eligantur, intelligantur confirmati iidem, qui tunc reſident in officio. Eligantur etiam Procuratores, ſi qui ſunt ad aliquod regimen ſine titulo eligendi.

Eodem die, ſi tempus ſuppeditaverit, aut die ſequenti, incipiendo à Patre Generali, deinde ab eis, qui ſunt in Deſſinitorio, denuncietur unicuique onus Prælaturæ, quæ ſibi contigerit, ex Patrum electione: vocando eos ſingillatim intra Deſſinitorium, ſecundùm ordinem dignitatum, & ſingulis admonitiones fiant, ac ſolitæ cæremoniæ. Quod ſi quis abſens fuerit, committatur Scribæ, ut quam primum eum per literas certiorem de onere impoſito faciat. Poſt Prælatos vocentur Confeſſarii, & Capellani Monialium, & ſi qui alii ſint vocandi.

Cæterùm antiquas Conſtitutiones innovando, nolunt Patres, quod ullo pacto quiſpiam aſſumatur ad aliquam Prælaturam, etiam titularem, niſi poſt decennium à ſua profeſſione in noſtro ordine & Congregatione. Hoc etiam attendant Patres, quod Prælati, & Monachi, qui in aliquo Monaſterio, vel regimine, immediatè à Deſſinitorio dependente per triennium ſteterint, non poſſunt in illo iterum ſub aliquo prætextu inſtitui: niſi ex evidenti cauſa utilitatis illius Monaſterii fuerit per Deſſinitores, ex quibus ad minus octo conſentiant, etiam per annum ſecum diſpenſatum. Ita tamen, quòd ſi intra annum in aliquo Monaſterio Prælatum deputari contigerit, ſiquidem ante Feſtum omnium Sanctorum id fuerit, pro integro anno illi computetur.

De Electione Generalis & aliorum Prælatorum extra tempus Capituli.

CAPITULUM XIV.

Viſo, quo pacto Generalis, ac reliqui Prælati à Deſſinitorio quot annis in Capitulo eligantur, ſive confirmentur: quoniam contingere poteſt, ut etiam infra annum, & extra Capitulum Generalis, vel alius Prælatus, per mortem amoveatur. Idcirco operæ pretium eſt exponere quonam pacto tum eis alii ſubrogari debeant. Juxta igitur conſuetudinem hactenus ſervatam, & à felic. record. Paulo Tertio confirmatam, deficiente Generali infra annum per mortem in hunc modum ad electionem ſucceſſoris procedi debet.

Patres Viſitatores, qui tunc erunt in officio, mortuo Generali, vel quomodolibet aliter amoto, debent quantocius per literas id ſignificare Majori Eremi, Abbati S. Michaelis de Murano, Abbati Claſſis, Abbati Carcerum, Abbati Vallis Caſtri, Priori S. Mathiæ de Murano, Priori Angelorum de Florentia, & demum Abbati S. Crucis de Avellana (licèt de eo nulla mentio habeatur in dicta confirmatione, quia tum temporis dicta Abbatia non erat in Congregatione noſtra) mandantes, ut omnes & ſinguli ſtatuta die convenire debeant Ravennæ in Abbatia Claſſenſi. Cumque omnes prædicti Præſules ibi convenerint ad electionem, hoc pacto procedant, cantatâ ſolemniſſimè Miſsâ de Spiritu ſancto, ad locum deputatum ſe conferant, ubi electio novi Generalis fieri debet, & habito inter ſeſe colloquio, qui in actu hujuſmodi electionis duntaxat primum locum obtinere debeat minimè verò alibi, ùt puta, in Choro, & Refectorio, in quibus locis major erit Prælatus Domûs, videlicet Abbas Claſſenſis; Adhortentur omnes, ut pacificè, ac Religioſè in tali electione ſeſe habere velint, & talem deligere ſtudeant, quem putent univerſitati gratum, ac hujuſmodi regimini aptum pro univerſali bono Congregationis. Deinde modo ſupraſcripto per ſcrutinium, ſchedulas, & fabas, ad electionem procedat. Quod ſi prædicti decem Viſitatores, & Prælati infra menſem à morte, & obitu Patris Generalis ſucceſſorem non creaverint, inter ſeſe diſſidentes, vel alia quavis de cauſa, in tali caſu convocentur in eodem loco omnes alii Prælati Congregationis, & qui denuo propoſiti fuerint, ùt ſuprà, in ſcrutinium adducantur, & qui plures fabas nigras, ſeu vota ultra medietatem habuerit, intelligatur electus, & ſit Generalis.

Quod

Quod ſi unus vel duo de numero dictorũ decem, ob aliquod legitimum impedimentum, prædictæ electioni intereſſe non poterint, vocem ſuam alteri minimè committere valeant, aut quempiam ſubrogare, qui ejus vicem gerat: ſed in tali caſu procedatur ad electionem ſine illis duobus: nec minus authoritas penes illos octo vel novem reſideat, quàm ſi adeſſent omnes. Cùm autem dicti decem convenerint, ſex fabæ nigræ ſufficient, ut quis plures, ultra medietatem, fabas habuerit nigras. Inter octo quinque ſimiliter vincunt. Inter ſeptem quatunr. In ſuma, qui plutibus votis medietatem tranſcendit, ille pro electo habeatur. Similiter ſi de toto numero Prælatorum aliquos deeſſe contigerit, nihilominus ſtatuta die, & indicta prius omnibus, & ſingulis, qui adfuerint, procedant, dummodo ſint è tribus pattibus duæ. Cæterum declarant Patres non poſſe, nec debere in aliquo alio loco dicti Electores congregari, quàm in dicta Abbatia Claſſis, quæ pro hoc negotio præ omnibus ſola deputata eſt.

Servent nihilominus in tali electione omnia ſuperiùs dicta; ne videlicet, plusquam duo Cœnobitæ ſibi invicem ſuccedant in Generalatu. Neque plus, quàm duo Eremitæ, ſed mediet ſemper, & ſequatur, poſt duos Cœnobitas Eremita, & è contra, ùt ſuprà. Caveant ſimiliter, ne is, qui eligetur, ejusdem ſit profeſſionis cum defuncto, cui ſubrogatur. Si tamen infra annum contingeret eligi in Generalem aliquem, qui ejusdem eſſet profeſſionis cum aliquo ex Viſitatoribus, in tali caſu volunt Patres, non obſtantibus prædictis in contrarium, qood ille Viſitator, qui ejusdem eſſet profeſſionis, cum electo Generali, perſeveret usque ad proximum Capitulum, & tum alius alterius profeſſionis in locum ejus ſubrogetur. Quod ſi quis ſecùs electus fuerit, non ſervatis videlicet omnibus, & ſingulis ſupradictis, electio illa irrita ſit, & ipſo jure nulla.

Si verò aliquis Prælatus inferior infra annum mori, vel amoveri contigerit, ad Reverendiſſimum Patrem Generalem, & Viſitatores ſpectabit alium in demortui, vel amoti locum ſubrogare, hoc pacto. Audito talis Prælati obitu Reverendiſſimus unacum Viſitatoribus, ſi commodè id fieri queat, ſe transferat ad illud Monaſterium, quod ſui Prælati ſolatio deſtitutum remanſit, & auditis illius loci Monachis, poſt celebratam Miſſam de Spiritu ſancto, unacum Viſitatoribus ad electionem procedat. Debet ſiquidem unusquisque eorum unum quempiam proponere, & qui plures fabas nigras in ſua ſcrutatione habuerit, ille ſit illius loci Prælatus. Quod ſi vota fuerint æqualia, præferatur, qui major eſt ſecundùm profeſſionem: & omnium horum actuum ſit loco Scribæ Notarius publicus, qui de ejusmodi electione ſit rogatus, & publicum faciat inſtrumentum. Sciendum verò eſt, quod Viſitatores, dum ſunt in tali officio, non poſſunt infra annum ad aliquam Prælaturam eligi, niſi ad Generalatum: Cum in hujusmodi electionibus infra annum ipſi tantùm duo Viſitatores cum Patre Generali conveniant; ſi alter eorum ſuffragiis peteretur, non niſi duo Electores remanerent, quod quidem abſonum eſt, & perabſurdum. Quod autem dictum eſt de electione Prælatorum intra annum, intelligi debet etiam de Confeſſariis, & Capellanis Monialium, Procuratoribus, & aliis conſimilibus.

Quoad Prælatos Titulares, ſi infra annum eligi debuerint, modo ſupradicto eligantur à Patre Generali, & Viſitatoribus, exceptò, quod non erit neceſſe adire Monaſteria, in quibus obierint. Similiter deficiente aliquo Viſitatore infra annum per mortem, vel quomodolibet aliter, Pater Generalis, & reliquus Viſitator, ſi convenerint, eligant alium, ac ſubrogent in demortui locum, modò priùs notatò, quo ad profeſſiones ſervato. Quòd ſi non concordaverint, ejus electio usque ad Capitulum prorogetur.

Quod nullus ex alia Congregatione poſſit in noſtra ad aliquam Prælaturam aſſumi.

CAPITULUM XV.

Similiter ordinàrunt, antiquis Conſtitutionibus inhærendo, quod nullus, qui ex alia Congregatione ad nos venerit (quod tamen rarò eveniet, & cum cautelis ſupra poſitis) poſſit ullo tempore, nec debeat ad aliquam Prælaturam aſſumi in noſtra Congregatione, neque titulum aliquem Prælationis habere.

bere. Idem quoque obſervari volunt, ac mandant circa Patres Eremitas, qui fuerunt, antequam ad ſacram Eremum veniſſent, alterius Religionis. Ipſi enim quamvis inter nos recipi valeant, non tamen poſſunt fieri Prælati: Secus autem de Patribus Eremitis, qui nullam aliam Religionem profeſſi ſunt. Hi namque ad quamlibet Prælaturam aſſumi poſſunt, & gradum quemlibet, etiam Generalem in noſtra Congregatione ſortiri. Quod ſi aliquis contra hanc declarationem ex aliquo accidenti fieret Prælatus, ipſa talis electio irrita ſit, & nulla. Si tamen quiſpiam ob multa merita, & Religioſiſſimam converſationem dignus, qui aſſumatur ad Prælaturam, cenſeatur: non poſſit aſſumi, niſi per ſcrutinium univerſale omnium Prælatorum Congregationis in Capitulo, & ſuffragiis ſeptem Scrutatorum.

De Publicatione, & Abſolutione Capituli.

CAPITULUM XVI.

Omnibûs, quæ ad Generale Capitulum pertinent, expeditis, omnes advocentur, tam de Capitulo, quàm Monaſterio, ubi Capitulum celebratur, publicentúrque per Scribam Capituli, tanquam authoritate Apoſtolica publicum Notarium, Pater Generalis, Viſitatores, ac Prælati Monaſteriorum, tam adminiſtrationem habentes, quàm Titulares: & ſi qui ſunt Adminiſtratores ſine titulo. Similiter Monialium Confeſſores de novo electi, & ſi qui ſunt Adminiſtratores vel Procuratores ſine titulo. Et his peractis per eundem Scribam omnia terminata in Capitulo publicentur, exceptîs hîs, quæ ſecreta Deffinitores duxerint tenendâ. Quæ verò publicata fuerint, Prælati, aut Conventuales in ſcriptis ad ſua Monaſteria, Fratribus ſuis denuncianda portent. Poſtea publicentur nominatim omnes noſtræ Congregationis Fratres, qui præterito anno in Domino quieverunt, juxta relationem Prælatorum factam Deffinitoribus vel Scribæ: Ut ſi pro alicujus requie conſuetæ orationes, ex ignorantia factæ non fuiſſent, ſuppleantur. Publicentur etiam nominatim, ſi qui fugitivi, vel expulſi, ut ab omnibus evitentur, ſecundùm Declarationes ſuper Capitulo vigeſimo nono.

Publicentur etiam mutationes Fratrum, inſuper, & Fratres, qui anno præterito juxta relationem Prælatorum votum profeſſionis emiſerint. Ultimo publicetur locus ſequentis Capituli. Conſequenter Pater Generalis committat omnibus, ut oretur pro ſanctiſſimo Papa N. pro Cardinalibus, pro Principibus, Prælatis, ac Congregationis noſtræ Benefactoribus, vivis, atque defunctis. Quibûs peractis quilibet Prælatus petat à Scriba, ſi qua ad ſuum Monaſterium pertinentia ordinata fuerint, in authentica forma in libro ſui Monaſterii poſtea adnotanda.

Et in ſpecie de Fratribus ad ſuum Monaſterium tunc deputatis, an pro aliquo illorum obtenta fuerit licentia, ut ad Ordines promoveatur, & quo tempore. Et ſimiliter à Patre Generali requirat, ſi qua fuerint ad ſuum Monaſterium pertinentia, & ſic obtentâ prius licentiâ, & benedictione percepta, facultas ſit unicuique redeundi ad ſua Monaſteria, niſi ex aliqua cauſa fuerit neceſſe aliquos remanere. Generalis tamen, & Viſitatores, ultimi recedant. Modus autem, hæc omnia pronunciandi, ut ab omnibus idem ordo ſervetur, erit iſte videlicet: Primò pronuncientur Prælati. Secundò Conſtitutiones ſive inchoatæ, ſive factæ. Tertiò Confeſſores Monialium, & Adminiſtratores. Quartò mutationes Fratrum. Sextò fugitivi, & expulſi, ac licentiati, qui omnes ſpecificè nominentur, & à quo Monaſterio. Septimò ſpecificentur nominatim defuncti omnes, & in quo Monaſterio. Octavò impoſitio taxarum. Nonò locus futuri Capituli.

De

De Poteſtate Generalis, & Viſitatorum.

CAPITULUM XVII.

Generali noſtro, qui ſemper eſſe debet, & Abbas S. Hippolyti de Faventia, tanquam Patri Congregationis deferatur ab omnibus, & eidem exhibeatur omnis reverentia, & loci præeminentia. Ipſe etiam in quocunque fuerit Monaſterio, omnia ſigna, tam particularia, quàm generalia faciat. Teneat penes ſe non ſolùm parvum ſigillum, quô ſemper uti debet, cum ſigno Calicis & Columbarum: verùm etiam ſignum illud magnum univerſæ Congregationis, quô utuntur Patres, ac ipſe etiam Generalis, cùm aliquid præcipuum nomine Capitoli, vel regiminis fieri contingit. Regiſtrum etiam Capituli aut ipſe teneat penes ſe, aut ab aliquo faciat diligenter cuſtodiri. Ad ipſum deferantur Congregationis negotia, quæ intra annum occurrerint. Ad eundem principaliter pertinet omnî diligentiâ procurare, ut ordinata per Capitulum Patres exequantur, & præſertim quod diſtributiones, & taxæ debitis temporibus perſolvantur. Poſſit etam in his, quæ intra annum occurrerint, & ubi ſibi, tam pro evitandis, quàm pro ſedandis ſcandalis, & pro pace ſervanda videbitur, cum uno ſaltem ex Viſitatoribus providere. Attamen ipſe caveat, ne affectione, aut paſſione aliqua moveatur, ſed omnia ſecundùm Dei timorem diſponere ſatagat. Quod ſi aliter fecerit (quod abſit) ſciat ſe per Deffinitores ſequentis Capituli puniendum.

Statuerunt etiam ipſi Patres, ac nullo pacto volunt (& ſi poteſt Generalis, imò debet, uti bonus Paſtor, pro bono & defenſione ſui gregis, quoties opus fuerit, ob negotia Congregationis accedere ad Curiam Romanam) quod nemini Viſitatorum, Prælatorum, vel Fratrum liceat ad eandem Curiam Romanam proficiſci, niſi accedente conſenſu ipſius Patris Generalis, & Viſitatorum. Et qui contrafeceerit, graviſſime puniatur. Quam licentiam, ſi quando non facilè haberi poſſet propter abſentiam ab ipſo Patre Generali, poſſit, ſi periculum eſſet in mora, dare Pater Vicarius Provincialis. Poſſit etiam Generalis, imò, & quilibet Vicarius in ſua Provincia; quoties ex aliqua neceſſitate occurrerit; Monachos de Monaſterio ad Monaſterium (etiam ipſis Monachis invitis) mutare, & transmittere intra annum. Inſuper Generalis, & Viſitatores, ùt dictum eſt, licentiam dare poſſint ædificia notabilia in Monaſteriis conſtruendi, juxta conſuetudines noſtras. Item poſſunt iidem, imò debent in actu Viſitationis, cauſas, & lites inter Monaſteria, ac perſonas Congregationis audire & ſummarie (ſola facti veritate inſpecta) judicare, & terminare. Quod verò, juſtitia mediante, judicaverint, vel terminaverint, faciant obſervari. Et demum Generalis cum ſuis Viſitatoribus, omnem repræſentantes Congregationem, & omnia exequi poſſint, imò & debeant, ſuper quibus fuerint Capituli authoritate muniti. Ordinaverunt præterea: quod ſi intra annum pro aliquo negotio congregare Patres contigerit, & aliquam facere Dietam, Generalis id facere poſſit; ac etiam locum celebrandæ Congregationis eligere. Quibus Congregationibus, & Dietis intervenire debent omnes illi Prælati, quos ſupradiximus intervenire debere ad electionem Patris Generalis infra annum, & alii, quos voluerit ipſe Generalis, & Viſitatores. Ad ipſos etiam Generalem, & Viſitatores pertineat, cùm opus fuerit, propter ſcandalum aliquod evitandum, ordinata per Capitulum, de omnium conſenſu, & non aliter, ſuſpendere, usque ad tempus Capituli, non tamen revocare. Poſſint etiam, ubi neceſſitas urgeret, aliquod univerſale in tota Congregatione conſtituere, usque ad tempus Capituli duntaxat ſervandum, & ſic ordinata per prædictos pro bono Congregationis volunt obſervari. Et quia munera excæcant oculos ſapientium, & ſubvertunt corda juſtorum, ſtatuerunt, juxta ſacrorum Canonum ſanctiones, quod nec Generalis, nec Viſitatores, durante eorum officio, accipere nullatenus poſſint quæcunque munera à Fratribus noſtris, vel Monialibus, vel aliis quibuscunque perſonis de Congregatione. Quod ſi contra fecerint, graviter à Patribus Deffinitoribus, tempore Capituli puniantur.

Quando, & qualiter à Patre Generali una cum ſuis Viſitatoribus fieri debeant Viſitationes.

CAPITULUM XVIII.

TEmpus Viſitationis Monaſteriorum noſtrorum regulariter volunt Patres, quod ſit à Feſto Nativitatis B. Mariæ Virginis, usque ad medium Quadrageſimæ. Intra quod, niſi legitimo impedimento Generalis, & Viſitatores fuerint impediti, teneantur ſuum officium expleviſſe. Quod ſi alter Viſitatorum, vel ambo fuerint legitimè impediti, de conſenſu Vicarii ejus Provinciæ, quam viſitare voluerit, eligat Generalis alium Prælatum, qui actu tantum ſit Viſitator, & non officio: ita ut intra præfatum tempus Viſitatio non omittatur.

Quamprimum igitur Generalis, & Viſitatores Monaſterium, quod viſitare intendunt, applicuerint: captato tempore, congregatisque Prælato, Monachis, Converſis, & Commiſſis ipſius Monaſterii, Generalis aliquam brevem, puram, non in humanæ ſapientiæ verbis, ſub hac forma, vel ſimili faciat exhortationem.

Fratres Chariſſimi! cùm ex debito officii noſtri venerimus viſitare charitates veſtras, & Monaſterium, tam in capite, quàm in membris: Idcirco ſi quis veſtrum aliquo indiget, veniat ad nos, & eum libentiſſimè audiemus, & juxta poſſibilitatem noſtram, ſecundùm quod deſuper dabitur, providebimus. Si verò nullus veſtrum aliquo indiget, Deo gratias agite, & in hac pace veſtra continuò manete. Charitatem invicem ſervantes, & obedientiam, & reverentiam, ob Dei amorem, Patribus impendentes, ac rigorem, Monaſterium, & obſervantiam regularem accenſis deſideriis conſoventes: & ſi qua alia hujusmodi voluerit breviter exhortari. Conſequenter moneanr Prælatum, & Monachos, quod ſi quis pro bono Monaſterii ſui judicaverit aliquid inſinuandum, liberè loquatur: quoniam intentionis Patrum noſtrorum eſt, quod in viſitationibus vitia, tam in Capite, quàm in membris radicitus amputentur, cum ea tamen, quâ decet humanitate, & charitate. Caveat tamen quilibet ſub graviori pœna, ne alicui, potiſſimè, Prælato, quamvis paſſione ſeductus, aliquod falſum imponat, ſeu aliter, quàm dictum factùmve fuerit, referat. Poſtea verò, tempore congruo, Generalis, & Viſitatores ſint ſeorſum cum ſolo Prælato Monaſterii, & ab ipſo habeant informationem de Seniorum ſuorum, & aliorum Monachorum conditionibus, videlicet: Si Prior Clauſtralis, & Decani ſint ſolliciti, circa ſua officia, in audiendis Fratrum Confeſſionibus, in divinis officiis, & communibus exercitiis, & in cuſtodia obſervantiæ Regularis: Si ſibi invicem ſint obedientes, & reverentes, ſi cæremonias obſervent, & obſervari ſtudeant: Si ſint in admonitionibus Fratrum, aut nimis tepidi, aut multum rigidi: Si Magiſter Novitiorum ſit ſollicitus circa Novitios ſuos, inſtruendo eos ad ea omnia ſervanda, quæ in Regula, & Conſtitutionibus noſtris continentur. Inquirant præterea de idoneitate, & conditionibus eorum, ac etiam, ſi in eorum receptione, & profeſſione obſerventur præcepta Regulæ, & Conſtitutionum noſtrarum.

Interrogent etiam ipſum Prælatum, utrum in adminiſtratione temporalium. Cellarius ſuum ſequatur conſilium, & voluntatem: Si Fratribus, potiſſimè infirmis neceſſaria miniſtret: Si ſit exemplaris cum Fratribus, & Secularibus tam in factis, quàm in verbis, geſtibus, & cæteris moribus: Si temporalia Monaſterii diligenter gubernet, & miniſtret: Si libros computorũ, ac rationum Monaſterii ſui teneat ordinatos: Si inſtrumenta, & alia Monaſterii jura diligenter conſervet: Si Inventarium omnium rerum mobilium Monaſterii, & immobilium habeat, an viderit etiam, una cum Senioribus computa Monaſterii ſui: Si Monaſterium eſt debitis aggravatum: Et quantum, & quem modum habeat ſatisfaciendi. Poſtmodum ipſe Generalis, & Viſitatores ante receſſum (diligenter viſis computis debitorum, & creditorum Monaſterii, nec non redditùum, & expenſarum) ſi viderint Monaſterium notabiliter aggravatum, moneant Prælatum, ut ſe temperet à ſumptibus, non multum neceſſariis. Inquirant etiam, ſi qui ſint Fratres ſibi, aut aliis Superioribus rebelles, aut inobedientes; & ſi correpti non ſe emendaverint. Præterea inquirant, ſi ea, quæ à Capitulo fuerunt ordinata, quantum ſcilicet ad eos pertinet, obſerventur: Si Regularis obſervantia benè,

&

& diligenter cuſtoditur: Si divina officia ordinatè dicuntur: Si jejunia Regularia obſerventur: Si ſilentia temporibus debitis juxta Regulam, & Conſtitutiones tenentur: Si invicem reverentiam exhibeant, & honorem: Si ſint compoſiti tam in Choro, quàm alibi, per Monaſterium, & potiſſimè in conſpectu hoſpitum & aliorum: Si ſe cum eis immiſcent non vocati: Si hoſpites cum humanitate, & charitate recipiantur: Si eleemoſynæ juxta Monaſterii facultatem ordinariè erogentur: Si Privilegia noſtra Congregationis, quæ in illo ſunt Monaſterio, aut etiam particularia ipſius Monaſterii, cautè, & diligenter cuſtodiantur, & ea omnino videant. In abſentia poſtea Prælati inquirant Generalis, & Viſitatores, ab unoquoque ſupradictorum Seniorum, & Fratrum ſegregatim in ſuis Viſitationibus, de ſe ipſis invicem, ac de ſupradictis omnibus, prout viderint cuilibet competere: Similiter de qualitate Prælati: ſi ſit ſollicitus circa obſervantiam Regularem, tam in ſe, quàm in Fratribus: ſi corrigat Fratrum exceſſus: ſi frequentet divina officia, & Capitulum culparum: ſi unacum Decanis viſitet cellas: ſi ſæpius exeat Monaſterium, ac ſi eſt facilis ad dandam licentiam aliis, ut ex levi cauſa exeant: ſi fuerit exemplaris in ſua converſatione, tam cùm Fratribus, quàm cum ſæcularibus. Si in eo, aut in aliquo Monacho fuerit aliquis notabilis exceſſus, & ſi conſert de agendis Monaſterii cum Senioribus. Poſt dictas interrogationes, ſi quis aliquid dicere voluerit, benignè audiant, ac exhortentur ad obedientiam Prælati ſui, ad charitatem Fratrum, ac Regularem obſervantiam.

Si qua præterea habuerint, à Capitulo in ipſo Monaſterio examinanda examinent, ac perquirant, ſi vera fuerint, vel falſa, quæ fuerunt Patribus, & Capitulo delata. Similiter exequantur, ſi qua fuerint à Capitulo pro bono ejus Monaſterii, aut alia cauſa eis demandata. Tandem habita de omnibus prædictis, prudenti, & diligenti informatione, tractent apud ſemetipſos Generales, & Viſitatores cum Dei timore, quæ ſint monitione, quæ repræhenſione, & quæ correctione digna, tam in Prælato, quàm in Senioribus, cæteriſque Fratribus. Advertant autem, ne faciliter credant omni ſpiritui, ſed probent ſpiritus, ſi ex Deo ſunt. Nec aliquem ex ſola ſuſpicione condemnent, ſed omnibus circumſtantiis conſideratis, cum prudentia, & matura deliberatione dijudicent. Et ſi quos culpabiles, ſive reos deprehendant, ſimul, aut ſeparatim, moneat Generalis, increpet, & corripiat, juxta exceſſuum qualitatem. Et ſecundùm Conſtitutiones noſtras ordinet in præmiſſis, quæ fuerint opportuna, ita ut ſuo conſilio, & directione, cuncta ſecundùm Deum bene diſponat. Poſſint autem prædicti Generalis, & Viſitatores, Prælatum, ſi quem in notabilem exceſſum deprehenderint incurriſſe, aut minus idoneum ad regimen (adeo ut non poſſit abſque manifeſto ſcandalo ſeu gravi damno Monaſterii uſque ad Capituli tempus tolerari) omnibus concurrentibus votis, ſuſpendere, & alium pro eo ſubrogare. Poſſint inſuper omnes, & ſingulos Seniores, & officiales Monaſterii ab eorum curis, & officiis ſuſpendere, & abſolvere: & ſi judicaverint expedire, ab eorum Monaſteriis removere. Caveant tamen ipſe Generalis, & Viſitatores, ne inordinato affectione vitia, vel exceſſus, diſſimulando pallient, ſeu inordinata paſſione pluſquam, & ubi opus non fuerit, aliquem inculpent, ſeo reprehendant, nec ſecundùm Auguſtinum quærant, quid corrigant, ſed corrigant, quod invenerint. Nam ſicut ordinatæ, & cum prudentia factæ viſitationes, ſunt cauſa obſervantiæ Regularis, conſervandæque Religionis occaſio: Ita è contrario, imprudenter, & inordinatæ, ſive cum paſſione factæ ruinæ occaſionem præſtant. Meminerint etiam iidem Generalis, & Viſitatores, Viſitationum, & officii ſui, Patribus Deffinitoribus rationem exactiſſimam reddituros. Ultimò convocent in Capitulo Prælatum cum cæteris Fratribus, Converſis & Commiſſis; ibique eos breviter exhortentur ad mutuam charitatem, & pacem; nec non obedientiam, & reverentiam Prælati, ùt ſuprà: Et ſi quid voluerint monere, vel corrigere, id faciat Generalis, cum omni humanitate, & charitate, & Vale facientes, pro ſe orari petant, & in pace dimittant. Licentiæ verò ab ipſo Generali, & Viſitatoribus datæ, nullius ſint valoris, & momenti, nec eis ulla fides habeatur, niſi ſint in ſcriptis ſigillo noſtræ Congregationis ſignatæ. Ego Frater N. ejusdem Camaldulenſis Ordinis Monachus, has ſupraſcriptas Conſtitutiones de mandato Patrum in unum collegi, & in hanc, quæ ſuprà, formam redegi, Florentiæ. Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono.

Et hi Patres Deffinitores Capituli ejusdem Congregationis, celebrati dicto anno Domini MDXIX. in

Abbatia noſtra Claſſenſi, has omnes ſupraſcriptas Conſtitutiones; & in Regula D. Patris Benedicti Declarationes, à dictis Patribus Reformaroribus factas, acceptarunt, confirmarunt, & approbarunt, nemine penitus diſcrepante; uti videre eſt in Regiſtro Actuum dicti Capituli, manu Reverendi Patris D. Philippi Florentini dicti Capiruli Scribæ. Ad majorem tamen cautelam & ipſi Patres Deffinirores manu propria ſubſcripsêre videlicet.

Ego D. Joannes Baptiſta Generalis, in fidem ſubſcripſi.
Ego D. Romualdus de Verona.
Ego D. Anronius de Piſis.
Ego D. Hieronymus de Brixia.
Ego D. Lucas de Balneo Caballo.
Ego D. Patritius de Abbatia Pollicinii.
Ego D. Thomas de S. Agatha.
Ego D. Andreas de Bevania.
Ego D. Julius Florentinus.

Similiter anno MDLXX. poſtquam Patres omnes Deffinirores easdem Conſtitutiones, jam viſas & approbatas à Reverendiſſimo pariterque doctiſſimo viro Fratre Vincentio Herculanio, Ordinis Prædicatorum, ex mandato Domini noſtri Pii V. acceptaverunr, & confirmarunt, ut pater in dicto Regiſtro, manu Patris D. Sebaſtiani de Fabriano Scribæ Capituli: & ipſi etiam manu propria ſubſcripsêre hoc pacto, videlicet.

Ego D. Joannes Bapt. Novarenſis Eremita in fidem ſubſcripſi.
Ego D. Ægidius Comenſis.
Ego D. Juſtus de Saxoferrato.
Ego D. Philippus Florentinus.
Ego D. Petrus de Balneo Caballo.
Ego D. Dominicus Cremonenſis.
Ego D. Thomas de S. Agarha.
Ego D. Jacobus Maria de Faventia.
Ego D. Silveſter de Fabriano.

Quibus Conſtitutionibus, cùm & Illuſtriſſimus Cardinalis Claravalienſis, tum & ſummus Pontifex Pius V. ſupremam impoſuerint manum: eas tandem, non modò Deffinirores, verùm etiam Patres omnes, & Prælati totius Capituli anni hujus MDLXXI. una omnium voce, parique conſenſu, exiſtente Scriba R. Patre D. Cherubino de Abbatia Pollicinii, tertiò acceptaverunt, confirmarunt, & approbarunt.

Laus DEO.

ADDI-

ADDITAMENTUM XIV.

STATUTA ORDINIS GRANDIMONTENSIS.

OBSERVATIO CRITICA.

1. *IN erigendis novis Ordinis Monaſtici Congregationibus fertiliſſimum erat hoc Sæculum undecimum; nam, præter* Camaldulenſem, *cujus Conſtitutiones ſupra retulimus, &* Vallis Umbroſæ *Congregationem (cujus Statuta adhuc nanciſci nobis non contigit) apud Italos erectas, etiam in Galliis ſurrexit & tertia, haud quidem incelebris. Hæc eſt Congregatio Monachorum* Grandimontenſium, *quæ ortum ſumpſit in Italia, & quidem ex eodem fonte, nimirum à Regula S. Benedicti, emanavit, propaganda quidem apud Gallos, cujus proin originis brevem hiſtoriam hic apponimus.*

2. Inter Monaſtici ſtatûs Reformatores, qui Sæculo undecimo floruerunt, celebris erat S. Stephanus, nobilis Arvernus, in oppido inferioris Arverniæ Tierno vel Tigerno, Patre Stephano ejusdem loci Vice-Comite, & Candida Matre natus, unde & Tierni Vice-Comes à Summo Pontifice Gregorio VII. appellatur in ipſa Bulla Inſtitutionis Sacri Ordinis, prout mox monſtrabitur.

3. Nam Sanctiſſimus ille Grandimontenſium Monachorum Inſtitutor adhuc Adoleſcens, cum Patre Beneventum profectus, apud Milonem ejus urbis Archiepiſcopum, ſuum conterraneum, & forſan conſanguineum, hoſpitatus, in morbum incidit, & ſic diutiùs ibidem morari cogitur. Recuperata autem ſanitate, dum vicina Monaſteria per Calabriam viſitaret, horum vitæ genus & mores imitari cupiens, mundum relinquere & ſoli Deo inſervire determinavit. Adeóque, mortuo Milone Beneventi Archiepiſcopo, Romam acceſſit, atque anno MLXXIII. à Romano Pontifice Gregorio VII. ſequentem Bullam pro inſtituendo novo Monaſtico Ordine obtinuit, quâ fulcitus, & in patriam reverſus, primum novi ordinis cœnobium condidit apud Muretum, qui locus eſt pagi Lemovicenſis, maximè Solitarius, quatuor leucis ab Urbe Lemovica diſtans.

4. Hæc quidem omnia fuſius tractat Clariſſimus Mabillonius, (a) qui etiam primus edidit Diploma Gregorii VII. conceſſum S. Stephano Ordinis Grandimontenſis Inſtitutori, nullis adhuc Religionis votis adſtricto. (a)

Diploma Papæ Gregorii VII. conceſſum S. Stephano Vice-Comiti Tierneo, pro inſtituendo novo ordine Monaſtico.

GRegorius Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Dilecto Filio Stephano Vice-Comiti Tierneo, ejusque Fratribus Regularem vitam profeſſuris, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quoniam Religioſam vitam inſtituentes Apoſtolico oportet uti judicio & conſilio, ne quidam poſt ſuum proprium ſentire abeuntes, cum temeritate & inexpertis viribus aggrediantur pœnitentiæ iter, quod non poſſint perficere, ac deficiant in eo, ita ut à propoſito reſi-

(a) Præfatio 2. in Sæculum VI. Ordinis S. Benedicti.

reſilire cogantur, ad confuſionem & injuriam Ordinis Eccleſiaſtici. Nos verò cognitô, quòd apud Venerabilem Fratrem noſtrum Milonem Archiepiſcopum Beneventanum cum frequentatione Filiorum & Fratrum noſtrorum Benedictinenſium de Calabria, virtutis tyrocinium ſine habitu puſueris, & ſumptô de ſulido tui deſiderii fervore experimentô, per quatuor annos in Aula pontificali Sanctiſſimi Patris bonæ memoriæ Alexandri divina providentia Papæ hujus nominis ſecundi prædeceſſoris noſtri, dum coram ipſo beatiſſimo Pontifice Archidiaconum Cardinalem ageremus, dum tuis viribus à natura delicatis diffideremus, non tam citò manus ſuper te impoſuimus, ſicut nos cum Timotheo docuit Apoſtolus, ad cujus tumbam conſiſtimus. Verùm cùm indeſinenter, ac indeficienter à ſancta Sede, in qua ſedemus, licèt indigni & inviti, poſtules poteſtatem auſpicandi conceptum Ordinem Monaſticum juxta Regulam B. Benedicti, quam diu expertus es inter Fratres de Calabria. Nos nolentes extinguere ſpiritum, eò promptiùs & benigniùs inclinati nunc tibi concedimus & annuimus, quò majori Spiritûs ſancti flamma accenſi deſideramus agrum Dominicum tam ſanctis virtutum ſeminariis ditari. Benedicat ergo tibi Dominus corona Juſtitiæ, mons ſanctus; adſciſcat te, tuóſque futuros bonæ vitæ Sodales in Filios æternus Pater: recipiat vos in Fratres æternus Filius, & porrigat tibi latus apertum, in quo ſunt omnes theſauri Sapientiæ & Scientiæ reconditi: accendat in te, tuiſque æternus Spiritus ſanctus ignem ſui amoris & flammam æternæ charitatis; tuque, tuique in ingreſſu per profeſſionem & in egreſſu per mortem benedicantur à Deo virtutum ex altò: qui cœpit in te opus bonum, perficiat, ſolidétque, confirmet illud, & corroboret amodo & usque in ſempiternum; concedat tibi Sanctum Angelum ſuum de Cœlis: quorum Sanctorum vitam proponis imitari, ipſorum patrociniis confortare. Adducantur tibi Socii innumeri, ſicut ſtellæ cœli, quæ præ multitudine numerari non poſſunt; Sint docibiles Dei in ſolatium mortalis tuæ peregrinationis. De plenitudine itaque poteſtatis decernimus, ut nulli omnino hominum licet, quæ poſtmodum electurus es, loca tuæ pœnitentiæ temerè perturbare, ſeu quibuslibet vexationibus te aut tuos aggravare, ſed nec fatigare. Si quæ igitur Sæcularis aut Eccleſiaſtica perſona contra hanc noſtræ ordinationis præſentis paginam venire tentaverit, ſciat ſe ream pro perpetrata iniquitate (quia nullo medio vos volumus ad ſanctam ſedem pertinere) ipſoque ſuo attentatu indigno privari omni honoris ſui dignitate, & divino ſubjacere maledicto. Agri quos colueritis, ſint agri primitiarum: Beatus Pater Benedictus benedictiones pro te impetret in ſpiritualibus & temporalibus. Confortare & eſto robuſtus in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, Amen. Datum Romæ in præſentia chariſſimæ Filiæ Agnetis Auguſtæ Imperatricis, & ſex Fratrum noſtrorum Cardinalium. Kalendis Maji, Pontificatûs noſtri annô primô.

5. *Ex quo Pontificio Diplomate habemus perſpectu ſacri Ordinis Grandimontenſis prima incunabula, anno MLXXIII. incepta tameſti ejus Inſtitutio ad triennium dilata fuerit, nam annales Ordinis fatentur, primam Monachorum Congregationem apud Muretum ritè ordinatam non fuiſſe ante annum MLXXVI. Ex hoc quoque Diplomate perſpicuum apparet, ſummum Pontificem Gregorium VII. S. Stephano Inſtitutori impoſuiſſe Regulam S. Benedicti obſervandam, quam inquit, frequentatione Filiorum & Fratrum noſtrorum Benedictinenſium de Calabria, virtutis tyrocinium ſine habitu poſueris. Neque ambigere licet, quin S. Stephanus novùm ſuum Ordinem juxta mores Monachorum Benedictinorum de Calabria inſtituerit, Regulamque S. Benedicti ſuis Filiis obſervandam propoſuerit. Adeóque, haud ſine fundamento Ordini S. Benedicti adſcribunt Grandimontenſem Trithemius, Yepeſius, Hæftenus, Volaterranus, Azorius, Miræus, & ipſe Choppinus, quamvis fatendum ſit, hanc Regulæ Benedicti obſervantiam ſolummodo ſub exordio Ordinis viguiſſe.*

6. *Nam in antiquis Ordinis ſtatutis, nulla hujus Sacræ Regulæ mentio reperitur, imo, plura apud iſtos Monachos ſtatuta introducta ſunt, quæ Diſciplinæ Benedictinæ non adeo congruunt, præſertim poſtquam S. Stephani ſucceſſor Fratres de loco Mureti ad locum Grandimontis tranſtulit. Sic ſtrictum ſilentium non obſer-*
(b) *vabant, prout refert (b) Jacobus à Vitriaco: ſilentium in Eccleſia, quamdiu divinis interſunt Officiis, & in Refectorio, & in Dormitorio tantum obſervantes; in aliis locis & cæteris horis, quandocunque placuerit, loqui poſſunt, invicem inſtruentes, & mutuo conſulentes, ſecundum quod eis Dominus inſpiraverit. Unde quidam Sæculi duodecimi Poeta adhuc ineditus, apud laudatum Mabillonium, ita luſit:*

Gran-

(b) Hiſtor. Occid. Cap. 19.

Grandimontanam vitam cum veſte profeſſus
Si fuero, vereor aſperiora pati,
Hi cum nil habeant, nec ſe patiantur habere,
Ex nihilo ſemper ſufficienter habent.
Abdita clauſtra colunt, & nulla ſilentia ſervant.
Neſcit ſigna manus: libera lingua manet.

7. *Verum enim vero, auſteram vitam Monaſticam duxerunt Monachi Grandimontenſes, apud quos magna ſolitudinis religio, ita ut nullis, niſi magnæ auctoritatis viris ad eos pateret ingreſſus. Omnem quoque eſum carnium, tam ſanis, quàm infirmis, quemadmodum curam, ac conſortium mulierum, ſibi ipſis interdixerunt. Imo ſubſtantiam animalium ſeu pecorum, proprietatem quoque terrarum extra eremi ſuæ metas probibuerunt. Et quidem plurima alia arctiſſimæ diſciplinæ Monaſticæ exempla ediderunt, quod circa annum MCCXLVII. Innocentius IV. Papa nimis ſeveram Grandimontenſium obſervantiam mitigare voluerit. Hac omnia ex ſequentibus antiquis Ordinis ſtatutis erui poſſunt, quæ Clariſſimus Edmundus Martene edidit in ſuo Theſauro novo Anecdotorum. Tom. 4.*

Antiqua Statuta Ordinis Grandimontenſis in variis Capitulis Generalibus edita.

HÆc ſunt inſtituta Venerabilium virorum piorum Grandimontenſium, variis temporibus ſibi ſuccedentium, in Capitulo ſuo diſcipulis ſuis ab eiſdem injuncta ac recepta cum cæteris vitæ noſtræ mandatis: fecerúntque ea ſcribi, ut frequenter à Fratribus commemorentur, ac opere teneantur, de quibus tantò magis cavendum eſt, ne prætermittantur, quantò ad tenendum leviora videntur. Sicut enim urbium turres ſtant ſecuræ, dum ad valla & propugnacula exteriora non audent appropinquare obſidentes inimici pro robuſta interiorum pugna: ſic, dum hæc præcepta, quæ Religionem undique circumvallant, ne titubet, fideliter obſervantur, non eſt dubitandum de cæteris, quin benè cuſtodiantur. Sunt autem hujuſmodi.

1. Quotiens Frater ante crucem, altare, ſacroſanctas Reliquias tranſit, rotiens ſupplicare debet humiliter & profundè, cappâ à dextra in ſiniſtram ſuper genua replicatâ.

2. Quodcunque Frater Fratri tradat, ambo ſupplicare debent.

3. Clerici divinum officium prævideant aliquâ horâ diei. Ille autem, qui prævidere noluerit, & poſtea ante Deum in eo deliquerit, emendet, audientibûs cunctis alius, qui intellexerit.

4. Quando Frater pacem ſumpſerit, ſibi tribuenti aſſurgat, niſi præ infirmitate dimittat.

5. Cùm judicia pœnitentiæ Sacerdotes Fratribus injungant, nequaquam de alio loquantur, niſi tantùm, quod ad rem pertinet, & hoc modeſtè faciant, ne nimis citò & proximè fiat.

6. Cùm ſignum ad horam ſonuerit, omnes Fratres illuc pergere debent, & præcipuè Clerici. Cæteri verò, qui non perrexerint, non pro vanitare remaneant: quod ſi facerent, ab eis hora requiretur. Injuncta autem officia non debent dimittere, quoniam poſtmodum divinum remaneret officium, & ibidem ſuam dicant orationem.

7. Oportet autem diſcerni quotiens pro ſingulis horis converſi Fratres aliqua neceſſitate abſentes orationem dicant Dominicam. Pro prima ter dicant *Pater noſter*, excepta trina oratione. Ter quoque pro Tertia, ter pro meridie, ter pro Nona, quinquies pro Veſperis, ter pro Complerorio, præter trinam orationem tredecies pro Matutinis, facta prius trina oratione ſupradicta, dicant orationem.

8. Si verò Fratres ſine viris ſæcularibus in loco ſecreto laboraverint, ſignô ad horam ſonante, ſi præſens opus abſque damno & periculo dimittere poſſunt, dimittant, & debitas perſolvant orationes. Et ſi fuerit dies feſtalis, ter pro ſingulis horis humiliter genuflectant. Si autem cum ſæcularibus eos laborare contingat, paululum remoti ab eis, poſtpoſitis genuflexionibûs pro ſingulis horis, ſupradictas ſolvant orationes. Sive autem cum ſæcularibus, ſive abſque ſæcularibus Fratres laborent, ſilentium ita cuſtodiant, ut nulla, niſi fructuoſa & labori neceſſaria loqui præſumant.

9. Item, quotiens Fratres erunt in itinere, à Clericis horæ, à Converſis orationes pro eis debitè perſolvantur.

10. Unusquisque Frater Conventum ſequatur aliorum in Eccleſia, in Refectorio, in Dormitorio, & in cæteris locis, niſi magna neceſſitate, vel aperta utilitate dimittat. Qui noluerit comedere cum cæteris, nec ob aliam cauſam, niſi propter ſuam voluntatem dimiſerit, nihil manducet poſtea ipſa die, niſi ſolum panem & aquam usque in craſtinum.

11. Quando Fratres à cella exiêrint cauſa eundi in aliquem locum, duo ſint ad minus; & ſi occurſus alicujus exigit, loquatur unus, videlicet qui major & diſcretior fuerit inter eos. Verumtamen numquam, niſi causâ manifeſtæ utilitatis, & cum licentia illius, qui præerit, Eremi ſolitudinem exire, vel per cellas præſumant diſcurrere. Licet diſcipulis competenti occaſione Paſtorem ſuum quandoque viſitare, non tamen per cellas vagando, ſed recto itinere eundo & redeundo.

12. Licet etiam Fratribus vicinæ cellæ ad ſe vocare, morte alicujus Fratris imminente; ſi tamen ibidem duo Clerici incolumes non fuerint, qui exequias celebrare ſufficiant.

13. His autem neceſſitatibus, aut aliis hujusmodi, quæ ſunt in diſcretione Paſtoris & Correctoris, poſſunt quandoque diſcipuli licentiâ ipſorum à cellis ſuis egredi. Aliter verò exeuntes, cùm reverſi fuerint, regulariter puniatur.

14. Cùm Fratres cum ſæcularibus operantur hominibus, ſcapularibus induti permaneant, & elongent ſe ab eis ſeorſum, niſi ſit opus ligneum aut lapideum.

15. Ad portam eat ille, quem Corrector & curioſus huic officio deputandum decreverit pro communi utilitate & pace, nec præſumat aliquis contumaciter reſiſtere, ſi fortè hujusmodi vel aliud officium fuerit ei injunctum, ſed potius pro viribus ſatagat humiliter obedire. Janitor verò in hoſpitali non ſedeat ſolus causâ loquendi cum gente exteriori. Hoſpitales autem maximè Religioſos benignè recipiat. Pauperibus eleemoſynam charitativè diſtribuat, & omnibus ad januam pulſantibus reſponſum reddat humile & benignè. A Fratribus autem caveat, ne eis dicat: Hoc allatum eſt, & dabitur vobis.

16. Unaquæque res in locum ſuum, unde ſumitur, ne ad inveniendum aliqua mora fiat, ſollicitè convertatur. Quisquis autem ſe offendiſſe cognoverit, inde veniam à Correctore, vel alio, ſi præſens non fuerit, Sacerdote poſtulare non differat.

17. Propter eos qui veniunt; fiat melius cæteris Fratribus, omnésque congratulentur.

18. Nulli Fratri vinum hujusmodi tribuat, quod ei noceat. Ille, qui diſtribuit, non ſumat ſcienter, neque minus aut majus. In utroque enim delinquere poſſet. Qui verò ad menſam fuerit, & carebit hoc, quod cæteri habent, licitè ſignô petere poteſt.

19. Diſtributor, qui transgreſſus fuerit, ibidem veniam petat à Correctore, non loquendo, ſed ſe tantummodo ad terram projiciendo. Corrector verò, vel Sacerdos, qui fuerit loco ejus, ut ſurgat, non verbô, ſed ſignô oſtendat.

20. Sal & aquam poteſt ſigno petere Frater ad menſam.

21. Cavere autem debent Fratres, ne ad menſam circumſpiciant. Ut autem præceptum illud Evangelicum opere compleant: *Attendite, ne graventur corda veſtra in crapula & ebrietate*, cibi potúsque ſuperfluitatem omnino devitent.

22. Sunt verò tria pulmentaria, videlicet ova, caſei, piſcésque, quæ Fratres aliquando licitè poſſunt comedere, eo quod omnes, tam ſani quàm ægroti, à carne & ſagimine tam volucrum, quàm quadrupedum ſemper abſtinent.

23. Silentium ſecundùm loca & tempora conſtituta cuſtodiatur. In his autem locis, hoc eſt, in Eccleſia, in Clauſtro, in Refectorio, in Dormitorio; nec non in his temporibus, id eſt, à Completorio usque mane finito Capitulo, continuum ſilentium Fratres obſervent, niſi magna neceſſitas, quæ legem non habet, vel aperta utilitas quandoque coegerit. Sicut enim Iſaias teſtatur: *Cultus juſtitiæ ſilentium & pax*. Quicunque autem in ſupradictis locis vel temporibus ſilentium violaverit, non vinum, ſed aquam tantummodo bibat; hoc ſcilicet pacto, ut ſi ante prandium transgreſſor ſilentii extiterit, eodem die aquam tantùm bibat; ſi autem poſt prandium, idem judicium ſequenti die ſequatur.

24. Aliud autem ſilentii genus eſt, quod eſt tacere inutilia, & loqui neceſſaria. A ſingulis Fratribus ſemper & ubique ſumma diſcretione eſt obſervandum. Ut enim Salomon ait: *Mors & vita in manibus linguæ*. Itaque ſi ipſe loci diſpenſator, vel quilibet alius Frater murmurando, vel detrahendo, vel mentiendo, vel obedientiæ & veritati reſiſtendo, vel ſæcularia & varia verba ſæpe referendo, ſeipſum & alios corrumpat, cæteri Fratres fraternæ charitatis affectu primò, ſecundò & tertiò illum reprehendant. Quod ſi pravam conſuetudinem humiliter corri-

corrigere neglexerit, juxta Paſtoris ſententiam tamdiu panem & aquam comedat, quouſque propriam transgreſſionem digna ſatisfactione ſtudeat emendare.

25. Fratres per Septimanas in coquinæ officio ſibi ſuccedant, vel unus pro omnibus illud humiliter exequatur, cujus Procurator poſtea in die Dominica veniam poſtulet, ex eo quod deliquit. Paropſides autem infirmorum non conjungantur eis, quæ ſanis ſunt deputatæ.

26. Quia purpurato diviti pretioſam veſtem improperavit Dominus dicens: *Homo quidam erat dives, & induebatur purpurâ & byſſô, &c.* & Marcus Evangeliſta de veſtis aſperitate Joannem Baptiſtam laudavit, inquiens: *Et erat Joannes veſtitus pilis Camelorum;* & Apoſtolus ait: *Non in veſte pretioſa;* Nos, qui Eremiticam & pauperem vitam ducere propoſuimus, omnem pretioſam veſtem vitare debemus. Nemo quippe, ut ait B. Gregorius, pretioſa veſtimenta niſi ad inanem gloriam quærit, videlicet, ut honoratior cæteris videatur.

27. Caveant ergo Fratres, ne unquam habeant veſtimenta ſciſſa & de corio bovino facta, exceptis nocturnalibûs. Singuli Fratres ſingulas zonas tantùm habeant, ſintque zonæ eorum ſimplices corrigiæ, ſine fibula & abſque omni tinctura. Pecten quoque numquam ſit eburneus ſed tantùm corneus. Pectenarium etiam, & aculeium, & cultellus, & vagina cultelli, & acerium, hoc eſt inſtrumentum, quô cultellus acuitur, ſint parvi pretii, & omni careant ornatu.

28. Fratres non utantur chirothecis, niſi in labore. Mitanas verò laneas eis non prohibemus. Capellos rotundos, ſaccos de pannis, cæteris veſtimentis conſimilibus, cauſâ neceſſitatis Fratres licitè poſſunt habere. Quin etiam Fratres non terreno, ſed cæleſti Regi militantes, qui dixit: *Ecce! quoniam, qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt*, exemplô Ninivitarum non mollibus, ſed aſperis & ſtupeis veſtibus cauſâ pœnitentiæ ad nudam carnem induantur. Denique ſic intus & foris regnet humilitas, ut totus Fratrum habitus ab omni ſuperbia alienus, veræ humilitatis ſit teſtis, & nuncius.

29. Nullus Frater alii dare vel vendere, aut cum alio commutare debet hoc, quod ei traditur ad utendum, niſi ei à proprio Correctore præcipiatur. Fratres verò loca tenentes, mutua charitate ſibi ſubveniant, & Fratribus ſibi commiſſis neceſſaria, pro facultate domorum, diligenter præſideant. Verumtamen numquam vel quodlibet aliud ex debito protervâ inſtantiâ à Diſpenſatore requirant; ſed ſciant cum Apoſtolo abundare, & penuriam pati.

30. Si Frater ſine confeſſione in proprietate deceſſerit, in cœmeterio non ſepeliatur.

31. Nullus omnino Frater ſecreta Ordinis viris ſæcularibus, vel aliis Religioſis revelet, ne alios Fratres diffamet, nec litteras teſtimoniales redituum, vel libros, aut Eccleſiaſtica ornamenta pignori obligare, vel alio modo alienare præſumat. Pro libris verò accommodatis, vel aliis utenſilibus domûs memoriale recipiatur.

32. Nullus conſuetudinaria jejunia noſtri Ordinis frangat, niſi fortè juvenili ætate vel ſenio, aut aperta neceſſitate fuerit prægravatus. Et hoc fiat cum licentia Correctoris.

33. Quia carnalis parentum affectus pleroſque Religioſos ab amore divino plurimùm revocare, & bona Eccleſiarum valde ſolet diſſipare, ſummopere nobis providendum eſt, ne hujusmodi incurramus incommoda. Itaque Fratres diligenter caveant, ne ſuis aut aliorum Fratrum cognatis aliquid præter hoſpitalitatem, & quodlibet munuſculum, quod pretium quatuor nummorum non excedat, dare præſumat, quod tamen non ſæpe, ſed raro fiat. Si quis autem hujus præcepti transgreſſor extiterit, non per alium Sacerdotem, ſed per ſolum Paſtorem vel Correctorem inde judicetur.

34. Cùm Frater offenderit, oſtendatur ei, quemadmodum dicit Evangelium, primum ſecretò, poſtmodum cum duobus vel tribus: deinde ſi ſe emendare noluerit, audiente omni Conventu.

35. Si fortè contingat, quod abſit, ut duo Fratres inter ſe lites habeant, ab Eccleſia & Refectorio tamdiu excludantur, & pane & aqua ſolummodo utantur, donec concordes fiant. Quod ſi alter horum ad concordiam redire voluerit, alter verò minimè, pacificus ad Conventum redeat: rebellis autem prædictæ ſententiæ ſubjaceat, donec humiliter reconcilietur.

36. Cùm Frater offendit, & non videtur, poſtulet veniam, acſi videretur.

37. Qui ſeminat diſcordiam, vel facit detractionem inter Fratres, aut infirmat eos in obedientia, aut defendit unum, dum ab altero de ſtultitia ſua reprehenditur; contra ſe iram Dei exaſperat, & in die judicii tot animarum reus erit, quot pernicioſis conſiliis & detractionibus à via veritatis alienare præſumpſerit.

38. Cùm Frater reprehenditur, reprehendentem ſe non debet reprehendere, quamvis rectè reprehendere poſſit. Quod ſi faciat, reprehenſio ſua non eſt accipienda. Ex diſcordia enim videtur procedere.

39. De quocumque reprehendatur Frater, debet poſtulare veniam ab eo, qui præerit Sacerdote, ſi obediens eſt, non defendendo, ſed accuſandô ſemetipſum.

40. Si eſt aliquis, qui multas facit genuflexiones, quando non videtur & manet ad placitum ſuum; quando autem obedientia ab eo unam exigit, quia reprehenditur, tunc non vult eam facere, quæ tamen magis ſibi valeret, quàm multæ aliarum. Sunt & alii, qui tantò minùs veniam accipiunt, quantò ſæpius ſe ad terram projiciunt. Hi videlicet ſunt, qui ſpe genuflexionis delinquunt. Qui autem cavet, ne delinquat, illud agit, unde veniam promeretur. Unde Frater pro venia petenda ad terram ſe projicit, ibidem culpam ſuam profiteri debet. Quandoquidem pro eo ſe proſternit, & de quacunque offenſa veniam poſtulet, judicium recipiat. Ei verò, qui reſervat veniam petendam uſque in craſtinum ex eo, unde hodie deberet petere, augeri debet & judicium.

41. Corrector verò, vel Sacerdos, qui fuerit locò ejus, ſemper Capitulum teneat, & corrigat tam circa Clericos, quàm Converſos, quæ viderit regulariter corrigenda. Dictis igitur, quæ dicenda ſunt, & Fratribus in ſuis locis reſidentibus, continuo, qui ſe reos intellexerint, proſtrati coram Sacerdote veniam petant, & quorum culpa talis eſt, quæ manualem exigat diſciplinam, præparent ſe ad recipiendam abſque murmure & diſceptatione, & humiliter confiteantur culpam ſuam. Inducti autem iterum proſternant ſe, donec eis pœnitentia injungatur.

42. Qui aliquem clamaverit, non quærat circuitiones in clamore ſuo, ſed apertè dicat: ille fecit hoc. Et qui clamatus fuerit, mox ut audierit nomen ſuum, non reſpondens in ſua ſede, ſed accedens propiùs, veniam petat.

43. Dum Capitulum tenetur, nullus loquatur ſine licentia, niſi ille, qui Capitulum tenet, & accuſator, & accuſatus. Nullus clamet aliquem ex ſola ſuſpicione. Qui publicè peccaverit, non niſi publicè, & in Capitulo veniam petat.

44. Quando Prior vel Corrector, aut qui tenet Capitulum, aliquam communem orationem Fratribus injunxerit, inclinent omnes. Similiter omnes, quibus præceperit aliquid facere. Tractatis igitur his, quæ tractanda ſunt, & eleemoſynis, ſi quæ de novo datæ fuerint, eorúmque datoribus recitaris, orationes Fratribus injungantur, & abſolutiones fiant pro defunctis.

45. In vigiliis etiam illarum Feſtivitatum, quibus Fratres Converſi communicant, mane in Capitulo breviter moneantur, quò modò recipere debeant ſacri Corporis & Dominici Sanguinis Sacramentum.

46. Item, vigilia Dominicæ Nativitatis, Paſchæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Aſſumptionis B. Mariæ, Lectore Feſtum in Calendario pronunciante, ad terram proſternimur, donec ea, quæ ad diem ſolemnem pertinent, perlegantur.

47. Fratres rapinas & furta manifeſtè ſibi nota nullatenus ad cuſtodienda ſuſcipiant, niſi hac ſola intentione, ut illis, qui amiſerunt, reſtituantur. Res quoque illorum, quos propriâ culpâ noverint eſſe excommunicatos, quos etiam ſua non recipit Eccleſia, numquam in cuſtodia ſuſcipiantur.

48. Quamdiu Fratres divinum celebrant officium, nullatenus Laicos in Choro ſuo manere permittant, nec cauſâ offerendi intrare, niſi ſolos Religioſos & tales quandoque perſonas, quibus pro ſua reverentia non poſſit ingreſſus commodus denegari. Clerici etiam ſæculares, qui tamen ætatem habent & habitum competentem, cauſâ celebrandi divinum officium poſſunt introduci, ſi ibi Fratres non fuerint, qui illud ſufficiant adimplere.

49. Quoties homines exteriores intrant oraturi vel oblaturi ad Altare, ſit ibi unus Frater vel duo tantùm.

50. Quando Frater in cellam venerit, ubi numquam amplius fuit, alii Fratres debent eum primitus in Dormitorium ducere, cùm ab Oratorio exièrit.

51. Nulla tranſgreſſio, quam Fratres emendare valent, Paſtori referatur, niſi fuerit tanta enormitate notabilis, quod ipſam per alium non deceat emendari.

52. Si Frater Fratri dicat: mentiris, ibidemque ſe dixiſſe pœniteat, ſemel ejus ſatisfactio recipiatur. Si amplius hoc in conſuetudinem verterit, manualem habeat diſciplinam. Similiter eſt de oſcultatione & de clamore. Ille autem, qui clamat, poſtquam tacere juſſus fuerit, virgis corripiatur. De percuſſione autem, & de proprio, & de luxuria, & de furto, cùm manifeſtè fuerint probata,

Fra-

Frater Fratrem non judicet, niſi ſolus Paſtor, vel ille, cui hoc quandoque duxerit injungendum.

53. Ille, qui apertè contradicit obedientiæ, virgis diſciplinetur. Nullom verò opus ab inobediente recipiatur, donec reconciliatus ſit.

54. Quemcumque ſermonem Frater dicat, niſi ſit veritas, alius, qui intellexerit, eum reprehendat. Ipſe verò emendationem promittat. Multotiens enim aliquis noviter veniens à ſæculo mendacium dicit, nec intelligit, donec ei indicetur.

55. Quando Frater ante Paſtorem venit, ſe proſternere debet; ſed ante alium Fratrem minimè genuflectat, niſi ab ipſo veniam accipiat.

56. In unaquaque cella clibanus ſit, atque molendinum, ſi fieri poſſit.....

57. Mulieres ab hac Religione ita penitus ſeparentur, ut nec etiam labori Fratrum adjutorium impendant per diem, nec poſt ſolis occaſum usque mane cellas ingrediantur. Quin etiam nulla ſola mulier aliqua hora diei cellas introeat ſine ſocio, qui ætatem habeat.

58. Quoniam omnis ſuperfluitas à noſtra Religione prorſus debet eſſe aliena, Eccleſia & cætera noſtræ Religionis ædificia plana ſint, & omni careant ſuperfluitate. Omnis pictura & omnis ſculptura inutilis & ſuperflua à noſtris penitus abſit ædificiis. Portæ quidem Eccleſiarum ſint tantum planæ, & ſimplicitati noſtræ Religionis congruæ. Cùm enim, teſtante ipſa Veritate, de omni verbo otioſo reddituri ſumus rationem in die judicii, multò magis de ſuperfluis operibus.

59. Rurſus firmiſſimè præcipimus, quòd viri exteriores infra clauſuram locorum noſtrorum proprias domos numquam habeant.

60. Fratres amicos, & benefactores, & familiares aliorum Fratrum in vicinis cellis morantium, in eorum dilectione mutua charitate ſtudeant confirmare.

61. Præterea, Fratres ſollicitè caveant, ne familiares ſuos contra Dominos eorum, vel quoslibet alios injuriam eis inferentes, importune defendant; ſed tamen pro ipſorum liberatione piis & moderatis precibus tam Deum, quàm homines licitè poſſunt rogare.

62. In Capitulo virgæ maneant, quibus Fratres diſciplinam faciant, cùm neceſſe fuerit.

63. Ante omnia Fratres memores ſint unitatis, quæ debet eſſe inter eos, & unaquæque cella, quæ poſſe habuerit, ſubveniat aliis, quibus neceſſe fuerit. At illum, quem Fratres immoderatum ſciverint, in immoderantia non ſequantur.

64. Quando Salvatoris noſtri veſtigia pro gratia, quam ipſe nobis largitur, ſequi propoſuimus; ipſius exemplo à Religione noſtra ſimoniaca hæreſis eſt radicitus evellenda. Omnes igitur in omnibus, & præcipuè in ſuſcipiendis Fratribus omne genus Simoniæ vitantes, omnino damnamus, quod ipſe Redemptor damnavit, cùm omnes vendentes & ementes de templo ejecit. Si verò quilibet vir Religionem noſtram cupiens ingredi, nos interroget quibus utimur veſtibus, & quæ ſunt neceſſaria ad noſtram Religionem venientibus, rei veritas ei ſimpliciter manifeſtetur. Si autem de diſpoſitione & diſtributione rerum ſuarum poſtulat à nobis conſilium, legitimè ſuper hoc ei conſulatur. Quod ſi liberè & absque omni pacto ſua nobis præſentet beneficia, more & auctoritate Apoſtolorum hujusmodi poſſumus recipere. Si quis Frater hujusmodi præceptum transgredi præſumpſerit, & Simoniæ reus extiterit manifeſtè, per ſolum Paſtorem tanta diſtrictione ſuper hoc judicetur, ut diſciplina unius ſit correctio multorum.

65. Præterea, quisquis ad hanc Religionem accedit, nusquam ſine juſſu aut licentia Paſtoris, niſi in Grandimonte ad converſionem ſuſcipiatur. Similiter nemo, niſi ſolus Paſtor, aliquem Fratrem de una cella ad aliam transmutare præſumat.

66. Statuta verò, quæ fient in Generali Capitulo ab omnibus obſerventur, hac ſemper poteſtate retenta, quòd tam ea, quæ in præſenti volumine contioentur, quàm illa, quæ de cætero ſtatuentur, augeri, minui, vel mutari poſſint cum aſſenſu Capituli Generalis, causâ, neceſſitate vel rerum ordine proceſſu temporis id utiliter exigente.

ADDITAMENTUM XV.

STATUTA ORDINIS CARTHUSIENSIS.

OBSERVATIO CRITICA.

FElix Sæculum undecimum, quod, illo adhuc florente, ſacer Carthuſianorum Ordo ſit exortus, per quem exornatur tota Eccleſia, atque Vita Monaſtica etiamnum hodie mirificè illuſtratur; dum piiſſimi Alumni primævum Regularis diſciplinæ fervorem retineant, reliquisque Monaſticæ vitæ cultoribus exempla pietatis eximia præbere ſoleant. Sumpſit hic ſacer Ordo Monaſticus exordium, à ſancto Brunone, natione Germano in Urbe Colonia, parentibûs non obſcurîs nato. Qui ibi Clericus factus, Remos accedens, inter primarios Eccleſiæ Cathedralis Canonicos numerari meruit, conſtitutus magnorum ſtudiorum Rector ſive Magiſter, ac tandem Eccleſiæ Remenſis Cancellarius. Sed piiſſimus Bruno, humanos honores contemnens, & ſolitudinis amore captus, cum ſex Sociis ex Urbe Remorum diſceſſit, atque ad Hugonem Epiſcopum Gratianopolitanum, tunc pietate, & intaminatîs moribûs celebrem ſe contulit, & qui iisdem aſperos Carthuſiæ montes incolendos, fundum concedente Siguino Caſæ Dei Abbate, aſſignavit.

Hi igitur generoſi Chriſti milites, inter horrida montium juga, exſtructo in honorem Deiparæ Virginis Oratorio, in ſeparatis cellis, ſive totidem cavernis & ſpeluncis, habitare, & cæleſtem vitam agere cæperunt, veterum Anachoretarum Orientalium fervorem in ipſo Occidente excitantes. Atque hoc modo, ſacræ hujus domus jactum eſt exordium, quæ à ſitu Carthuſia *dicta eſt, cæteríſque omnibus, hujus ſacræ Familiæ Monaſteriis per varia Regna & Regiones diſperſis nomen dedit, ad quorum diſcrimen, & etiam* Carthuſia Major *appellari ſolet. Primi autem S. Brunonis in hoc ſancto propoſito Socii & adjutores numerantur ſex, quorum nomina æternâ memoriâ digniſſima ſic proferri ſolent: Landuinus Italus & Magiſtri in regimine Majoris Carthuſiæ proximus ſucceſſor, Stephani duo, Burgenſis & Dienſis; ambo ſancti Rufi Canonici; Hugo Sacerdos, & Laici duo, Andreas & Guarinus. Hæc omnia, ſicuti & ſequentia ex celeberrimo Mabillonio colligimus, qui in ſuis Annalibus Benedictinis, tomo 5. libro 66. Fuſius de ſacro Ordine loquens, pro illius prima Inſtitutione, aſſerit annum MLXXXIV. juxta ipſius S. Brunonis Epitaphium, in veteri Codice repertum, cujus primi verſus:*

Anno milleno, quarto quoque, ſi bene penſes,
Ac Octogeno, ſunt orti Carthuſienſes.
His Ortum tribuit exceſſus Bruno Magiſter.

Verùm circa ſeceſſum S. Brunonis, non nulla ſcitu digna à viris doctis ventilari ſolent; dum nimirum nonnulli cauſam ſecedendi in Eremum, attribuunt terribili prodigio cujusdam Canonici redivivi, qui ſe damnatum vociferatus eſt; alii dein aſcribunt corruptis Manaſſæ Archiepiſcopi Remenſis moribus, quos piiſſimus Bruno acriter inſectatus, cùm nullam emendationem ſentiret, tantorum Archipræſulis criminum horrore perfuſus,

Remo-

Remorum Urbem relinquere, ac mundanis honoribus valedicere determinavit. De quibus cauſis & rationibus hujus cæleſtis receſſus diſputare fuſius impræſentiarum ſuperſedemus, cùm famoſus Joannes Launoius integrum tractatum, De vera cauſa ſeceſsûs Brunonis in Eremum *ſcripſerit, qui in nova Editione Operum ejusdem inveniendus eſt. Hoc unum addere volumus, veram ſeceſſus cauſam fluxiſſe ex contemptu honorum & divitiarum, & etiam amore ſolitudinis, quibus S. Bruno ſemper addictus erat; quamvis forſan flagitioſa Archiepiſcopi vita majorem mundanæ pompæ horrorem incuſſerit. Nam Sanctiſſimus ille Carthuſianorum Inſtitutor, poſt ſexennium ſeceſsûs, à ſummo Pontifice Urbano II. olim apud Remos priùs diſcipulo, Romam vocatus, invitus Aulam acceſſit, non diu ibidem manſit; ſed hominum turbas fugiens, inter Calabriæ deſerta, ſeceſſum petiit, ubi iterum novum Carthuſiam condidit; in loco, qui* Gutris dicitur, Diœceſis, Schillacenſis ſeu Squillacenſis. Et quidem verum ſeceſſus deſiderium ex his rationibus aperit ipſe S. Bruno, quando ad Radulfum Viridem Eccleſiæ Remenſis Præpoſitum ſcripſit, ut eum ad exequendum Monaſticæ vitæ conceptum, olim inter ipſos propoſitum excitaret. Sic enim Scribit: Reminiſcitur, quòd cùm ego & tu, quadam die ſimul fuiſſemus in hortulo adjacenti domui Adæ, ubi tunc hoſpitabar, de falſis oblectationibus & perituris mundi hujus divitiis, nec non de perennis gloriæ gaudiis aliquamdiu; ut opinor, tractaremus: unde, divino amore ferventes, promiſimus, ac vovimus Spiritui ſancto, in proximo fugitiva ſæculi relinquere, & æterna captare, nec non Monachicum habitum recipere, &c. *Adeóque prima receſsûs cauſa ex tali colloquio exorta eſt, & quidem longè antequam ſanctus Bruno diſceſſit ab Urbe Remorum; etſi forſan corrupti Archiepiſcopi mores huic ſalutari propoſito anſam præbuerint.*

Cùm igitur S. Bruno Ordinem Carthuſienſium inſtituerit, inveſtigandum eſt, an certam Regulam ſuis Monachis præſcripſerit; nam ante Guigonis Prioris Magnæ Carthuſiæ tempora, nulla ſcripta reperimus. Hinc, haud ambigere licet, quòd Carthuſiani ab exordio Regulam S. Benedicti amplexi ſint, quatenus Anachoretarum ferebat inſtitutum, illa enim ſola, tunc temporis, erat Monachorum Occidentalium Regula, juxta quam etiam S. Romualdus ſuos Anachoretas æquè ac Cænobitas dirigebat, quod etiam de S. Brunone facilè ſupponere poſſumus, cùm nullam Regulam ab eo ordinatam, vel Statuta ſcripta reperiamus.

Sed & hoc extra omnem aleam ponit B. Guigo, quintus Magnæ Carthuſiæ Prior, qui Statuta Ordinis condidit ad mentem Regulæ Benedictinæ, ut probat Carthuſiæ Portarum antiquus Codex, in quo Statuta illa hunc præferunt titulum: Statuta Guigonis Carthuſiæ Prioris, & aliorum, juxta Regulam ſancti Benedicti. *Deinde B. Guigo ipſe in ſua Præfatione ait, ſe hæc Statuta ſcribere ideò diſtuliſſe*, quia vel in Epiſtolis beati Hieronymi, vel in Regula beati Benedicti, ſeu in cæteris Scripturis authenticis, omnia pene, quæ hic Religioſè agere conſuevimus, contineri credebamus. *Multa alia in hanc rem argumenta inconteſtabilia profert nunquam non laudandus Mabillonius, locô citato, aſſerens Carthuſianos non diverſam à Benedictina Profeſſionis formulam proponere; atque etiamnum nunc retinere diſpoſitionem divini officii ad normam Regulæ S. Benedicti, cujus diem Feſtum ſolemni, pro more ſuo, ritu ſemper obſervâſſe; imò, ante S. Brunonis Canoniſationem, recitando confeſſionem, S. Benedictum nominâſſe Patrem ſuum.*

Atque hæc ſufficiant circa exordium ſacri Carthuſienſis Ordinis, cujus primæva Statuta adjicimus à B. Guigone olim promulgata, quæ ad ſupradicta confirmanda ſufficiunt, cùm ante hunc piiſſimum Priorem, nullæ apud Carthuſiam conſuetudines ſcriptæ fuerint. Quibus etiam Statuta ad Novitiorum inſtructionem olim condita, & ex Monaſtico Anglic. deſumpta adjicimus, quemadmodum & Decreta in primo Capitulo Generali ſancita ſubjungimus, quæ ex Theſauro novo Anecdotorum, tom. 4. per Edmundum Martene, edita, exſcripſimus.

PROLO-

PROLOGUS GUIGONIS.

Incipit Prologus conſuetudinum Domni Guigonis Prioris Carthuſiæ.

Amicis & Fratribus in Chriſto dilectiſſimis, Bernardo Portarum, Humberto ſancti Sulpicii, Miloni Majorevi, Prioribus; & univerſis, qui cum eis Deo ſerviunt, Fratribus, Carthuſiæ Prior vocatus Guigo, & qui ſecum ſunt Fratres, perpetuam ſalutem.

CHariſſimi ac Reverendiſſimi nobis Prioris Hugonis Grannopolitani Epiſcopi, cujus voluntati reſiſtere fas non habemus, juſſis & monitis obtemperantes, quod veſtra non ſemel Dilectio poſtulavit, cònſuetudines domûs noſtræ ſcriptas memoriæ mandare curavimus; à quo negotio rationabilibus, ùt putamus, de cauſis diu diſſimulavimus; videlicet, quia vel in Epiſtolis beati Hieronymi, vel in Regula beati Benedicti, ſeu in cæteris ſcripturis authenticis, omnia penè, quæ hìc religioſè agere conſuevimus, contineri credebamus, & nos, qui tale aliquid facere poſſemus, vel deberemus, dignos minimè putabamus.

Huc accedebat, quia doceri magìs, quàm docere ad humilitatis noſtræ poſitum pertinere noveramus, tutiúſque eſſe aliena potiùs bona, quàm ſua prædicare, Scripturâ dicente: *Laudet te alienus, & non os tuum: Extraneus, & non labia tua;* Prov. 27. Dominóque in Evangelio præcipiente: *Videte, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Matth. 6.

Verùm, quia tantorum precibus, & auctoritati, ſive dilectioni reſiſtere non debemus: quod Dominus dederit, eodem ipſo juvante dicamus; à digniori parte, officio videlicet divino ſumentes exordium, in quo cum cæteris Monachis multùm maximè in Pſalmodia regulari concordes inveniamur.

Explicit Prologus.

Incipiunt Capitula conſuetudinum Domni Guigonis Prioris Carthuſiæ.

I. *De officio Divino.*
II. *Item de eadem re.*
III. *Item unde ſupra.*
IV. *Item unde ſupra.*
V. *Item unde ſupra.*
VI. *Item unde ſupra.*
VII. *De officio Dominicali.*
VIII. *Item de officio divino.*
IX. *Quoties radamur in anno.*
X. *Quales hoſpites introducantur in Chorum.*
XI. *De officio defunctorum.*
XII. *De viſitatione ægroti.*
XIII. *Quomodò tractandus ſit, qui moritur.*
XIV. *Item de cura Mortuorum.*
XV. *De ordinatione Prioris.*
XVI. *De Procuratore domûs inferioris.*
XVII. *De Infirmo, qui mittitur ad inferiorem domum.*
XVIII. *Item de Procuratore.*
XIX. *De equitaturis hoſpitum.*
XX. *De Pauperibus & Eleemoſynis.*
XXI. *De Mulieribus.*
XXII. *De Novitio.*
XXIII. *Profeſſio Novitii.*
XXIV. *Oratio ſupra Cucullam.*
XXV. *Oratio ſupra Novitium.*
XXVI. *De ordine Congregationis.*
XXVII. *De ætate ſuſcipiendorum.*
XXVIII. *De Utenſilibus cellæ.*
XXIX. *Quo tempore de cella exeunt, & de vigiliis & diſtinctione horarum.*
XXX. *De his, qui in cella manentibus importunè ſe ingerunt, & de Coquinario.*
XXXI. *Item de cella.*
XXXII. *De Fratribus, qui aliquo opere occupantur.*
XXXIII. *De jejuniis atque cibis.*
XXXIV. *De menſura vini & Caſei.*
XXXV. *Quod nulli liceat majora exercitia facere, niſi favente Priore.*
XXXVI. *De hoſpitibus ſuſcipiendis.*
XXXVII. *De tractando conſilio.*
XXXVIII. *De cura Infirmorum.*
XXXIX. *De Minutione.*
XL. *De Ornamentis.*
XLI. *Ut nulla extra Eremum poſſideantur, & de ſepultura extraneorum.*
XLII. *De divino officio Laicorum.*

XLIII.

XLIII. *Item de eadem re, & quo tempore ad lectos redeant.*
XLIV. *Qui præſidere, vel reſpondere debeat.*
XLV. *Quod cum Prælato ſuo Fratribus loqui liceat.*
XLVI. *De Coquinario.*
XLVII. *De Piſtore.*
XLVIII. *De ſutore.*
XLIX. *De Præpoſito agriculturæ.*
L. *De Magiſtro Paſtorum.*
LI. *Quo tempore vinum habeant Fratres.*
LII. *De jejunio Fratrum.*
LIII. *Quo tempore veſcantur avenatio pane.*
LIV. *De minutione eorum.*
LV. *De ſilentio ad prandium.*
LVI. *Quid agendum ſit in periculis.*
LVII. *De veſtitu Fratrum & utenſilibus cellæ.*
LVIII. *Quod loquendi cum extraneis licentiam non quærunt.*
LIX. *Quid fiat de re alicui noſtrûm miſsâ.*
LX. *Quid de re inventa faciendum ſit.*
LXI. *De brachis & parvulis pelliciis Fratrum.*
LXII. *De Fratre, qui ſaginarios curat.*
LXIII. *De horto.*
LXIV. *De cuſtode pontis.*
LXV. *De diſciplinis Fratrum.*
LXVI. *De cinere.*
LXVII. *Quid faciant pro Miſſa.*
LXVIII. *De Cœna.*
LXIX. *De Paraſceve.*
LXX. *Quomodo ſe habeant in Solemnitatibus.*
LXXI. *Quid faciant pro Defuncto.*
LXXII. *De raſura Fratrum.*
LXXIII. *De Novitio ſuſcipiendo.*
LXXIV. *Profeſſio Laici.*
LXXV. *Quomodo ſe habeat Frater, poſtquam ſuſceptus eſt.*
LXXVI. *De hoſpitio Fratrum, qui foras mittuntur.*
LXXVII. *De fugitivis ſive expulſis.*
LXXVIII. *De numero habitatorum.*
LXXIX. *Quare tam parvus ſit numerus.*
LXXX. *De commendatione Solitariæ vitæ.*

Expliciunt Capitula.

Incipiunt conſuetudines Domni Guigonis Prioris Carthuſiæ.

De Officio Divino.
CAPUT I.

KAlendis itaque Novembris usque ad Octavas Pentecoſtes, omni die, exceptis duodecim lectionum ſolemnitatibus, tres Lectiones cum tribus Reſponſoriis dicimus, illud obſervantes, ut ſi ante quintam Feriam prædicti menſis, Kalendæ contigerint, in præcedenti Dominica, Reſponſoria, & Prophetas incipiamus: In ſequenti & deinceps Feria, tres Lectiones cum Reſponſoriis de Libris eisdem recitantes.

Sin autem quintâ, vel poſt quintam, ſequenti Dominica eosdem Prophetas cum ſuis Reſponſoriis inchoemus: Dierum, qui inter Kalendas & Dominicam ſunt, alterum cum tribus propter Martyres alterum cum una Lectione tranſigentes.

Item de eadem re.
CAPUT II.

SAbbato primæ Adventus Dominicæ cohærenti commemorationem de Cruce usque ſecundam poſt Octavas Paſchæ, Feriam, de ſancta verò Maria usque ad primam poſt Octavas Epiphaniæ diem intermittimus. In prædicta Dominica finitis Ezechiele & duodecim Prophetis (nam Danielem in Refectorio legimus) Eſaiam incipimus usque ad Vigiliam Nativitatis, eo contenti; In quo toto ſpatio Capitulis, Verſibus, & Orationibus ad Adventum pertinentibus utimur; *Gloria in excelſis* usque ad primam in Nativitate Miſſam tacentes.

Antiphonas: *O Sapientia*: cum aliis ſex, & Antiphonas proprias ad Matutinas Laudes, ita incipimus, ut die ante Vigiliam Natalis Domini finiantur. Singulæ Adventus Dominicæ propriis Reſponſoriis & Antiphonis ad Matutinas Laudes decorantur: Sed & cæteris diebus ſemper ad *Magnificat & Benedictus* Antiphonas de Adventu dicimus.

Item unde ſupra.
CAPUT III.

IN Sabbato jejuniorum temporalium Sextam, & Miſſam cum quinque, exceptâ Epiſtolâ, Lectionibûs, & deinde Nonam continuatim in Eccleſia cantamus: Idem in cæteris ſimilibus facientes, niſi quòd in menſe primo poſt Nonam propter Quadrageſimam. In Sabbato infra Octavas Pentecoſtes inter Tertiam & Sextam, & in menſe ſeptimo poſt Sextam, Miſſam ipſam celebramus, Nonam usque poſt dormitionem in cellulis dicendam differentes.

Item unde ſupra.
CAPUT IV.

QUarto nonas Januarii usque ad Septuageſimam, beati Pauli Apoſtoli Epiſtolas legimus. Ab altera poſt Octavas Epiphaniæ die, usque ad Septuageſimam ferialia dicimus Reſponſoria, primâ poſt ipſas Dominicâ: *Domine, ne in ira tua:*

tua: incipientes. In Sabbato, quod primam Septuageſimæ Dominicam antecedit, ad Veſperas tantùm dicimus *Alleluja*, ad Miſſam ſimiliter S. Sabbati recepturi.

Ab ipſa autem Dominica usque ad Dominicam de Paſſione Domini, Heptaticum tam in Eccleſia, quàm in Refectorio legimus: primâ & ſecundâ Dominicâ: *In principio*: cæteris verò Dominicis uſitata Reſponſoria decantantes. In Capite Jejunii Capitula nocturna & diurna & orationes mutamus: Sextam & Miſſam & Nonam io Eccleſia caotamus. Hac die Cruces cooperimus, in Paraſceve detegendas. Ante Miſſæ initium, cinis poſt confeſſiooem Sacerdoti benedicendus affertur: Quô benedictô & aquâ ſanctâ reſpersô, omnes per ordinem genibus ante Presbyterum flexis participant, dicente ipſo: *Recognoſce homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*; cæterìs verò Antiphonas iſtas canentibûs: *Exaudi nos Domine, juxta veſtibulum*, & cætera: Quibûs finitis ſubdit Sacerdos: *Dominus vobiscum*: & iſtam orationem: *Concede nobis Domine*: Eâdem horâ duobus ſequentibus diebusMiſſas facimus. Sabbatû ſequens Miſsâ caret. In hoc Sabbato Dominicalia Capitula mutamus ad Veſperas. Capitulum: *Domine Miſerere noſtri*: in Quadrageſima & in Adventu, Feſtivîs diebûs ad Primam dicimus. A ſequenti ſecunda Feria usque ad Cœnam Domini ſeptem Pſalmos cum Lytania poſt Primam in cellulis quotidie, exceptis duodecim Lectionum Feſtis, exſolvimus.

Nonam & Miſſam cum Præſatione de Quadrageſima, & Veſperas cmni die in Eccleſia cantamus, ſi Sacerdotum adſit copia, vel qui adſunt, aliqua rationabili non impediantur de cauſa. Dominicâ de Paſſione Capitula mutamus, conſueta ſuffragia usque ad ſecundam poſt Octavas Paſchæ Feriam intermittimus: A quo die usque ad Cœnam Hieremiam partim in Eccleſia, partim in Refectorio propter noctium brevitatem legimus. In quo temporis ſpatio (niſi duodecim Lectionum ſolemnitas interſit) ad Invitatorium, adReſponſoria, & ad Introitum *Gloriam* non dicimus. De Feſto trium Lectionum commemorationem tantùm facimus. Sabbato, quod Dominicæ Palmarum jungitur, Miſſam non dicimus.

Ad Veſperas Capitulum: *Hoc ſentite*: Reſponſorium: *Fratres mei*: usque ad cœnam. Dominica in Palmis, cantatâ Tertiâ, & indutô caſulâ Sacerdote, poſt Confeſſionem rami benedicuntur, aſperſique aquâ benedictâ omnibus à Sacerdote traduntur, & interim cantatur Antiphona: *Collegerunt*. Sequitur: *Dominus vobiscum*; & oratio iſta: *Omnipotens ſempiterne Deus*: Si Annunciatio vel feſtivitas ſancti Benedicti quartam hujus hebdomadæ transferint Feriam, nullam poſtea de ipſis facimus mentionem. In Cœna Feſtum facimus novem ſicut Clerici Lectionibus contenti. Ad *Benedictus*: Lucernam extinguimus, Eccleſiæ morem tantilla ex parte imitantes. Ad Primam convenimus, poſt Capitulum Tertiam in cellis dicimus, & munditias ſinguli facimus, Sextam quoque ibidem cantantes, Nonam & Miſſam & Veſperas in Eccleſia celebramus. In Miſſa hoſtia Dominici Corporis integras in Paraſceve à Sacerdote ſumenda ſervatur.

Poſt refectionem omnes, in quantum poſſibile eſt, Monachi & Laici ad *Mandatum* in Capitulum convenimus, ibique pedes cunctis à Priore, vel cui hoc ipſe injunxerit, ipsique ab eo, qui prior eſt ordine, abluuntur, terguntur, oſculantur, cæteris congruas Antiphonas concinentibus; dehinc Priore aquam infundente, lotis omnium manibus, accensâ candelâ Evangelium legitur, ſtantibus cunctis usque ad id: *Cùm recubuiſſet iterum*.

A quo loco eandem Lectionem ſedentes audimus, usquedum dicatur: *Surgite, eamus hinc*: Tunc enim præcedente Diacono in Refectorium pergimus, quod ſupereſt Lectionis ſedentes audituri. Quâ finitâ vinum à Miniſtris apponitur ſingulis, datáque à Sacerdote benedictiooe bibimus, & abimus; poſt quæ nudatur Altare. Hac die poſt prandium ſive poſt mandatum, duorum ſequentium Lectiones & Reſponſoria prævident Fratres, tantúmque usque ad Sabbatum poſt Refectionem ad clauſtrum non reverſuri.

Completorium poſtea ſonatur. In Paraſceve genua flectimus: *Miſerere mei Deus*: dicimus. Totisque his tribus diebus preces ſinguli quique in ſilentio dicimus, in omnibus horis hac una oratione contenti: *Reſpice, quæſumus, Domine*: Totúmque ſere officium juxta Clericorum morem exequimur. Pſalterium aliis omiſſis operibus frequentamus, à Sacriſta Laicis juvantibus mundatur Eccleſia; Signô aliquanto tardius, quàm ſolet, datô, Sexta & Nona continuatim in cellis dicuntur, & interim Sacerdos induitur, datóque iterum ſignô ad Eccleſiam convenieotes officium ex more celebramus; procedit Lectio, ſequitur tractus, & oratio: *Deus à quo & Judas*: item alia Lectio & tractus; deinde Paſſio absque *Dominus vobiscum*: poſt quam Orationes, quibus finitis exuitur Sacerdos caſulâ, nuda-

nudamus pedes, oblatámque à Diacono Crucem venerabiliter oſculamur, dicentes intra nos ſinguli: *Adoramus Te Chriſte, & benedicimus Tibi, quia per ſanctam Crucem tuam redemiſti mundum.* Interim Conventus cantat Antiphonam: *Nos autem gloriari oportet*: & Reſponſoria: *Populo meus*: & *Expandi manus meas*: poſt quod, ad locum priſtinum cruce relata Sacerdos lotis manibus caſuláque indutus, calicem cum vino Corpore Domini ſuppoſito à Diacono ſuſcipit, inchoante eodem communionem: *hoc Corpus.* Quibus in Altare compoſitis, poſt modicum ſilentium incipit ſic: *Oremus, præceptis ſalutaribus moniti. Agnus Dei* non dicitur nec in Sabbato. Percepto autem à Sacerdote Domini Corpore, Veſperas alterutrum cum ſilentio dicimus.

Sabbato cantatis in cellulis Sexta & Nona, & interim Sacerdote induto ad Eccleſiam congregati, præmiſſis quatuor Lectionibus cum tribus tractibus, & Lytania perbrevi: Miſſam à *Kyrie eleiſon* ſolemniter inchoamus: *Gloria in excelſis Deo* dicimus: duas candelas accendimus: pacem accipimus: Incenſum verò non adolemus. Quibus expletis pulſatô tintinnabulô, Veſperas juxta morem Monachicum ſolemniſſime cantamus. In die ſancto Paſchæ inter Matutinas & Primam cunctis, in quantum eorum ſinunt obedientiæ, Laicis præſentibus & communicantibus, ea celebritate, quâ Dominicis ſolet diebus, Miſſa cantatur, duobus vel tribus Monachorum Sacerdotem juvantibus.

In Majori Miſſa communicat Conventus, & qui de Laicis communicaturi ſunt. Totos quatuor hos dies celeberrimos ducimus; Feriâ ſecundâ, tertiâ, quartâ in Matutinis Laudibus duas candelas accendimus, incenſúmque offerimus. Feriâ quartâ, recedunt Laici. Quintâ, Sextâ, Sabbatô, Sextam in Eccleſia cantantes, ſimul reficimus. Hebdomadarum Paſchæ & Pentecoſtes prioribus diebus quatuor nullum omnino Sanctorum Feſtum celebramus; tribus verò poſterioribus, ſi trium Lectionum Feſtum occurrerit, ſolam commemorationem: ſin autem duodecim, totum facimus. Reſponſoria Paſchalia quatuordecim diebus cantamus. Actus Apoſtolorum tribus Hebdomadibus, Canonicas verò Epiſtolas exinde usque ad Aſcenſionem, & ab Aſcenſione usque ad Pentecoſten Apocalypſim tantummodo, partim in Eccleſia, partim in Refectorio perlegimus. Feriâ tertiâ Rogationum ſemel reficimus, ſicque coquinam facimus. In Vigilia Aſcenſionis Sextam & Miſſam in Eccleſia cantamus. Aſcenſionem celeberrimè colimus. In Vigilia Pentecoſtes Nonam & Miſſam in Eccleſia dicimus, totámque hebdomadam ſicut Paſchalem decurrimus, niſi quod Feriâ quartâ & Sabbatô, Sextam poſt Miſſam ſine intervallo cantamus, hâc quippe hebdomadâ jejunia quatuor temporum facimus.

Item unde ſupra.

CAPUT V.

POſt hebdomadam hanc die quacunque Feſtum occurrerit, libros Regum incipimus, Reſponſoria verò ejusdem Hiſtoriæ ſequenti Dominica. A Kalendis Auguſti usque ad Kalendas Septembris Parabolas, Eccleſiaſten, Librum Sapientiæ, & de Eccleſiaſtico quantùm tempus permittit, legimus. A Kalendis Septembris Job duabus Septimanis ſive tribus; duabus ſequentibus Tobiam, Judith, Heſter. A Kalendis Octobris usque ad Novembrem Machabæorum Libros. Totóque hoc tempore, id eſt à Pentecoſte usque ad Novembris Kalendas unâ, niſi Feſtum interſit, Lectione ſicut cæteri Monachi contenti ſumus. Nunquam autem pro trium Lectionum Feſto Lectiones Hiſtoriæ dimittimus, niſi in Vigilia Natalis Domini & tribus poſt Feſtum Innocentium diebus, & hebdomadibus Paſchæ & Pentecoſtes, & infra Octavas Aſſumptionis beatæ Mariæ. Invitatorium igitur tantùm, & Verſiculi, & Reſponſoria, & Orationes & Matutinæ Laudes, ſicque & ad Primam Antiphona, ad Tertiam quoque & Sextam, ſi ſemel prandendum eſt, ſin autem bis, ad Tertiam tantùm Antiphonæ, Verſus & Orationes pro tali Feſto dicuntur. *Dominus regnavit*: non ſolùm in talibus Feſtis, ſed etiam à Nativitate usque ad Octavas Epiphaniæ & à Paſcha usque ad Octavas Pentecoſtes ad Matutinas Laudes quotidie dicimus.

Item unde ſupra.

CAPUT VI.

ET hoc ſciendum, quod in nulla ſolemnitate proceſſionem facimus, nec ullum Feſtum vel Vigiliam transmutamus.

De Officio Dominicali.

CAPUT VII.

OMni Sabbato poſt Nonam in Clauſtrum convenimus, Lectiones & cætera neceſſaria recolimus. Et quia totâ hebdomadâ in cellis ſilentium tenemus, peccata noſtra Priori, vel quibus ab eo injunctum eſt, confitemur. Quod ſi nova Reſponſoria inchoanda ſunt magnum Reſponſorium in Veſperis cantamus.

Dominica poſt Primam Capitulum tenemus, inde Fratribus ad cellas redeuntibus, ſi Miſſa ea die cantanda eſt, id eſt, ſi Sacerdos vel Sacerdotes rationabili non impediantur de cauſa, ſtatim ſignum pulſatur. Aliàs enim usquequo Tertia ſit dicenda, differtur, quod ſpatium quantum infirmitas, neceſſitásve permittit, ſpiritualibus profectibus attribuitur. Poſt hæc Sacerdos tempore congruo ad Eccleſiam reverſus induitur, ſignóque tertia inciſione pulſato, præſentibûs cunctis aqua ſacratur, quam Sacerdos ſpargendo Altare circumiens, ante ipſum Altare Monachis, ad oſtium Chori Laicis diſpergit, canentibus cæteris Antiphonam: *Aſperges me*: Reversúsque ad Lectorium addit precem: *Concede nobis Domine Miſericordiam tuam*: deinde: *Dominus vobiscum*: & orationem hanc: *Exaudi nos, Domine ſancte Pater.* Poſt, Tertiam inchoat, quam ſequitur Miſſa. *Gloria in excelſis Deo*, in omnibus ſolemnitatibus præter Adventum & Septuageſimam cantamus. *Credo in unum Deum*, tam in Dominicis diebus, quàm in cæteris, exceptis Confeſſorum & Martyrum feſtivitatibûs, & tribûs diebûs Paſchæ, & Pentecoſtes dicimus. Poſt Miſſam ad cellas aquam ſanctam ferentes, parvum facimus intervallum; deinde ſigno pulſato ad Eccleſiam redeuntes Sextam cantamus, & ſic in Refectorium pergimus, animarum pariter & corporum eſcam ſumpturi. Exeuntes autem de Refectorio à Kalendis Novembris usque ad Purificationem Beatæ Mariæ ſtatim Nonam cantamus; ex quo die usque ad Paſcha, ſpatium, quod ibi, id eſt, inter prandium, & Nonam facimus, Lectioni vel aliquibus exercitiis deputatur; exinde tota æſtate pro dierum quantitate nunc brevius, nunc longius quieti datur. Poſt Nonam in Clauſtrum convenimus de utilibus locuturi. In hoc ſpatio incauſtum, pergamenum, pennas, cretam, libros, ſeu legendos ſeu transſcribendos à Sacriſta, à coquinario verò legumina, ſal & cæteta hujusmodi poſcimus & accipimus. Poſt cœnam ſingulas tortas tanquam Chriſti mendici accipientes, cellas repetimus. In omnibus autem ſimilibus Feſtis penè ſimiliter facimus. Dominicis autem, quæ ſunt infra Octavas Natalis, Apparitionis, Aſcenſionisve Domini, Antiphonas, Reſponſoria, Verſus, & octo priores Lectiones de ipſis ſolemnitatibus dicimus, quatuor poſteriores de Homiliis Dominicalium Evangeliorum, Evangelium quoque ipſum, poſt: *Te Deum laudamus*: Et Antiphonas ad *Benedictus*, & *Magnificat*, & Oratio, & Miſſa, Dominicalia ſunt. Sed poſtea fit commemoratio de ſolemnitatibus. Similiter agitur Dominica, quæ inter Octavas Natalis Domini, & Apparitionem eſt, niſi quod priores etiam octo Lectiones Dominicales, id eſt, de Epiſtolis beati Pauli legimus, & commemorationem de Nativitate non facimus. De S. Sylveſtro commemoratio tantùm fit, verùm de his, quæ quadam ſpeciali dignitate ſolennia celebramus, ſpecialiter quoque dicendum putemus.

Item de Officio Divino.

CAPUT VIII.

Igitur omnium Sanctorum, Natalis Domini, Paſchæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, ſancti Joannis, beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, Aſſumptionis beatæ Mariæ, Vigilias in pane & aqua facimus, Miſsásque in æſtate quidem cum Sexta, in hyeme verò Nonam ſupponentes continuamus, Altare paramus, in Veſperis & Matutinis, & Miſſa, itémque Veſperis duas candelas accendimus, incenſum ponimus. Porrò in Vigilia Natalis Domini in Matutinis Laudibus genua non flectimus, *Dominus regnavit* dicimus: *Miſerere mei Deus* tacemus: duas ad Miſſam candelas accendimus, ſed thus non adolemus, pacem ſumimus. Si Dominica in hac Vigilia occurrerit, Verſum ante Evangelium & totum deinceps Officium de Vigilia dicimus, commemorationem tantùm de Dominica facientes; Eôdem modò in Vigiliis Paſchæ & Pentecoſtes Miſſas celebramus, in Matutinis quatuor ultimas Lectiones de Evangeliis legimus, primam Miſſam inter Nocturnum & Laudes celeberrimam facimus, ſecundam poſt Matutinas Laudes incipiente luce, ſicut fieri ſolet in Dominicis diebus, cantamus, in qua Laici communicant; in hac etiam commemoratio fit de ſancta Anaſtaſia, in majori Miſſa communicat Conventus, pacémque à Sacerdote & ab invicem omnes Monachi accipiunt. Hoc ipſum in omnibus Feſtis talibus agimus, excepta Circumciſione Domini, & Natali beatorum Petri & Pauli, & Dedicationis, & S. Michaelis. Sequentes tres dies fere ſimiliter celebramus, die quarta Laici recedunt, ſicut in Paſcha & Pentecoſte. Reliquis tribûs diebûs, Sextam dicimus in Eccleſia & Nonam, prandium & cœnam ſimul facientes. Circumciſionem, Apparitionem, Purificationem, Annunciationem, Aſcenſionem, Natalem ſancti Joannis, beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, Aſſumptionem, Dedicationem, Nativitatem beatæ ſemper Virginis, Feſtum Angelorum ſimili colimus ritu. Porro in Purificatione beatæ Mariæ ante Miſſam poſt Confeſſionem candelas benedictas de

manu

manu Sacerdotis Monachi, & qui de Laicis adſunt, accipimus, cantantes Antiphonam: *Lumen ad revelationem gentium:* & Evangelium: *Nunc dimittis*: Ac per verſus ſingulos Antiphonam repetentes, ſequitur *Dominus vobiscum*: & Oratio: *Erudi, quæſumus Domine*: Deinde Miſſa, candelas antem poſt Evangelium offerimus.

Quoties radamur in anno.

CAPUT IX.

SExies in anno radimur ſervato ſilentio; in Vigiliis Paſchæ, Pentecoſtes, Aſſumptionis, omnium Sanctorum, Natalis Domini, & in capite jejunii. In Vigiliis beatorum Jacobi, Laurentii, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Judæ, & Andreæ ſemel quidem reficimus; Sicque coquinam, ſi talis dies eſt, facimus, Miſſáſque non cantamus. In cæteris duodecim Lectionum Feſtis, quibus Capitulum non tenemus, nec Miſſam dicimus; In Vigilia tantùm poſt Nonam in Clauſtrum pro recordatione convenimus.

Quales hoſpites introducantur in Chorum.

CAPUT X.

IN Chorum noſtrum hoſpites tantùm Religioſos introducimus, cum quibus in Clauſtro communem licet habere ſermonem. In partem verò ducere aliquem vel duci aut quaſi ſecretò aliquid intimare aut mandare aliquibus non licet, niſi licentiam dante Priore, quam licentiam non ad nos, ſed ad eos, ſi tanti habentur, attinet petere. Nunc de his, quæ pro defunctis vel circa defunctos gerimus, aliquid eſt dicendum.

De Officio Defunctorum.

CAPUT XI.

ALtera itaque poſt omnium Sanctorum die, niſi in Dominica evenerit, pro defunctis univerſis, Agendam poſt Nocturna cum novem Lectionibus dicimus, hac una tantùm oratione contenti: *Fidelium Deus omnium.* Dehinc poſt Primam, Miſſam præſente Conventu celebramus. In nullo autem duodecim Lectionum Feſto, vel infra Octavas Natalis Domini, Paſchæ vel Pentecoſtes Defunctorum Officium facimus, niſi fortè defunctus fuerit, vel tricennarium ſgi contigerit, quod tamen tribus diebus ante Paſcha & ipſo die Paſchæ, vel Pentecoſtes ſeu Natalis Domini, ſi fortè eveniret, quantum ad Miſſam attinet, minimè faceremus. Ab hoc itaque die, id eſt, à quarto Nonas Novembris, uſque ad Septuageſimam, Agendam in Eccleſis poſt Nocturna dicimus. A Septuageſima verò usque sd prædictam diem poſt Veſperas jejunii die, aliàs poſt cœnam idem Officium in cellis exſolvimus. Quod ſi Anniverſarium fuerit, in Eccleſia ſtatim poſt Veſperas cum novem Lectionibus & Antiphonis agitur. In Quadrageſima tamen, ne Fratres graventur, poſt refectionem in cellis dicitur.

De viſitatione Ægroti.

CAPUT XII.

DUm autem Frater ægrotus morti propinquare putabitur, congregatur Conventus ad viſitandum eum, & dicit Sacerdos: *Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea*, & ſpargens aquam ſanctam, reſpondetur: *Amen.* Tunc confitetur peccata ſua, & poſt abſolutionem dicit Idem Sacerdos: *Salvum fac ſervum tuum*: *Eſto ei Domine*: *Nihil proficiat*: *Dominus vobiscum*: *Deus qui famulo tuo*: *Deus qui per Apoſtolum tuum.* Deinde dicitur Pſalmus: *Domine, ne in furore*: primus. Poſt cujus finem, inungitur ei viſus, & dicitur: *Per iſtam unctionem, & ſuam piiſſimam Miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid peccaſti per viſum.* Et ita poſt ſingulorum Pſalmorum ſeptem finem, repetitur hæc eadem oratio ad ſingula, in quibus inungitur, loca, id eſt, ad auditum, ad odoratum, ad guſtum ſive loquelam, ad tactum, id eſt, ad manus, ad inceſſum, id eſt, ad plantas, ad ardorem libidinis, id eſt, sd renes. Poſtea tergitur os ejus, & ab omnibus tanquam profecturus piè exoſculatus communicat, cantantibus, qui adſunt, communionem: *Hoc Corpus.* Poſt hæc dicuntur orationes iſtæ: *Reſpice Domine*: *Deus, qui facturæ tuæ*: *Deus, qui humano generi.*

Quomodo tractandus ſit, qui moritur.

CAPUT XIII.

DUm jam mori videbitur, ab his, qui ſerviunt, ſigno dato, poſtpoſita omni occaſione accurrunt cuncti, niſi cùm divinum in Eccleſis contigerit Officium celebrari. Tunc enim Prior vel cui ipſe injunxerit, cum duobus vel tribus ad morientem feſtinat, depoſitóque eo ſuper benedictum cinerem, Lytaniam prout res patitur, longam vel brevem faciunt. Sequitur *Pater noſter* & preces: *Salvum fac*: *Eſto ei*: *Nihil proficiat*: deinde oratio hæc: *Miſericordiam tuam*: Poſt hanc quinque Pſami: *Verba mea*: *Domine, ne in furore*: primus: *Dilexi quoniam*: *Credidi*: *De profundis*: *Pater noſter.* *A porta inferi*: Oratio: *Deus, cui proprium eſt.* Exinde Agenda plenaria, cum Laudibus & Veſperis; poſt hanc, Pſalterium.

Interea defunctus abluitur & induitur; Monachus cilicio & cuculla, caligis & pedulibus; Laicus tunica & capucio, caligis & pedulibus; inde imponitur feretro, & intermiſſa Pſalmodia, dicit Sacerdos: *In memoria æterna: Ne tradas beſtiis: Ne intres in judicium:* Poſt hæc orationem iſtam: *Deus, cui omnia vivunt.* His expletis fertur in Eccleſiam & cantatur Reſponſorium: *Credo, quòd Redemptor:* Poſt hæc dicit Sacerdos: *A porta inferi: Nihil proficiat: Ne intres.* Oremus: *Suſcipe Domine animam.* Poſito autem in Eccleſia defuncto, repetitur Pſalmodia, ubi fuerit intermiſſa, & hoc omnino procuratur, ut duo ad minus Pſalteria dicantur; unum in Eccleſia, alterum in cellis cum veniis. Si verò de eo, quod in Eccleſia dicendum eſt, reſtiterit aliquid, redditur in cellis. Nam ſi tempus permittit, eadem die, non tamen niſi poſt Miſſam pro eo cantatam ſepelitur. Sin autem ſervatur in craſtinum, noctémque ipſam Monachi cum Laicis & pro ſui numero & pro ipſius quantitate dividuntur, circa corpus Pſalterium frequentantis. In craſtino autem Miſſa cunctis præſentibus cantata, ſepelitur hoc modo: Stat Chorus juxta corpus & dicit Sacerdos: *Pater noſter:* precem: *A porta inferi:* Oratio: *Deus vitæ dator:* Reſponſorium: *Credo, quòd Redemptor: Kyrie eleiſon: Pater noſter:* precem: *Ne intres:* Oratio: *Deus qui animarum:* Reſponſorium, *ne abſcondas me: Kyrie eleiſon: Pater noſter:* precem: *Ne tradas beſtiis:* Oratio: *Non intres in judicium:* Reſponſorium: *Ne intres: Kyrie eleiſon: Pater noſter:* Precem: *Requiem æternam:* Oratio: *Fac, quæſumus Domine.* Tunc portatur ad tumulum cum his Pſalmis: *In exitu Iſraël de Ægypto: Miſerere mei Deus: Confitemini: Quemadmodum: Memento: Domine, probaſti me: Inclina: Laudate Dominum de Cælis: Benedictus Dominus Deus Iſraël: Magnificat:* Cùm ventum eſt ad ſepulchrum, dicit Sacerdos: *Pater noſter: A porta inferi:* Oratio: *Tibi Domine commendamus.* Tunc benedicit foſſam, & aſpergit aquâ ſanctâ, & thurificat, deinde ponitur corpus in ea. Et dum operitur, dicit Sacerdos orationes ipſas, cæteris prædictos Pſalmos canentibus: *Obſecramus: Deus apud quem: Te Domine:* Oremus Fratres: *Deus qui Juſtis: Debitum humani: Temeritatis quidem: Omnipotentis Dei: Inclina Domine.* Quibus pariter & Pſalmis expletis, ſequitur *Pater noſter:* & orationes: *Tibi Domine commendamus.* Et: *Deus, cujus miſeratione.* Dehinc à ſepulchro redeunt cantantes: *Miſerere mei Deus:* Et in Eccleſia hac oratione totum complent Officium: *Fidelium Deus.*

Item de cura Mortuorum.
CAPUT XIV.

AB ipſo autem ſepulturæ die usque triceſimum quotidie pro eo, non tamen in Conventu Miſſa cantatur; & prima in Agendis oratio ei ſpecialiter deputatur; notatóque in Martyrologio obitus ejus die, ſemper Aniverſaria in Conventu pro eo Miſſa, hyeme poſt, æſtate ante Primam celebratur. Eo autem die, quô defunctus ſepelitur cellas Fratres tenere non coguntur, & conſolationis gratiâ bis, niſi præcipuum jejunium fuerit, ſimul veſcuntur. Et hoc ſciendum, quod ſine ulla perſonarum acceptione pro omnibus defunctis noſtris idem & par officium facimus, nihil pro Monacho plus quàm pro Laico, vel pro Prælato quàm pro ſubdito. Pro Benefactoribus verò noſtris, accepta aſſidua commemoratione, quæ fit ſemper in precibus Eccleſiaſtici officii, penultima in omnibus Agendis oratio dicitur, & per ſingulas hebdomadas, tam pro eis quàm pro omnibus hujus loci habitatoribus, & univerſaliter pro cunctis fidelibus defunctis, ab Hebdomadario, æſtate ante Primam, hyeme poſt, Miſſa una cantatur. Raro quippe hic Miſſa canitur, quoniam præcipuè ſtudium & propoſitum noſtrum eſt, ſilentio & ſolitudini cellæ vacare, juxta illud Hieremiæ: *Sedebit ſolitarius & tacebit*, & alibi: *A facie manus tua ſolus ſedebam, quia comminatione repleſti me.* Nihil enim laborioſius in exercitiis diſciplinæ regularis arbitramur, quàm ſilentium ſolitudinis & quietem, unde beatus Auguſtinus dicit: *Amicis hujus mundi nihil eſſe laborioſius, quàm non laborare.* Sed hæc hactenus, nunc cætera proſequamur.

De Ordinatione Prioris.
CAPUT XV.

CUm Priorem Domus hujus obire contigerit, poſt ejus ſepulturam, convocatis Fratribûs, triduanum cunctis indicitur jejunium, manéque & Veſpere in Eccleſia, Pſalmus: *Ad te levavi:* expletô officiô, communi devotione cantatur, procumbentibûs ſuper formas omnibûs: *Kyrie eleiſon, Pater noſter*, & preces: *Salvos fac ſervos tuos: Mitte eis Domine auxilium de ſancto: Nihil proficiat inimicus in eis:* & Oratio. *Prætende Domine:* ſupponuntur. Quarto autem die, mane Miſſa de ſpiritu Paracleto in Conventu devotiſſimè celebratur. Inde in Capitulum convenientes Majorum, meliorúmque conſilio, ex ſeipſis unum eligunt, aut Sacerdotem, aut ad Sacerdotium promovendum, ſtatímque in Præ- deceſſo-

deceſſoris transferunt locum. Totámque diem illam gaudio dedicantes, bis, niſi præcipuum jejunium fuerit, in Refectorio comedunt. Qui, quamvis omnibus verbô & vitâ prodeſſe debeat, & cunctorum ſolicitè gerere curam, Monachis tamen, ex quibus ſumptus eſt, quietis & ſtabilitatis, & cæterorum, quæ ad eorum vitam pertinent, exercitiorum exemplum maximè præbere debet. Quatuor itaque ſeptimanîs, in cella cum cæteris Monachis exactîs, quintam facit cum Laicis. Quo ſpatio, ejus erga Fratres officium aliquis ab eo juſſus exequitur; ipſe tamen Eremi terminos non egreditur. Sedes ejus ubilibet, vel veſtitus, nulla quaſi dignitate, vel pretioſitate differt à cæteris, nec quidquam geſtat, unde, quod ſit Prior, appareat. Supplicatur ei, & hoc modicè, ſolummodo ad Lectionem eunti vel redeunti, vel cùm ante eum tranſitur, & cùm ad aliquos venit, aſſurgitur. In Nativitate quoque, & Paſcha, & Pentecoſte, & cùm Frater aliquis profeſſionem facturus eſt, Miſſam cantat majorem. Quod idcircò ſcribimus, ne quis fortè poſterorum cornua ſibi velit aſſumere, vel nomen ſuum quâcunque gloriâ vel eminentiâ celebrare. In Adventu autem & Quadrageſima propter arctiorem ſui cuſtodiam, à prædicta etiam abſtinet viſitatione, niſi aliqua magna neceſſitas coëgerit, vel utilitas; ſed & cæteris temporibus non paſſim aut leviter, & pro quacunque vel perſona, vel cauſa ad Domum deſcendit inferiorem.

De Procuratore Domus inferioris.

CAPUT XVI.

PRæficitur etiam ab eo eidem Domui unus è Monachis diligens Procurator, ſic enim eum volumus appellare. Qui univerſorum ſtrenuè curam gerens, ſi magnum aliquid aut præter conſuetudinem agendum eſt, ad Prioris recurrit ſemper conſilium, nec grande aliquid præter ejus licentiam donare præſumit, aut agere. Sed & ipſe quamvis exemplô Marthæ, cujus ſuſcepit officium, circa multa ſolicitari & turbari neceſſe habeat, ſilentium tamen & quietem cellæ non penitùs abjicere, aut abhorrere ſolet, ſed potius quantùm Domus negotia patiuntur, quaſi ad tutiſſimum & quietiſſimum portûs ſinum ad cellam ſemper recurrit, ut legendo, orando, meditando, & turbulentos animi ſui motus, ex rerum exteriorum cura vel diſpoſitione ſurgentes ſedare, & in arcanis ſui pectoris aliquid ſalubre, quod Fratribus commiſſis in Capitulo ſuaviter & ſapienter eructet, poſſit recondere: tanto enim frequentioribus prædicationibus indigent, quanto minus litteras norunt. Qui, ſi quod abſit, negligens, aut prodigus, aut contumax inventus fuerit, ſæpiúsque correptus emendare noluerit, ſubrogato in locum ejus meliore, ad cellæ protinus cuſtodiam revocatur, ut qui nequit alienam, ſuam ſaltem operetur ſalutem.

De Infirmo, qui mittitur ad inferiorem Domum.

CAPUT XVII.

QUòd ſi quem alium ex Monachis ad inferiorem Domum fecerit Prior deſcendere, fit autem raró, magna quadam & penè inevitabili neceſſitate, vel ad importabile tædium relevandum, vel ad periculoſam aliquando tentationem ſedandam, vel ad genus aliquod morbi graviſſimi mitigandum. Si quem ergo talium inferius deſcendere Prior fecerit, de diſpoſitionibus, & negotiis, totiúsque Domus cura, nulla ſe curioſitate intromittit: non enim expedit habitatori cellæ noſſe hujusmodi, cùm etiam totius Domus paci contrarium eſt. Extraneis niſi juſſus non loquetur, nec Converſis paſſim, & quibuslibet, ſed his tantùm, quibus Priori vel diſpenſatori placuerit, ut ſi talis eſt, qui erudire & conſolari potens ſit, cum his loquatur, qui erudiri & conſolari egent, ſin autem ipſe conſolatione & eruditione opus habet, cum his, qui hæc præſtare noverunt.

Item de Procuratore.

CAPUT XVIII.

HOc etiam omittendum non eſt, quod tamen penè obliti fueramus, quia prædictus Procurator in Domo inferiori vices Prioris exercens hoſpites ſuſcipit, oſculatur, & ſi tali, id eſt, circa Sextam veniant tempore, & tales perſonæ, hoc eſt, Religioſæ ſunt, & præcipuum non eſt jejunium, prandet cum eis, abſtinentiæ cenſura ſoluta, & ad Priorem, quos dignos judicat, congruenter tranſmittit.

De equitaturis hoſpitum.

CAPUT XIX.

IPſorum autem hoſpitum perſonas tantùm, non etiam equitaturas procuramus, taléſque lectos eis & cibos, qualibus ipſi veſcimur, præparamus. Quod videlicet quia equos non procuramus, ne cui fortè videatur auſterum, & non diſcretioni ſobriæ, ſed duritiæ, potius & avaritiæ imputet vitioſè, conſideret quiſquis, quàm arcta, quàm dura, quàm

penè

penè ſterili maneamus in Eremo, & quod nihil, huc eſt, nullas poſſeſſiones, nullóſque redditus extra poſſideamus. Præterea frequentiam attendat hoſpitum, quibus nequaquam paſturæ, nedum annonæ poſſent noſtræ ſufficere, quippe quæ nec noſtris ſufficiunt animalibus, nam & ſaginarios noſtros & oves extra mittimus hyematum. Accedit etiam ad hoc, quod vagandi, & quæſitandi horremus omninò tanquam periculoſiſſimam conſuetudinem, quam in multis, quorum pius labores, & ſanctam in Chriſto converſationem ſatis laudare non ſufficimus, occaſione miſericordiæ, ut ſcilicet, quod ſupervenientibus tribuatur, acquirant, multùm ingleviſſe dolemus. Sed & ipſis hoſpitibus non parum hoc expedire putamus, qui noſtris ſpiritualibus, ſeu corporalibus ita debent bonis communicare, ut nus ad mala non cogant declinare. Ad mala autem declinare tunc faciunt, ſi ſuis nos expenſis ad vagandum quærendúmque compellunt.

De Pauperibus & Eleemoſynis.
CAPUT XX.

PAuperibus ſæculi panem vel aliud aliquid, quod vel facultas affert, vel voluntas ſuggerit, damus; rarò tecto ſuſcipimus, ſed ad villam magis mittimus hoſpitatum. Non enim propter alienorum temporalem curam corporum, ſed pro noſtrarum ſempiterna ſalute animarum in hujus Eremi ſeceſſus aufugimus; & ideò mirandum non eſt, ſi plus familiaritatis & ſolatii his, qui pro animabus, quàm qui pro ſuis huc corporibus veniunt, exhibemus. Alioquin non in tam aſperis & remotis & penè inacceſſibilibus locis quò quicunque corporalis ſolatii venerit gratiâ, plus patiatur laboris, quàm aſſequatur remedii; ſed in ſtrata potius publica olim debueramus utique conſediſſe. Habeat itaque Martha laudabile quidem, ſed tamen non ſine ſollicitudine & perturbatione miniſterium, nec Sororem ſolicitet Chriſti veſtigiis inhærentem, & quoniam ipſe eſt Deus vacando videntem, ſpiritum ſuum ſcobentem, ſuámque orationem in ſinum ſuum convertentem, & quid ſibi in ſe loquatur Dominus audientem, ſicque ex quantula per ſpeculum & in enigmate parte poteſt, quam eſt ſuavis guſtantem & videntem: & tam pro ipſa, quàm pro cunctis taliter laborantibus exorantem. Quod ſi ſolicitare non deſinit, babet illa non ſolùm juſtiſſimum Judicem, ſed etiam fideliſſimum Advocatum, ipſum videlicet Dominum, qui propoſitum ejus non ſolùm defendere, ſed etiam commendare dignatur dicens: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Dicendo *optimam*, non tantùm commendavit, ſed & Sororis laborioſis actibus prætulit.

Dicendo, *non auferetur*, deſendit, & ne ſollicitudinibus ejus & perturbationibus quamlibet piis ſeſe inſereret, excuſavit. Ergo, ego relicta cella mea, clauſtro meo & quidquid propoſuerim oblitus, propter gyrovogos gyrovogus, propter Paltonarios Paltonarius, & propter ſuſcipiendos, paſcendóſque Sæculares, efficiar ſæcularis. Illi illi ipſi eant poriùs, ùt cœperunt, mundúmque circumeant, ne ſi & ego jero, ipſorum de me numeroſitas augeatur. Aut ſi urgent penitùs, ut eam ego, ceſſent ipſi, faciántque, quod ego facio, ut merito Religioſorum labore paſcantur, atque periculo. Hic fortaſſe dixerit quiſpiam, quid ergo de his, qui vobis ſuberant, facitis? qui mordentis hoc querit animo, audiat ſui ſe potius trabem, quàm alieni oculi curare debere feſtucam. Qui autem amica hoc dicunt voluntate, noverint abundare ſanctos viros vel Congregationes, quorum inopiæ multo magis, quàm Sæcularium compati debeamus, ſecundùm illud Apoſtoli: *Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei.* Galat. c. 6. Sunt etiam hic villæ proximæ, notis nobis plenæ pauperibus, quo portari, diſtribuique poſſit, ſi quid nobis reliquum fuerit. Hoc enim melius rectiùſque putamus, ut ſi quid pluſculum diſtribuendum eſt, illuc magis, quidquid eſt, deportetur, quàm inde huc multitudo vocetur. Verùm, qui Domus hujus expenſas noverit, non de ſuperfluis quæret, quod facimus, ſed potiùs ſtupebit, quare non egeamus. Hæc Fratres dilectiſſimi ſi prolixius fortè, quàm decuit, loquatiùſque proſecuti ſumus, patimini, & indulgete nobis.

De Mulieribus.
CAPUT XXI.

MUlieribus, terminos intrare noſtros nequaquam ſinimus, ſcientes, nec Sapientem, nec Prophetam, nec Judicem, nec Hoſpitem Dei, nec Filios, nec ipſum Dei formatum manibus Protoplaſtum, potuiſſe blanditias evadere, vel fraudes mulierum. Salomon, David, Samſon, Lot, & qui acceperunt ſibi uxores, quas elegerant, & Adam in mentem veniant; nec poſſe hominem aur ignem in ſinu abſcondere, ut Veſtimenta illius non ardeant, aut ambulare Prov. c. 6 ſuper prunas plantis illæſis, aut picem Eccl. 13. tangere, nec inquinari. His expletis de cellæ obſervantiis differamus, & quo-

quoniam incipientes Novitios vocamus, de ipſis primò, quæ occurrerint, intimemus.

De Novitio.
CAPUT XXII.

NOvitio itaque miſericordias poſtulanti dura proponuntur & aſpera, totáque vilitas & aſperitas vitæ, quam ſubire deſiderat, prout fieri poteſt, ante oculos ponitur. Ad quæ, ſi imperterritus manſerit & immotus, elegeritque juxta
Job. 7. beatum Job *Suſpendium*, à temporalium videlicet amore, anima ejus, & mortem,
Tim. 2. c. 2. de qua dicitur: *Si commorimur & convivemus*, oſſa ejus, promptiſſimè ſpondens:
Pſalm. 16. *Propter verba labiorum Domini paratum ſe cuſtodire vias duras*: Tunc demum ſuadetur omnibus, qui adverſus eum aliquid
Matth. 5. habent, juxta Evangelium reconciliari: Et ſi quid aliquem defraudavit, etſi non quadruplum, ut Zachæus, ſimplum ſaltem ſi habet unde reſtituere. Et quia Congregationis hujus quotus eſſe debeat, certus numerus, certus ei usque ad quem venire debeat, datur & terminus. Ad datum autem terminum veniens, poſt ſupplicem in Conventu poſtulationem, in examinatione ad minus annua ponitur, ſuis omnibus integrè usque ad diem profeſſionis omnino reſervatis. Quod ei non niſi ſub tali ſponſione conceditur, ut ſi fortè noſtrum nequiverit, aut noluerit tolerare propoſitum, ad ſæculum nequaquam redeat, ſed aliquod potius aliud Religionis genus, quod ferre poſſit, accipiat. Quod ſi in ipſa examinatione laudabiliter ſe habens mortuus fuerit, quidquid pro Profeſſo & ſacrum habitum geſtante facimus, pro eo ſimiliter faciemus. Cui in cellam introducto Seniorum aliquis deputatur, qui eum per unam, vel ſi amplius opus fuerit, hebdomadam, horîs competentibûs viſitans, de neceſſariis inſtruat. Qui tamen blandè, lenitérque maximè tractatur in primis, nec ei totam ſubito Inſtitutionis aſperitatem ſubire conceditur, ſed paulatim & ut ratio vel neceſſitas poſtulare videtur. Nam & cum coquinario quandoque loquendi licentiam habet, & à Priore ſæpius viſitatur. Cùm autem tempus, quo benedici debeat, inſtiterit, ſi probabilis apparuerit, & in petendo miſericordiam ſedulus fuerit, dies, èquo ſi perſeveraverit in totum ſuſcipi debeat, certus conſtituetur. In quo cùm in Capitulo itidem miſericordiam humiliter poſtulaverit, facultas ei ſeu reſidendi, ſi voluerit, ſeu ſua omnia quomodo vel quibus placuerit diſtribuendi libera tribuetur. Quod ſi perſeveraverit pulſans, optatus ei tribuatur aſſenſus, & tunc ipſe vel alius ſi ſcribere neſcit, hanc ei profeſſionem ſcribet.

Profeſſio Novitii.
CAPUT XXIII.

EGo Frater Ille promitto ſtabilitatem, & obedienciam, & converſionem morum meorum coram Deo & Sanctis ejus, & Reliquiis iſtius Eremi, quæ conſtructa eſt ad honorem Dei, & Beatæ ſemper Virginis Mariæ, & beati Joannis Baptiſtæ, in præſentia Domni illius Prioris.

In ipſa autem Miſſa, quâ ſuſcipiendus eſt, poſt offerendam, ad gradum ante Altare venit, inclinatúsque verſum hunc tertiò repetit, Choro reſpondente
eundem: *Suſcipe me, Domine, ſecundùm* Pſalm. 118.
eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab expectatione mea. Poſt cujus tertiam repetitionem additur: *Gloria Patri: Kyrie eleiſon: Pater noſter.* Interim Novitius ante ſingulos Monachos genua flectens dicit: *Ora pro me Pater.* Poſt hæc rediens in eodem, quo prius inclinatus ſtat loco. Tunc Sacerdos ad illum converſus, ſubdit: *Et ne nos inducas: Salvum fac ſervum tuum: Mitte ei: Eſto ei: Dominus vobiscum:* Sicque cucullam ſuper gradum ante Novitium poſitam benedicit dicens:

Oratio ſuper Cucullam.
CAPUT XXIV.

DOmine JEſu Chriſte, qui tegimen noſtræ mortalitatis induere dignatus es, obſecramus immenſam tuæ largitatis abundantiam, ut hoc genus veſtimenti, quod ſancti Patres ad innocentiæ, vel humilitatis indicium ſæculo abrenunciantes ferre ſanxerunt, ita benedicere digneris, ut hic famulus tuus, qui hoc uſus fuerit, te induere mereatur: Qui vivis & regnas cum Deo Patre &c.

Dehinc capa detracta, cucullam Novitius induit, sicque ad cornu accedens Altaris profeſſionem ſuam aperte & diſtincte, audientibus omnibus legit, lectámque ſuper exoſculatum offert Altare, inclinatúsque ad Sacerdotis pedes tali deprecatione ſuſcipit benedictionem.

Oratio ſuper Novitium.
CAPUT XXV.

DOmine JEſu Chriſte, qui es via, ſine qua nemo venit ad Patrem, quæſumus, benigniſſimam clementiam tuam, ut hunc famulum tuum a carnalibus deſideriis abſtractum, per iter diſciplinæ regularis deducas: Et quia peccatores vocare dignatus es, dicens: Venite ad me omnes, qui onerati eſtis, & ego vos reficiam: *Præſta, ut hæc invitationis tuæ vox ita in eo convaleſcat, quatenus peccatorum onera deponens, & quàm dulcis es guſtans, tuâ refectione ſuſtentari mereatur: Et ſicut atteſtari de tuis ovibus dignatus es, agnoſce*

eum inter oves tuas, ut ipſe te ſic cognoſcat, ut alienum non ſequatur, ſed neque audiat vocem alienorum, ſed tuam, qui dicis: Qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Qui vivis & regnas &c.

Ex hoc tempore, qui ſuſceptus eſt, ita ſe ab omnibus, quæ mundi ſunt, intelligit alienum, ut nullius prorſus rei, nec ſui quidem ipſius ſine Prioris licentia habeat poteſtatem. Cùm enim ab omnibus, qui regulariter vivere decreverunt, obedientia magnô ſtudiô ſit ſervanda, ab his tamen tantò devotiùs ac ſolicitius, quantò diſtrictius aſperiùsque ſubière propoſitum: Ne ſi, quod abſit, iſta defuerit, tanti labores non ſolùm careant prœmio, ſed & ſupplicium damnationis incurrant. Hinc enim Samuel: *Melior eſt enim obedientia, quàm victimæ, & auſcultare magis, quàm offerre adipem arietum, quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.* Quod unum teſtimonium, & obedientiæ laudem & inobedientiæ ſufficientem habet vituperationem.

Reg. 1. c. 15.

De ordine Congregationis.
CAPUT XXVI.

ORdinem autem ſive in Refectorio, ſive ubicunque eum cuncti tenemus, quem ſinguli ſuus dedit adventus, niſi quem fortè Prior aliquam ſuppoſuetit vel propoſuetit ob cauſam.

De ætate ſuſcipiendorum.
CAPUT XXVII.

PUeros, ſive adoleſcentulos non recipimus quia per eos Monaſteriis multa contigiſſe dolemus, & magna ſpiritualia ſimul & corporalia pericula formidantes: Sed viros, qui juxta præceptum Domini per manum Moyſi viginti ad minus annorum ſacra poſſint ad bella procedere. His expletis, quod de cella promiſimus, exequamur.

De utenſilibus cellæ.
CAPUT XXVIII.

ACcipit itaque cellæ incola ad lectum Paleam, Filtrum, Pulvinar. Cottum vel coopertorium de groſſiſſimis ovium pellibus, & panno ruſtico coopertum. Ad veſtitum autem, duo cilicia, duas tunicas, duas pellicias unam deteriorem, alteram meliorem, duáſque ſimiliter cucullas, tria paria caligarum, paria pedulium quatuor, pelles, capam, ſotulares nocturnos & diurnos: Sagimen quoque ad ungendum, lumbaria duo, cingulum, omnia canabina & groſſa. Et quidquid prorſus ad lectum, veſtimentúmve pertinet, cujus groſſitudinis, coloriſve ſit, non cutabit. Cùm enim ad omnes Monachos, tum maximè ad nos humilitatem attritionémque pannorum & univerſorum, quibus utimur, vilitatem, paupertatem, & abjectionem certum eſt pertinere. Habet etiam acus duas, filum, forfices, pectinem, novaculam ad caput, cotem vel calculum, & corrigiam ad acuendum. Ad ſcribendum verò ſcriptorium, pennas, cretam, pumices duos, cornua duo, ſcalpellum unum: Ad radenda pergamena, novaculas ſive raſoria duo, punctorium unum, ſubulam unam, plumbum, regulam, poſtem. Ad regulandum, tabulas, graphium. Quod ſi Frater alterius artis fuerit, quod apud nos raró valde contingit, omnes enim penè quos ſuſcipimus, ſi fieri poteſt ſcribere docemus: habebit artis ſuæ inſtrumenta convenientia. Adhuc etiam libros ad legendum de armariis accipit duos, quibus omnem diligentiam curámque præbere jubetur, ne fumo, ne pulvere, vel alia qualibet ſorde maculentur. Libros quippe tanquam ſempiternum animarum noſtrarum cibum, cautiſſimè cuſtodiri & ſtudioſiſſimè volumus fieri, ut quia ore non poſſumus, Dei verbum manibus prædicemus. Quot enim libros ſcribimus, tot nobis veritatis præcones facere videmur, ſperantes à Domino mercedem, pro omnibus, qui per eos vel ab errore correcti fuerint, vel in Catholica veritate profecerint, pro cunctis etiam qui vel de ſuis peccatis & vitiis compuncti, vel ad deſiderium fuerint Patriæ cæleſtis accenſi. Et quia ſicut cæteras neceſſitates, quæ ad vilitatem & humilitatem pertinent, coquinam etiam ipſi nobis facimus, dantur ei ollæ duæ, ſcutellæ duæ, tertia ad panem, vel pro ea mantile, quarta grandiuſcula eſt ad faciendas munditias, cochlearia duo, cultellus ad panem, juſta, ſcyphus, vas aquarium, ſalaria, patella, duo ad legumina ſacculi, manutergium. Ad ignem, focile, eſca, lapis ignitus, ligna, ſecuris. Ad opera verò dolabrum. Hæc qui legerit, nec irrideat quis nec reprehendat, niſi fortè prius in cella, inter tantas nives & tam horrida frigora, longiore fuerit tempore commoratus. Idcirco etiam uni tanta concedimus, ne quod illicitum ducimus, exire de cella compellatur, hoc enim nequaquam conceditur, niſi cùm ad clauſtrum aut Eccleſiam conveniur, quod hoc ordine fieri conſuevit.

Quo

Quo tempore de cella exeunt & de Vigiliis, & diſtinctione horarum.

CAPUT XXIX.

OMni tempore, exceptis duodecim Lectionum Feſtis, & Natalis Domini Paſchæ quoque, & Pentecoſtes hebdomadibus, ſignô pulſatô, nocturnum Eccleſiæ officium congruis Vigiliis in cellis prævenimus, quæ ab Idibus Septembris ſenſim paulatimque creſcendo in Kalendis Novembris perfectæ, quinquaginta Pſalmis non nimis feſtinè cantandis ſufficiunt. A quo tempore usque ad Februarii Kalendas taliter perſeverant, inde usque ad Paſcha decreſcendo paulatim ad tantum ſpatium, quod Matutinis ſanctæ Mariæ ſufficiat, rediguntur; ex quo usque ad prædictos Septembris Idus in eadem quantitate perdurant. Secundò autem ſignô pulſatô, ad Eccleſiam feſtinantes, tertii ſigni finem prævenire ſatagimus, ubi ſuper formas præveniente Priore vel cui hoc injunxerit procumbentes, & ter *Pater noſter*, cæteris ſemel horis graviter, devoréque perſolvimus, ſurgentésque pſallere divino cum timore incipimus. Cantatis autem nocturnis, breve facimus intervallum, quod ad plus ſeptem pœnitentiales Pſalmos capere valeat; Sequuntur deinde Matutinæ Laudes, quas à Kalendis Octobris usque Paſcha lux terminat, exinde inchoat. Ad lectos autem poſt Matutinas nullo redditur tempore, à prædictis Kalendis ſimiliter usque Paſcha Primam lux inchoat, exinde ſolis ortus expectat, exceptis tantùm diebûs ſolennibûs, usque ad Kalendas Novembris, in quibus reliquos dies imitatur æſtatis. Sed & in Quadrageſima diebûs itidem ſolennibûs ut diutius orationi vacari poſſit. penè usque ad ortum differtur ſolis. Cæteris verò diebus, quibus tenetur Capitulum à Kalendis Novembris usque Quadrageſimam, donec poſſit in libro legi, protelatur. Quâ autem horâ à Paſcha usque ad Kalendas Octobris *Prima*, eadem à Kalendis Octobris usque Quadrageſimam, *Tertia* pulſatur, ſole videlicet ſummos irradiante montes. Spatium autem vel à Prima usque ad Tertiam hyemis tempore, vel à Matutinis usque ad Primam æſtate, exercitiis ſpiritualibus mancipatur. A Tertia verò usque ad Sextam hyeme, & à Prima usque ad Tertiam æſtate, manuum deputatur operibus, quæ tamen opera brevibus volumus orationibus interrumpi. Et qui ſibi vicinitate in hyeme Sexta & Nona, eadem in æſtate Tertia, Sextáque conveniunt. Tali autem inter ſe ſpatio ſeparantur, quo regularis hora, & duæ de ſancta Maria valeant explicari. Spatium verò, quod Sextæ, Nonæque intereſt, nunc brevius nunc longius, quieti deputatur æſtate, & quod Nonam Veſperásque diſterminat, manualibus occupatur operibus, ſempérque in operando, ad breves & quaſi jaculatas licet orationes recurrere, à Veſperis usque ad Completorium ſpiritualibus opera datur. In Completorio autem pulſando illud artenditur, ut quando plus differtur, cùm adhuc legi poteſt, pulſetur; poſt cujus finem oratione Dominica ter tantùm cum devotione finita, nequaquam ultra differimus accubare. Non enim monemur ſolùm ſed & jubemur, horis ad quietem deputatis, dormitioni magnum impendere ſtudium, quo temporibus cæteris alacriter vigilare poſſimus. Generaliter autem in Eccleſia Matutinas & Veſperas, in cellis verò ſemper Completorium dicimus, aliàs enim niſi feſtivis diebus aut Vigiliis aut Anniverſariis ad Eccleſiam non venimus.

De his, qui in cella manentibus importunè ſe ingerunt, & de Coquinario.

CAPUT XXX.

SI aliquis importunus ad cellam venerit vel nutibûs, vel ſi non intelligit verbis ad Coquinarium eum mittimus, amplius cum illo niſi juſſi non loquimur, nec ſi ſit germanus. Coquinarius autem portam ſervat, advenientibus reſpondet, eleemoſynam petentes ad inferiorem transmittit domum, domos & univerſa, quæ ad communes uſus pertinent, cuſtodit; porrò coquinæ terminos, oſtium videlicet Refectorii, quo ad eam tenditur, nemo niſi juſſus transgreditur. Quod ſi ex noſtris ad cellam venerit, volens loqui nobis, interrogatur priùs, ſi Prior juſſerit, aliter ad colloquium non recipitur. Ipſi quoque Coquinario in cellis reſidere & fabulari non licet, niſi quem fortè ægrotare contigerit.

Item de cella.

CAPUT XXXI.

HIs ita prælibatis ad cellam redeamus, cujus habitatorem diligenter ac ſolicitè decet invigilare, ne quas occaſiones egrediendi foras, vel machinetur vel recipiat, exceptis his, quæ generaliter inſtitutæ ſunt, ſed potiùs ſicut aquas piſcibus, & caula ovibus, ita ſuæ ſaluti & vitæ cellam deputet neceſſariam. In qua quanto diutiùs, tanto libentiùs habitabit; & quam ſi frequenter & levibus de cauſis exire inſueverit, citò habebit exoſam, & ideo ſtatutis ad hoc horis, petenda jubetur petere, & accepta tota diligentia cuſtodire. Quod ſi qualibet vel ſua vel alterius negligentia, pane, vino,

vino, aqua, ignéve caruerit, vel inſolitum ſtrepitum aut clamorem audierit, vel periculi ignis extiterit, licebit exire, & ſubſidium præſtare vel petere, & ſi periculi magnitudo popoſcerit, ſilentium etiam ſolvere. Soli enim degentes ſigna Cœnobiorum aut nulla aut pauca novimus, ſufficere putantes linguam ſolam, non etiam cæteros artus reatibus implicare loquendi. Et ideo ſi tanta neceſſitas urget, uno vel duobus aut certè pauciſſimîs verbîs, quod res poſtulat, maluimus indicari.

De Fratribus, qui aliquo opere occupantur.
CAPUT XXXII.

CUm aliqui ex Monachis emendandis vel ligandis libris vel alicui tali operi mancipantur, ipſi quidem loquuntur ad invicem, cum ſupervenientibus verò nequaquam, niſi Priore præſente aut jubente.

De jejuniis atque cibis.
CAPUT XXXIII.

NUnc de jejuniis cibiſque dicendum eſt. Secundâ, quartâ, ſextâque Feriâ, pane & aqua & ſale, ſi cui placet, contenti ſumus. Tertiâ, quintâ & Sabbatô legumina vel aliquid hujuſmodi ipſi nobis coquimus, à Coquinario vinum accipimus, & in quinta Feria caſeum vel aliquid cibi lautioris accipientes. Ab Idibus Septembris uſque ad Paſcha exceptîs ſolemnitatibûs, non niſi ſemel in die manducamus. A Paſcha autem uſque ad prædictum terminum tertiâ & quintâ Feriâ, nec non & Sabbatô, iterato reficimus. Ad cœnam vel ad prandium cùm ſemel edimus, herbas crudas vel fructus, ſi adſint, accipimus, quæ retinentes quamdiu ſufficiunt, alia ejuſdem duntaxat generis non accipimus. De caſeo namque ſeu piſcibus aut ovis, vel ſi quid ejuſmodi, quæ pictantias vocamus, ſemel ſumimus, quod ſupereſt, reddimus. Vinum non niſi in prandio vel cœna potamus. Quod panis & vini ſupereſt, Sabbatô redditur; quando in Refectorio reficimus, caſeus vel aliqua talis pictantia, oleribus vel leguminibus ſuperadditur, & in cœna vel fructus vel herbæ crudæ, ſi adfuerint, apponuntur. In Adventu nec ovîs, nec caſeo veſcimur.

De menſura vini & Caſei.
CAPUT XXXIV.

MEnſura vini, ſive in Cellis ſive in Refectorio, eadem perſeverat, eodémque modo temperatur, nam puro non utimur. Panis quamvis de tritico torta eſt, album enim panem non facimus. Caſeus eodem tam in cellis, quàm in Refectorio pondere datur.

Quod nulli licet majora exercitia facere, niſi favente Priore.
CAPUT XXXV.

ABſtinentias verò vel diſciplinas vel Vigilias, ſeu quælibet alia Religionis exercitia, quæ noſtræ Inſtitutionis non ſunt, nulli noſtrum niſi Priore ſciente & favente facere licet. Sed etſi cui pictantiam aliquam ſeu cibi ſeu ſomni, vel alterius cujuſlibet rei facere, aut durum & grave aliquid imponere voluerit, repugnare fas non habemus, ne cùm ei reſtiterimus, non ei, ſed Domino, cujus erga nos agit vices, reſtitiſſe inveniamur. Licèt enim multa ſint & diverſa, quæ obſervamus, unô tamen & ſolô obedientiæ bonô cuncta nobis fructuoſa futura ſperamus.

De hoſpitibus ſuſcipiendis.
CAPUT XXXVI.

PRo Epiſcopis & Abbatibus & cunctis in religioſo habitu conſtitutis, tales enim à Priore ad menſam ſuſcipiuntur, ſi tali hora venerint, jejunium ab eodem niſi ſit præcipuum, ſolvitur. Non enim vel gyrovagi vel à Religione refugæ, vel perſonæ Laicæ, ad ejus menſam ſuſcipi conſueverunt. Epiſcopi autem & Abbates etiam ſedem Prioris tam in Eccleſia, quàm in cæteris tenent locis. Sed Epiſcopi benedictiones etiam dant; Abbates ſolâ ſedis honorificentiâ ſunt contenti, benedictiones autem juxta morem Sacerdos Hebdomadarius tribuit. Quos, id eſt Epiſcopos & Abbates, cùm veniunt, inclinati, & uſque ad terram flexîs genibûs, cæteros autem reverenter tantùm ſupplicantes oſculamur. In ſuperiori autem domo, non niſi Religioſi hoſpites jacere conſueverunt. Et quoniam de Priore ſermo ſe intulit, addendum eſt, qualem ſe in ſuſceptæ domus negotiis ſoleat exhibere.

De tractando conſilio.
CAPUT XXXVII.

SI quid igitur magnum, vel grave tractandum fuerit, Prior omnes in unum Monachos præcipit convenire, ibíque cùm omnes quid ſentiant, liberè pronunciaverint, quod meliùs rectiúſque exiſtimat, ſine ulla perſonarum acceptione exequitur. Et hoc omninò tanquam utiliſſimum, rectiſſimúmque ſervatur. Ut nemo vel alterius, vel ſuam con-

contentioſe præſumat defenſare ſententiam, ne bonum, quod abſit, conſilii in diſcordiam, furorémque vertatur. In levioribus verò & magis conſuetis, ſuo tantùm & maturorum eſt contentus conſilio. Qui ne fortè temporalium curâ rerum ac ſollicitudine prægravatus, ſpiritualibus minùs poſſit intendere, tales ſingulis obedientiis Fratres ſatagit deputare, quorum eas fidei ſecurè valeat credere.

De Cura Infirmorum.
CAPUT XXXVIII.

QUi cùm erga omnes præcipuè tamen erga infirmos ac debiles atque in tentationibus poſitos, ſollicitum, benignum atque miſericordem debere ſe noverit exiſtere; non enim ſecundùm ſententiam Domini: *Sanis eſt opus Medicus, ſed malè habentibus.* Qui tamen & ipſi, ſecundùm beati Benedicti dicta: *Ne ſuperflua vel impoſſibilia petendo, vel fortè murmurando ſervientes ſibi contriſtent*; diligentiùs admonentur attendere, & ut memores arrepti propoſiti, ut ſanos à ſanis, ita ægrotos ab ægrotis ſæcularibus debere cogitent diſcrepare, nec illa in Eremis, quæ vix in urbibus inveniantur expoſcere. Iſti igitur Chriſti paſſiones, illi ſuadentur attendere miſerationes; hinc iſti fortes ad ferendum, illi prompti ad ſubveniendum, dúmque propter Chriſtum & iſti ſibi ſerviri & illi ſervire conſiderant, nec iſti ſuperbiunt, nec illi deficiunt, ab eodem utrique Domino mercedem ſui præſtolantes officii, iſti patiendi, illi miſerendi. Propter hos ſolos, ſi tanta fuerit ægritudo, piſces emere ſolemus.

Matth. 6.

De Minutione.
CAPUT XXXIX.

MEdicinis autem, excepto cauterio & ſanguinis minutione, perrarò utimur. Minuimur autem in anno quinquies, poſt Octavas Paſchæ, poſt ſolennitatem Apoſtolorum Petri & Pauli, ſecundâ hebdomadâ Septembris, Septimanâ ante Adventum, & hebdomadâ ante Quinquageſimam. In quo tempore minutiones, ſcilicet per tres continuos dies bis reficimus, aliquid cibi melioris accipientes. Primâque die, ne quid adverſi ex minutionis occaſione contingat, ad colloquium refecti convenimus, poſt prandium etiam vinum bibendi licentiam habemus, non tamen in alterius cella. Nihil enim unquam alimentorum in aliena licitum habemus ſumere cella. Per hos tres dies mane redimus ad lectos, neceſſaria dicimus Coquinario, à quo duobus prioribus diebus etiam tria ad cœnandum ova ſuſcipimus.

De Ornamentis.
CAPUT XL.

ORnamenta aurea vel argentea præter calicem & calamum, quo ſanguis Domini ſumitur, in Eccleſia non habemus, pallia, tapetiáque relinquimus. Fœneratorum & excommunicatorum munera non accipimus. Cartulam quoque, quam de quibuſdam talibus rebus conſcripſeramus, huic ſcripturæ injecimus.

Ut nulla extra Eremum poſſideantur, & de ſepultura peregrinorum.
CAPUT XLI.

CUpiditatis occaſiones nobis & noſtris poſteris, quantum Deo juvante poſſumus præſcindentes, præſentis ſcripti ſanctione ſtatuimus, quatenus loci hujus habitatores, extra ſuæ terminos Eremi nihil omnino poſſideant, id eſt, non agros non vineas, non hortos, non Eccleſias, non Cœmeteria, non oblationes, non decimas & quæcunque hujuſmodi. Simili etiam tenore ſancitum eſt, ut neminem prorſus ſive intra, ſive extra Eremum iſtam defunctum ſuo ſepeliant in cœmeterio, niſi fortè aliquem hujus propoſiti hìc obire contigerit. Sed & cæterarum Religionum, ſi quis hìc defunctus fuerit, quem ſua congregatio hinc aſportare aut nequiverit, aut neglexerit, hunc ſepelient. Nomen verò cujuſquam in ſuo non ſcribent Martyrologio, nec cujuſquam Anniverſarium ex more facient. Audivimus enim, quod non probamus pleruſque toties ſplendidè convivari, Miſsáſque facere paratos, quoties aliqui pro ſuis eis voluerint exhibere defunctis. Quæ conſuetudo & abſtinentiam tollit, & venales facit orationes, dum quotus paſtuum numerus totus eſt & Miſſarum. Nec ullum ibi vel jejunandi certum vel obſecrandi conſtat propoſitum, ubi non devotione facientis, ſed de paſcentis potius pendet arbitrio. Nulla quippe die convivium, vel Miſſa deerit, ſi qui paſcat, nunquam defuerit. Quod ſi quis talem conſuetudinem contentioſè jurat laudabilem, non reſiſtimus, agat, ut libet, redditurus illi rationem, qui ſcrutans corda & probans renes, reddit unicuique juxta viam, & juxta fructum adinventionum ſuarum. Noſtrum qualecunque vile propoſitum, penuriam, Deo gratias rarò ſentit aut abundantiam. Nam ſi quiſquam nobis piſces aut hujuſmodi miſerit aliquid, eâ menſurâ & die reficiendis infertur Fratribus, quâ propoſitum poſcit & inſtitutio.

De divino officio Fratrum Laicorum.
CAPUT XLII.

QUæ ad Monachorum pertinet conſuetudines, prout potuimus explicatis, ea, quæ Laicorum ſunt, qoos converſos vocamus, Domino juvante, dicamus. Semper cùm ad Matutinas ſurgendum eſt, bis parvô interpoſitô ſpatiô ſignum pulſatur, primò præparantur, ſecundò ad Eccleſiam ſervata gravitate concurrunt. Et ſi quidem Monachus, qui eis præpoſitus eſt, adeſt præſens, divinum eis officium peoè, ut ſupra ſcriptum eſt, feſtinantiùs tamen perſolvet, quem ipſi ſummo ſtudio ſilentium, quietémque ſervantes ad inclioationes, & cæteras Religioſos corporis motus ſedulò imitatoturr. Ex quibus in Vigiliis ſolemnitatum, in quibus Capitulum tenetur, medietas ptout eorum patiuntur obedientiæ, ad Veſperum, cùm à ſuis disjunguntur laboribus, ad ſupetiorem conſcendunt Eccleſiam, Matutinas & cæterum ſacrum, officium audituri; ibique poſt Monachorum Capitulum, verbum Dei à Priore vel ab eo, cui hoc ipſe injunxerit, audiunt, & ſi quas habent, confitentut offenſas. Aſcenſuri autem ad Coquinarium veniunt, & cum ejus licentia ſervato pergunt ſilentio, quod præceperat pottaturi; ibi quoque id eſt ſuperius, ſicut ubique, à Completorio usque poſt Primam, & à Capitulo usque poſt Nonam in ſilentio permanentes. Coquinario & Adjutori ſive Adjuroribus ejus de neceſſariis loqui licet. Cum ſilentio etiam deſcendunt, quod juſſi fuerint reportantes, Veſpetas in Capella à deputato ſibi Monacho audituri.

Item de eadem re, & quo tempore ad lectos redeunt.
CAPUT XLIII.

QUoties autem ſunt ſioe Clerico, orationem Dominicam pro Pſalmis habent, & de ea horas omnes, & totum ubicunque ſint, complent officium. In Matutinis igitur, ſi duodecim Lectionum Feſtum eſt, inclinati tantùm, aliàs enim ſuper formas ſemel *Pater noſter* cum magna dicunt attentione. Deinde erecti eandem ſexies repetunt orationem, per ſingulas ſopplicantes, & *Gloria Patri* dicentes; deinde conſidunt, & eandem otationem bis & vicies repetunt, & poſtea ſurgentes eandem cum ſupplicatione & *Gloria Patri* ſexies iterant, ac deinceps in ſtando perſeverantes ipſam eandem ſine *Gloria* & ſupplicatione viginti & duabus vicibus dicunt. Quam etiam pto Collecta ſemel ſubjungunt. Poſt Matutinas. ad orationem conſtitutam feſtinant, quam ideo ſcribere nolumus, quia vulgaribus verbis aliis ab aliis inſinuatur. Et quia à Kalendis Octobris usque ad Paſcha non teditur ad lectos, in ſpatio quod usque ad Primam remanet, pro quantitate noctium longum vel breve, veſtes ſuas ſuunt vel ſotulares ungunt, vel rapas radunt, vel ſi quid aliud eis injunctum eſt, ſine ſtrepitu duntaxat operantur; ſin nihil tale urget, intendunt otationi, quantum poſſunt. A Paſcha usque ad Kalendas Octobris ad lectos redeunt, in quo toto temporis ſpatio, orto ſole Prima pulſatur; In meſſe tamen prout neceſſitas poſtulat citius. Abinde usque Paſcha ſummo mane Primam ita incipiunt: *Adjutorium noſtrum in Nomine Domini, qui fecit cœlum & terram*; Deinde *Pater noſter*, cum *Gloria Patri*, & Venia vel ſupplicatiooe ſecundùm tempus, tertio, quarto, etiam pro collecta; in cæteris horis ſimiliter, exceptô quod in Veſpetis unum additur *Pater noſter*. Poſt Completorium lectos adeunt, & ut dotmiant, ſatagunt, ne fortè cum vigilare debuerint, dotmire compellantur. Sive autem dormiant ſive vigilent, quiete ac ſine ullo quantum poteſt fieri ſtrepitu, manere jubentur.

Qui præſidere vel reſpondere debeat.
CAPUT XLIV.

TUncque abſente, qui ibi Prælatus eſt, Monacho, ad Eccleſiam conveniunt, is præeſt officio, qui præeſt ordine, ſimiliter & in cæteris locis vel operibus, niſi fortè obedientia, in qua fuerint, alicui ſpecialiter ſit injuncta. Tunc enim cui propriè injuncta eſt, cæteris præſidet, tacentibúsque aliis adventantibûs vel obviantibûs reſpondet. Non enim paſſim vel ſine licentia licet eis, quo vel cum quibus vel qoandiu voluerint loqui. Unde obviantes vel ſupervenientes, inclinato tantum licet capite reſalutare, viam oſtendere, ad interrogata *eſt* vel *non* reſpoodere: Et quia amplius loquendi cum eis licentiam non habeot excuſare.

Quod cum Prælato ſuo Fratribus loqui liceat.
CAPUT XLV.

IN qualibet autem conſtituti obedientia, cum Prælato ſibi poſſunt de neceſſariis loqui Fratres, petitâ per ſignum licentiâ. Habent enim ſigna pleraque ruſticana, & ab omni facetia vel laſcivia aliena, per quæ de his, quæ ad ſua pertinent officia, rebus vel inſtrumentis poſſunt ad invicem ſine voce commemorati. Aliena autem diſcrete ſigna, vel ſua docere alienos licitum non eſt eis.

De

De Coquinario.

CAPUT XLVI.

NUnc per ſingulas curramus obedientias. Coquinæ præſidet unus è Fratribus, qui ſolitos cibos, legumina ſcilicet & hujuſmodi Fratribus præparat & diſpenſat, horis competentibûs ſignum pulſat. A quo etiam panem, vinum, ſtatutis diebus, ſal, cochlear, ſcutellas, lumbaria, acum, filum, ceram ad cerandum accipiunt. Aliud autem quicunque præter Procuratoris licentiam eis dare non poteſt, qualia autem allis generaliter miniſtrat, talia ſumit & ſibi. Dare vel accipere ab his, qui domus hujus non ſunt, ſine Procuratoris præcepto nihil audet. Qui ſi fortè abſuerit, & aliqua interim neceſſitas acciderit, ita faciet, quemadmodum ipſum ſi adeſſet facturum fuiſſe exiſtimârit, redeuntique, quid & quomodo egerit, indicabit. Fratrum aliquem in coquinam niſi juſtæ cauſa neceſſitatis inducere non poteſt, inductúmque transacta neceſſitate ſtatim emittit, inviolato quantum res ſinit ſilentio. Eccleſiam cuſtodit, portæ præeſt, advenientibus reſpondet, ferramenta communia ſervat, domus & univerſæ communis ſupellectilis curam gerit. Ex quibus omnibus ſi aliquid deperierit, proſtratus humi, reum ſe, culpabilémque clamabit. Hæc eadem ſervat, quicunque vices ejus exequitur. In diebus ſolennibus, vel ipſe vel qui ſupplet locum ejus, advenientibus de villa proxima, nihil habet dare vel commodare, ſed tantùm ut recedant, jubetur reſpondere, ne per tales dies aſſueſcant inquietudinem & moleſtiam facere.

De Piſtore.

CAPUT XLVII.

PIſtor annonam recipit, ſiccat, cuſtodit, ventilat, molit, panes conficit, & dato adjutorio coquit, & Coquinario in piſtrino reddit.

De Sutore.

CAPUT XLVIII.

SUtor coria teneat, incidit, Sotulares facit, ac reficit.

De Præpoſito Agriculturæ.

CAPUT XLIX.

QUi præeſt Agriculturæ, Grangiæ & boum & cunctorum, quæ ad illam pertinent obedientiam, diligentiam habet.

De Magiſtro Paſtorum.

CAPUT L.

PAſtorum Magiſter, cunctas illius obedientiæ res & inſtrumenta cuſtodit, & emendo & vendendo ad ſuum pertinentia miniſterium, cum extraneis commercium facit. De rebus aliis fabulandi cum eis licentiam non habet, cui negotio vel verbis ſociorum niſi quem advocaverit, nullus ſe intermiſceat. Ipſe verò juramenta, mendacia, fraudes, & cætera, quæ talibus intereſſe ſolent negotiis, vitare præcipitur mala, ſempiternámque animæ ſuæ ſalutem temporalibus rebus & commodis anteferre. Ipſe etiam & ſocii ejus Grangiam magna ex parte cuſtodiunt. Domus in qua fiunt caſei, quam vocamus *Arcellam*, ad eorum propriè curam pertinens ſicut aliqua de cellis ſervanda præcipitur. Generaliter autem in alterius cellam nullus niſi juſſus ingreditur. Cùm ad hyemandum foras exeunt, nihil vel accipere vel dare præceptum habent, à puero mercenario, qui eſt cum eis, ad molendinum itur, panis coquitur, vinum emitur, ne ipſi, quod periculoſum eſt, ad villas, in quantum vitari poteſt, ire cogantur. Tertiâ Feriâ & Sabbatô ultra communem Fratrum morem vinum habent; ea quoque die, quâ locum mutant, quia cibos ſibi præparare non poſſunt, vinum accipiunt. Hæc autem miſericordia propter continuos labores, & multa, quæ ibi patiuntur incommoda, eis impenditur.

Quo tempore vinum habeant Fratres.

CAPUT LI.

CÆteri enim Fratres, qui Domi ſunt, quintâ tantum Feriâ & in ſolennitatibus, quæ Capitulum habent, ſemel in die vinum accipiunt. In Natali tamen Domini diebus quatuor, Circumciſione, Apparitione, Purificatione, Annunciatione, ſi Dominica die contigerit, Paſchæ diebus quatuor, Aſcenſione, Pentecoſtes diebus tribus, ſolennitate ſancti Joannis, Apoſtolorum Petri & Pauli, Aſſumptionis, Dedicationis, Nativitatis beatæ Mariæ, ſancti Michaëlis, omnium Sanctorum bis habent vinum. Aſcendentibus etiam propter aliquod Feſtum in craſtino celebrandum, ſi Monachos in Refectorio cœnare contigerit, vinum datur. Hoc autem non evenit, niſi duo Feſta, quibus in Refectorio comeditur, ſibi cohæſerint.

De

De jejunio Fratrum.
CAPUT LII.

SExtâ ſemper Feriâ pane & aqua & ſale contenti ſunt exceptis ſolemnitatibûs; in Adventu quoque & Quinquageſima, & jejuniis quatuor temporum, quartâ etiam feriâ eandem abſtinentiam faciunt. Vigiliis Paſchæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, ſancti Joannis, Petri & Pauli, Aſſumptionis, omnium Sanctorum, Natalis Domini, ſimiliter vivunt. In Vigiliis verò Apoſtolorum Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Judæ, Andreæ, ſancti Laurentii Martyris ſemel quidem comedunt ſed pulmentum habent; cæteris autem diebus, ne nimio labore frangantur, bis comedunt; ſed ſemel tantùm pulmentum accipiunt. Generaliter autem communes hujus Domus cibi ſale tantùm condiuntur. Quintâ Feriâ & ſolennitatibûs Capituli ultra conſuetum aliquid melioris eſcæ ſuſcipiunt. Paſchæ tamen & Pentecoſtes Feriâ quintâ, & alterâ poſt Feſtum Innocentium die, ſi hæc, id eſt quintâ Feriâ ibi contigerit, vinum ſine alia pictantia ſumunt. Herbas crudas, fructus, aut radices cùm adſunt, in cœna tantum vel in prandio ſi ſemel comedunt, accipiunt. Pulmenti vel pictantiæ quidquid uni prandio ſuperfuerit, reddunt. Vinum datum non niſi in prandio vel cœna bibunt. Quidquid ex pictantiis remanet vel pulmentis, quod uſui aptum ſit, Coquinario redditur, ne quis fortè non conceſſam, occultè faciat abſtinentiam.

Quo tempore veſcantur avenatio pane.
CAPUT LIII.

A Kalendis Novembris usque ad Paſcha avenæ veſcuntur pane; in Adventu tamen & Quadrageſima per ſingulas hebdomadas ſingulas triticeas ex pictantia recipiunt tortas.

De minutione eorum.
CAPUT LIV.

QUater in anno minuuntur, circa Kalendas Maji, circa Idus Julii, circa Kalendas Octobris, circa Kalendas Februarii, Minutis, tribus diebus pictantia mane, vinum autem bis datur. Duobus prioribus diebus, tria ſi adſunt ova, adducuntur cœnæ. Si ſitierint poſt prandium, vinum bibunt; non tamen in alterius cella, hoc enim nequaquam conceditur, ut quilibet in cujuslibet cella quidquam vel bibat vel comedat. A laboribus vacant, ad lectos redeunt. A poſt prandium usque ad Veſperas colloquium de bonis faciunt, qui verò non minuitur, eandem, quam Minuti compellitur accipere refectionem.

De ſilentio ad prandium.
CAPUT LV.

EDentes, ubicunque ſint, ſilentium tenent, quod licet & prius tamen poſt exemplum Reverendiſſimorum ac Deo dilectorum Ciſtercientium Monachorum, quos & religione & numero in brevi multùm creviſſe gaudemus, perfectiùs cuſtodimus. Ipſorum enim Laici ſive Monachi non loquuntur in prandio. Noſtri etiam in quacunque obedientia conſtituti cum alterius obedientiæ Fratribus loqui non habent.

Quid agendum ſit in periculis.
CAPUT LVI.

SI alicubi vel morbi ſubitanei vel ignis vel alicujus talis periculi neceſſitas ingruerit, ſoluto ſilentio, qui prius poteſt, ſuccurrit.

De veſtitu Fratrum & utenſilibus cellæ.
CAPUT LVII.

AD veſtitum habent tunicas tres, caligarum paria tria, pedulium duo, ſotulares nocturnos & diurnos, pelliciam, pelles, mantellum, caputium, mitanas laneas unas, lumbaria duo, cingula duo; ſotulares eorum de bovina pelle fiant. A Kalendis Novembris, unam tunicam veterem reddunt, & unam novam accipiunt, ſimiliter par caligarum reddunt, & par caligarum, páraque pedulium ſumunt. Pelles & pelliceas accipiunt veteres, eas videlicet quas reddunt Monachi, cùm novas accipiunt. Habent adhuc ad lectum, paleam, filtrum, pulvinar, cottum. A Paſcha usque ad Feſtum ſancti Michaelis, à Prima usque ad Completorium nocturnis ſotularibus non utuntur. In ſuperiori etiam Dormitorio communes lectos, pellicias, ſotularéſque nocturnos habent. In omnibus hujusmodi aliud nihil curatur, niſi ut frigus arceatur, & nuditas tegatur, nam & ligaturas ſotularium & renum ſingula de cruda gerunt canabæ, lumbariáque ipſa canabina ſunt. Adeo non quid vanitas aut voluptas ſed quod ſola neceſſitas aut utilitas poſtulet, cogitatur. Habent & ſcutellas duas ad cibos, ad panem unam mantilis loco, ad munditias unam grandiorem, juſtam, ſcyphum, ſalariam, cochlear & cultellum, vas aquarium, ferramenta etiam, ſecurim, ſaſſorium, dolabrum, ſubulam, falciculam, acus duas, filum, forfices, terebrum. Hæc quicunque legerit, ridere vel

repre-

reprehendere non feſtinet, niſi prius vitam hujusmodi in tali ſolitudine & inter tanta duxerit frigora.

Quod loquendi cum extraneis licentiam non quærunt.
CAPUT LVIII.

COlloquendi ſimul cum his, qui domus hujus non ſunt, licentiam non quærunt, nec cum Germano quidem. Nihil omnino niſi cum licentia apud ſe tenent. Accuſati ſine mora proſtrati veniam petunt, reprehenſorem in eadem die non reprehendunt.

Quid fiat de re alicui noſtrûm miſſa.
CAPUT LIX.

SI alicui noſtrûm, ſive Laico ſive Monacho ab aliquo, vel amico vel propinquo, vel veſtis, vel aliquid hujusmodi miſſum fuerit, non ei, ſed alii potius datur, ne quaſi proprium habere videatur.

Quid de re inventa faciendum ſit.
CAPUT LX.

SI inter terminos noſtros aliquid inventum fuerit, ei protinus, cujus eſt, ſi adeſt, ſin autem Procuratori redditur. Si autem extra terminos aliquid à noſtris inventum fuerit Fratribus, aut ſuo domino ſtatim, ſi fieri poteſt, redditur, aut ei, per quem melius & fidelius reddi poſſe putatur, commendatur, aliàs intactum dimittitur. Veſtiti ſingulis tunicis & cincti jacent in cellis & dormitorio.

De Brachis & parvulis pelliceis Fratrum
CAPUT LXI.

PAſtores autem habent brachas canabinas, quas tunc induunt, cùm caſeos faciunt, aliter lineis omnino non utuntur veſtibus, ne fœminalibus quidem. Conceſſimus adhuc Paſtoribus pelliceas parvulas, quæ duabus fere vervecinis pellibus poſſint fieri, quibus niſi cùm hyematum foras exeunt, non utuntur. In mulgendo ubicunque ſunt, ſemper ſilentium tenent.

De Fratre, qui Saginarios curat.
CAPUT LXII.

FRater, qui Saginarios curat, quando foras egreditur, in culcitra non jacet, nihilque niſi hoſpitium quærit, niſi vel Prior vel Procurator aliquid ei ſpecialiter injunxerit. Nullius noſtrûm vel verba, vel ſalutes ad aliquem exteriorem nulliùsque exterioris ad aliquem noſtrum, niſi Priore vel Procuratore jubente, fert, aut refert. Sæculares rumores ubi audit, ibi jubetur dimittere.

De horto.
CAPUT LXIII.

HOrtus & quæ ad eum pertinent, uni deputatur è Fratribus, qui de omnibus adProcuratorem recurrit, eique de cunctis rationem reddit.

De cuſtode Pontis.
CAPUT LXIV.

POntis cuſtos cum nullo prorſus niſi ſpecialiter juſſus fabulandi licentiam habet. Nutibus tantùm vel ſi non intelligitur, etiam verbis, eos, qui non debent tranſire, repellit. Idipſum ſervare jubetur quicunque vices ejus exequitur. Et omnino quicu que in quacunque obedientia cujuslibet agit vices, nihil omnino in ea ſine licentia mutare permittitur: in cellis quoque ipſis ſive ſuperius ſive inferius nihil niſi prius oſtenſum & juſſum, mutari ſie ive ſinitur, ne domus laborioſè factæ, curioſitate deteriorentur, vel deſtruantur.

De diſciplinis Fratrum.
CAPUT LXV.

IN Adventu & Quinquageſima per ſingulas hebdomadas ſinguli ſingulas accipiunt diſciplinas. Quod ſi domi non fuerint, ſepties pro diſciplina *Pater noſter* cum Veniis dicunt.

De Cinere.
CAPUT LXVI.

CInerem, qui adſunt in inferiori cella de manu Procuratoris accipiunt, qui non adſunt, ter *Pater noſter* cum Veniis dicunt.

Quid faciant pro Miſſa.
CAPUT LXVII.

ITem ter *Pater noſter* à capite jejunii usque ad Paſcha poſt Nonam proſtrati pro Miſſa ſolvant.

De Cœna Domini.
CAPUT LXVIII.

IN Cœna Domini, qui inferiùs remanent, veniunt poſt prandium ad coquinam, & ab eo, qui prior eſt ordine, lavantur cæteris pedes, offertúrque ſingulis vinum, & bibentes recedunt.

De Paraſceve.
CAPUT LXIX.

IN craſtino, hoc eſt, in Paraſceve, qui ibidem, hoc eſt, inferius ſunt, poſt Nonam, quæ plus ea die, quam cæteris differtur, veniunt ad Eccleſiam, ibique *Pater noſter* ſemel pro Eccleſia, ſemel pro Papa, pro Epiſcopis, & cunctis ſacris Ordinibus, pro Imperatore, pro Cathecumenis, pro cunctis afflictionibus, & periculis, pro Hæreticis, pro Judæis, pro Paganis, Veniis, exceptis Judæis, ad ſingula ſubjunctis, dicunt. Deinde oblatam à Coquinario crucem venerabiliter oſculantur, dicentes intra ſe: *Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per ſanctam Crucem tuam redemiſti mundum.* Qui hoc non ſcit, dicit ſemel *Pater noſter.*

Quomodo ſe habeant in ſolennitatibus.
CAPUT LXX.

OMni totius anni die, quo Capitulum tenetur, qui ſurſum non aſcendunt, niſi prohibuerint obedientiæ, cellas tenent, & ſpatium, quod inter Tertiam & Sextam eſt, orationi impendunt.

Quid faciant pro Defunctis.
CAPUT LXXI.

PRo recenter defuncto, trecentas orationes Dominicas debent, quarum medietatem cum Veniis reddunt, & in ſingulis Anniverſariis novem cum totidem Veniis.

De Raſura Fratrum.
CAPUT LXXII.

QUoties Monachi, toties raduntur & Laici. Sed Laici inſuper etiam capita lavant. Omnia autem obſequia quantalibet privata, quæ ſibi ipſis ſinguli non occurrunt aut poſſunt facere, ab aliis humiliter devotéque complentur, ita ut felicem ſe putet, cui tale quidquam fuerit imperatum. Obviantes etiam ſibi invicem amica alacritate & humili ſupplicatione mutuò locum dantes ſervato pertranſeunt ſilentio. In quo Juniores, id eſt, qui poſterius venerunt, ſatagunt prævenire Majores.

De Novitio ſuſcipiendo.
CAPUT LXXIII.

LAicis ad converſionem ſuſcipiendis id ipſum penè fit, quod & Clericis, nam ſimiliter dura proponuntur eis & aſpera. Jubentur etiam adverſum ſe habentibus aliquid reconciliari, & in quanta Priori placuerit, non minùs tamen, quàm annua admittuntur probatione, & ad eorum, inter quos converſati ſunt, Laicorum ſcilicet ſuſcipiuntur teſtimonium, ſicut Clerici ad teſtimonium Monachorum. Ea autem die, quâ eorum Profeſſionem facturus eſt aliquis, ad Capitulum perducitur Monachorum. Ubi de ſtabilitate, & obedientia, cæteriſque neceſſariis audiens, cùm immobilis, imperterritúſque permanſerit, rogat aliquem ore proprio, ut ſuam ſibi ſcribat Profeſſionem. In cujus fine ipſemet manu propria ſignum crucis depingit. Quam etiam manu geſtans poſt Evangelium & Offerendam ad cornu dextrum appropinquat Altaris, eámque ſicut eſt in ejus dextra, Diaconus cunctis audientibus legit, ita dicens:

Profeſſio Laici.
CAPUT LXXIV.

EGo Frater, ille, promitto obedientiam & converſionem morum meorum, & perſeverantiam omnibus diebus vitæ meæ in hac Eremo, coram Deo & Sanctis ejus, & Reliquiis iſtius Eremi, quæ conſtructa eſt ad honorem Dei, & Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & S. Joannis Baptiſtæ, pro timore Domini noſtri JEſu Chriſti, & remedio animæ meæ, in præſentia Domni illius Prioris. Quòd ſi aliquo tempore nunquam hinc aufugere vel abire tentavero, liceat ſervis Dei, qui hic fuerint, me plenâ ſui juris auctoritate requirere, & coactè ac violenter in ſuum ſervitium revocare.

Poſt hæc hanc ipſam chartam offert ſuper Altare, & oſculato Altari, incurvatur ad pedes Sacerdotis, tali obſecratione benedicendus: *Salvum fac*: *Mitte ei*: *Eſto ei*: *Dominus vobiſcum*: Oremus: *Domine JEſu Chriſte, qui es via.* Require ſuperius.

Quomodo ſe habeat Frater, poſtquam ſuſceptus eſt.
CAPUT LXXV.

AB hoc tempore noverit ſe nihil omnino, ne baculum quidem, quo per viam gradiens innititur, ſine Prioris habere licentia. Quippe, cùm nec ipſemet ſuus ſit, erga quem id ipſum, quod ſuperius de Monacho diximus, ſervabitur. Ut ſcilicet pro eo nihil minus fiat, ſi intra examinationis tempus acceptabiliter agens, mortuus fuerit, quàm ſi profeſſus eſſet.

De Hoſpitio Fratrum, qui foras mittuntur.
CAPUT LXXVI.

CUm aliqui foras mittuntur, in vicinis montanis, id eſt, ad *Cornelione* ſuperius, & à *Bocoirone*, & ab inter montes,

tes, & à ſcalis, nec eſcam à quoquam nec hoſpitium accipiunt, niſi aut ſpecialiter juſſi aut aliqua inevitabili & inopinata neceſſitate coacti.

De Fugitivis ſive Expulſis.
CAPUT LXXVII.

SI quis habitatorum loci hujus vel aufugerit, vel pulſus fuerit, & ductus pœnitentiâ redierit, promittens ſuarum emendationem perverſitatum, & ejus propriè vitii, propter quod pulſus fuerat, vel aufugerat, tractabit Prior cauſam ejus communi conſilio, & ſicut vel Fratrum numerus, vel domûs utilitas, vel etiam ſalus ipſius poſtulare videbitur, faciet ei. Et ſi conſilium recipiendi placuerit, ad probationem humilitatis in ultimo conſtituetur loco. Sin autem dabitur ei licentia, ad aliquam aliam religioſam eundi domum, in qua ſuam poſſit animam ſalvam facere.

De numero habitatorum.
CAPUT LXXVIII.

NUmerus habitatorum hujus Eremi, Monachorum quidem tredecim eſt. Non quod ſemper tot ſimus, nunc enim non ſumus tot, ſed quod tot, ſi Deus eos miſerit, ſuſcipere inſtituimus. Sed & ſi talis aliquis unus, cujus utilitas & honeſtas videatur vix poſſe recuperari, miſericordiam poſtulaverit, addetur & quartus decimus, ſi tamen facultas domus tolerare poſſe putabitur. Laicorum autem numerus, quos Converſos vocamus; ſedecim ſtatutus eſt. Nunc verò plures ſunt, nonnulli namque eorum ſenes & debiles erant, & laborare non poterant, & ob id alios ſumus coacti ſuſcipere. Unde pro his qui nunc fragiles ſunt, cùm obierint, alios non accipiemus.

Quare tam parvus ſit numerus.
CAPUT LXXIX.

HAnc autem numerì paucitatem eadem conſideratione delegimus, qua nec hoſpitum equitaturas procuramus, nec Domum eleemoſynariam habemus, videlicet ne ad majores, quàm locus iſte patitur, expenſas coacti, quærere & vagari, quod horremus, incipiamus. Quod ſi poſteri noſtri hunc ipſum tam parvum numerum aliquibus occaſionibus, quas ignoramus, hoc in loco, ſine quærendi & vagandi odibilibus officiis procurare nequiverint, ſi noſtris voluerint acquieſcere conſiliis, ad eam redibunt quantitatem, quam ſine prædictis poſſint portare periculis. Nos enim, qui in præſentiarum hic degimus, quamvis pauci ſimus, multò pauciores eſſe mallemus, quàm ad illa mala ſervato vel multiplicato numero pervenire. Attendentes igitur non munera, quæ mittuntur, neque etiam propter incerta beneficia onera certa, quæ nec portari, nec deponi ſine grandi poſſint periculo, ſubeunda nobis videntur: Non ergo munera conſiderantes, ſed quid hæc ipſa, in qua ſumus, Eremus, ſive ex agricultura, ſive ex pecorum nutrimento reddere poſſit, putamus præfatum numerum hominum hìc vivere poſſe, ſi tamen humilitatis, paupertatis, ſobrietatis, in victu, & veſtitu, & cæteris ad uſum pertinentibus rebus, idem, quod hucusque fuit ſtudium, perſeveret, & ſi poſtremò, mundi contemptus, & Dei amor, propter quem ferri & fieri omnia debent, profectum indies accipiat.

De commendatione ſolitariæ vitæ.
CAPUT LXXX.

HAbetis dilectiſſimi ſicut petiſtis conſuetudines qualescunque noſtras quoquomodo deſcriptas, in quibus multa vilia ſunt & minuta, quæ ſcribi forſitan non oportuerat, niſi quia veſtra Dilectio compellebat, nihil judicare, ſed cuncta potiùs parata complecti. Non tamen ita omnia, ut nihil omnino remanſerit, putamus nos hoc ſcripto potuiſſe concludere, ſed facile, ſi quid effugit, collocutione præſenti poterit indicari. De commendatione autem hujus vitæ ſolitariæ ſcilicet penè tacuimus, à multis Sanctis & Sapientibus, & tantæ auctoritatis, ut eorum veſtigia non ſimus calcare digni, copiosè commendatam ſcientes, & vobis, quod æquè aut meliùs noſtis, oſtendere ſupetfluum judicantes. Noſtis enim in Veteri & in Novo maximè Teſtamento, omnia penè majora & ſubtiliora ſecreta, non in turbis tumultuoſis, ſed cùm ſoli eſſent, Dei famulis revelata, ipſóſque Dei famulos cùm vel ſubtilius aliquid meditari, vel liberius orare, vel à terrenis, per mentis exceſſum alienari cuperent, ſere ſemper multitudinis impedimenta vitaſſe, & ſolitudinis captaſſe commoditates. Hinc eſt, ut aliquid inde tangamus, quod in agrum ad meditandum Iſaac ſolus egreditur, Gen. 24.
quod ei non caſuale, ſed conſuetudinarium fuiſſe credendum eſt. Quod Jacob præ- Gen. 32.
miſſis omnibus ſolus remanet, facie ad faciem Deum videt, benedictione ſimul & nominis in melius mutatione felix efficitur, plus aſſecutus uno momento ſolus, quàm toto vitæ tempore comitatus. Moyſes quoque, Elias, atque Eliſæus, ſolitudinem, teſtis eſt Scriptura, quan-

tum diligant, quantòmve per eam divinorum ſecretorum revelationibus creſcant, quóque modo & inter homines periclitentur aſſiduè, & à Deo, cùm ſoli ſint, viſitentur.

Sed & Jeremias, quod & ſuperius
Jerem. 15. commemoravimus, *ſolus ſedet, quia Dei*
Jerem. 9. *comminatione repletus eſt: Poſcens etiam dari aquam capiti ſuo & oculis ſuis fontem lachrymarum, ut lugeat interfectos populi ſui:* Locum quoque, ubi ſe tam ſancto poſcit in opere liberius exercere, poſtulat, di-
Ibidem. cens: *Quis dabit mihi diverſorium viatorum in ſolitudine*, tanquam hoc eum in civitate facere non vacaret. Hôc modô indicans, quantum impediant Socii gratiam lachrymarum. Qui etiam cùm dixiſſet:
Thren. 3. *Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei*, cui negotio maximum præſtat ſulitudo
Ibidem. ſuffragium, addidiſſétque: *Bonum eſt viro, cum portaverit jugum Domini ab adoleſcentia ſua:* Ubi nos plurimum conſolatur, qui propoſitum iſtud penè omnes à ju-
Ibidem. ventute ſubivimus, adjecit & ait: *Sedebit Solitarius & tacebit, quia levabit ſe ſupra ſe*, omnia penè, quæ in hac noſtra inſtitutione ſunt optima, quiete & ſolitudine, ſilentio & Superiorum appetitione ſignificans. Quæ ſtudia ſuos Alumnos, quales efficiant, poſtea maniſeſtat dicens:
Ibidem. *Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis*, quorum in altero patientia ſumma, in altero perfecta refulget humilitas. Joannes quoque Baptiſta, quo inter
Matth. 11. natos Mulierum juxta Salvatoris præconium major nemo ſurrexit, quid ſolitudo ſecuritatis, quidve utilitatis afferat, evidenter oſtendit, qui nec divinis Oraculis, quibus prædictum fuerat, quod ab utero Spiritu ſancto repletus in Spiritu & virtute Eliæ Chriſtum fore Dominum præventurus, nec mirabili nativitate, nec Parentum ſanctitate ſecurus frequentiam hominum fugiens tanquam pericu-
Luc. 1. loſam, deſerta ſolitudinis tanquam tuta delegit, tamdiu pericula mortémque neſciens, quamdiu Eremum ſolus incoluit. Ubi quid virtutis lucratus, quidve ſit meriti, Chriſti baptiſmus & pro juſtitia mors ſuſcepta monſtravit, talis eſt etiam factus in ſolitudine, ut dignus eſſet lavantem omnia Chriſtum ſolus lavare, & pro veritate nec carcerem nec mortem declinare: JEſus ipſe Deus & Dominus, cujus virtus nec ſecreto juvari nec publico poterat impediri, ut ſuô tamen nobis conſuleret exemplô, priuſquam prædicaret, vel ſigna faceret, tentationibus, atque jejuniis quaſi probatus eſt in ſolitudine. De quo Scriptura refert: *Quod* Matth. 14.
relictis turbis diſcipulorum in montem ſolus aſcenderet orare, qui & imminentis jam tempore paſſionis Apoſtolos reliquit *ſolus exoraturus*, iſtô vel maximè inſinuans exemplô, quantum ſulitudo proſit orationi, quoniam comitibus licèt Apoſtolis non vult mixtus orare. Jam vos ipſi Sancti ac Venerabiles Patres, Paulus, Antonius, Hilarion, Benedictus, & cæteri nobis innumerabiles, quantum in ſolitudine mente profecerint, per vos conſiderate, & probabitis ſuavitates Pſalmodiarum, ſtudia Lectionum, fervores orationum, ſubtilitates meditationum, exceſſus contemplationum, baptiſmata lachrymarum, nulla re magis quàm ſolitudine poſſe juvari. Non autem hæc vobis pauca, quæ diximus ſufficiant exempla ad ſuſcepti laudem propoſiti, ſed ipſi potius vobis plura coacervate, vel de rerum uſu præſentium, vel de Sanctorum paginis Scripturarum, quamquam ipſum tali commendatione non egeat, quoniam & ſua raritate & ſuorum Sectatorum paucitate ſufficienter ſeſe commendat. Si enim juxta Domini verba: *Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, & pauci inveniunt eam*, & contra: *Ampla eſt,* Math. 7.
quæ ducit ad mortem, & multi vadunt per eam, inter Chriſtianæ Religionis inſtituta tanto ſe unumquodque melioris & ſublimioris oſtendit meriti, quantò pauciores, & tantò minoris & inferioris, quanto plures admittit. Bene vos ſemper valere, & noſtri meminiſſe optamus.

Expliciunt Conſuetudines Domini Guigonis Prioris Carthuſiæ.

Incipit

Incipit quidam tractatus Statutorum Ordinis Carthuſienſis pro Novitiis ejuſdem Ordinis, proficere in ipſius obſervantiis conſuetis cupientibus valde utilis.

INtrantes Eccleſiam Novitii capucia removere, ſicut cæteri debent, uſque ad ſedes ſuas nudatis capitibus incedentes. Similiter cùm exire Eccleſiam contigerit, capucia removere debent ſignantes ſe. Ingreſſi verò Eccleſiam & in Chorum, in medio inclinent reverenter ad Sacramentum deſuper Altaris, deinde Priori ſi tranſeant coram illo. Item tunc ſtent in ſedibus ſuis verſâ facie ad Altare; donec ad miſericordias vel ſuper formulas, prout tempus poſtulat, inclinent. A Laudibus enim Vigiliæ Natalis Domini uſque in craſtinum Octavarum Apparitionis, & à Paſcha in craſtinum Octavarum Pentecoſtes, & infra Octavas Corporis Chriſti, Aſſumptionis, & Natalis Beatæ Mariæ, & in Feſtis XII. Lectionum ad miſericordias inclinamus, omni verò alio tempore, procumbimus ſuper Formulas. Quamdiu autem ſuper Formulas vel miſericordias inclinamus, ab omni ſtrepitu, ſicut in Canone Miſſæ, quantùm poſſumus, abſtinemus, & in Eccleſiam intrare, vel per Chorum tranſire cavemus. Si autem contigerit, quando intramus, vel eximus, dici *Gloria Patri*, vel Gloriam Hymni, vel *Dominus vobiſcum* ad Miſſam ubicumque ſimus, ſtatim inclinamus, caventes, ne alicui dorſum in faciem vertamus.

Cùm ſoli aliquid in Eccleſia dicimus, & cùm dicitur Pſalmus: *Te Deum*, & quoties pronunciatur Evangelium, & cùm dicitur Pſalmus: *Benedictus*, Pſalmus *Magnificat*, ac etiam Pſalmus *Quicumque vult*, *Confiteor*, *Kyrie eleiſon* ad Miſſam, *Gloria in excelſis*, *Credo in unum*, & quoties incipitur Hymnus *Veni Creator Spiritus*, omnes capucia removemus.

Cùm autem dicitur *Alleluja*, *Veni ſancte Spiritus* genua flectimus: Surgentes à venia ſtamus erecti, id eſt, non innitimur hinc vel inde.

Item quoties ſine capuciis eſſe debemus, non innitimur ſive faciem habeamus ad Altare ſive non, excepto Sacerdote, cùm dicit benedictiones, & cùm dicit preces & orationes in ſede ſua vel ſuper formas, & Cantore Hebdomadario ad ſuffragia ſancti Joannis, & omnium Sanctorum, & etiam toto Conventu, cùm dicitur: *Confiteor*.

Cùm Sacerdos dicit ordinationem in ſede ſua vel ſuper formas, eo ſurgente ſurgimus omnes poſt *Benedicamus Domino*, vel *Requieſcant in pace*; Cùm verò eſt ad Lectorium, ſurgimus, cùm dicitur: *In unitate Spiritus Sancti*. Ad Miſſam autem, ad orationem ante Epiſtolam, donec reſponderemus, *Amen*, non deponimus ſedes noſtras.

Ad orationes in fine Miſſæ ſurgimus, cùm dicitur: *In unitate Spiritus ſancti*.

In Canone Miſſæ, niſi neceſſitas aliud cogat, faciem noſtram capucio totaliter cooperimus: Alio verò tempore in omnibus locis ita, ut facies noſtræ appareant, capucia noſtra tenere debemus.

Oculos autem noſtros ſemper & ubique, maximè verò in Eccleſia & in Refectorio tenere nos convenit, ne nobis murmurandi, aut detrahendi materiam afferant, aut ridendi.

Manus noſtras in Eccleſia & ubique, cùm ſumus ſine capa, extra cucullam & in ſimul habere debemus, niſi cùm aliquid tenendum eſt nobis vel agendum. Nec debemus tenere digitos complexos, & conoexos.

Cùm capas habemus, in Choro vel alibi, quando inclinamus, vel quando ſedemus, oras capæ hinc inde ante genua noſtra complicare debemus niſi teneamus aliquid, vel agamus.

Tibias pedum non nimis debemus extendere, divaricare, vel cancellare.

Nec debemus, dum Pſalmodia dicitur, libros alios revolvere, nec ad hoſpites vagè reſpondere.

Item, quando ſoli fallimus, id eſt, quando deficimus, veniam accipimus ſuper formam: Cùm liber nobis cadit, vel cùm cadere facimus, veniam accipimus ſuper formam. Quando inclinandum eſt, ſi non inclinamus, niſi cùm pulſati à Socio, non debemus moleſtè ferre, ſed veniam accipimus. Cùm ad Miſſam non ſumus ad *Confiteor*, venientes ad ſedes noſtras veniam accipimus ſuper formam. Similiter facimus, cùm orationi non interſumus, quæ fit ante horam.

Cantatis horis Prior de Eccleſia primus exit, niſi aliqua neceſſitas eum remanere compellat. Poſt Priorem primus in ordine deinde, cæteri per ordinem.

Semel in die non tamen in Conventu aſcendentes ad gradum Altaris, genua flectimus.

Qui fragilitatem incurrunt, quamvis de ea confeſſi fuerint, non debent tamen ea die gradum majoris Altaris

aſcendere, nec etiam ibidem veniam ſumere.

Quando incipimus ad Veſperas Hymnum *Ave maris ſtella*, veniam accipimus in Eccleſia ſuper formas, alibi, prout oportunitas fuerit.

Similiter facimus ad ſingula eorum, quæ ſubſequuntur, ſcilicet, *Ave Maria*, ſive ſit Invitatorium ſive Reſponſiunculum ſeu Verſiculus, vel etiam Offertorium, nec non & ad *Salve ſancte parens*, atque *Salve Regina*.

Item quando incipitur *Veni ſancte Spiritus*, & in Lectione, quando dicimus: *Ave gratia plena*, ſimiliter veniam accipimus.

Item in Litania Paſchæ & Pentecoſtes cùm pronunciatur *Sancta Trinitas* veniam accipimus, nec ſurgimus, donec dictum ſit *ſancta Maria ora*.

Item veniam accipimus, cùm incipimus verſum, *O crux ave ſpes unica*. Similitérque facimus in Paraſceve, cùm incipitur à Diacono Antiphona *Nos autem*, & cùm incipimus Hymnum, *Veni creator Spiritus*, & etiam in Natali Domini, quando incipitur Invitatorium, *Chriſtus natus eſt*.

Item quandocunque corpus Domini vobis præſentibus portatur ad communicandum, ubicunque ſumus, veniam accipimus.

Inclinamus nudatìs capitibûs verſa facie ad Altare, cùm ante Evangelium ſignantes nos diximus *Gloria tibi Domine*, & quando inceptum eſt: *Gloria in excelſis Deo*, *Credo in unum*, & quando gradum Altaris aſcendimus, & cùm tranſimus ante Altare.

Sed & quando Capitulum vel etiam Refectorium intramus, inclinamus ad crucem.

Inclinamus ſuper miſericordias, quando dicitur: *Gloria Patri*, nec ſurgimus, donec dictum ſit *Spiritui ſancto*. Eodem modo inclinamus, quando poſt Evangelium dicitur Antiphona *Te decet laus*, & quando in *Gloria in excelſis Deo* dicitur: *Adoramus te*, & *in Credo in unum*, quando dicitur: *Simul adoratur*, & cùm poſt Offertorium Sacerdos vertit ad populum dicens. *Orate Fratres*, & quando poſt præfationem dicitur *Sanctus*, & quando preces & orationes ad Matutinas & horas dicuntur diebus feſtivis, & omni rempore, cùm ad Miſſam dicuntur orationes. Tamen quando ſacratur aqua Benedicta, & ad primas orationes, quæ poſt Paſſionem dicuntur in Paraſceve, ſtamus verſa facie ad Altare. Procumbimus verò diebus ferialibus ſuper formas ad *Pater noſter* ante horæ Initium & ad *Gloria Patri*, nec ſurgimus donec dictum ſit *Spiritui ſancto*. Similiter facimus ad preces & orationes quæ ad Matutinas & horas dicuntur, & in ſpatio Miſſæ, quod eſt inter *Sanctus* & *Agnus Dei*, in quo ſpatio feſtivìs diebûs ſtamus verſa facie ad Altare. Quoties nomen JEſu vel nomen Mariæ pronunciamus vel audimus, modicè & reverenter inclinamus. Conſimiliter quoque facimus Priori ad Lectionem eunti vel redeunti, vel cùm ante eum tranſimus, & cùm Prior ad aliquos venit, aſſurgitur ei. Item quando *Credo* dicitur, & *homo factus eſt*, proſternimus nos in rerram oſculantes, & conſimiliter facimus poſt elevationem Corporis Chriſti, nec ſurgimus, donec calix deponatur. Item poſt *Agnus Dei* dara pace proſtrati in terram oramus. Tribûs autem primi Nocturni Verſibûs explicatìs, ille, qui requiſitus eſt, Chorum intrare non poteſt, niſi Prior aut Vicarius innuat. Expletô primô Pſalmô non ingreditur, nec vocatur. Ad Miſſam quilibet intrare poteſt ſemper usque ad Evangelium. Item quod nullus, quamvis ſit Sacerdos quando eſt ſolus, dicit: *Jube Domne benedicere*, benedictio tamen non omittitur. Cantatìs Nocturnis breve facimus intervallum, in quo ſpatio, qui voluerit remanere poteſt in Choro ſtans vel ſedens, non autem ad venias accipiendas. Item debemus cavere, cùm ſimus ad Lectorium & ubique, ne moleſtum ſtrepitum faciamus ſolia revolvendo, vel aliquod aliud agendo. Item tempore Matutinarum, in quibus ante *Laudes* ſit intervallum, nulli extra Eccleſiam ire licet, niſi neceſſitas cogit. Item ſpatium, quod eſt inter *Matutinas*, & *Tertiam* diei omnibus diebus, ſpiritualibus exercitiis mancipatur. *A Tertia* autem usque ad *Sextam* & à *Nona* dicta usque ad *Veſperas* tempus, quod in eis eſt, manualibus deputatur ſoperibus. Quæ tamen opera ſemper volumus ſaltim brevibûs orationibûs irrumpere. *A Veſperis* autem usque ad *Completorium* ſpiritualibus operibus intendere debemus. Item in Quadrageſima tamen usque ad *Completorium* licet manualia operari. Porro ſpatiis operi deputatis, utilitatem Lectionis non intendimus excludere. Poſt *Completorium* dictum ſtatim debemus ire dormitum. Monemur autem horìs ad quiesrem deputatìs dormirioni magnum impendere ſtudium, quatenus temporibus cæteris alacriter vigilare poſſimus. Diſciplinas vel vigilias ſeu quælibet alia Religionis exercitia, quæ noſtræ Inſtitutionis non ſunt, nulli noſtrûm facere licet, nec etiam abſtinentias, niſi quæ ab Ordine conſtitutæ ſunt. Novitii ſicur & cæteri ad Miſſas privatas ſervientes, cum cuculla Eccleſiaſtica ſervire teneantur. Novitii in Conventu non cele-

celebrent. Et ſi in Miſſarum celebratione & obſervantiis Regularibus formæ Ordinis ſe noluerint conformare, vel ſi in ſuſtinenda opinione ſua fuerint obſtinati, vel in modo vivendi fuerint ſingulares, ad Profeſſionem nullatenus admittantur. Novitii, ſi habent unde, provideant in noviciatu de veſtibus ſibi ipſis & cæteris neceſſariis. Irem non debent in Eccleſia poſt Conventum nimiam moram facere niſi neceſſitate cogente, vel in Clauſtro poſt alios deridere, & diſſolutionem ſignis vel factis oſtendere, nec ſuſurrare in Conventu, vel clamoſi eſſe in loquendo, nec præoccupare aliorum verba, antequam finita fuerint, & plena atque perfecta. Item cùm imus ad Eccleſiam vel ad alium locum non debemus leviter retro reſpicere.

De cella & ſilentii obſervatione.

HOras in cella alterius, vobis dicere non licet, niſi operemur cum illo. Item in cella temporibûs orationi deputatis ab omni ſtrepitu moleſto caveamus, & in tempore dormitionis. Item non debemus clamoſè dicere: *Pater noſter* in Eccleſia, ne impediamus alios, nec etiam horas vel alias orationes dicere in cellis, unde poſſit moleſtia alicui oriri. Item reprehenſibiles ſunt, qui nolunt opera manualia aliquando exercere, quia ſic legirur in vitis Patrum.

Nunc lege, nunc ora, nunc cum fervore labora.
Sic erit hora brevis, & labor ille levis.

Item ab exaltatione ſanctæ Crucis usque ad Paſcha in ſpatio, quò Lector Refectorii refectionem accipit, Nonam B. Mariæ dicimus in cellis, atque aliîs ſpiritualibûs exercitiis occupamur, quousque ab eodem Lectore Nona B. Mariæ priùs in Eccleſia dicta pulſetur ad horam. Nullus oſtium cellæ tenet apertum, niſi cùm aliquis eſt cum eo. Cùm duo, aut plures in una cella fuerint, primò oſtio penitus apertò, ſecundum ex toto non claudatur, nec ullatenus obſeretur. Cellæ incolam id eſt habitatorem diligenter ac ſolicitè decet vigilare, ne aliquas occaſiones egrediendi foras machinetur vel recipiat, exceptis iis, qui generaliter inſtituti ſunt; ſed potius ſicut aquas piſcibus, & caulas ovibus, ita ſuæ ſaluti & vitæ cellam deputet neceſſariam, in qua quantò diutiùs moratus fuerit, tantò libentiùs habitabit, nam ſi cellam frequenter, & levibus de cauſis exire conſueverit citò habebit eam exoſam. Et ideo poſt Nonam die colloquii petenda debet petere, & accepta, totâ diligentiâ cuſtodire. Si verò pane, aqua, potu, vel igne caruerit, vel inſolitum ſtrepitum aut clamorem audierit, vel periculum ignis inſtiterit, tunc licebit ei ſilentium ſolvere. Si aliquis importunus ad cellam venerit volens loqui vel intrare nobiſcum, Interrogatur priùs, ſi Prior juſſerit, ſic dicendo: Habetiſne licentiam à Priore? Si dixerit, non, mittimus eum ad Pincernam vel ad Portarium, ut aliquis eorum impetret licentiâ à Priore ſi poſſit inveniri, vel à Vicario, nec amplius cum illo loquimur, etiamſi Germanus, quouſve habeat licentiam à Priore vel Vicario. Si verò ex noſtris ad cellam venerit aliquis volens loqui vel intrare nobiſcum, ibi interrogatur prius, ſi Prior juſſerit, aliter ad colloquium non recipitur, nec intrare permittitur, niſi talis fuerit, de quo ſit credendum, quòd ſine licentia non venerit.

Cùm aliquis eſt in alterius cella vel alibi per licentiam, auditô Completoriô ſtatim recedere debet niſi majorem moram faciendi ſpeciale mandatum habuerit. Nullus autem ad feneſtram, & ad oſtium prati vel cœmeterii debet venire ad colloquium, etiamſi dixerit ſe habere licentiam colloquendi.

Cùm aliqui habent licenriam colloquendi, vel cùm ſimul operantur, ipſi quidem loquuntur ad invicem, ſed non cum ſupervenientibus niſi Priore præſente, aut jubente. Nec in alterius cellam nullus, niſi licentiam habeat, ingreditur.

Quicumque ea, quæ dicit, affirmaverit jurando ſimpliciter per Deum, per fidem, per Chriſtum, ſic Deus me adjuvet, aut aliô modô ſimilî, audiente uno vel pluribus, ſtatim ubicumque ſit, Veniam accipiat. Et ſi hoc pro conſuetudine faciat, graviùs puniatur. Juxta voluntatem noſtram nocturnîs utimur ſotularibûs, cuſtodientes tamen eos à cœno & à pluvia & nive, quantùm poſſumus.

Petere, accipere, donare, vel litteras recipere vel mittere ſine licentia non debemus. Exire de cella nequaquam conceditur, niſi cùm ad recordationem vel juſſu Prioris ad aliquod colloquium evocamur. Et ad Eccleſiam ſtatutîs horis convenimus exceptis paulo ante in hoc extractu recitatîs.

Coquinam, id eſt, potagium, & pictantiam non debemus in cellis usque in craſtinum nec etiam usque ad cœnam ſine ſpeciali licentia reſervare: herbas verò crudas & fructus, quamdiu volumus, retinemus.

De

De utenſilibus cellæ.

NOvitii, ſi habent, provideant ſe in Novitiatu de veſtibus & aliis neceſſariis. Item accipit incola cellæ ad lectum palleam, filtrum ſi poſſit habere, ſin autem, groſſum pro eo pannum ſimplicem non duplicatum. Pulvinar, cottum vel coopertorium de groſſiſſimis ovium pellibus, & panno groſſo coopertum. Ad veſtitum autem duo cilicia, duas tunicas, duas pelliceas, unam deteriorem, alteram meliorem; duas ſimilitet cucullas, duo paria caligarum, tria paria pedulium, quatuor pelles, capam, ſotulares nocturnos & diurnos, ſaginam ad ungendũ, lumbaria duo, cingulum: Omnia canebina & groſſã. Et quidquid prorſus ad lectum veſtitúmve pertinet, cujus groſſitudinis colorisve ſit non curabit ſubditus, vel Prælatus. Liceat tamen Prioribus & aliis extra terminos euntibus veſtes habere aliquantulum meliores, & pro neceſſitate leviores, quàm habent ii, qui domi reſident, in quibus ſicut in aliis omnis curioſitas & accuratio devitetur; Cùm enim ad omnes Monachos, tamen maximè ad nos humilitatem attricionémque pannorum & univerſorum, quibus utimur utilitatem, paupertatem & abjectionem certum eſt pertinere. Habet etiam cellæ habitator acus duas, filum, forfices, pectinem, novaculam ad caput, cotem vel calculum, & corrigiam ad acuendum. Ad ſcribendum verò ſcriptorium, pennas, cretam, pumices duos, cornea duo, ſcapellum unum ad radenda parcamena, novaculas ſive raſoria duo, punctotium unum, ſubulam unam, plumbum, regulam, poſtem ad regulandum tabulas, graphium. Quod ſi Frater alterius artis fuerit, quod apud nos rarò valde contigit, omnes enim penè quos ſuſcipimus, ſi fieri poteſt, ſcribere docemus, habet arti ſuæ inſtrumenta convenientia. Adhuc etiam libros ad legendum de armario accipit duos, quibus omnem diligentiam, curámque præbere monetur, ne fumo, ne pulvere, vel aliqua qualibet ſorte maculentur. Item habeant incolæ cellæ ollæ duæ, ſcutellæ duæ, tertia ad panem, vel pro ea mantile, quarta grandiuncula ad faciendas mundicias, coclearia duo, cultellus ad panem, juſta, ſcyphus, vas aquarium, ſalatiam, parella, manutergium. Ad ignem ſocale, eſca, lapis ignitus, ligna, ſecuris. Ad opera verò dolabrum. Idcirco autem uni tanta concedimus, ne, quod illicitum ducimus, exire de cella compellatur.

De domo Capituli.

QUando Capitulum intramus, vel exeamus nutatîs capitibûs, inclinamus ad crucem. Item quando in Capitulo confitemur, prolixitatem caveamus, in cella verò poſſumus diffuſiùs confiteri. In Capitulo non loquimur, niſi quando confitemur, vel quando tenetur Capitulum. Nullus etiam in Capitûlo de facili loquatur, niſi ea tantùm, quæ ad neceſſitatem vel ad Religionis obſervantiam pertinere noſcuntur. Nullus in Capitulo, vel ubicumque fuerit in Conventu cum aliquo ſecretò loquatur.

De Refectorio.

INtrantes Refectorium nudamus capita, & venientes ad ſedes noſtras ad crucem inclinamus. Item in Refectorio non debemus diſſoluti eſſe, ſed nos debemus habere diſciplinate, ne faciamus, unde alterum offendamus. Et oculos noſtros maximè in Refectorio tenere nos convenit, ne nobis murmurandi aut judicandi vel detrahendi materiam afferant, aut ridendi. Sic dicens beatus Hugo Lincolnienſis, oculos in diſco, manus in menſa, aures ad Lectionem, cor ad Deum habere debemus. Item nullus pictantiam in Refectorio ante ſe poſitam ad ſe trahit, donec ille, qui appoſuit, ad ſedem ſuam redièrit.

Cùm duæ ſcutellæ apponuntur, quando eas exponimus, unam infra alteram ponimus, niſi tantùm de cibis illatis remanſerit, quod id facere ſine immerſione nequeamus.

Aliquis nolens comedere, quæ ſibi in Refecturio apponuntur, alteri porrigere fas non habet, excepto pane, fructibûs, & herbîs crudîs.

Panem noſtrum debemus ita æqualiter ſcindere tam in Refectorio, quàm in cellis, ut quod reſiduum fuerit, honeſtè cuilibet poſſit apponi. Potum quoque in ſcyphos in tali quantitate fundere debemus, ne illum cogamur in ollas refundere.

Bibentes duabus manibus ſcyphum tenemus.

Apponenti nobis aliquid, & removenti inclinamus.

Contra conſuetudinem eſt, ut in Refectorio manus, vel os ad mantile tergamus. Scutellas non exponimus, donec Præſidens ſuam exponat. Mantilia non convolvimus, donec Prior ſuum mantile convolvat. Numquam exceptîs cellîs propriîs in aliqua domo alia vel officina manducamus & bibimus niſi in Refectorio in Feſtis & tempore prandii vel cœnæ, exceptis Priore & Procuratore.

In

In Refectorio nulli noſtrum licet loqui, ſic nec in Clauſtro vel in Eccleſia.

De colloquio Clauſtri.

UBicumque colloquium habeamus, curandum eſt nobis & maximè coram extraneis ſeu hoſpitibus, ut caveamus à multiloquio, & ut ſermones noſtri ſint honeſti & non ſæculares vel contentioſi. Nullus in communi colloquio ita ſubmiſsè loqui debet vel ſuſurrare vel dicere aliquid, quod nolit ab omnibus intelligi, vel audiri. Item ad colloquium vel alibi non debemus eſſe diſſoluti ad referendos rumores ſæculi, nec in geſtu nec in ſermone & habitu exemplum & materiam oſtendere diſſolutionis. Item non debemus ſermonibùs prolixis Conventum fatigare. Et etiam ſi contingat, ut aliquis eſt accuſatus coram Priore non debemus importunè accuſare, nec aggravare. Tradenti nobis tortas ad oſtium Refectorii inclinamus, & ipſe nobis.

Lector Refectorii poſt Capitulum libros portat in Refectorium. Lector ſtat ad librum verſa facie ad Orientem. Inclinante Conventu ad *Gloria Patri* & *Pater noſter*, inclinat & ipſe, verſa facie ad Conventum. Nec debet autem ſedere, donec ſedeat ille, qui præeſt Conventui. Hiſtoriam legit rotundiùs, Sermones & Homilias attractiùs; apertè tamen & diſtinctè legat omnia, ut poſſit intelligi, & tali voce, quod poſſit audiri. Ad gratias inclinante Conventu inclinat Lector verſa facie ad Conventum. Si aliquis de libris, quos attulit, conſummatus eſt, Novitius cùm in Eccleſiam defert, alios ad minus poſt cœnam Lector in Eccleſiam portat. Si tamen in Hiſtoria die craſtina ſit legendum in Eccleſia, egreſſo poſt cœnam Conventu de Refectorio portat eum ad oſtium Eccleſiæ. Lector Refectorii in Refectorio benedictionem ad prandium vel ad cœnam iterare non debet. In cella ſine licentia nunquam comedit: Poterit autem Prior interdum diſpenſare cum eo, ut mixtum poſſit recipere.

In Vigilia quoque Corporis Chriſti & in Vigiliis quinque ſolemnitatum beatiſſimæ Virginis fiat abſtinentia, propter hoc tamen ut ſit in ſeptimana ultra ſemel. Cùm Feſtum XII. Lectionum occurrerit in Vigiliis Aſcenſionis, & Corporis Domini, fiat abſtinentia Feriâ VI. ſequenti, & in prædictis Vigiliis abſtineatur de lacticiniis. Cùm verò Vigilia Corporis Chriſti & beati Joannis Baptiſtæ in una hebdomada occurrerit, non in Vigilia Corporis Chriſti ſed beati Joannis abſtinentia ipſa fiat. Ovis quoque & lacticiniis uti non poſſumus Feria II. vel IV. in qua debet fieri abſtinentia propter occurrens Feſtum XII. Lectionum, in Feria VI. Die quâ fieri debet abſtinentia, Monachi extra cellas proprias non laborent, nec eis, ſpatiamenta tunc conceduntur. Quod panis & vini ſupereſt, Sabbato redditur, tamen album panem, quamdiu volumus, retinemus. In Adventu nec ovis, nec caſeo veſcimur.

Cantor Hebdomadarius caputium removet, antequam Invitatorium incipiat nudatum habens caput, donec poſt *Venite* reinceperit Invitatorium. Cùm autem primo inceperit Invitatorium inclinat, *Venite* cantat, & poſt ultimum Verſum iterum inclinat, & tertio poſt *Gloriam*, & quanto poſt reinceptionem Invitatorii.

Ad officium Cantoris Hebdomadarii pertinet, ut omnes Verſiculos, & Reſponſiuncula ad *Veſperas* & ad *Matutinas Laudes*, & *Benedicamus* dicat, & Antiphonas ad horas & in ſuffragiis & in commemoratione & in Officio Defunctorum incipiat. Ad omnia, quæ ratione ſui officii dicit, vel incipit, caputium removet. Ad *Laudes* & *Veſperas* removet caputium, antequam dicat primum *Benedicamus* nec reinduit, donec ultimum dixerit. Hoc officium alternatim unusquisque in ſuo Choro per ordinem facit excepto Priore, & Procuratore. Et hoc obſervatur, ut non ſint in eodem Choro Cantor Hebdomadarius & Sacerdos Hebdomadarius, qui ſimiliter de Choro in Chorum alternatim mutantur. Qui verò Reſponſum cantat tam in brevibus, quàm in magnis Reſponſoriis ſemper habet nudatum caput & verſam faciem ad Altare, & tertiò inclinat, primò poſt inceptum Reſponſorium, ſecundò poſt Verſum, tertio poſt *Gloriam*.

In omnibus Nocturnis & *Matutinis Laudibus* Antiphonæ primæ, Antiphonæ quoque ad *Benedictus* & *Magnificat* & ad cantica, à Choro Cantoris Hebdomadarii ſemper incipiuntur. Novem *Kyrie eleiſon* ad *Veſperas* & *Matutinas* & ad omnes horas ſicut ad Miſſam dicimus, & à dextro choro Prioris ſemper incipiuntur. Ad Miſſam verò à Choro Cantoris Hebdomadarii.

In Eccleſia, in Refectorio, & in Clauſtro excepta recordatione, ille emendat, cui injungitur à Priore. Emendator emendat in omnibus, quæ ſoli dicimus, exceptô, quod ad recordationem emendat ille, qui eſt juxta librum. Emendator modeſtiùs, quàm poteſt, emendare debet, & ſi in Eccleſia mendosè emendat, quàm citiùs percipit, veniam accipiat ſuper formam. Cùm autem emendator grunnit, aut dicit iterum, ille, qui legit, debet Verſum repetere. Cùm verò emendator illi emendat, non debet murmurare vel dicere ita eſt, vel ita dixi, vel aliud hujusmodi abſente Priore,

& emendatore emendat primus in ordine ſi ſcit, vel poteſt, aliàs emendat ſecundus in ordine, vel aliquis Monachorum, qui ſcit, & poteſt emendare. Quando is, qui legit, aliquando non correxerit, niſi, quando ſibi emendatur, ad pedem Lectorii veniam accipere debet.

Cùm verò fallit, qui legit Evangelium, ſignatô librô & ſtolâ depoſitâ, veniam accipit ad gradum Altaris.

Quando dicitur Antiphona *Salve Regina*, Sacerdos Hebdomadarius ad Lectorium debet ad terram genuflectere, & oſculetur poſtem Lectorii.

Sciendum quòd quot Collectas dicit audiente Conventu, tot tantummodo dicit ſecretas & eodem ordine. Dicta prima ſecreta dicit: *Per Dominum* & cætera usque ad *Amen*, quod non dicit. Deinde non præmiſſo *Domine exaudi* ſed *Oremus*, incipit ſecundam, finiens extremam, levat manus ſcilicet, cùm dicit: *Per omnia ſecula ſeculorum*.

Minuimur autem in anno quinquies. Poſt Octavas Paſchæ: Poſt ſolemnitatem Petri & Pauli: Secunda hebdomada Septembris: Septimana ante Adventum, & hebdomada ante Quinquageſimam. In quo tempore minutionis ſcilicet per tres dies continuos bis reficimus, aliquid cibi melioris accipientes. Item ſecunda die, & tertia minutionis divinum officium feſtinantiùs & ſubmiſſiùs dicitur, ceſſántque Vigiliæ & intervallum & omnes in Eccleſia remanent.

Ad opus manuum de conſuetudine, non niſi ter trinis diebus in anno Conventus exit.

Prima opera communia ſecundâ hebdomadâ poſt Octavas Paſchæ, & alia, ſecundâ hebdomadâ poſt Feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli: Tertia verò primâ hebdomadâ, poſt Feſtum Michaëlis fieri conſueverunt. Et ſi dictis temporibus aliquod impedimentum occurrerit, ante vel poſt, prout commodiùs fieri poterit, ſupplebuntur. Nullum tamen aliud colloquium in illis ſeptimanis, niſi venerit Capituli Feſtum, eſt habendum.

Non eſt noſtræ conſuetudinis pro victualibus murmurare, maximè Conventu.

Cùm Prior foris eſt, obſervantias Ordinis nos convenit fortiùs obſervare.

Qui ſcribere ſcit, & poteſt, & voluerit, à vino abſtineat arbitrio. Prioris.

Commendat Prior Novitium uni ex Senioribus, quem idoneum ad hoc cognoverit, qui eum horis competentibus viſitans inſtruit eundem ad horas dicendas, & ad cæteras Ordinis obſervantias, quas ignorare Novitium non oportet. Ad quod agendum per unam hebdomadam, vel amplius, ſi neceſſarium fortè hoc Prior cognoverit, ſollicitus eſſe debet, qui ei fuerit aſſignatus. Interim verò, donec per ſe ſolum in cella horas dicat, Fratres præter Priorem & Procuratorem conſoeverunt ab ejus viſitatione abſtinere.

Novitii infra diem Profeſſionis non Miſſam in Conventu, non Evangelium, non Epiſtolam dicunt, nec ad Miſſas etiam privatas ſerviunt, niſi fortè, quandoque Priori aliter videatur conſiderata qualitate perſonæ; ſed Hebdomadarii cantus facere, & tam in Eccleſia, quàm in Refectorio legere poſſunt, quàm citò ſibi injunctum fuerit à Priore.

Novitii autem res ſuas Priori ex integro reddant, ut non ipſi, ſed Prior, vel cui Prior præcepetit, eas cuſtodiat, de quibus quandocunque ante Profeſſionem ordinare voluerint, fiat juxta diſpoſitionem eorum. Nullus verò noſtrûm de rebus Novitii aliquid poſtulet, nec ad procurationem faciendam inſtruatur ab aliquo noſtrûm. Novitius nec reprehendit, nec reprehenditur, ſed cùm offenſam facit, inſtruitur à Priore vel Magiſtro ſuo. A Capitulo & Clauſtro, cùm neceſſe eſt, removetur. Utrum autem in colloquiis brevem vel longam moram faciat, ſit in diſpoſitione Prioris. Recitata lectione in Capitulo & propoſitis à Præſidente proponendis, Novitii confeſtim à Capitulo recedant, & à Generali finito ſermone omnino excludantur. Quibus conſulimus quatenus ſine licentia Præſidentis in colloquiis non remaneant, nec tunc ibidem faciant magnam moram. De negotiis domûs non ſe debent intromittere niſi interrogati, & tunc debent potius reſpondere juxta aliorum voluntatem, quàm juxta ſuam. Non quærunt licentiam, ut poſſint aliquem viſitare, niſi infirmum. Poſt annualem probationem Novitium Clericum vel Laicum, niſi Profeſſionem facere cum nobis placuerit, ſit paratos, apud nos non retinemus. Quando autem Novitii duo ad aliquam domum venerint, qui poſterior venit, ſi prius Profeſſionem fecerit, primus deinceps remanebit. Si quis autem etiam in duabus domibus noſtri Ordinis Profeſſionem fecerit, ſecundæ tantum Monachus aut Converſus aut redditus erit, in prima tamen nihilominus ei ſalvum remanet Beneficiū ſpirituale, dummodo occaſione criminis non transferatur. Si quis Profeſſionem fecerit in aliqua domo Ordinis, & iterū in alia habeat profiteri: ſufficit ad Profeſſionem faciendā, ut obedientiā promittat manibus Prioris in Conventu. Quando aliquis noſtrûm de domo, in qua Profeſſionē fecerat, transfertur ad aliam domum, poſt annum ibidem Profeſſionem faciat, vel infra, quandocunque Priori placuerit. Sacerdotes

&

& cæteri, qui de ſæculo vel altera Religione venient ad Ordinem, ſi in Miſſarum celebratione & obſervantiis Regularibus formæ Ordinis ſe noluerint conformare, vel ſi in ſuſtinenda opinione ſua fuerint obſtinati, vel in modo vivendi fuerint ſingulares, ad Profeſſionem nullatenus admittantur, quoniam per tales perſonas olim multa in Ordine ſcandala provenerunt. Novitii non faciant Profeſſionem niſi proprio Priore præſente & celebrante, vel alio de Ordine noſtro per voluntatem ejus, ſi legitimè fuerit præpeditus: Spiritus enim ſanctus illâ horâ gratum non recipit, quidquid aliud, quàm debes, neglecto eo, quod debes, obtuleris.

Qui pronuntiat Antiphonam, dicit de illa ad pauſam congruentem. Qui verò de Eccleſia, dum ultimus Pſalmus dicitur, exit, morámque extra Eccleſiam facit, donec preces & poſtmodum *Exultabunt* ex integro perſolvantur, Laudibus ſequentibus intereſſe non poterit. Sacerdos ſolus niſi dicturus ſit Evangelium, non *Dominus vobiſcum*, ſed *Domine exaudi*, dicat. Sacerdos celebraturus primo accedat ad gradum Altaris, flexis genibûs dicat: *Pater noſter*. Quamdiu Sacerdos orationem facit ad gradum, nec Diaconus nec aliquis alius tranſeat ante eum.

Exeuntes autem de Refectorio, à Paſcha usque in craſtinum Exaltationis ſanctæ Crucis ſpatium, quod inter prandium & Nonam facimus pro dierum quantitate nunc breviùs nunc longiùs, quieti datur. Exinde usque ad Paſcha poſt prandium Nonam differimus, donec Lector Refectorii refectionem accepit, & Nonam beatæ Mariæ in Eccleſia cantaverit, & ab eo ſignum pulſetur ad Nonam, in quo ſpatio Nonam beatæ Mariæ in cellis dicimus, & aliis ſpiritualibus exercitiis occupamur, exceptîs tribûs diebûs poſt Feſtum Innocentium, quando occurrunt ſine Feſto Capituli: Tunc enim, quia colloquium in Clauſtro non habemus, ſtatim poſt prandium Nonam dicimus, ad quam pulſat Novitius, quâ dictâ, cellas repetimus. Poſt Nonam in Clauſtro convenimus de utilitatibus locuturi, prima tamen locutione de conſuetudinibus à Kalendis Novembris usque ad Paſcha, exinde de Evangeliis. Loqui autem in Clauſtro alibi, quàm in parte, ubi colloquium fit, non licet niſi fortè aliquandò pauca verba.

Ab Exaltatione ſanctæ Crucis non niſi ſemel manducamus in die, exceptîs usque ad Quinquageſimam Feſtîs Capituli & in die ſuſceptionis novi Prioris, & in die ſepulturæ Fratrum noſtrorum, ac etiam Clericorum redditorum nec non & Prælatorum, qui apud nos pernoctabunt, & hoc inviolabiliter obſervetur exceptîs infirmîs & valetudinariîs, debilibûs, ſenibûs & minutîs. Aliàs verò, ſi Prior fregerit vel fecerit frangi, ſit extra ſedem ſuam in Eccleſia per XL. dies.

Quando Monachus ægrotans exit ab Eccleſia, ſignum facit Infirmarius, ut ſequatur eum, & nihilominus, cùm Monachus ad Eccleſiam non venit, vel ab ea ægrotans exit, properet ad eum Infirmarius, & exhibeat ei quidquid poteſt, humaniter.

Cùm Prior & Sacerdos Hebdomadarius & Cantor Hebdomadarius ſignum non audiunt vel forſitan infirmantur, finita *Gloria Patri* poſt *Deus in adjutorium* exit Infirmarius, finita *Gloria Patri* poſt *Deus quid* . . . . . infirmum verò tantum ſemel in die quæſiturus vadit.

Tribûs autem primi Nocturni verſibûs explicatîs, niſi Prior annuat, qui requiſitus eſt, intrare Chorum non præſumat. Expletô Pſalmô non ingrediatur, nec vocetur. Hoc ipſum ſervatur in aliis horis. Ad Miſſam quilibet intrare poteſt ſemper usque ad Evangelium, ſed de tarditate corrigatur.

Confeſſio in Sabbato poſt recordationem.

Omni Sabbatô niſi Feſtum Capituli occurrat peccata noſtra Priori, vel quibus ab eo injunctum fuerit, facta recordatione confitemur, occurrente autem Capituli Feſto in Sabbato, die præcedenti, quæ ſine tali Feſto occurrit, confitemur. Semper autem confitemur in Vigilia Natalis Domini, niſi eadem Vigilia occurrat in Dominica, vel Feſtum ſecunda, in quo caſu confitemur in Sabbato ſequenti. Providendum eſt enim, ut ſemper in qualibet hebdomada faciamus Confeſſiones comunes. Per totũ ſpatium Confeſſionis nullus debet in Eccleſia reſidere vel libros revolvere. Quandocunque in Capitulo confitemur, prolixitatem caveamus, in cella autem diutius poſſumus confiteri. Pro privata confeſſione, quæ in cella fit, alibi non dimittitur Generalis, quæ fit in Sabbato. Proſtratus debet eſſe, ac detecto capite quilibet, quando confitetur. Ea quæ nobis in Generali Confeſſione confitentibus injunguntur, dicit qualibet in Choro proſtrata.

Lector Capituli egreditur diebûs Dominicîs, cùm dicitur Verſus: *Unus omnino*. In Feſtis ſuper hebdomadam *Confiteor* dicto egrediatur. Ipſius eſt antequam ingrediatur Capitulum, oſtium Clauſtri, Refectorii, oſtium Hoſpitii & oſtium, per quod ad cellas tenditur, claudere & cum vectibus obſerare. In

Capitulo, quamdiu eſt ad Lectorium, non inclinat. Poſt Lectionem omni tempore regreſſo Lectore ad ſedem ſuam, ſtatim Prior dicit: *Benedicite* & nos *Dominus* aliquantulum inclinamus. Deinde in Feſto Reliquiarum pronunciantur Reliquiæ, & in Feſto ſancti Stephani ſic pronunciat Lector in Capitulo, Commemoratio Benefactorum noſtrorum. Libris quoque veteris ac novi Teſtamenti, eóſve, cum quibus celebrantur divina officia, ſine ejuſdem Capituli conſilio Generalis nullus emendare præſumat niſi cum exemplari in Ordine emendato, niſi judicio Prioris & Monachorum diſcretorum corigalis manifeſtus appareat.

Prima pulſatio ad Matutinas tanti ſpatii eſſe debet, ut primi IV. Pſalmi pœnitentiales dici poſſint, quô ſignô pulſatô, omni tempore Nocturnum Eccleſiæ officium congruis Vigiliis contra Matutinas beatæ Mariæ ſufficiant, & quòd Monachi congruè præparari poſſint, in cella prævenimus: contra Vigiliæ ab idibus Septembris exceptis XII. Lectionum Feſtis, ſenſim paulatimque creſcendo in Kalendis Novembris perfectim quinquaginta Pſalmi non feſtinè cantandum minus ſufficiunt. A quo tempore uſque ad Kalendas Februarii exceptis XII. Lectionum Feſtis & hebdomada Natalis Domini decreſcendo paulatim ad tantum ſpatium ad Matutinas beatæ Mariæ ſufficiat, rediguntur, ex quo ad prædictas Septembris idus in eadem perdurant. Prædictum autem Vigiliarum ſpatium Sacriſta, cùm ſibi videbitur, cum horologio terminabit, in quo ſpatio Pſalmîs vel ſpiritualibûs exercitiîs occupamur.

Capitulum Generale I. Ordinis Carthuſienſis.

OMnibus ſanctæ & Catholicæ Eccleſiæ fidelibus præſentibus & poſteris, notum ſit, quòd Carthuſienſis præpoſiti Priores, Portarum videlicet Bernardus Prior, & Excubiarum Soſſordus Prior, Durbonis quoque Prior Lazarus, necnon & Majorevi Prior Stephanus, atque Alveriæ Prior Joannes diu pro tenore ſtabili & firmitate præfati propoſiti à Prioribus & Fratribus Carthuſiæ petiêrunt, quatenus in eadem domo Carthuſiæ commune Capitulum eis liceret habere obtentu correctionis & emendationis totius propoſiti. Hâc igitur precum inſtantiâ, & quaſi importunitate aſſidua, Prior Carthuſiæ Antelmus cum Fratribus ſuis conſiliô Domni Hugonis ſecundi Venerabilis Gratianopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopi tandem conſenſerunt, hac tamen conditione, ut ſinguli Priorum, acceptîs ab Archiepiſcopis & Epiſcopis ſuis, & à communi Capitulo Fratrum ſuorum litterîs, in quibus Generali Capitulo omnium, quæ corrigenda & emendanda ineſſent, ipſo propoſito poteſtas daretur per omnes domos, annotato die convenirent. Accepto igitur cum gratiarum actione tam deſiderabili conſenſu, & litteris impetratis, die qui prænotatus fuerat, convenerunt; & quoniam ab Archiepiſcopis & Epiſcopis & ab ipſis Capitulis conſimiles datæ ſunt litteræ, placuit unas Epiſcoporum & unas Capitulorum inſcribere litteras in hunc modum.

Falco Lugdunenſis Eccleſiæ Miniſter dilecto Fratri Antelmo Carthuſiæ Priori, cunctiſque Prioribus ſub Carthuſienſi Ordine Deo militantibus, & qui cum eo ſunt Fratribus paupertatis prœmium à Domino obtinere. Domum Portarum & Domum Majorevi veſtræ Religionis æmulas pro voto & petitione ſua ad tenorem & confirmationem Ordinis veſtri ſicut communi conſilio Capituli decretum fuerit Epiſcopali auctoritate concedimus & tradimus in perpetuum corrigendas.

Patribus & Dominis Reverendiſſimis A. Dei gratia Carthuſiæ Priori, & qui ſub ejus regimine Chriſto militant Fratribus, Portarum Fratres univerſi pacem & ſalutem æternam à Domino. Quod tandem aſſenſum præbuiſtis, ut ad domum veſtram, quæ noſtri propoſiti Mater eſt, noſtræ & cæterarum domorum Priores opportuno, ſicut ſtatutum fuerit, tempore conveniant, ut de his, quæ ad unitatem ac ſtabilitatem ſive firmitatem Ordinis noſtri valent, diligentiſſimè tractent, non ſolùm concedimus & laudamus, ſed etiam cum gratiarum actione ſuſcepimus. In omnibus igitur, quæ ad tenorem Ordinis noſtri & confirmationem pertinent, ſicut univerſalis Capituli communi conſilio decretum fuerit, concedimus & tradimus nobis & ſucceſſoribus veſtris domum noſtram in perpetuum conſervandam atque corrigendam.

Hujus itaque univerſalis Capituli decreta per ſingulas Capitulorum diſtinctiones placuit annotari.

1. Primum omnium Capitulorum hanc habet continentiam, ut divinum Eccleſiæ officium prorſus per omnes domos uno ritu celebretur, & omnes Conſuetudines Carthuſienſis Domûs, quæ ad ipſam Religionem pertinent, unimodè habeantur.

2. Secundum autem Capitulum de Prioribus decretum eſt, ut ſi quis Priorum,

quod

quod abſit, contra Religionem & propoſitum perperam egerit, ſemel bis & ter à Fratribus privatim, & in Capitulo ſuo admonitus, ſi incorrectus permanſerit, Prior Carthuſiæ ex communi conſilio Generalis Capituli, aut eum, ſi fieri poteſt, corrigere, aut pro incorrigibili alium ſubſtituere habeat poteſtatem. Hoc idem de Priore Carthuſiæ & emendatione ipſius domûs ſtatutum eſt. Ipſe verò ſupradictus incorrigibilis depoſitus, poſtea vel in eadem domo, ſi tamen cum pace domûs ipſius fieri poſſit, permaneat, vel ad aliam ipſius propoſiti domum, in qua juſſus fuerit, tranſire non differat. Prior autem qui ſubſtituendus in illa domo fuerit, ſecundùm præſcriptas conſuetudines Inſtitutionis de Fratribus ejuſdem domûs, ſi tamen rationabiliter fieri poſſit, aſſumetur: Sin autem juxta conſiderationem communis Capituli de aliqua aliarum domo, excepta Carthuſienſi domo, Prior deſolatis Fratribus detur. Id quoque de electione Prioris poſt obitum ſui Anteceſſoris fieri decretum eſt.

3. Tertium quoque Capitulum continet, ut ſi Prior vel Fratres cujuslibet domus hujus propoſiti propria voluntate ſua domum ipſam ad alterius propoſiti Religionem, quod abſit, transferre voluerint, ejus ſicut jure perpetuo huic propoſito confœderatis nullatenus liceat.

4. Quartum proinde Capitulum eſt ſtatutum, ut nulla domus nova hujus propoſiti ſine aſſenſu communis Capituli extruatur, & Inſtitutiones dari à nullo Priorum præſumantur.

5. In quinto autem Capitulo continetur, quod, ſi domui Carthuſiæ, quæ aliarum Mater eſt & nutrix, hæc neceſſitas ingruerit, ut de alia aliqua, quàm de ſua domo ſibi Priorem aſciſcat, quamlibet perſonam, exceptîs domorum Prioribûs, de domo qualibet hujus propoſiti ſibi aſſumat.

6. Sextum deinde Capitulum hujusce continentiam habet, ut ſi alicui domorum jam ſæpedicti propoſiti cauſa interceſſerit, de qua ad præſens tractare neceſſarium ſit, Prior Carthuſiæ ſtatim ad præfatam cauſam tractandam tot ad ſe convocet Priores, ſi per ſe facere non poterit, quot ad eam definiendam ſibi ſufficientes eſſe videantur. Horum autem definitio haud ſecùs, quàm univerſalis Capituli rata habeatur.

7. Septimum demum Capitulum de his habetur, ut neque Priori Carthuſiæ, neque cæteris quibuslibet Prioribus his omnibus, quæ vel ad divinum vel ad cæteras quaslibet hujus Religionis Inſtitutiones pertinent, ſine communi conſilio Generalis Capituli demere aliquid, vel addere licitum ſit. Commune autem ſive univerſale Capitulum vocamus eos, qui vocati convenerunt. Ut igitur hæc omnia inſtituta, quæ ad ſanctæ hujus Religionis firmitatem, atque indeficientem ſtabilitatem pertinent, à ſanctis viris utiliter inventa, & ſaluberrimè conſiderata, perpetuam habeant perſeverantiam, cuncti Priores humilitatis veſtigia ſectantes, ſeſe huic ſanctæ diſciplinæ & perſeveranti correctioni cum omni devotione ſubdiderunt, & hujus ſanctæ obedientiæ jugum ſuave & onus leve infatigabiliter atque indeficienter ſe ferre profeſſi ſunt hîs verbîs: Ego Frater Stephanus Prior Majorevi promitto obedientiam communi Capitulo.

Aderat autem præſens, quod prætermittendum non arbitramur, Venerabilis jam prædictus Epiſcopus, ejuſdem Carthuſienſis domûs Pater & Monachus, cujus manum, in qua omnes has præſcriptiones tenebat, flexîs genibûs oſculantes, hanc Profeſſionem fecerunt.

Item Capitula alterius Conventus.

1. CApitulum primum continet, quod paſſiones Domini, ſicut cætera Evangelia cantentur.

2. Secundum Capitulum habet, quod quando Nativitas Domini quartâ Feriâ evenerit, ſequenti Dominicâ Reſponſorium ſicut in die Nativitatis Domini cantetur. In Miſſa *Puer natus eſt nobis*, Oratio: *Concede quæſumus omnipotens Deus, ut nos Unigeniti*, Epiſtola *Apparuit benignitas*, Evangelium, *In principio, &c.* Sicut in Dominicali Miſſa Nativitatis.

3. Tertium Capitulum eſt, quod in ea Dominica, in qua eſt Evangelium: *Erat Joſeph*, cantatur Antiphona: *Erat Joſeph* in Sabbato ad *Veſperas*, eadémque repetitur ad *Benedictus*, idémque contigit in Dominica poſt Aſcenſionem, ut videlicet Antiphona de Evangelio, & ad *Veſperas* in Sabbato, & ad *Benedictus* cantetur.

4. Quartum Capitulum eſt, quod VI. Dominicâ poſt Epiphaniam, quæ præcedit Septuageſimam, cantetur Evangelium: *Confiteor tibi, Domine, Pater cœli & terræ*, & Antiphonæ ex eodem Evangelio: *Tollite jugum meum ſuper vos* ad *Benedictus*, *jugum enim meum* ad *Magnificat*.

5. Quintum Capitulum eſt, quod repetitio Reſponſorii *Ego dixi Domine, ſana animam meam, quia peccavi tibi*, eadémque repetatur poſt *Gloria*.

6. Sextum Capitulum eſt, ut illa quæ emendata ſunt in Pſalterio, emendentur in Reſponſorio, verbi gratiâ: *Si mei non fuerint dominata, ipſe liberabit me*, & *Exultabo mane miſericordia tua*, & *in generationem, & generationem*.

7. Septimum Capitulum eſt, ut poſt *Venite* cantetur *Æterne rerum conditor*, ad *Laudes*, *ſplendor paternæ gloriæ*, ad *Veſperas Deus Creator*, *&c.* ad *Completorium Chriſte, qui lux es.*

8. Octavum Capitulum eſt, ut ab Octavis Pentecoſtes uſque ad Adventum Domini omnibus ferialibus diebus, exceptis Feſtis, dominicales dicantur orationes ad *Veſperas* & ad *Laudes*.

9. Nonum Capitulum eſt, ut in Reſponſorio unius Martyris in tertio Nocturno Verſiculus *Lætabitur Juſtus in Domino*.

10. Decimum Capitulum eſt, ut in Feſto beati Andreæ, ſi in Adventu contingat, ſemel tantùm comedatur, ſed nihilominus ad collationem veniatur.

11. Statutum eſt etiam, ut pro charis in Conventu aliquid facere, in ordinatione Prioris & ſui Capituli arbitrio conſiſtat.

Alia Statuta.

1. STatutum in Carthuſienſi Capitulo, ut in Clauſtro poſt Nonam ſecundùm arbitrium Prioris pro ſermone ſolito lectio habeatur.

2. Deinde decretum eſt, ut quomodo de equitatione Fratrum cæterarum domorum ſtatutum fuerat, ſic & in Carthuſienſi ſervetur: ita dumtaxat, ut cùm ad Capitulum venerint, vel per Capitulum aliqui pro aliquo negotio miſſi fuerint, liceat iisdem domibus, unde Fratres mittuntur, prout neceſſitas poſtulaverit, ſolito more Fratrem equitando foras mittere.

3. Item communi aſſenſu decrevimus, quatenus pro domo P. Cluniacenſi Abbate, quando eum obire contigerit, in cunctis noſtri Ordinis domibus, excepto Anniverſario, & quòd in Martyrologio non ſcribetur, idem & par officium fiat, quod pro Priore vel Profeſſo fieri conſuevit. Pro cæteris verò totius Ordinis Cluniacenſis defunctis, præter privatas orationes ſemel in anno Generale Officium, tam de Miſſa quàm de Agenda in Conventu celebrabitur. A ſingulis quoque Sacerdotibus unum Pſalterium, à Laïcis CCC. Dominicæ orationes perſolventur. Hoc verò obſequium ſingulis annîs ab ipſo Capitulo uſque ad Nativitatem Domini expleri injunximus. Pro Domno verò Ainrico Vintonienſi Epiſcopo, necnon pro præfati Abbatis Succeſſoribus, poſt obitum ipſorum Generale Officium in Conventu ſimiliter celebrabitur.

4. Rurſus & ſancitum eſt, ut ſi domus aut quælibet perſona noſtri Ordinis à Romana Curia per ſe vel per alium litteras inſtituta communis Capituli poſtulaverit, à Societate univerſi Ordinis ſeparetur, niſi per idem commune Capitulum reconcilietur.

5. Præterea ſtabilitum eſt, ut quia certus eſt numerus habitatorum locorum noſtrorum, certus etiam in animalibus & mercenariis habeatur & módus. Propter modeſtam igitur unitatem ubique ſervandam, ſtatutum eſt, ut nulla Ordinis noſtri domus ultra XXV. mercenarios, nec ultra M. CC. tam oves quàm capreas exceptis hircis, nec ultra XII. canes, nec ultra XXXII. boves, ac XX. vitulos, nec ultra ſex ſagmarios ulterius habeat.

6. De ſubmovendis quoque, ac ſubſtituendis Prioribus hoc etiam judicavimus eſſe ſervandum, ut nulli Ordinis noſtri Congregationi viventem Priorem liceat ab officio ſuo amovere, niſi ex conſenſu communis Capituli: neque ipſi communi Capitulo liceat ejuſdem aggregationis Fratribûs, inconſultis atque nolentibûs, abſque culpa condigna, Priorem dare vel auferre. Si verò à Fratribus cujuslibet domûs erga Priorem ſuum pro ſuis exceſſibus quæſtio ſuborta fuerit, idémque Prior ab eiſdem ſæpius admonitus ſeipſum emendare noluerit; cauſa ipſa ad conſilium communis Capituli deferatur, ejúſque judicio terminetur.

7. Dictum eſt etiam, ut nulla omnino domus pro ſuo aut alieno negotio ad perſonam Domini Papæ ſcribere præſumat, ſine conſilio communis Capituli.

8. Item ſtatutum eſt, ut ſi quilibet Prior vel per ſe vel per ſubjectum ſuum Inſtituta Capituli violare præſumpſerit, poſtquam transgreſſio manifeſta fuerit, in conſpectu totius Capituli culpam confeſſus extra Capitulum egrediatur, nudatus pedes, veſtibúſque pro conſuetudine detractis, manu virgas portans ante Conventum pro ſuſcipienda diſciplina humiliter revertatur. Ipſe quoque in domo ſua ſuis ſubjectis pro ſimili culpa ſimilem imponat diſciplinam.

9. Decretum eſt etiam, ut ſi quis præſcriptum animalium numerum exceſſerit, ex decreto Capituli, quod ſuperfuerit, pauperibus erogetur.

10. Præterea inſtitutum eſt, ut Monachorum veſtimenta à ſemipede terram non tangant. Laïcorum quoque Fratrum veſtes ultra ora calceamentorum non deſcendant.

11. Etiam hoc ſtatuimus, ut de Ciſtercienſium ſive Præmonſtrati Congregationibus, propter ipſorum reverentiam & pacem, nulla ulterius perſona in noſtrum Ordinem ſuſcipiatur. Quod inſtitutum ſi quis noſtrorum transgreſſus fuerit, etiam profeſſum expellere cogatur, & à toto Ordine ſeparare.

ADDI-

ADDITAMENTUM XVI.

CONSTITUTIONES
S. LANFRANCI.

OBSERVATIO CRITICA.

SAnctus Lanfrancus, ratione Italus, patriâ Papienſis, ab ineunte ætate melioribus literis imbutus, adoleſcens in Normanniam veniens, in Beccenſi Cœnobio Monachum induit, ac poſtea Cadomenſis Abbas clarus, pietate & doctrinâ ſingulari eminuit, inſigne Benedictini Ordinis ornamentum. Hic Guilielmo Normanniæ Duci imprimis charus, à conſiliis privatis erat, atque Archiepiſcopatum Rhotomagenſem ſibi oblatum magnanimiter recuſavit; ſed poſtea ab eodem Duce jam Angliæ Rege, in Britanniam vocatus, invitus Cantuarienſem Archiepiſcopatum auctoritate Papali & Regia ſuſcipere coactus eſt. Igitur, Primas totius Angliæ conſtitutus, diſciplinam Eccleſiaſticam bellorum tumultibus penitus collapſam reſtaurare conatus eſt, atque imprimis arctam Benedictinæ Regulæ obſervantiam in omnibus Regni Monaſteriis fieri mandavit; ad Henricum Priorem Eccleſiæ Cantuarienſis, has ſequentes Conſtitutiones, quas DECRETA ORDINIS SANCTI BENEDICTI nominavit, transmittere voluit, quatenus ad exemplum primarii Cœnobii Benedictini, & reliqua Monaſteria ordinarentur.

Hæc Decreta, Statuta, vel Conſtitutiones appellat ſanctiſſimus Archipræſul, SUI ORDINIS CONSUETUDINES SCRIPTAS, ab ipſo excerptas ex Conſuetudinibus eorum Cœnobiorum, quæ ſuo tempore majoris auctoritatis erant in Ordine Monachorum. Duas quidem conſuetudines magna ex parte cum Cluniacenſibus convenire exiſtimat Mabillonius, in ſuis Annalibus Benedictinis, ad an. MLXXXVIII. referens mortem S. Lanfranci, exceptis paucis additis vel mutatis, quæ in celebrandis quibusdam Feſtis excellentiùs in Eccleſia Cantuarienſi oporteret agi, propter primatem ſedem.

Primus harum Conſuetudinum editor, erat Clemens Reynerius in ſuo erudito opere, de APOSTOLATU BENEDICTINORUM IN ANGLIA, Duaci 1626. Vir quidem doctus & pius; cujus tamen editio, characteribus aliquando obliteratis, mendiſque librariâ oſcitantiâ, paſſim referta; ſanctiſſimi Archipræſulis gravitatem Stylique majeſtatem non ubique præfert; prout obſervavit Clariſſimus Lucas Acherius, in ſua erudita Præfatione ad opera omnia S. Lanfranci, Pariſiis 1648. edita. Et quidem, etiamſi Doctiſſimus Acherius, hanc Reynersi editionem à pluribus mendis purgaverit, atque debitis locis cola, cæſa, & puncta inſeruerit, attamen agnoſcit, non omnia errata ſe potuiſſe expungere, cum nullum alium codicem MS. acquirere potuerit. Hinc, has easdem Conſtitutiones ex Collectione nova Conciliorum Magnæ Britanniæ per Davidem Wilkins edita Londini 1737. tom. I. excerpere lubet, cùm illæ exſcriptæ ſint ex optima notæ Codice MS. in Archivo Dunelmenſi adhuc conſervato.

CON-

CONSTITUTIONES S. LANFRANCI, ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS. (*a*)

Ex MS. Dunelm. B. IV. 24. fol. 47.

LAnfrancus, indignus ſanctæ Dorobernenſis Eccleſiæ Antiſtes, dilectiſſimis Fratribus ſuis, Henrico Priori, & cæteris, ſalutem & benedictionem. Mittimus vobis noſtri Ordinis Conſuetudines ſcriptas, quas excerpſimus ex Conſuetudinibus eorum Cœnobiorum, quæ noſtro tempore majoris auctoritatis ſunt in Ordine Monachorum. Addidimus quoque perpauca, & mutavimus nonnulla, & maximè in celebrandis quibusdam Feſtis, excellentiùs in noſtra Eccleſia oportere ea agi cenſentes, propter primatem ſedem. In quibus nec nobis, qui præſentes ſumus, nec iis, qui poſt nos venturi ſunt, in aliquo præjudicamus, ut non vel eis addere, vel ab eis tollere, vel in eis permutare aliqua valeamus, ſi aliter ea commodiùs poſſe fieri vel Magiſtra ratione, vel doctiorum auctoritate intelligamus. Quantumlibet enim quisquam proficiat, maximus ei defectus eſt exiſtimare, ſe ultra non poſſe proficere: nam numerus Fratrum auctus vel diminutus, facultates locorum, varietates rerum, quæ ſæpe eveniunt, diverſitates ſenſuum, quod alii quidem ſic, & alii ſic intelligunt, pleraque diu ſervata, plerumque aliter ordinari compellunt; hinc eſt, quod nulla fere Eccleſia imitari aliam per omnia poteſt: illud tamen cautiſſimè attendendum eſt, ut ea, ſine quibus anima ſalvari non poteſt, omnibus modis inviolata ſerventur, fidem dico, contemptum mundi, charitatem, caſtitatem, humilitatem, patientiam, obedientiam, de perpetratis culpis pœnitudinem, earúmque humilem confeſſionem, frequentes orationes, competens ſilentium, multáque in hunc modum; hæc ubi ſervantur, rectiſſimè poteſt dici Regulam ſancti Benedicti, & Monachorum ibi Ordinem cuſtodiri, quoquomodo varientur cætera, quæ pro arbitrio diverſorum in diverſis ſuntCœnobiis inſtituta; cujusmodi ſunt, quòd in præcipuis ſolemnitatibus alibi in tunicis tantum, quos froccos vocant, & alibi in albis & cappis Cantores ad *Veſperas* Reſponſorium canunt; quod in eisdem Feſtivitatibus in locis albis ſolummodo, & in aliis cappis etiam induti procedunt; quod in quibusdam Cœnobiis viceni, vel triceni, aut plùs, aut minùs ſimul in alveis, & in quibusdam ſinguli in ſingulis catinis pedes in Clauſtro ante mandatum abluunt; quod pleraque Monaſteria menſe Februario, transactâ beatæ Mariæ feſtivitate, Officium Mortuorum poſt *Veſperas* dicere incipiunt, & pleraque usque ad Septuageſimam præſtolantur. Hujus genera alia plurima exiſtunt, quæ pro ſui prolixitate breviter enumerari non poſſunt; hæc tamen ipſa, poſtquam ſervanda ſubjectis à Paſtoribus ordinantur, ab iis, quorum tota vita in obedientia ſita eſt, ſine culpa minimè violantur. Inde verò nemo turbetur, quòd in tractatu earum Conſuetudinum nomen Abbatis tantùm, non Epiſcopi vel Archiepiſcopi, ponitur: Ordo quippe Monachorum deſcribitur, quorum per Abbates frequentiùs, quàm per Antiſtites vita diſponitur; quamvis & ipſi Antiſtites, ſi paternam curam vice Chriſti ſubjectis ſuis impendant, non abſurdè Abbates, id eſt Patres, congruò ſuis actibus vocabulò, appellari queant. Deus pacis & dilectionis vobiscum maneat, & ipſe pace & dilectione ſua vos repleat, & ab omnibus peccatis clementer abſolvat. Amen, Amen.

Calendis Octobris remaneat meridiana, quam facere ſolent Monachi in æſtate. A Dominica prima hujus menſis cantetur, & legatur de libris Machabæorum usque ad Feſtivitatem omnium Sanctorum; canantur Hymni Dominicis diebûs usque ad Adventum Domini: ad Nocturna *Primo dierum*, ad *Laudes*, *Æterne rerum conditor*. Privatis diebûs, poſt Matutina, usque ad Feſtivitatem omnium Sanctorum, revertantur ad lectos ſuos; illuceſcente autem die, pulſetur à cuſtode Eccleſiæ parvulum ſignum modicè. Surgentes Fratres in Nocturnalibus ſuis, & Infantes & juvenes cum luminaribus ſuis, veniant in Eccleſiam, & facta oratione, cantent *Primam*, & Pſalmos familiares cum Collectis ſuis, & ſeptem Pſal-

(*a*) Quo anno Lanfrancus Conſtitutiones has ediderit, haud certò conſtat; nos ad annum poſt ſusceptum Archiepiſcopatum tertium eas referimus, quo (dicente Will. Malmesb.) inſolentiam Monachorum Cantuarienſium ſecularium repreſſit, & extinxit.

Pſalmos & Litaniam, inde exeuntes ſedeant in Clauſtro. Pueri vero primitus altè legant, & poſtea, ſi opus fuerit, cantent. Omni tempore, antequam legaot Infantes, nullus in Clauſtro legat, aut eantet, niſi in ſilentio, nec ad Confeſſionem pergat. Antequam ſonet ſignum ad apparatum *Tertiæ*; nullus calciet ſe diutnalibûs ſuîs, exceptis iis, quibus extra Clauſtrum cura obedientiæ injuncta eſt; & hi priùs, quàm exeant, aliquantulum io Clauſtro ſedete debent, & expectare, ut ptius Infantes in ſcholis ſuis legant. Cùm appropinquaverit tempus horæ *Tertiæ*, pulſetur à Secretario modicè ſignum minimum quod Skillam * vocant, & ſtatim pergant in Dormitotium, & calcient ſe diurnalibus, & cultellos accipiant; deinde ad Lavatorium veniant, & priùs lavent ſe, & poſtea pectinent: dehinc ad Eccleſiam veniant, aquam benedictam ſumant, in Chorum vadant, & incumbentes terræ Infantes expectent. Cùm verò Infantes loti fuerint, & ſe pectinare incepetint, pulſetur majus ſignum ad horam; accedentes & ipſi ad aquam benedictam, in Chorum veniant, & dimiſsô ſignô, omnes ſimul tres orationes faciant. Quibûs factîs pulſetur minus ſignum, & canatut *Tertia*: inchnatô Pſalmo *Miſerere mei Deus*: ſurgentes Miſſam matutinalem celebraturi ante & retro ſaciant, & ſe induete pergant. Celebratâ Miſsâ, ſedeant omnes in Choro, præter aliquos Converſos, qui Sacerdotem, & eos, qui ad Miſſam ſervierunt, adjuvare debent; quòd, cùm explevetint, redeant & ipſi in Chorum: tunc, jubente Abbate, Priot ſonet ſignum minimum. Deinde eant omnes in Capitulum, duo & duo, ſic ùt ſunt priotes, majotes ptiùs, poſtea Infantes. Petactô Capitulô, pulſatâ tabulâ, dicto ab Abbate vel Priore; *Benedicite* loquentut in Clauſtro. Infantes Capitulum ſuum teneant, & poſtea in Refectorium pergant. Poſt *Sextam* nullus in Clauſtto loquatur, donec Infantes de Monaſterio exeant, & minimus eorum alta voce *Benedicite* dicat; factô intervallô, pulſatâ ad apparatum Miſſæ Skillâ, pulſatô ad Miſſam ſignô, oratione ſacta dicatur ab Infante Litania, Induantur, qui celebraturi ſunt Miſſam, & ſervituti ſunt ad Miſſam. Quartâ & ſextâ Feriâ, ſi poſt *Sextam* & ante Miſſam per Clauſtrum proceſſuri ſunt, non pulſetut Skilla ad apparatum Miſſæ, ſed cùm tempus Proceſſionis Secretarius inſtare proſpexerit, ſonet unum de mediocribus ſignis. Quô auditô, ſtatim ſilentium fiat in Clauſtro. Diſcalcient ſe, manus abluant, in Eccleſiam vadant, factâque oratione, & pulſatîs duobûs ſignìs, dictìs, quæ dici ſolent, Proceſſionem faciant ſicut in iiſdem diebus in Quadrageſima, & in æſtate, de qua poſteriùs dicendum eſt; poſt Miſſam, pulſatô ſignô, agatur oratio: poſt orationem vadant in Refectorium accipere mixtum Hebdomadaril coquinæ, & menſæ Lectot. Si verò alii ſint, qui pro utilitate Eccleſiæ majori Miſſæ non poſſint intereſſe, in poteſtate Abbatis vel Prioris ſit, utrum & ipſi mixtum accipere, & ſtatutam Hebdomadariis debeant quantitaté panis & potûs habere. Alii verò Fiatres interim in Choro ſedeant, & qui voluerint, legant: Servitotibûs in Chotum redeuntibûs, pulſetut ſignum, cantetut *Nona*. Cantata *Nona*, exeant Prior ad percutiendum Cymbalum, Hebdomadarii coquinæ, & cæteri, qui ſervituri ſunt, ad injuncta ſibi officia.

* Aliis Scilla, ſeu Squilla id eſt Campanula.

Calendæ Novembris, ſi die Dominica evenerint, Feſtivitas omnium Sanctorum ſolenniter agatur; ſequentibûs verò privatîs diebûs Reſponſoria dicantur *Vidi Dominum* & Lectiones longæ ex Prophetis. Si verò dies Calendarum Feriá ſecundâ, aut tettiâ, aut quartâ evenerit, præcedente Dominica inchoetur Hiſtoria *Vidi Dominum*, ſed tamen intervalla nonniſi poſt Calendas incipiant. Si verò quintâ vel ſextâ Fetiâ, vel Sabbatô Calendæ exiiterint, ſequente Dominica inchoetur Hiſtoria, & Lectiones ex Prophetis; Lectiones verò grandes & intervalla mox poſt Feſtivitatem inchoentur. Ab hac Feſtivitate usque ad quintam Fetiam ante Paſcha, niſi duodecim Lectiones aut Octava fuerint, canantur privatîs diebûs poſt orationes ante Nocturna officia triginta Pſalmi ab *Ad Dominum, cùm tribularer* usque *omnis Spiritus laudet Dominum*. Primi decem pro defunctis ſine *Gloria*; ſequentes decem pro Congregatione, bini cum una *Gloria*, extremi decem pto Familiaribus & Benefactoribus, & hi bini cum una *Gloria*, ſinguli cum precibus & collectis ſuis; & poſt Nocturna & familiares Pſalmos Officium Mortuotum, & *Matutinæ Laudes* de omnibus Saoctis & *Verba mea*, ſi tricenatium habent. Poſt hæc deſcendentes à Dormitorio, ſedeant in Choro; Infantes in Capitulo cum luminaribus diligentet à Magiſtris cuſtodiantut, canentes, quod neceſſarium erit, aut ſi nimis profunda nocte ſurrexerint, pauſent jacentes ad ſedilia ſua. Iſto intervallo debet Prior cum abſconſa accenſa * per Chorum ire, ac videre, quàm tegulariter ſedeant, deinde per Altaria & membra Monaſterii, ne fortè aliquis ibi dormiat. Si verò aliquem orantem invenerit, ſilenter pertranſeat; quòd ſi aliquem dormientem repe-

* Cata Laterna.

repererit, evigilato in Chorum ſignô factô reverti præcipiat. Deinde debet per Clauſtrum & in Capitulum ire, ac videre, qualiter ſe habeant Magiſtri, & Infantes, & per loca alia, ubi neceſſarium eſſe perſpexerit. Cùm tempus fuerit, pulſatô ſignô, venientibûs pueris, facta oratione, canantur *Matutinæ Laudes*, commemoratio Sanctorum. *Prima* cum Pſalmis familiaribus, & precibus, & Collectis ſuis cum ſeptem Pſalmis & Litania: poſt hæc ita omnia agenda ſunt, ut ſupra dictum eſt in menſe Octobri. Secretario autem ſolicitè providendum eſt, ut talî horâ *Matutinas Laudes* faciat incipere, quatenus omnia luce clareſcente finiantur. Si autem aliqua dubietate deluditur, & aliquid noctis poſt Litaniam fuerit, ſicut ſuprà in primo intervallo, ita ſe habeant Fratres, videlicet, ut præter ſanguine minutos nullus revertatur ad ſtratum. Clareſcente verò die exeant in Clauſtrum ſedere. Ad Completorium Hymnus *Chriſte, qui lux es & dies.*

Dominica ante Adventum Domini canatur Hiſtoria de ſancta Trinitate. Hymnus *Primo dierum*: Pſalmi *Domine in virtute tua*, & reliqui. In tertio Nocturno pronuncietur Evangelium *Cùm ſublevaſſet*, & idem legatur à Sacerdote reveſtito cum Collecta *Excita Domine*. Ad *Laudes* Pſalmi *Dominus regnavit*. Antiphonæ de Trinitate, & ſimiliter ſuper horas usque ad *Veſperas*, cum Capitulis & Verſibus & Collectis ad *Benedictus* Antiphona & Collecta de Trinitate. Poſt Collectam dicatur Antiphons ex Evangelio *Cùm ſublevaſſet* cum *Gloria Patri* Verſus *Dominus regnavit*, Collecta *Excita Domine*. Sermo in Capitulo & Miſſa matutinalis de Dominica, major de ſancta Trinitate. Si Feſtivitas duodecim Lectionum ipſa die evenerit, non mutetur ipſa duodecim Lectionum Feſtivitas.

Sabbato præcedente Dominicam de Adventu Domini, dimittatur ad *Veſperas* Oratio de Cruce, usque ad Octavas Epiphaniæ. Si Feſtivitas ſancti Andreæ in hac die evenerit, agantur pleniter *Veſperæ* de Apoſtolo. Finitis *Veſperis* incipiatur Antiphona *Ecce nomen Domini* cum *Gloria Patri*. Dictâ Antiphonâ, ſequatur Verſus & Collecta de Adventu Domini. In craſtino ad Invitatorium duo Fratres in albis, in ſede Epiſcopali, in cappis. Et ubicunque ordo Monachorum, qui hic deſcribitur, ad Invitatorium, & ad *Benedictus* & ad *Magnificat* præcipitur eſſe In albis. In ſede Epiſcopali inſtitutum eſt eſſe in cappis. Lectiones de Iſaia Propheta usque ad Nativitatem Domini. In *Matutinis Laudibus* Pſalmi *Miſerere mei Deus* & reliqui. Ad *Benedictus* Sacerdos in alba incenſet Altaria. Ad *Primam* Capitulum *Domine miſerere noſtri* omnibûs Dominicîs & Feſtîs usque ad Nativitatem Domini. *Gloria in excelſis Deo* minimè dicatur, ad majorem Miſſam Diaconus & Subdiaconus caſulis ſint induti. Dominicîs & aliîs Feſtîs, quibûs duodecim Lectiones faciunt, adipem comedant; ſi Feſtivitas ſancti Andreæ in hac die evenerit, præcedente Sabbato, ſicut in Vigilia jejunetur, & Miſſa de Vigilia dicatur. Commemoratio ad *Veſperas* & in craſtino ad *Matutinas Laudes*, & Miſſa matutinalis de Apoſtolo agatur, Feſtivitas verò in craſtinum differatur. Ad *Veſperas* ipſius diei Capitulum & cætera, quæ ſequuntur, de Apoſtolo dicantur: de hinc commemoratio de Adventu. Privatis diebûs preces *Oremus pro omni gradu Eccleſiæ.* Feriâ quartâ, ſextâ, & Sabbatô quatuor temporum pronuncientur Evangelia ipſorum dierum. Vigilia Thomæ Apoſtoli, ſi dies Dominicus non fuerit, radantur Fratres, & ſic balneentur, qui volunt balneari, ut duobus diebus ante Dominicam Nativitatis ſint omnes balneati. Si neceſſe ſit, ipſo Apoſtolicæ Feſtivitatis die balneari poſſunt. Ipſa autem balnea hoc ordine diſponantur, præcedente die debet Abbas, aut qui ordinem tenet, providere unum Seniorem Religioſum, atque prudentem, cui præcipiat curam habere de ipſis, qui commoneat Fratres, quâ horâ ire debeant, & videre, quàm ordinate ibi ſe contineant. Qui Senior illuc pergens, videat qualiter ſint præparata, & quales famuli ibi ſint deputati, ſcilicet non Infantes, nec Juvenes, ſed ætate provectiores. Quod ſi aliquid incongruum viderit, indicet Camerario, & ille ſtatim emendet. Reverſusque Senior in Clauſtrum, commoneat Fratres, quod opus eſſe cognoverit. Sed hoc caveat, ne adoleſcentes & Novitii ſimul eant, ſed cum Senioribus. Illi verò Fratres, quos commonuerit, poſtquam raſi fuerint, accipientes veſtimenta, quæ mutare debent, pergant ad locum, in quo balnea præparantur, ibique exuentes veſtimenta ſua ſic ordinatè, ut in Dormitorio facere conſueverunt, intrent, unusquisque, ubi ei fuerit demonſtratum, & depoſitô velô, quod ante eos pendet, ſedeat cum ſilentio. Si quid verò ei neceſſarium fuerit, modeſtè ſignô aliquô petat, famulus verò elevatô velô deſerat illi celeriter, quod petit, & ſtatim revertatur. Poſtquam ſatis ablutus fuerit, non delectetur ibi diutiùs demorari. Surgens verò calciatus atque veſtitus, ſicut in Dormitorio conſuevit, ablutîs manibûs revertatur in

Clau-

Clauſtrum. Adoleſcentes, qui ſunt in cuſtodia, cum cuſtodibus ſuis eant, & revertantur. A *Prima* usque ad *Completorium* omnibus horis poſſunt ire Fratres ad balnea, ſed nullus præſumat ire abſque licentia Fratris, cui hoc commiſſum eſt. Si Vigilia Dominicæ Nativitatis in Dominica die evenerit, duo Fratres Invitatorium de Dominica in albis dicant, primum & ſecundum Nocturnum de ipſa Dominica fiant, tertium, & *Matutinæ Laudes* de Vigilia.

Poſt primam Collectam commemoratio de Dominica, Miſſa matutinalis de Dominica, major de Vigilia: alia verò die ſicut ptivatis diebus, ſigna pulſentur & triginta Pſalmi dicantur. Invitatorium duo canant, ſed non in albis. Evangelium pronuncietur. Capitulum ad Nocturnum, & Oratio, & Verſus de Vigilia. Cætera ſicut retrò actîs diebûs, ſcilicet Officium Mortuorum, Matutinæ de omnibus Sanctis, Inſantes in Dormitorium vadant, & in Capitulum revertantur. Ad *Laudes* ſicut aliis diebus pulſetur unum ſignum, factáque oratione ſupra formas pulſentur omnia ſigna. Quibûs ceſſantibûs, incipiant *Matutinas Laudes*. Pſalmi *Dominus regnavit* & reliqui. Primam Antiphoná Hebdomadarius incipiat. Capitulum, *Paulus ſervus Chriſti JEſu*. Sacerdos indutus albâ incenſet Altaria. Preces *Ego dixi Domine* Pſalmum unum *Miſerere mei Deus*. Commemoratio Sanctorum, Prima, Pſalmi, Litania; dicta *Tertia*, & Miſſa matutinali ſignum Capituli diutiùs ſolitô eſt pulſandum, ut cunctîs occupationibûs prætermiſſis, ad initium Capituli omnes conveniant, ut cùm Chriſti Domini noſtri Nativitas pronunciatur, proſternant ſe cuncti in terram. Lector etiam ante Analogium pariter orantes usque dum, qui ordinem tenet, oratione facta erigat ſe. Pronuncietur Evangelium, & ex eo ſermo agatur; poſt *Sextam* factô intervallô pulſetur ſignum, conveniant Fratres in Eccleſiam, orationem communiter faciant, Litania minimè dicatur. Miſſam celebraturi, Sacerdos honorificè, Levita Dalmaticâ, duo Subdiaconi tunicîs, nnus ad Prophetiam, & alter ad Epiſtolam, duo albîs ad Reſponſorium, Cantor Hebdomadarius cappâ, ad Chorum tres Converſi, unus ad thuribnlum, duo ad candelabra, pulſetur claſſicum, ad Canonem ſupra formas proſternantur tabulæ Refectorii coopertæ.

In nocte Dominicæ Nativitatis omnia ſigna primùm pulſentur: ad Invitatorium quatuor Fratres in cappis. In unoquoque Nocturno ad tertiam Lectionem duo Sacerdotes cappîs induti duo Thuribula circumſerant, primò duobus Altaribus majori & matutinali, dehinc Fratribus in Choro ſedentibus. In tertio Nocturno pronuncientur Evangelia hæc *Liber Generationis. Exiit edictum. Paſtores. In principio.* Quibûs expletîs, cum Reſponſoriis ſuis incipiat Domnus Abbas *Te Deum laudamus.* Quô dictô, legat Evangelium *Liber Generationis.* Dicta oratione, incipiat Cantor Antiphonam *O beata Inſantia.* Quam canentes eant ad Altate ſanctæ Mariæ, & ibi dictîs Matutinîs de omnibus Sanctis, vadant in Dormitorium. Deinde pulſetur unum de majoribus ſignis, ſicut pulſari ſolet Skilla in duodecim Lectionibus poſt Capitulum ante matutinalem Miſſam. Tunc Fratres, qui ad Miſſam induendi ſunt, vadant ad locum conſtitutum, ubi ſit optimus ignis à famulis Camerariis præparatus: baccilia * quoque, & manutergia, & aqua calida ad abluendas manus. Hac ſola vice, antequam lavent, pectunt capita ſua. Alio enim tempore priùs lavant, poſtea pectinant. Poſt bæc pergant in Eccleſiam, & ſacta oratione, induant ſe ad celebrandam Miſſam. Sacerdos honotificè, Levita Dalmaticâ, duo Subdiaconi tunicîs, unus ad Prophetiam, & alter ad Epiſtolam; ad Reſponſorium & *Alleluja*, quot Cantor præcceperit, & hi in cappis, tres Converſi, tres Cantores in Choro, ante quos duo candelabra cum cereis accenſis, Inſantes omnes; pulſetur claſſicum, & poſt inchoetur Miſſa. *Gloria in excelſis Deo* & ſequentia canantur. Celebratá Miſsâ exeant Sacerdos, & qui ad Miſſam ſervièrunt, & qui in Choro albîs vel cappîs induti fuerunt: quibûs deveſtitîs, & pulſatîs omnibûs ſignîs, cantent *Matutinas Laudes*. Hîs ita expletîs, factáque commemoratione de ſancta Anaſtaſia, & dictis familiaribus Pſalmis, revertantur ad ſtrata. Apparente autem luce, pulſetur, ùt ſuprà unum de majoribus ſignis. Quô auditô, expeditè ſurgentes omnes, & abluti manus & facies, qui ad Miſſam induendi ſunt, veniant in Oratorium, factáque oratione, induantur, ſicut ad priorem Miſſam. Ad quam Miſſam, antequam incipiatur, pulſetur claſſicum. Expletâ autem Miſsâ, vadant in Dormitorium calciare ſe; poſtea ſolito more loti, & pexi, faciant in Oratorio orationes tres ſolitas, dicta *Tertia* omnes induti cappîs ſaciant Proceſſionem. Ad quam *Tertiam* dicatur Antiphona, *Hodie intacta Virgo*, cùm autem venitur ad locum, ubi dicitur *ipſum adoremus*, ab omnibus flexîs ad terram genibûs ſupplicetur; & hoc ſervetur quotienscunque prædicta Antiphona in Monaſterio cantatur.

Baccilium forte pelvis vernaculè baſſin vel baquet.

Tres ſequentes Feſtivitates, id eſt, beati Stephani, Joannis Apoſtoli, ſanctorum Innocentum unô & eôdem modô celebrentur. Eccleſia hîs tribûs diebûs, ſicut in die Dominicæ Nativitatis ornata permaneat. Pulſentur ſigna, accendantur luminaria, agantur cætera omnia, ſicut in aliis duplicibus, & ſecundæ dignitatis Feſtivitatibus; de quibus poſterius dicendum eſt. Ad *Veſperas* ſuper Pſalmos imponant Antiphonas de ipſis Feſtivitatibus, quibus & quas Cantor præceperit. Transactîs primîs diebûs de ipſis Feſtivitatibus nulla commemoratio fiat, niſi in extremis ipſarum Feſtivitatum diebus; & tonc tantùm tres Lectiones fiant. Per totam hebdomadam Miſſa matutinalis, *Puer natus*; major in quinta die *Dominus dixit*: in craſtino introitus *Puer natus*, & quod ſequitur *de Lux fulgebit*. Hi duo dies agantur, ſicut in privatis duodecim Lectionibus, niſi quòd tres Lectiones fiant. Pronuncientur viciſſim in eis Evangelia Dominicæ Nativitatis. Feſtivitas ſancti Silveſtri agatur, ſicut privata Feſtivitas duodecim Lectionum. Tertium Nocturnum, & *Laudes* de Dominica Nativitate: Officium *dum medium ſilentium*, ante Epiphaniam dicatur. Circumciſio Domini celebretur, ſicut una de tribus ſuperioribus Feſtivitatibus, exceptô, quod Aula Monaſterii non ornatur, quæ quinto Dominicæ Nativitatis die diſparari debet.

In craſtino poſt Circumciſionem Domini incipiat legere Epiſtolas ſancti Pauli. Poſt Nocturna agant Officia Mortuorum, poſtea pulſetur ſignum, cantent *Matutinas Laudes*, & Matutinas de omnibus Sanctis, poſtea revertantur ad lectos. Hôc modô agatur usque ad Octavas Epiphaniæ niſi fuerit Feſtivitas duodecim Lectionum.

In Vigilia Epiphaniæ non jejunetur, Officium ad Miſſam *Lux fulgebit*. Ad *Veſperas* ſuper Pſalmos una Antiphona; *Stella iſta*; in craſtino ad Invitatorium tres in cappis. Proceſſio non agatur ipſa die, niſi dies Dominica ſit. Tunc enim fit in albis ante *Tertiam* per Clauſtrum, Sacerdote eunte per officinas, ſicut mos eſt Dominicîs diebûs. Ad *Veſperas* dicantur Antiphonæ, & Pſalmi usque ad Capitulum, ſicut in die Nativitatis. Ultima Octavarum die agatur totum ſervitium noctis de ipſis Octavis, commemoratio tantùm de ſancto Hilario, & Miſſa matutinalis, *Veſperæ* usque ad Capitulum, ſicut in die Epiphaniæ.

Poſt Octavam die Epiphaniæ inchoentur Reſponſoria de Pſalmis; Pſalmodia verò & cætera omnia agantur nocte, ac die, ſicut ante Nativitatem.

Vigiliâ Purificationis ſanctæ Mariæ dicantur ad *Veſperas*, Antiphonæ *O admirabile*, & reliquæ; Pſalmi, *Dixit Dominus* cum cæteris. Capitulum *Ecce ego mitto Angelum meum*. In craſtino cantica *Populus, qui ambulabat*. Ad *Tertiam* ſint omnino albîs induti. Dictâ *Tertiâ* ponatur ante Altare tapetum, ubi ſupra ponantur candelæ, quas benedicat Sacerdos, aquâ benedictâ aſpergat, & incenſet albâ & ſtolâ indutus. Poſtea Cuſtos dividat eas, ſingulis ſingulas tribuens. Cùm autem cœperint accendi, Cantor incipiat Antiphonam *Lumen ad revelationem*. Quâ dictâ & cum verſibus Cantici *Nunc dimittis*, quantum Cantor ſatis eſſe perſpexerit, repetitâ, exeant ad Proceſſionem, Cantore incipiente Antiphonam *Ave gratia*, & alias, ſi neceſſe fuerit, per majores Monaſterii portas introeant, ante crucifixum Stationem faciant. Finito cantu, quem inceperant, Cantore ſtatim incipiente Antiphonam *Cùm inducerent*, canentes Chorum intrent, pulſentur ſigna & Miſſam celebrent. Poſt refectionem in Clauſtro ſedeant, donec ſervitores de Refectorio exeant, qui cùm exierint & Monaſterium ingreſſi fuerint, pulſentur duo majora ſigna, & canatur *Nona*. Quâ cantatâ, exeat Prior, & ſonet cymbalum, & poſtea vadant in Refectorium. Hanc conſuetudinem habeant usque ad Dominicam Palmarum, exceptis jejuniorum diebus. Hoc die inchoandus eſt Pſalmus *Ad Dominum cùm tribularer*, qui pro Vigilia Mortuorum dicendus eſt, usque ad Calendas Novembris. Ad *Veſperas* Antiphonam *Tecum principium*, Pſalmum *Dixit Dominus*, Antiphonam *Redemptionem*, Pſalmum *Confitebor*, Antiphonam *exortum eſt*, Pſalmum *beatus vir*, Antiphonam *de fructu*, Pſalmum *memento*. Privatîs diebûs poſt *Veſperas* agant Vigiliam Mortuorum, niſi in craſtino ſit Feſtivitas duodecim Lectionum. Poſt Nocturna usque ad quintam Feriam ante Paſcha privatîs diebûs dicant ſolitos duos Pſalmos, cum precibus & Collecta, poſtea *exultabunt Domino*: dehinc Matutinas de omnibus Sanctis; reliqua omnia, ſicut ante Nativitatem Domini.

Dominicâ primâ Septuageſimæ *Alleluja* ex toto dimittatur: loco *Alleluja* per ſingulas horas *laus tibi Domine Rex æternæ gloria* usque ad Paſchalis Vigiliæ *Veſperas* dicatur. Hiſtoria *in principio fecit Deus* canatur; quinque libri Moyſi, & Joſue, & Jodicum, & Ruth ad legendum ponantur Dominicîs diebûs, & cæterîs duodecim Lectionibûs usque ad Paſcha. Capitulum

tulum

tulum ad *Primam Domine miſerere noſtri* dicatur; *Gloria in excelſis Deo*, & *ite Miſſa eſt* usque ad Paſchale Sabbatum minimè dicatur, Dalmaticâ & tunicâ ad Miſſam usque Cœnam Domini minimè induantur, locô earum caſulìs Miniſtri veſtiantur. Ipſo die adipem comedant; deinceps usque ad Paſcha abſtineant.

Feriâ quartâ in Capite jejunii Capitula *convertimini ad me*, & cætera, quæ ſequuntur. Poſt *Sextam* revertantur in Clauſtrum locuturi; cùm tempus fuerit, pulſetur unum de mediocribus ſignis, quô pulſatô, ſtatim ſilentium fiat in Clauſtro. Diſcalcient ſe, & pergant abluere manus, & ſic vadant in Eccleſiam ſine ulla mora, faciántque orationem unam communiter. Quâ factâ pulſentur duo ſigna, inchoante Infante *exſurge Domine*, Pſalmus *Deus auribus noſtris*. Hìs expletìs dicat Sacerdos *Oſtende nobis Domine*. Sequatur *Kyrie eleiſon. Pater noſter*, & *ne nos*, Pſalmus, *Deus miſereatur noſtri*, Capitulum, & *veniant ſuper nos*, Collecta pro peccatis, *exaudi, quæſumus Domine, ſupplicum preces*. Poſt hæc benedicat Sacerdos cineres, ſtolam tantùm habens, & ſparsâ deſuper aquâ benedictâ, mittat cineres ſuper capita Fratrum dicendo: *memento quia cinis es*, & *in cinerem reverteris*. Interim cantetur Antiphona *immutemus* cum Verſibus Pſalmi *Deus miſereatur noſtri* uno aut pluribus, ſi opus fuerit. Hôc factô, exeant ad Proceſſionem cantantes has Antiphonas, *exaudi nos*, *juxta veſtibulum*. Quæ duæ Antiphonæ, id eſt, *exaudi nos* & *juxta veſtibulum*, ad omnes Proceſſiones Quadrageſimæ, quæ quartâ & ſextâ Feriâ fiunt, eodem ordine cantentur. Percantatìs Antiphonìs, incipiant duo Infantes Litaniam. Hoc ordine agatur Proceſſio ſextâ Feriâ, quæ ſequitur Caput jejunii, & quartâ, & ſextâ Feriâ per totam Quadrageſimam usque ad quartam Feriam ante Paſchalem Feſtivitatem; niſi Feſtivitas duodecim Lectionum in ipſis Feriis evenerit. Notandum, quia ſi in Capite jejunii Feſtivitas duodecim Lectionum evenerit, non celebratur ipſa die, ſed differtur in craſtinum.

Dominicâ primâ Quadrageſimæ Invitatorium duo in albis: Poſt *Completorium* ſuſpendatur cortina inter Chorum & Altare. Feriâ ſecundâ ante *Tertiam*, debent eſſe coopertæ crux, coronæ, capſæ, textus, qui imagines de foris habent. Priusquam Fratres intrent Capitulum, Cuſtos librorum debet habere congregatos libros in Capitulo ſuper tapetum extenſum, præter eos, qui præteritô annô ad legendum dati ſunt; illos enim intrantes Capitulum ferre debent, quisque ſuum in manu ſua; de qua re præmoniti eſſe debent à prædicto librorum Cuſtode in Capitulo præcedentis diei; legatur ſententia Regulæ ſancti Benedicti de obſervantia Quadrageſimæ; factô igitur ex ea ſermone, prædictus librorum Cuſtos legat breve, qualiter præteritô annô Fratres habuerunt libros. Cùm verò audièrit unusquisque nomen ſuum pronunciari, reddat librum, qui ad legendum ſibi aliô annô fuerat commendatus; & qui cognoverit, ſe non perlegiſſe librum, quem recipit, proſtratus culpam dicat, & Indulgentiam petat. Iterum prædictus librorum Cuſtos unicuique Fratri alium tribuat ad legendum; diſtributìs per ordinem librìs, præfatus librorum Cuſtos in eodem Capitulo imbreviet nomina librorum, & eos recipientium. Si hac die Feſtivitas duodecim Lectionum evenerit, legantur duæ Lectiones in Capitulo, una de Evangelio, & altera de obſervantia Quadrageſimæ; altera ſtatim legatur poſt alteram; lecta poſteriore Lectione tunc primum dicat Lector *tu autem Domine*; ipſa die incipiant preces *Oremus pro omni gradu Eccleſiæ*; Pſalmos proſtratos, id eſt, ſeptê pœnitentiales, & ſeptem primos graduum, binos quidem unum hinc, & alterum inde, per ſingulas horas usque ad *Veſperas*; ad *Veſperas* verò quatuor cum Capitulis & Collectis pro peccatis, adjungentes in fine, & *ad beneficia recolenda, quibus nos inſtaurare dignatus es, tribue venire gaudentes*. Hac die incipiant abſconſam portare ad ſecundam tantùm Lectionem. Tribûs diebûs, id eſt, ſecundâ Feriâ, quartâ, & ſextâ usque ad Paſcha, nec pulſetur tabula poſt Capitulum, nec loquantur in Clauſtro. Quartâ & ſextâ Feriâ poſt *Sextam*, antequam de Choro exeant, dicant *Deus auribus noſtris*. In his duabus Feriis poſt *Nonam*, ſedeant in Clauſtro, factóque parvô intervallô, pulſet Secretarius unum de mediocribus ſignis; tunc diſcalcient ſe omnes, & lavent manus, veniántque in Chorum, & facta oratione, inchoet Infans Antiphonam *exſurge Domine*, *adjuva nos*. Pulſentur duo ſigna; dicat Sacerdos *oſtende nobis Domine*, ſubſequatur *Kyrie eleiſon. Pater noſter*. Pſalmus quartâ Feriâ *Deus miſereatur noſtri*; ſextâ Feriâ, *Deus in adjutorium meum*. Item Sacerdos & *veniat ſuper nos*; Oratio pro peccatis. Poſtea inchoet Cantor Antiphonam, & eant ad Proceſſionem. Litania ùt ſuprà. Ad hanc Proceſſionem nullus vadat calciatus, niſi Sacerdos & Levita. Si quis pro aliqua infirmitate nudìs pedibûs ire nequiverit, de Proceſſione remaneat. Redeuntes de Proceſſione nullus præſumet ſe calciare ſine licentia. Expletâ Miſsâ, & facta oratione ad *Veſperas* lavent pedes & manus & cantent *Veſperas*.

Si Feſtivitatem celebrari in Quadrageſima contigerit, præcedenti die dum canitur *Agnus Dei*, ad majorem Miſſam colligatur cortina, & auferantur de Choro formæ, quæ auferri ſolent, in duodecim Lectionibus; Miſsâ finitâ agatur Oratio Veſpertina ſicut Sabbato. Poſt Collectam de Feſtivitate dicatur Antiphona de Feria, cum *Gloria Patri*, Pſalmi proſtrati minimè dicantur. Poſt *Veſperas* de omnibus Sanctis canantur *Veſpera* Mortuorum, Vigilia Mortuorum minimè agatur, in die Feſtivitatis poſt Matutina de omnibus Sanctis dicantur Matutina Mortuorum. Poſtea revertantur ad lectos; poſt *Primam*, dictîs conſuetîs Pſalmîs familiaribûs cum Capitulis & Collectis ſuis, dicantur ſeptem Pſalmi cum Litania. Per ſingulas horas usque ad *Veſperas* à *Prima* incipientes, dicant Pſalmũ *inclina Domine* pro his. quos proſtrati dicturi erant. Poſt Capitulum ſedeant in Clauſtro cum ſilentio, usque dum pulſetur ſignum ad *Tertiam*; Infantes quoque poſt Capitulum ſuum deſcendentes de Dormitorio, hoc intervallo in ſchola ſua ſedeant & legant. Totam diem ſolenniter agant, utræque Miſſæ ad majus Altare celebrentur. Ad Miſſam jejunii nec Litania præmittatur, nec ad Canonem ſupra formas curventur. Ad *Veſperas*, niſi in craſtino ſit Feſtivitas duodecim Lectionum, inter ſigna dicant *Deus auribus noſtris*, poſt Collectam Feſtivitatis Collectam de Feria, cum *Gloria Patri*, poſt *Veſperas* de omnibus Sanctis; *Veſperas* pro defunctis; Vigilia Mortuorum ipſa die minimè agatur. Poſt *Completorium* cortina extendatur, & formæ in Chorum referantur.

Sabbatô ad *Veſperas* ante Paſſionem Domini dimittatur oratio de Cruce, nec ad Reſponſoria, nec ad Invitatoria, nec ad Miſſas dicatur *Gloria*, usque ad Paſcha, niſi Miſſa familiaris ſit in Conventu, vel extra Conventum, & niſi Feſtivitatem alicujus Sancti hoc tempore celebrari contingat. Quæ ſi evenerit, & ad Reſponſoria & ad Miſſam dicatur *Gloria Patri* ſicut alio tempore. Hoc tempore legatur Jeremias usque ad Paſcha.

Dominicâ in Palmis ad Invitatorium, duo in albis. Evangelium pronuncietur *cùm appropinquâſſet*, de quo & lectio & ſermo in Capitulo; in quo Capitulo ordinet Abbas vel Prior Proceſſionem, & quid quisque portare debeat, & qualiter ordinatè eant, ac redeant Fratres. Sacerdotes ad privatas Miſſas unam tantùm Collectam dicant. Evangelium *cùm appropinquaſſet*, Paſſionem nullus legat, niſi Frater, qui in formis cantat; Miſſa matutinalis cum una Collecta. Poſt matutinalem Miſſam benedicatur aqua, ad quam ſint omnes albîs induti. Fiat Proceſſio per Clauſtrum, ut mos eſt, omnibûs Dominicîs diebûs. Intrantibus Eccleſiam pulſentur ſigna, & finitô Reſponſoriô, & dictis, quæ dici ſolent Dominicîs diebûs, canatur *Tertia*. Cantatâ *Tertiâ*, legatur Evangelium *turba multa*. Poſtea accedens Abbas, aut Sacerdos, benedicat palmas, & flores, & frondes, ante majus Altare ſupra tapetum poſita, aquâ benedictâ aſpergat, & incenſet: accedentes Secretarii diſtribuant ea, palmas Abbati & Prioribus & perſonis honeſtioribus; flores & frondes cæteris. Interim Cantore incipiente, canatur Antiphona *pueri Hebræorum*, & alia *pueri Hebræorum*. Hîs ita expletîs, proficiſcatur Proceſſio, Cantore incipiente quæ ad hanc Proceſſionem cantari oportet; quâ de Choro exeunte, pulſentur omnia ſigna. Præcedant famuli cum vexillis, ſequatur Converſus * ferens ſitulam cum aqua benedicta; alii duo portantes duas cruces, item duo cum duobus candelabris accensîs deſuper cereîs, alii duo ferentes duo thuribula; igne & thure referta: Quod thus in thuribulo debet ponere, vel Abbas, ſi in Choro eſt, conversîs thuribula & acerram * cum thure deferentibûs, vel ipſe Cantor ſi Abbas deeſt. Ipſe enim diſtribuit, quæ portanda ſunt, & Proceſſionem ordinat. Hos ſequantur duo Subdiaconi, portantes duos textus Evangeliorum. Poſt quos Laici Monachi, deinde Infantes cum Magiſtris; poſt quos cæteri Fratres præcedentes Abbatem, qui ultimus procedit, duo & duo, ſicut ſunt priores. Hæc ſunt, quæ ad hanc Proceſſionem cantanda ſunt, vel omnia, vel quantum permiſerit ſpatium loci, quo ituri ſunt. *Ante ſex dies*; *Cùm appropinquaret*. *Primâ autem azymorum*. *Dominus JEſus*. *Cogitaverunt*, *Cùm audiſſet populus*. *Omnes collaudant*. Cùm autem perventum fuerit ad ipſum locum, fiat ſtatio à toto Conventu Cantore autem incipiente Antiphonam, *Occurrunt turba*, exeant duo Sacerdotes albîs induti, qui portent feretrum, quod parum ante diem ab eisdem Sacerdotibus illuc debet eſſe delatum, in quo & Corpus Chriſti debet eſſe reconditum; ad quod feretrum præcedant ſtatim, qui vexilla portant, & cruces, & cætera, quæ ſuperiùs dicta ſunt. Et ſtantibûs iîs, qui feretrum portant, ſtabunt & ipſi à dextra, & à ſiniſtra ipſius feretri ordinatè, ſicut venerunt. Pueri verò accedentes ſtabunt versîs vultibûs ad ipſas reliquias cum Magiſtris ſuis, & quibusdam Cantoribus, qui auxilio eis eſſe poſſunt. Majores verò verſi erunt ad invicem, eô modô,

* *Converſus i. e. Novitius.*

* *Acerram nunc naviculam apellant.*

quô

Digitized by Google

quô in choro ſtate ſolent. Sic autem ordinetur hæc ſtatio, ut modicum intervallum ſit inter pueros & majorem Conventum. Finitâ Antiphonâ *occurrunt turbæ*, incipiant pueri, & qui cum eis ſunt, Antiphonam *Oſanna Filio David*, flectentes genua, & in principio & in fine Antiphonæ, quia in utroque *Oſanna* dicitut. Quam Antiphonam Chorus repetat, & ſimiliter genua flectat. Deinde à pueris cantetur Antiphona *cum Angelis*, in fine tantùm Antiphonæ genua flectentibus. Quæ Antiphona à Conventu repetatur, & ſimiliter venia accipiatur. Talitet hìs petactìs, Abbate vel Cantore incipiente Antiphonam, *Ave Rex noſter*, tranſeant portitotes ſeretri per medium ſtationis, præcedentibûs iìs, qui vexilla portant, & cætetìs ſuperiùs dictìs portitoribûs, ſervato ab omnibus ordine in tedeundo, quem habuerunt in eundo. Quibûs tranſeuntibûs flectent genua, non ſimul omnes, ſed ſinguli hinc, & inde, ſicut feretrum tranſibit ante eos. Percantatâ hâc Antiphonâ, cantent & alia, ſi ſpatium loci plura popoſcerit; cùm venerint ad portas civitatis, ſtationem ſaciant, ſepatatis ab invicem, ptout locus patietur, utriſque lateribûs, ferettum verò ante introitum portarum ſic ponatut ſupet menſam palliô coopertam, ùt ptædicti portitores ex utroque latere ſtantes, habeant ad feretrum in medio eorum poſitum verſas facies ſuas. Locus vetò ſupet introitum portatum honeſtè debet eſſe paratus cortinis & * dorſalibus. Taliter ordinata ſtatione canant pueri de loco apto, & qui præceptô Cantoris cum eis erunt, *Gloria laus*, & ſimiliter Chorus teſpondeat; pueri, *Iſrael es tu Rex*, & Chorus, *cui puerile decus*; item pueri, *plebs Hebræa tibi*, & Chorus, *cui puerile*. Item pueti *Cætus in excelſis*; & Chorus; *Gloria laus*. Hîc dictìs, inchoet Cantor Reſponſorium, *ingrediente Domino*, & ingtediente civitatem Proceſſione, duo majota ſigna pulſentur, donec cæteta ſigna, Proceſſione intrante in Chorum, pulſentur ad Miſſam. Sic ordinata Ptoceſſio veniens usque ante portas Monaſtetii, ſaciat ſtationem ſervantibûs puerîs ordinem ſuum inter utrumque Chotum. Deponatur iterum feretrum ſuper menſam pallio coopertam; Cantor verò ſic antea inceptum habeat Reſponſorium, *Collegerunt*, ut tunc prope cantatum ſit: Quô cantatô, tres, aut quatuot Fratres induti cappìs, quas Secretarius ibi paratas habeat, canant verſum *unus autem*, ſtantes inter Chorum, & reliquias. Quô finitô, cum regreſſu intrent Eccleſiam Cantore inchoante Antiphonam *Principes ſac*, & aliam *appropinquabat*. Et ingteſſi Eccleſiam ſaciant iterum ſtationem per omnia ſimilem ante crucifixum priùs detectum. Atque ibi à tribus vel quatuot Fratribus cantetur in cappis Reſponſorium *circumdederunt me*. Quô cantatô, incipiat Abbas Reſponſorium *Synagogæ*, & intrent Chorum ſonantibûs ad Miſſam ſignîs, Miſſam celebrent, palmas & ſtondes in manibus habeant, eáſque poſt oblationem panis & vini, Diaconô incipiente, cuncti per ordinem offerant; tabulæ Reſectorii coopertæ ſint. Poſt menſam meridianâ hotâ in lectis ſuis quieſcant. Appropinquante horâ *Nonâ*, pulſet Sectetatius ſignum minus modicè; tunc ſutgant omnes, & lavent manus & facies, & pectant ſe, & pergant in Eccleſiam, ſedeántque in choro. Cùm Infantes loti ſuerint, & ad terſutia ite cœperint, pulſante majus ſignum Secretariò, ſurgant omnes de ſedilibus ſuis, & ingreſſîs Chorum Infantibûs, faciant prius orationem, poſtea cantent *Nonam*: quâ cantatâ, pulſatô cymbalò à Priore, pergant omnes in Refectotium. Talis ordo de meridiana ſervetur tota æſtate, exceptis jejuniorum diebus, usque ad Calendas Octobris.

* *Aulæis ſeu tapetibus.*

Feriâ tettiâ radendi ſunt Fratres in Clauſtro ſimul ipſa die, & in craſtino debent eſſe balnea præparata. Quæ, quo ordine fiant, & quomodo illuc Ftatres ite, & qualitet ibi ſe habere debeant, ſuperiùs dictum eſt, cùm ſermo eſſet de balneis ante Chtiſti Nativitatem ptæparandis.

Feriâ quattâ non agatur Proceſſio; cætera agantur more ſolito usque ad *Veſperas*; ante *Veſperas* non dicantut Pſalmi *Deus auribus noſtris*, pulſentur ſigna ſicut in Feſtis diebus, Reſponſorium *circumdederunt me*. Hebdomadatius canat preces *ego dixi Domine*: Pſalmus ad pteces ſolummodò *miſerere mei Deus*. Pſalmi ptoſtrati non dicantur. Poſt *Veſperas* de omnibus Sanctis, dicantur *Veſperæ* pro Deſunctis, Officium Mottuorum, quod poſt menſam dici ſolet, non dicatur. Hymnus ad *Completorium te lucis ante terminum*, qui ſimiliter dicendus eſt omnibus diebus usque ad Calendas Novembris. Poſt *Completorium* cottina deponatur.

Feriâ quintâ tot candelæ accendantur ante Altare, quot Antiphonas & quot Reſponſoria cantari oportet. Finitîs tribûs orationibûs, ſedentes pſallant ſinguli ſilenter quindecim Pſalmos absque *Gloria Patri*, cum Capitulis, & Collectis conſuetis: ad *Pater noſter* proſtetnant ſe ſupet formas, & Abbate ſignum ſaciente, ſurgant; inter pſallendum, & ante Nocturnum pulſentur ſigna, ſicut in duodecim

decim Lectionibus; pulſatîs omnibus ſignîs inchoet Hebdomadarius Antiphonam *Zelus domûs tuæ.* Cùm incipiunt Pſalmum, petant veniam ſuper formas, & ad *Matutinas Laudes* ſimiliter. Per ſingulas Antiphonas & ſingula Reſponſoria extinguantur ſingulæ candelæ: Lectiones ſine *jube Domne*, vel *tu autem* legantur. Primæ tres de Lamentationibus Jeremiæ ſine cantu, & Alphabetis præſcriptis. In ſecundo Nocturno, de expoſitione Pſalmi; *exaudi Deus orationem meam, cùm deprecor.* In tertio de Epiſtola Pauli; *Convenientibus vobis*, Antiphonæ omnes, & Verſiculi absque melodia. In *Matutinis Laudibus* cùm incipiunt Pſalmum, *laudate Dominum*, vadant Magiſtri inter Infantes, qui & verſi ſunt ad priores, ſicut & ipſi Infantes; juvenes verò, qui in cuſtodia ſunt, mixtim ſint in ordine Seniorum. Candelæ extinguantur in toto Munaſterio præter unam, quæ in Choro ardeat; quæ & ipſa Cantore incipiente Antiphonam *Traditor autem*, extinguatur; finitâ Antiphonâ, curventur ſuper formas ſub ſilentio dicentes *Kyrie eleiſon: Pater noſter*, preces, *ego dixi, Domine:* Pſalmum, *miſerere mei Deus*, ſolùm ſine *Gloria Patri*; Collectam, *reſpice quæſumns Domine*; ſignóque facto ab Abbate vel Priore, ſurgentes inclinent, ſicut ſolent, ante & retro; & ſtet unusquisque in loco ſuo, usquequo Magiſter Infantûm laternas accenſas in Chorum deſerat, & ipſis Infantibus tribuar. Secretarins quoque accendat lumen ante Altare, unde juvenes laternas ſuas accendant. Hìs ita peractìs, revertantur omnes ad lectos ſuos; luceſcente die, ita ut pueri & juvenes ſine laternis poſſint exire, pulſetur à Secretario parvulum ſignum modicè. Statim ſurgentes Fratres calcient ſe nocturnalibûs ſuîs, & ſic veniant in Chorum, curvantes ſe ſuper formas in ordine ſuo, quousque Infantes veniant: qui dum venerint, peracta oratione, factóque ſignô ab Abbate, ſurgentes ſtatim incipient Hymnum; *jam lucis orto ſidere*; absque *Deo Patri ſit gloria.* Et inchoatâ Antiphonâ, dicantur regulares Pſalmi, & *quicunque vult* ſine *Gloria Patri*, finitâ Antiphonâ, curvati ſuper formas, dicat unusquisque apud ſe in ſilentio *Kyrie eleiſon*, *Pater noſter*, *Credo in Deum* preces usque ad confeſſionem, factóque ſignô ab Abbate, dicatur confeſſio; deinde ſilenter, quæ ſequuntur, dicant *converte nos*, & cætera *miſerere mei Deus* ſine *Gloria*, Collectam *Domine Deus, qui ad principium.* Poſt hæc dicantur in alto ſeptem Pſalmi absque *Gloria* cum ſolita Litania: deinde ſedeant in Clauſtro usque *Tertiam.* Cùm tempus *Tertiæ* fuerit, ſonet Secretarius minimum ſignum, ſicut aliîs diebûs: tunc pergant Fratres ſe calciare, & cætera ſicut aliîs diebûs fieri ſolet, pulſatô ad *Tertiam* ſignû, factîs tribûs orationibûs. Pulſatô aliô ſignû, inchoet ſtatim Infans Hymnum *Dei fide quâ vivimus*, ſed non dicatur ultimus Verſus *Gloria tibi Trinitas*; & pronunciatâ Antiphonâ, dicantur Pſalmi Regulares à beato Benedicto inſtituti ſine *Gloria*; dictîs Pſalmîs & percantatâ Antiphonâ, curvati ſupra formas dicant in ſilentio *Kyrie eleiſon*, & cætera quæ ſequuntur; Collecta, *reſpice quæſumus, Domine.* Poſt hæc pulſetur ſolitum ſignum ad Capitulum, lectio ſine *Jube Domne*, Verſus in ſilentio dicatur, legatur ſententia de Regula S. Benedicti ſine *tu autem*; factóque ex ea ſermone, correctîs, quæ corrigi oportet, dicantur conſuetudines, quæ agendæ ſunt ab ipſo Capitulo, usque ad craſtinum Capitutum; dehinc ordinentur, quæ ad ſervitium totius diei ordinanda ſunt. Quibûs ordinatìs, ſurgant canentes altè *verba mea*, ſi deſunctum, aut breve pro deſuncto habent. In ſilentio autem dicant *Pater noſter*; *A porta inferi*: *Abſolve Domine*; pulſatâ tabulâ loquantur in Clauſtro; cùm tempus fuerit, pulſetur ſignum ad *Sextam*, & facta oratione, pulſatoque aliô ſignô, inchoet Infans Hymnum, & cætera, ſicut fecerunt ad *Tertiam*; dehinc pulſatû ſignô, loquantur iterum in Clauſtro. Tunc Secretarius pulſet parum ſignum minimum, ſicut in duodecim Lectionibus ante matutinalem Miſſam; celebretur tunc ab Hebdomadario minoris Miſſæ Miſſa pauperibus, qui mandato intereſſe debent, ducente eos Fratre eleemoſynario cooperantibûs cæterîs Fratribûs, quibus injunctum fuerit; expletâ Miſsâ, communicet Sacerdos ipſos pauperes de oblatis non conſecratis, ſignô tantùm ſanctæ Crucis in nomine Domini ſuper eos facto; dehinc ducantur ad reficiendum: hîs actîs, pulſatô ſignô ad *Nouam*, facta oratione, pulſatôque aliô ſignô, canatur *Nona*, ùt *Tertia* & *Sexta.* Quâ cantatâ, Induantur Infantes, & qui Miſſam ſunt celebraturi, Sacerdus ſcilicet, vel Abbas honorificè, Diaconus Dalmaticâ, Subdiaconus tunicâ, duo ad Reſponſorium, tres Converſi ad candelabra, & ad thuribulum. Interim auferantur formæ de Choro, quæ auferri ſolent. Pulſentur ſigna, ſicut in Feſtivis diebus; Cantor Hebdomadarius Chorum teneat in cappa, Miſſa Feſtivè celebretur, *Gloria in excelſis Deo* minimè dicatur, niſi Epiſcopus Miſſam celebret, & chriſma faciat, nec etiam in fine Miſſæ *ite, Miſſa eſt* dicitur. Tot hoſtiæ ponantur ad ſacrandum, quot ſufficere poſſint ipſo die, & in craſtino ad communicandum. Quatuor hîs diebûs nullus à cōmunione ſe ſubtrahat, niſi ſubtrahendi

ratio-

rationabilis cauſa exiſtat. Celebratâ ferè Miſsâ, reportentur in Chorum formæ; pulſetur tabula ad *Veſperas*. Expletâ Miſsâ, fiat oratio veſpertina ſupra formas: interea Sacerdos, præcedente Proceſſione, cum qua ad Altare venit, vadat ad locum conſtitutum, decentiſſimè præparatum, ibique reponat corpus Domini, incenſatô ipsô locô, & ante repoſitionem & poſt repoſitionem; ante quem locum lumen continuè ardeat. Quô completô, vadant in Refectorium, faciant ante & retro ante ſedilia ſua, & conſidentes ſumant mixtum de pane tantùm & potu, quem ſuper juſtitias ſuas à Refectorariis in ſcyphis poſitum invenerint. Dum hæc aguntur, Cellerarius, & Eleemoſynarius, & cæteri, quibus injunctum fuerit, introducant pauperes in clauſtrum, & faciant eos ordinatè ſedere juxta alterum. Qui pauperes, priusquam clauſtrum introeant, pedes ſuos abluere debent aquâ calidâ, à Camerariis miniſtratâ. Omnia verò in locis convenientibus debent eſſe præparata, quæ ad mandatum opus ſunt neceſſaria, ſcilicet aqua calida à Camerariis in vaſis idoneis parata; alia quoque vaſa, ac terſoria ad pedes, manutergia ad manus, à Cellerario ſcyphi, & potus, & ſi quæ ſunt hujusmodi, præſto ſint ad ſerviendum, famuli Camerarii, & aliorum miniſtrorum, qui ad hoc ſunt idonei. Qui priùs per eos, quibus juſſum fuerit, bene debent eſſe inſtructi, qualiter eos ſervire oporteat. His ita ordinatis, cùm viſum fuerit Abbati, ſurgant. Reliqui quoque Fratres ſurgentes ante & retro inclinent. Egreſſi Refectorium Infantes divertant cum Magiſtris ſuis in ſcholam ſuam, ibique ſtent mixtim cum Magiſtris ſuis ante pauperes ſuos: reliqui quoque Fratres veniant ante pauperes ſuos, & ſtent ordinatè ante eos, ſicut ſunt priores ſinguli ante ſingulos; Abbas verò duos habeat. Tunc Prior juſſu Abbatis percutiat tabulam tribûs ictibûs, & inclinantes ſe flexîs ad terram genibûs, adorent Chriſtum in pauperibus; Abbas vel Cantor incipiat Antiphonam *Dominus JEſus*, & alia, quæ conveniunt. Singuli ſingulis abluant pedes, tergant & oſculentur ore & oculis; ablutis cunctorum pauperum pedibus, duo ex Fratribus, quibus juſſum fuerit, miniſtrent Abbati, unus aquam, & alter manutergium; famuli autem reliquis Fratribus; poſtea accipient Abbas baccilia, & manutergium à Fratribus, qui ei ſervierunt, reliqui Fratres à famulis, ſerviant & ipſi pauperibus: à quibus ſubſequentes Fratres accipientes, miniſtrent & ipſi per ordinem. Quô peractô, ſupradicti ſervitores miniſtrent Abbati, & reliquis Fratribus ſcyphos cum potu. Tum Prior percutiat tabulam tribûs ictibûs, & dicatur ab omnibus moderata voce *benedicite*, & data benedictione, tribuant potum pauperibus, oſculantes eorum manus, & receptis ſcyphis, dent ſinguli ſingulis pauperibus duodenarios, aut quot Abbas præceperit, iterum oſculantes eorum manus. Ipſos denarios dare debent Fratribus Cellerarius, aut Camerarius, ſecundùm quod Abbati viſum fuerit; Fratres, qui eô annô defuncti ſunt, ſuos pauperes ad hoc mandatum habere debent; ſimiliter & familiares illi, pro quibus unus in hoc mandato pauperes debere poni Abbas decreverit. Quibus pauperibus ſuprà dictô modô ſerviant Fratres, quibus injunctum fuerit: alter nullus præſumat. Quamdiu ad hoc mandatũ cantant, id eſt, dum pauperũ pedes ac manus lavantur, ſedere poſſunt, qui volunt, eô tamen modô, quô ſedetur in Choro, unô ſcilicet ſedente inter duos ſtantes. Dum tamen propinatur potus, ſedere poſſunt omnes, quicunque volunt, alter juxta alterum, non obſervatô illô ſtandi vel ſedendi ordine: inter hæc Secretarius obſervare debet congrua intervalla, quibus tabulam ad *Veſperas* pulſare debeat; ſemel videlicet lotîs pedibûs, & ſemel lotîs manibûs. Propinato omnibus potu, reverſîs ſingulis in loca ſua, Prior ter percutiat tabulam. Tunc Abbas vel Sacerdos mediocri voce dicat Capitulum *oſtende nobis Domine*. Fratres omnes flexis ad terram genibus reſpondeant, *& ſalutare tuum da nobis*: dehinc inclinati ſuper genua ſua tantùm dicant *Kyrie eleiſon*, *Pater noſter*, Abbas vel Sacerdos dicat mediocri voce *& ne nos*; *ſuſcepimus, Deus, miſericordiam tuam, in medio templi tui; Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis. Domine, exaudi orationem meam; Et clamor meus ad te veniat; Dominus vobiſcum; Oremus: Adeſto, Domine JEſu Chriſte, officio noſtra ſervitutis, & quia tu pedes lavare dignatus es tuis diſcipulis, ne deſpicias opera manuum tuarum, qua nobis retinenda mandaſti; ſed ſicut his exteriora abluuntur inquinamenta corporum, ſic à te omnia noſtra interiora laventur peccata; quod ipſe praſtare digneris.* Ad cujus finem omnes reſpondentes *Amen*; & inclinantes ſe ante & retro, vadant ad Eccleſiam, mediocri voce canentes Pſalmum *miſerere mei, Deus.* Interim Secretarius & aliqui Fratres ſecum percutiant tabulas gradatim, eôque modo atque ordine, quô ſigna pulſari ſolent in feſtivis diebus: dictô Pſalmô, & Fratribûs in ordine ſuo in Choro ſtantibûs, ſtatim puer incipiat Antiphonam *Calicem ſalutaris*; ad cujus inchoationem petitur venia ab omnibus ſupra

ſupra formas; dictô Pſalmô *Magnificat*, & repetitâ Antiphonâ ſine finis melodia, curvati ſupra formas dicant in ſilentio: *Kyrie eleiſon*, *Pater noſter*; preces, *ego dixi*, *Domine*, Pſalmum, *miſerere mei*, *Deus*, Collectam *proſp ce*, *quæſumus*, *Domine*. Si aliquis de foris veniens benedictionem petierit, omnibûs horis accipiat ipſô die, quo venerit: hìs tribûs diebûs tabulæ Refectorii coopertæ ſint: ad cymbalum & ſuper tabulam Abbatis ponantur tabulæ cum malleolis, Verſus ad Benedictiones in Refectorio, & *miſerere mei*, *Deus*, poſt menſam humili voce dicantur: Lector ſine petita benedictione legat, & ſine *tu autem*, *Domine*, terminet. Interim dum Fratres ſunt in Refectorio, Secretarii diſcoôperiant omnia Altaria, & parent duo analogia, unum quod in Capitulo eſt, & alterum in Monaſterio, quod ante collationem in Refectorium deportetur; poſtquam Fratres à menſa ſurrexerint, & de Monaſterio, ac Dormitorio ſolito more redierint, lavent ſibi pedes, ùt Sabbatò fieri ſolet; præparentur cuncta, quæ ad mandatum ſunt neceſſaria. Refectis ſervitoribus, & pedibus ablutis, pulſetur tabula, & ad bibendum in Refectorium vadant; poſt hæc egreſſis Fratribûs de Refectorio, Prior Clauſtri, jubente Abbate, percutiat tabulam ad mandatum. Introgreſſis in Capitulum Fratribûs, Priore Clauſtri ſedente in loco Abbatis, præcingant ſe linteis Abbas & Prior, & inchoante Priore Clauſtri Antiphonam *Dominus Jeſus*: veniant in Capitulum, Abbas ad dextram, & Prior ad ſiniſtram, ſequentibûs eos Fratribûs, qui ad ſervitium eorum ipſa die in Capitulo fuerint ordinati; & utrique, flexis genibûs, lavent pedes Fratrum, & tergant, & oſculentur. Camerarii præſtò eſſe debent, qui madefactis terſoriis, alia miniſtrent, quotiens opus fuerit: lotis omnium, qui in Capitulo ſunt, pedibûs, ſedeant foris ante Capitulum Prior, & prædicti ſervitores cum eo. Quorum pedes præcinctus terſoriô Abbas flexis genibûs, abluat, & tergat, & oſculetur, ſervientibûs ſibi Fratribûs ad hoc obſequium deputatìs. Poſt hæc redeat Abbas in ſedem ſuam, ad quem Prior præcinctus terſoriô veniens cum Fratribus ſibi deputatis, lavet pedes ejus, & tergat, & oſculetur, & ablutis pedibus ſuis, ſtatim deferat ſibi aquam ad abluendas manus, uno eorum, qui ſibi ſervierunt, tenente manutergium: deinde, redeunte Priore Clauſtri in locum Abbatis, exeat Abbas, & accipientes ipſe & Prior baccilia cum aqua, & manutergia, duo Fratres, qui de coquina ipſâ ſeptimanâ ſerviunt, qui inter cæteros adjutores ad hujus mandati obſequium ordinari debent, ſerviant omnibus ad abluendas manus, ſicut ſerviunt ad abluendos pedes. His expletis, exeat Abbas & Prior, & ſervitores eorum, & ante Capitulum præbeat eis Abbas aquam ad abluendas manus, tenente manutergium uno eorum Fratrum, qui ad hoc obſequium ei deputati ſunt. Quô peractô præcedens Abbas, & cæteri ſequentes eum, introeant Capitulum, & faciant ante & retro, ſicut ſolet fieri die Sabbati ab eis, qui mandatum fecerunt. Poſtea pergat Abbas ad ſedem ſuam, ſurgente Conventu, donec ſedeat; reliqui ſimiliter ad loca ſua; ceſſante autem cantu, & Secretario percutiente tabulam ad collationem, qui petitâ licentiâ ad eam percutiendam perrexit, horâ congruâ ingrediatur Diaconus Capitulum, qui poſt manuum ſuarum ablutionem ad ſe præparandum ibit albâ, & ſtolâ, & Dalmaticâ indutus, textum Evangelii portans, præcedentibûs tribûs Converſis, portantibus candelabra, & thuribulum igne & thure refertum: ipſe enim Diaconus, antequam exeat de Monaſterio, ponere debet thus in ipſo thuribulo; quibûs ingredientibûs Capitulum, totus Conventus aſſurget ſtans, donec unus Verſus de Evangelico ſermone perlectus eſt; cùm autem tempus eſſe perſpexerit; innuat Abbas Priori, ut vadat percutere tabulam; & cùm audierit Prior à Diacono, *ſurgite*, *eamus hinc*, percutiat tabulam, ſicut ſolet percuti cymbalum: quod dum fit, ſurgant omnes, ac præcedente Diacono cum textu, & Converſis cum candelabris & thuribulo; ſequatur Conventus in Refectorium, ſicut fit in Sabbato ad charitatem. Ibi Secretarius habeat anologium de Eccleſia paratum, impoſitóque deſuper textu, iterum mittat Diaconus thus in thuribulum, & incenſer analogium & textum. Et ſedente majore Priore in loco Abbatis, ad ejus nutum incipiat Diaconus Lectionem ab eo loco, ubi dimiſerit; & percutiente Refectorario tabulam uno ictu, Abbas & Fratres, qui ad pedes lavandos ipſius adjutores extiterant, vadant ad locum, ubi potus charitatis paratus eſt, ferentes vitreas phialas, aut ſcyphos Fratrum in manibus ſuis. Et acceptô vinô in prædictis vaſis, tacente lectore, præcedant ad gradum, ſicut mos eſt: Refectorarius verò ex quo, accepto potu, incipiunt ire, paulatim percutiat tabulam ſuam, quouſque ad gradum perveniant. Quô cùm pervenerint, ter aut quater feſtinantius percutiat, & ceſſet. Tunc omnibus humili voce dicentibus *Benedicite*, Sacerdos Hebdomadarius ſurgat, & eadem voce benedictionem faciat. Benedictione facta, porrigat Abbas Priori potum, & reli-

reliquis, ſicut ſunt priores; oſculans eorum manus, miniſtrantibûs ei Fratribûs, qui cum ipſo potum ad gradum detulerunt: miniſtrato potu majoribus & Infantibus; poſt majores accedat Abbas ad Diaconum, qui collationem legit, & expectato fine incepti Verſus, præbeat ei potum; dehinc tribus illis, qui de candelabris & thuribulo ſerviunt, ſervitoribûs Abbatis candelabra & thuribulum interim tenentibûs: qui & ſcyphos à Diacono & ab eis recipientes, portent ad tabulam Abbatis, & ſuper eam ponant. His actîs, prædicti ſervitores Abbatis, qui cum eo potum ad gradum detulerunt, ante ipſum gradum ſimul veniant, & ante & retro faciant, & poſtea ſeſſum vadant: quibus Abbas ſimiliter potum ferat, oſculans eorum manus, miniſtrantibûs illi Fratribûs illîs, qui ei ad lavandos pedes Prioris, & ipſorum ſervitorum miniſtraverunt; hôc factò, Abbas ad ſedem ſuam vadat, & ante eam ante & retro faciat, aſſurgente ſibi Conventu, donec ſedeat. Prior verò ſurgens porrigat illi potum, oſculans ejus manum: lecto ſermone, quantùm Abbati viſum fuerit, innuente eo, Diaconus Lectionem absque *tu autem, Domine*, finiat, & clausò librô, ante & retro faciat, & poſtea Dalmaticam, & ſtolam, & manipulum ſupra analogium ponat; Converſi verò candelabra, & thuribulum ſuper menſam Abbatis ferant, & ante ipſam menſam ante & retro faciant. Poſt hæc & Diaconus, & Converſi, ad ipſam menſam ſedentes, bibant, Diaconus juxta Abbatem, Converſi juxta Diaconum, ſicut ſunt priores; Abbas verò, lecto ſermone, ſtatim percutiat uno ictu tabulam, & poſtea tot vicibûs, quot vicibûs Skillam percuti conſuetudo eſt Sabbatô ad charitatem poſt mandatum. Interim duo Secretarii ſurgant, & analogium & Dalmaticam, cum textu, & ſtolâ, & manipulô, ad Monaſterium ferant. Poſt hæc Abbas ſurgat, & humili voce dicat *adjutorium noſtrum in nomine Domini*, & eadem voce Conventus reſpondeat, *qui fecit cœlum & terram*: deinde præcedente Diacono cum Converſis candelabra & thuribulum portantibus, ſequatur Conventus ad Monaſterium, Secretario percutiente tabulam ad *Completorium*, & facta confeſſione, dicant *Completorium* bini aut terni ſub ſilentio. Poſt *Completorium* tres orationes, ſolito more, faciant; Prior tabulam percutiat tribûs ictibûs poſt orationes Infantûm, ſicut Skillam pulſare ſolet. Notandum eſt autem in hujus diei obſequio, quia ſi Abbas ſufficere valet, omnium Fratrum pedes ſolus in hac die lavare debet, teſtante enim beato Benedicto, vices Chriſti agit in Monaſterio, & maximè in hoc miniſterio.

Feriâ ſextâ ante Nocturna pulſetur tabula in Clauſtro, & ante Cellarium, & ante domum infirmorum, ad excitandos dormientes. Poſt orationes ſolitas, ſicut in quinta Feriâ, quindecim Pſalmi dicantur, candelæ extinguantur, Lectiones in primo & ſecundo Nocturno legantur, unde lectæ ſunt in quinta Feria. In tertio Nocturno de Epiſtola ad Hebræos *Fratres feſtinemus ingredi*; & cætera omnia usque ad *Primam*, ſicut in quinta Feria. Ad *Primam*, pulſata tabula, ſurgentes nudîs pedibûs vadant ad Monaſterium, & ſic maneant omnes, donec impleatur diei officium, niſi juſſu Abbatis calcientur pro nimia aſperitate frigoris; quod ſi evenerit, officio tantum intererunt nudîs pedibûs. *Primam* & omnes horas diei, præter *Veſperas*, usque ad *Veſperas* Sabbati dicant, ſicut in quinta Feria, exceptô quod in quinta Feria in alto cantantur Hymni, intonantur Pſalmi, cantantur Antiphonæ; in his verò duobus diebus hæc omnia in ſilentio & in directum dicuntur; dictâ *Primâ* ſeptem Pſalmos & Litaniam in alto dicant: poſtea ſedeant omnes in Clauſtro, & inchoante Abbate, dicant Pſalterium ex integro; quò completô, vadant ad confeſſionem qui voluerint, usque ad horam officii. Appropinquante horâ *Tertiâ*, pulſatâ tabula, ſicut ſolent, pergant in Dormitorium: dehinc abluti & pectinati, pulſatâ tabulâ, vadant ad Monaſterium, & factîs ſolitîs orationibûs dicant *Tertiam*. Poſt *Tertiam*, pulſatâ tabulâ, pergant in Capitulum: in quo Verſus in ſilentio dicatur, & ſententia, ſicut in quinta Feria de Regula legatur. Poſt ſermonem narrentur, & ordinentur, quæ agenda ſunt usque ad craſtinum Capitulum, exeuntes de Capitulo ſedeant in Clauſtro non loquentes, ſed cantantes aut legentes; dicta *Nona* induantur Sacerdos, & Levita, & reliqui, qui ad officium ſunt ſerviturі: procedant ad Altare Sacerdos & Levita ſoli, Sacerdos in caſula, Diaconus in ſtola, nulláque præmiſſa ſupplicatione dicat Sacerdos, *Oremus*; & Diaconus, *flectamus genua*; & ad alteram Collectam ſimiliter. Altare ſit coopertum deſuper uno tantum linteamine, ſingulos tractus duo in albis canant; Paſſio absque *Dominus vobiſcum* legatur; ad quam nec candelabrum, nec thuribulum deſertur; & cum perventum fuerit ad locum, ubi dicitur *partiti ſunt veſtimenta mea ſibi*, ſint duo de indutis juxta Altare, hinc & inde trahentes ad ſe duos pannos, qui ante officium ſuper Altare miſſi fuerant, linteo tamen remanente ſub-

ſubtus miſſale ; lectâ Paſſione, dicantur orationes ſulennes, ſicut in miſſali continentur. Pro cunctis Ordinibus flectantur genua, niſi pro Judæis. Hîs expletîs, depoſitâ caſulâ, & ſtolîs, revertantur Sacerdos & Levita in Chorum in albis. Tunc duo Sacerdotes, quibus Cantor juſſerit, induti albîs, accedant ad Crucem, quæ debet eſſe præparata, & cooperta ad Altare matutinale, quam accipientes, ferant eam paulatim progredientes, & cantantes Verſus *popule meus*; duo Levitæ in albis, ſtantes ante gradus ante Altare majus, reſpondeant *Αγιος, ὁ Θεὸς*, Chorus autem dicat *Sanctus Deus* : tunc Sacerdotes, *quia eduxi vos*; Levitæ *Αγιος*; Chorus, *Sanctus*, Sacerdotes, *quid ultra?* Levita *Ἅγιος*; Chorus, *Sanctus*. Tunc Sacerdotes, crucem ferentes, veniant ante Altare, & cùm finiêrint *Sanctus*, ſtatim diſcooperientes eam incipiant ambo Antiphonam *ecce lignum*; & tunc demum omnes flectant genua. Repetatur Antiphona cum Verſibus Pſalmi *beati immaculati*, quantùm Cantori viſum fuerit : dehinc canantur alia ad hoc ſervitium pertinentia, quantum opus fuerit ; tapetia ſint extenſa ante Altare, ſuper quæ proſternantur primum Domnus Abbas, & induti, interim in locum eorum, qui tenent crucem, ſuccedentibûs aliis ; deinde cæteri, ſicut eſt ordo eorum. Et non prolixè adorantes, jaceant, ſed breviter & purè orantes : poſtea unusquisque oſculetur pedes crucifixi, & poſt revertatur in Chorum ; quòd ſi convenerint aliqui, vel Clerici vel Laici, volentes adorare crucem, portetur eis crux in alium locum, ubi aptiùs adorent eam, quæ, ſi per Chorum tranſiêrit, flexis ad terram genibus adoretur à Fratribus, non ſimul omnibus, ſed ſicut portabitur coram eis. Adoratâ ab omnibus cruce, portitores ejus elevantes eam, incipiant Antiphonam *ſuper omnia ligna cedrorum*, & ſic vadant ad locum, ubi eam collocare debent ; tunc omnes petant veniam, flexîs ad terram genibûs. Hîs ita geſtîs, Sacerdos reſumptâ caſulâ cum ſtola, & Diaconus ſtola, præcedentibûs Converſîs cum candelabris & thuribulo, vadant ad locum, ubi quintâ Feriâ corpus Domini fuit repoſitum : & poſito incenſo in thuribulo, incenſet illud, & ſic tradat Diacono ad reportandum. In eundo & redeundo Converſos ſequatur Diaconus, Sacerdos extremus veniat. Cùm appropinquant Altari, adorent omnes Fratres, flexîs genibûs, corpus Domini : collocato ſuper Altare Chriſti corpore, facta in calice vini & aquæ commixtione, dicta à Sacerdote cum Diacono confeſſione, facta ſupplici- ter à Sacerdote ad Altare oratione, incenſet Sacerdos corpus Chriſti, & calicem ; deinde dicat, mediocri voce, *oremus, præceptis ſalutaribus*, & cætera, usque & *ne nos inducas in tentationem* ; & Chorus Reſpondeat : *Sed libera nos à malo* ; dehinc Sacerdos in ſilentio, *Libera nos, quæſumus, Domine*, & cætera, usque *In unitate Spiritus ſancti Deus* ; & poſt moderata voce, *Per omnia ſæcula ſæculorum*, & reſpondente Choro *Amen*, nihil ampliùs dicat ; miſsâque in calicem, ſicut ſolet, particulâ Dominici corporis, communicet ſe, & Fratres omnes ſine oſculo pacis. Communicatîs omnibûs, pulſetur tabula, & fiat oratio Veſpertina ; quâ Completâ, exeant in Clauſtrum, & lavent pedes de aqua calida, calcient ſe diurnalibûs ſuîs. Poſteà, pulſatis tabulis, redeuntes in Chorum, dicant *Veſperas* in ſilentio, eisdem, ſicut in quinta Feria, Pſalmis, Antiphonis, precibus, Collectis, niſi quod pro Pſalmo *Voce mea*, qui dictus eſt quintâ feriâ, hac die dicitur Pſalmus *Benedictus Dominus Deus meus*. Dictîs *Veſperis* & pulſatâ tabulâ, eant in Refectorium, ubi reficiantur pane tantùm & aquâ, & herbîs crudîs : cibi Fratrum coquantur in coquina, ſicut cætêris diebus, & inde portentur ad eleemoſynam : ſolitus quoque potus detur pauperibus ; reficiente Conventu Secretarii adjunctis ſibi Sacerdotibus, quot neceſſarii fuerint, & quibus juſſum fuerit, remaneant in Eccleſia, ad abluenda Altaria omnia, quæ prius lavanda ſunt aquâ, deinde vinô ; refectîs ſervitoribûs, poſtquam de Monaſterio & Dormitorio in Clauſtrum redièrint, pulſatâ tabulâ, Fratres eant in Refectorium propter ſervandum ordinem, quaſi ad bibendum, & bibant aquam, qui voluerint, alium potum minimè ; illîs exeuntibûs de Refectorio, & in Clauſtro reſidentibûs, factô congruô intervallô, pulſetur tabula, & vadant omnes ad collationem ; A qua jubente Abbate, percuſsâ à Priore tabulâ, ſurgentes pergant in Refectorium ad charitatem bibendam.

Sabbatô ſanctô percutiatur tabula ante Nocturna ſicut in ſexta Feria, & cætera ſimiliter fiant, usque ad *Primam* ; in tertio Nocturno legatur de Epiſtola Pauli Apoſtoli, *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum.* Ad *Primam* ſurgant in nocturnalibus ſuis ; *Primam*, & ſeptem Pſalmos, & Litaniam, & cæteras horas, usque ad *Veſperas* dicant, ſicut in ſexta Feria ; in Capitulo legatur ſententia de Regula ſancti Benedicti, & diſponantur, quæ agenda ſunt, usque ad Paſchale Capitulum ; ante Capitulum & poſt Capitulum debent Secretarii Monaſterium & omnia Altaria ornare, cercos, ubicunque

eſſe

eſſe debent, collocare, cereum ad benedicendum in loco ſuo ſtabilire; in quo à Cantore ſcribi debet, quotus annus ille ſit ab Incarnatione Domini, & crux deſignari infixis in quinque locis quinque granis incenſi; poſt *Nonam* induantur, qui officium ſunt celebraturi, & ad officium ſpecialiter ſervituri, & Infantes omnes, Sacerdos albâ, & ſtolâ, cæteri albis induti, in Chorum redeant. Dehinc procedant ad ſacrandum ignem, canentes Pſalmum quinquageſimum; primus omnium Secretarius, qui haſtam portat, in qua ſacratum ignem reportet. De hinc portitor aquæ benedictæ: poſt hos, qui portant crucem, & thuribulum: dehinc Sacerdos, qui ignem ſacraturus eſt: poſt quem Infantes; dehinc reliqui induti; poſt quos alii Fratres, ſicut procedunt in Dominicis diebus; ſacrato igne, projiciat Sacerdos aquam benedictam ſuper eum, & poſtea ex carbonibus ipſius ignis impleatur thuribulum; quo impletô, imponat Sacerdos thus, & incenſet ignem; tunc accendatur cereus; quem portare in haſta debet Secretarius; accendatur & candela in laterna, ut ſi fortè in eundo extinguatur cereus, ex ea accendatur; hanc laternam portare debet unus de Magiſtris puerorum. Ad hanc Proceſſionem candelabra non portantur: eundem ordinem ſervent in redeundo, quem habuerunt in eundo. Revertentes dicant hos Pſalmos *Deus in nomine tuo: Miſerere mei Deus, miſerere mei: Deus in adjutorium*: in ſede Epiſcopali canatur à duobus pueris Hymnus, *Inventor rutili*. Ignis ſanctificatus, qui in Clauſtro remanſit, à famulis Cellerarii colligatur, & ex hoc igne omnes foci in omnibus Officinis priùs extincti iterum accendantur. Plurima Monachorum cœnobia faciunt ad hanc ſanctificandum ignem Proceſſionem, in quinta etiam Feria & ſexta; Secretario præferente cereum in haſta, vel virga in quinta Feria; Priore in ſexta; Abbate in Sabbato. Proceſſione in Chorum reverſa ſine candelabris & thuribulo Sacerdos indutus caſulâ procedat ad Altare: Diaconus verò ſtola & Dalmaticâ indutus, veniat ad Abbatem; & petat ab eo benedictionem; de hinc vadat ad cereum, & benedicat eum, nec ante benedictionem, nec poſt benedictionem ante & retro faciens, unus autem ex Converſis, cùm tempus fuerit, indicante Cantore, deferat Abbati ignitis carbonibûs plenum thuribulum: in quo thure injecto accedat ad Diaconum, & juxta eum ſit, ut cùm tempus fuerit, accipiat Diaconus ab eo thuribulum, & incenſet cereum. Secretarius verò ſit paratus, ut, cùm dictum fuerit, *Rutilans ignis accendit*, ſtatim accendat cereum: benedictione peracta Diaconus depoſitâ Dalmaticâ, & ſtolâ, ad ſuum locum in Chorum revertatur; cereus verò non extinguatur, usque in craſtinum poſt *Veſperas*, Lectiones ſtatim inchoentur, Sacerdos absque Diacono dicat orationes ad Altare, ſicut ſunt per ordinem; ultima oratione dicta, Cantor; & alter Frater, quem voluerit, induti cappis incipiant in Choro Litaniam ternam, hoc modo, Cantores *Kyrie eleiſon*; dexter Chorus ſimiliter reſpondeat *Kyrie eleiſon*; deinde ſiniſter, & cætera eodem modo usque ad finem Litaniæ: ternos Sanctos de unoquoque ordine dicant: ad ſingula Sanctorum nomina uterque Chorus inclinet, Cantores ad nullum: inceptâ Litaniâ, Fratres accedant ad formas, ſicut in duodecim Lectionibus, ad *Tertiam* Sacerdos revertatur in Secretariam & depoſitâ caſulâ & ſtolâ, redeat in Chorum. Cùm dixerint Cantores *omnes ſancti orate pro nobis* exeant de Choro Sacerdos, Levita, Subdiaconus, tres Converſi, & induat ſe Sacerdos caſulâ, Levita Dalmaticâ, Subdiaconus tunicâ. Finitâ Litaniâ, pronuncient Cantores tribûs vicibûs alta voce *Accendite*, & tunc primùm accendantur candelabra, & cætera luminaria, quæ ante Altare & circa Altare ſunt, & Cantores incipiant Feſtivum *Kyrie eleiſon* & Sacerdos, cum Proceſſione ſolita, ad Altare procedat, & ſigna tunc pulſari incipiant, nec deſinant, usque ad finem *Kyrie eleiſon*. Et tunc primùm det Cantor cappas iis, qui *Alleluja* & tractum cantaturi ſunt. Finitô *Kyrie eleiſon*, incipiat Sacerdos, *Gloria in excelſis Deo*. Quando legetur Evangelium, non teneantur candelabra, ſed ſolùm thuribulum: in hac conſuetudine concordant omnes fere principales Monachorum Eccleſiæ, quæ noſtro tempore majoris auctoritatis ſunt, ſicut & in eo, quod offerenda, & *Agnus Dei*, & *communio* ad hanc Miſſam non dicuntur, licèt cætera Feſtivè dicantur. In quibusdam quoque non improbandæ auctoritatis Cœnobiis, nec ante Sacerdotem ad Altare procedentem hac die candelabra portantur. Celebratâ fere Miſsâ, Sacerdote incipiente *per Dominum noſtrum*, incipiant pulſari duæ Skillæ ad *Veſperas*, ut mos eſt in maximis Feſtivitatibus: reſponſo *Deo gratias*, ad *ite Miſſa eſt* fiat oratio Veſpertina; quâ factâ vadant Infantes in Refectorium, ſi aliqui adeò parvi ſunt, ut usque poſt *Veſperas* expectare non poſſint; interim pulſentur majora ſigna, duo & duo; ad extremum pulſatis omnibûs ſignis, canantur *Veſperæ*, ut decet, ſolenniter: Hebdomadarius Cantor incipiat *Alleluja* ex aliqua Antiphona, ex qua Cantor præceperit; Pſalmi *Confiteantur*

Capitulum, ſi *conſurrexiſtis*, Reſponſorium, *Angelus Domini locutus eſt*, Hymnus ad *cœnam agni*, Verſus *reſurrexit Dominus*; ad *Magnificat* Antiphona *Veſpere autem Sabbati*; Collecta, *Deus, qui hanc Sacratiſſimam noctem.* Poſt *Veſperas* procedant ad Crucifixum.

Die ſancto Paſchæ ante Vigilias Matutinas pulſentur omnia ſigna, dehinc duo & duo, ſicut mos eſt; ad Invitatorium quatuor in cappis, Pſalmi à beato Benedicto inſtituti, id eſt *Domine in virtute tua* & cæteri; ad Lectiones circumferantur thuribula, ſicut in die Dominicæ Nativitatis inſtitutum eſt: totum denique officium more Monachorum agatur: Proceſſio ad Crucifixum poſt *Matutina Laudes*, & poſt *Veſperas*, per totam iſtam Septimanam vadat; Miſſa matutinalis hac die cum una Collecta; Proceſſio in cappis: ad *Veſperas* Pſalmi Regulares id eſt *dixit Dominus* & reliqui, qui diebus Dominicis dici ſolent; ſuper Pſalmos Antiphonæ, quæ ad *Matutinas Laudes* dictæ ſunt. Tribûs ſequentibûs diebûs ante Vigilias pulſentur ſigna duo & duo; ad Invitatorium tres in cappis; Pſalmi feriales dicantur, ſex ſub una Antiphona, & ſex ſub alia; duo & duo primum, & ſecundum Reſponſorium; Tertium tres, *Laudes* ſub una Antiphona; ad thuribula duo, Sacerdotes cappîs induti ad *Laudes*, & ad *Veſperas*; Miſſa matutinalis cum una Collecta: ad majorem omnes ſint cappîs induti; ad *Veſperas* per totam hebdomadam ſub una Antiphona dicantur Pſalmi, qui in die Paſchæ ad *Veſperas* dicti ſunt. Tribûs ſequentibûs diebûs, ad Invitatorium duo in froccis; ad Nocturna Pſalmi feriales, tres Lectiones de pronunciato Evangelio; major Miſſa, & cætera omnia, ſicut in duodecim Lectionibus. In hac hebdomada non loquantur in Clauſtro: Miſſa matutinalis *Reſurrexi*, omnes horæ cum Antiphonis canantur: Sabbato tantùm ad *Veſperas* Pſalmi cum *Alleluja* dicantur.

Octava die Invitatorium tres in cappis: ad Lectiones legantur Paſchales ſermones; in tertio Nocturno pronuncietur Evangelium *cùm eſſet ſerò*; Miſſa matutinalis *quaſi modo geniti*; Proceſſio in albis: major Miſſa *reſurrexi*, ad quam ſint omnes cappîs induti; Feriâ ſecundâ ponatur ad legendum liber Actuum Apoſtolorum usque ad ſequentẽ Dominicam; ad utrumque Nocturnum, & ad omnes horas *Alleluja* dicatur, usque ad Aſcenſionem Domini: poſt Capitulum pulſatâ tabulâ, loquantur in Clauſtro; poſt *Nonam*, cùm exierint de Refectorio, pergant in Capitulum, & ſupplicent ante & retro, pulſetque Prior tabulam tribûs ictibûs, dicatque ter, *Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me feſtina*; & Conventus idem ter reſpondeat adjungentes *Gloria Patri*, *Kyrie eleiſon; Chriſte eleiſon*, *Kyrie eleiſon*, *Pater noſter*; & Prior: *Et ne nos: Adjutorium noſtrum in nomine Domini*: Conventus, *Qui fecit cœlum & terram*; & à Priore dicto *benedicite*, poſt loquantur in Clauſtro: hic loquendi ordo teneatur usque ad Idus Septembris privatîs diebûs, niſi jejunium fuerit.

A Dominica prima poſt Octavas Paſchæ, legatur Apocalypſis, & canatur Hiſtoria *Dignus es Domine* duabûs Septimanîs. A Dominica tertia usque ad Aſcenſionem Domini legantur ſeptem Canonicæ Epiſtolæ, & canatur Hiſtoria: *Si oblitus*:

Diebus Rogationum dictîs Matutinîs pro defunctîs, Fratres ad lectos redeant, & qui volunt, plus ſolitò dormiant: hîs enim diebûs meridianîs horîs non dormiunt, nec aliquo ſonitu, ùt aliîs diebûs mos eſt, manè excitantur, ſed cùm tempus congruum viſum fuerit, excitare debent Infantes Magiſtri eorum, quàm quietiùs poſſunt. Quibûs in Clauſtro legentibûs, ſurgant ſine mora, qui in lectîs adhuc quieſcunt. Poſt *Primam*, & familiares Pſalmos *Primæ*, & ſeptem Pſalmos & Litaniam, dicatur Miſſa de jejunio ad majus Altare: poſt cujus primam orationem dicantur aliæ, quæ ad majorem Miſſam quotidianîs diebûs dici ſolent, addita in fine alia, id eſt, *Sanctorum tuorum interceſſionibus.* Omnes offerant ad pacem, ſolus Prior, aut qui in loco Prioris eſt, vadat. Sententia de Regula legatur in Capitulo, & ordinetur Proceſſio. Poſt *Tertiam* ſumant mixtum pueri, & infirmi, qui jejunare non poſſunt. Cantatâ *Sextâ*, vadant in Dormitorium, ſicut alio tempore, quando meridianîs horîs in lectîs quieſcere ſolent, & factô intervallô parviſſimô, pulſetur Skilla; dehinc nudîs pedibûs de Dormitorio deſcendant, manus abluant, ad Eccleſiam vadant, orationem faciant. Quâ factâ, incipiat Infans Antiphonam *exſurge Domine.* Interim pulſentur duo ſigna: cantatâ Antiphonâ, dicat Sacerdos: *oſtende nobis Domine miſericordiam tuam*: ſequatur *Kyrie eleiſon*, *Pater noſter*, Pſalmus *Deus miſereatur noſtri*; in craſtino *Deus in adjutorium meum*; dehinc Sacerdos *& veniat ſuper nos*, Collectam pro peccatis. Poſtea ſonantibûs ſignîs, exeant proceſſuri canentes, incipiente Cantore, quæ ad Proceſſionem pertinent, præcedant famuli cum vexillis, ſequatur Conver-

verſus cum aqua, poſt quem alius cum cruce: dehinc Subdiaconus ferens textum, poſt quem Fratres Laici, dehinc Infantes cum Magiſtris, poſt quos Cantores, extremis Prioribus, & præcedentibus junioribus, ſicut eſt ordo eorum; in egreſſu Monaſterii ſint famuli Camerarii, habentes ibi baculos præparatos, quos tribuant Fratribus ad ſe ſuſtentandos: cùm pervenerint ad Eccleſiam, ad quam ituri ſunt, incipiat Cantor Antiphonam vel Reſponſorium de Sancto, in cujus honorem fundata eſt ipſa Eccleſia; intrantes Fratres reddant baculos prædictis famulis, ab eiſdem iterum recepturi exeuntes. Finitô inceptô cantu, dicat ſtatim Sacerdos Capitulum de Sancto illo, & Collectam cum *Dominus vobiſcum* alta voce, & ſolenniter Infans *benedicamus Domino*. Quô dictô, inclinantes ſe faciant orationem. A qua, factô ſignô, ſurgentes inclinent ante & retro. Dum hæc fiunt, Sacerdos & Levita & cæteri, qui circa Altare ſerrituri ſunt, præparare ſe debent ad celebrandam Miſſam, Secretarius quoque palliô & honeſtis pannis Altare deceuter parare; omnia enim, quæ ad hoc ſervitium ſunt neceſſaria, inſtantia Secretarii illuc priùs debent eſſe delata. Paratis omnibus, celebretur iterum Miſſa de jejunio: poſt primam orationem dicatur oratio de Sancto illo, cujus eſt Eccleſia, nullâque ampliùs: celebratâ ferè Miſſâ, duo Fratres, qui cappis induti, debent dicere *Agnus Dei*, ad portas Monaſterii inclinantes ſe ante & retro, regrediantur, ſumentes ſecum aliquos ex famulis, quibus juſſum fuerit, & dicentes inter ſe Litaniam, quam Conventus in reditu cantaturus eſt; expletâ Miſſâ, accedant ſtatim Fratres, quibus juſſum fuerit, & ſtantes in medio pronuncient Litaniam: interim Sacerdos, & qui ad Miſſam ſerviêrunt, expediant ſe, & ſic revertantur in Chorum. Poſt *Sanctum Joannem & omnis Chorus Prophetarum* pronuncient illum Sanctum duobus vicibus, in cujus nomen eſt Eccleſia dedicata; poſtea inclinantes ſe omnes ante & retro, regrediantur eo ordine, quô venerunt; Cantores Litaniæ producant aut brevient ipſam Litaniam, ſecundùm quantitatem itineris, qui in redeundo pergere debent poſt Infantes, ante reliquum Conventum Cantorum. Cùm autem Proceſſio rediens ante Monaſterii introitum venerit, ſtatione facta, Litaniam finiant: quâ finitâ, Cantores ejus in ordinem ſuum redeant, & prædicti duo Cantores, qui præceſſerant cappis induti, nudis pedibus ante portas Monaſterii ſtantes dicant *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis*. Chorus ſimiliter reſpondeat; Cantores *ſuſcipe deprecationem noſtram, qui ſedes ad dextram Patris*: Chorus *Agnus Dei* ſicut ſuprà: Cantores *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, ſicut erat in principio, & nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen.* Interim præcedentibus, qui vexilla portant, & cætera, quæ ſuperiùs dicta ſunt, ſequantur Cantores, & reliquus Conventus; dictâ *Gloria* reſpondeat Conventus *Agnus Dei*, ut ſuprà.

Conventu intrante Monaſterium, pulſentur ſigna; Cantores *exaudi Deus*: Conventus *voces noſtras*. Cantores *exaudi Chriſte*, Conventus *miſerere nobis*. Cantores *exaudi Deus*: Conventus *orationem populi tui*. Cunctis Fratribus Chorum ingreſsis, collocata cruce, & reliquis, quæ portata ſunt, in locis ſuis, prædicti duo Cantores in medio Chori ſtantes pronuncient Litaniam *ſancte Sanctorum Deus, miſerere nobis*, priores à parte Altaris ſint, reliqui poſt eos, ſicut eſt ordo eorum. Expletâ Litaniâ pulſetur ſignum ad *Nonam*, factâque oratione *Nonæ*, vadant in Clauſtrum lavare pedes; quibus lotis revertentes in Chorum, pulſatô aliô ſignô cantent *Nonam*; ad *Veſperas* ſecundâ & tertiâ Feriâ, pulſentur ſigna, ſicut privatis diebus; inter ſigna dicantur Pſalmi *Deus auribus noſtris*; poſt *Veſperas* de omnibus Sanctis, dicantur *Veſperæ* Mortuorum: Vigilia Mortuorum his diebus non agatur, ſi Proceſſio extra Clauſtrum perrexerit; alioquin agatur, ſicut ſolet: his tribus diebus ad Nocturna, Capitula, & Collectæ de Reſurrectione, & ad *Veſperas* ſecundæ & tertiæ Feriæ; ad *Matutinas* verò *Laudes*, & ad *Tertiam*, & ad *Sextam*, & ad *Nonam*, Capitula & Collectæ de jejuniis. Si in his tribus diebus Feſtivitas duodecim Lectionum evenerit, totum ſervitium noctis, & diei, de ipſa Feſtivitate agatur: dictâ *Tertia* & pulſatis omnibus ſignis, Miſſa ipſius Feſtivitatis, ſicut alio tempore ſolenniter celebretur; Proceſſio vadat, ſicut aliis diebus, exceptô, quod calciati, & ſine baculis ibunt. Miſſa jejunii ad Monaſterium, quo proceſſerint, celebretur. Si autem Feſtivitas trium Lectionum evenerit, commemoratio ipſius tantummodo fiat ad *Veſperas*, & ad *Matutinas Laudes*, & ad priorem Miſſam de jejunio.

Sabbato in Vigilia Pentecoſtes ſurgentes à meridiana abluti, & pectinati ad Eccleſiam veniant, & oratione facta induantur officium celebraturi; & ad officium ſerrituri; agatur officium Feſtivè, ſicut in Sabbato ſancto; Cantor, & alius Frater, quem voluerit, induti cappis pronuncient Litaniam ternam, ſicut in Vigilia Paſchæ; cùm pronunciatum fuerit

Accen-

Accendite, accendatur cereus benedictus, & reliqua luminaria; unus enim cereus ſolummodo ante illam horam debet eſſe accenſus ante Altare; cùm inceperint *Kyrie eleiſon*, pulſentur omnia ſigna; ſequatur *Gloria in excelſis Deo*: ad Evangelium teneantur candelabra, & thuribulum; poſt Miſſam pulſatis duobûs majoribûs ſignis, faciant orationem *Nonæ* etiam duo Cantores in cappis. In craſtina & totîs Octavîs agatur ſicut in Paſchali ſolennitate, & Octavîs Paſchalis ſolennitatis, niſi quòd Octava hujus Feſtivitatis die, utraque Miſſa eſt *Spiritus Domini*.

Feriâ ſecundâ, ſi nulla Feſtivitas ſit, dicatur Miſſa *Domine in tua miſericordia*. Hac hebdomada inchoanda ſunt jejunia, quæ Regula præcipit, quartâ & ſextâ Feriâ usque ad Idus Septembris, niſi rationabilis cauſa exiſtat, cur Abbas vel Prior bis reficiendi licentiam tribuat; poſt Capitulum ipſis jejuniorum diebus, ſedeant in Clauſtro loquentes: Secretarius verò non pulſabit minimum ſignum, ſicut conſuetudo eſt, poſt Capitulum, ad apparatum Miſſæ: poſt *Tertiam* pergant Infantes, & minuti ſanguine, & infirmi, quibus licentia data eſt accipere mixtum; poſt *Sextam* agatur meridiana: à quâ ſurgentes nudîs pedibûs, in Clauſtrum veniant, afferentes calciamenta ſua; poſt hæc abluti, & pectinati veniant in Eccleſiam, & facta oratione pulſatîsque duobûs ſignîs, inchoet Infans *exſurge Domine*, & cætera, ſicut longè ſuperius dictum eſt; hic ordo ſervandus eſt Feria quartâ & ſextâ usque ad Feſtivitatem omnium Sanctorum, tunc enim Proceſſio ex toto dimittitur.

Dominicâ primâ poſt Octavas Pentecoſtes canantur Hymni ad Nocturna, & ad *Matutinas Laudes*, *nocte ſurgentes*: *Ecce jam noctis*, qui canendi ſunt Dominicis diebus, usque ad Dominicam primam menſis Octobris, ponantur ad legendum libri Regum, & Paralipomenon, usque ad Dominicam primam menſis Auguſti; Hiſtoria *Deus omnium*. Dominica primi menſis Auguſti ponant Salomonem usque ad Dominicam primam menſis Septembris, Reſponſoria *in principio*.

Dominicâ primâ menſis Septembris ponant Job, Tobiam, Judith, Heſter, Esdram, usque ad Dominicam primam menſis Octobris. Ab Idibus Septembris privatîs diebûs agantur continuè jejunia, quæ Regula præcipit, atque ipſa die Iduû incipiant jejunare, ſicut ſanctus Benedictus inſtituit, una tantùm vice loquantur in Clauſtro, usque ad Calendas Octobris, id eſt, poſt Capitulum usque ad *Tertiam*. Poſt *Sextam* in Dormitorium vadant, & poſt parviſſimum intervallum pulſatô minimô ſignô deſcendant, lavent, ad Monaſterium pergant, factâque oratione, dictâque, Litania, Miſſam celebrent. Celebratâ ferè Miſſâ pulſetur ſignum ad *Nonam*. Poſt Miſſam, facta oratione, pergant ſervitores accipere mixtum. Quibus revertentibus, pulſatô aliô ſignô, canatur *Nona*.

Quinque ſunt præcipuè Feſtivitates, id eſt, Natale Domini, Reſurrectio ejus, Pentecoſte, aſſumptio ſanctæ Dei genitricis Mariæ, Feſtivitas loci. Servatîs omnibús, quæ de Sabbato ſancto dicta ſunt, in harum Feſtivitatum Vigiliis ornetur totum Monaſterium, & omnia Altaria, ſecundùm facultatem loci, ſicut honeſtiùs fieri poteſt; mundentur officinæ, & Clauſtrum: ſedilia Refectorii, Capituli, Clauſtri tegantur, bancalibus ſternatur juncus. Ad Miſſam jejunii induantur honeſtè, qui eam ſunt celebraturi; Sacerdos honorificè; Diaconus Dalmaticâ; Subdiaconus tunicâ; tres Converſi, Cantor Hebdomadarius cappâ, duo Fratres ad Reſponſoria; ante Miſſam pulſentur ſigna, ſicut in Feſtis diebus, Litania minimè dicatur; *Kyrie eleiſon*, Feſtivum canatur, una tantùm Collecta dicatur. Si Feſtivitas in hac die evenerit, Miſſa matutinalis de ea cantetur. Ad *Nonam* duo majora ſigna pulſentur, ad *Veſperas* duo minima, dehinc gradatim duo & duo, ad extremum omnia. Inter ſigna luminaria Monaſterii omnia accendantur. Ante ſingula Altaria, quæ extra Presbyterium ſunt, ſingula luminaria ardeant: Antiphonas ſuper Pſalmos, quibus Cantor præceperit, incipiant, Reſponſorium quatuor in cappis canant, Antiphona ad *Magnificat* ter dicatur; Abbas & Prior cappîs induti incenſent utraque Presbyterii Altaria, ante, & deſuper, utrique ſimul ſinguli ſingula latera; parati ſint duo alii Sacerdotes Hebdomadarii, ſcilicet majoris & minoris Miſſæ, qui thuribula de eorum manibus accipiant, & hinc & inde per Altaria, quæ extra ſunt, circumferant: qui revertentes in Chorum Abbati priùs, Priori poſtea ferant, poſt eis, qui Reſponſorium cantaverunt, non ambo ſimul, ſed unus hinc, & alter inde; dehinc duo Converſi in albis cæteris Fratribus. Abbati de libro ſerviat, qui thuribulum de ejus manu accepit. In his Vigiliis tabulæ Refectorii debent eſſe coopertæ.

In craſtino ante nocturnas Vigilias ad excitandos Fratres pulſentur omnia ſigna; dehinc gradatim duo & duo, ad extremum omnia. Ad invitatorium qua-

quatuor in cappîs. Terna Reſponſoria in tribus Nocturnis duo & duo; quartum quatuor, octavum quinque, duodecim ſex canant. In tribus Nocturnis, dum legitur tertia Lectio, dno Sacerdotes cappîs induti incenſent Altaria majus & minus; dehinc ferant Abbati, & Priori, & cæteris Fratribûs per ordinem; octavum & duodecimum Reſponſorium poſt *Gloriam* à Capite repetantur; pronunciatô Evangeliô Altare diſcooperiatur, & omnia luminaria accendantur. Ad *te Deum laudamus* duo majora ſigna pulſentur; lectô Evangeliô, Collectâ dictâ, pulſatîs omnibûs ſignîs, inchoet Sacerdos *Matutinas Laudes*, dehinc in Veſtiarium reverſus, caſulam & ſtolam deponat, & ſic in alba, cum manipulo in Chorum redeat, inceptô Hymnô exeat, manipulum deponat, cappam induat & cum alio Fratre ſimiliter induto, ſicut ad heſternas *Veſperas* cum thuribulis per Altaria vadat, duobûs Converſîs cum eis indutîs albis. Si Abbas Evangelium legerit, poſt Evangelium indotus cappâ in Chorum revertatut: Antiphona ad *Benedictus* ter dicatur, ad *Primam* duo majora ſigna pulſentur. Tres cerei ante Altare accendantut, ſimiliter ad *Tertiam*, & *Sextam* & *Nonam*; Capitulum breviter peragatur. Miſſa matutinalis cum una Collecta & præfatione dicatur; dum Sacerdos in Canone eſt, remanentibûs Infantibûs cum Magiſtris ſuis in Choro, qui ante Miſſam debent eſſe induti, cæteri pergant induere ſe, qui accipientes à Secretario veſtimenta extra Secretariam ſe induant. Si verò locus parvus eſt, exeant aliqui in Clauſtrum vel Capitulum, & ibi induant ſe: meliores verò albæ tribuantur prioribus & honeſtioribus perſonis; unusqnisque mox, ut indutus fuerit, revertatur in Chorum; Miſsâ peractâ, ſi dies Dominicus non fuerit, ceſſante majore ſigno, quod incepta ultima Collecta Miſſæ pulſari cœpit, fiat oratio *Tertiæ*. Poſt orationem, pulſatô aliô ſignô, cantetur *Tertia*; ſi verò dies Dominicus fuerit expletâ matutinalî Miſsâ, non pulſato adhuc *Tertiæ* ſigno, fiat aq[illegible]enedicta, ſicut aliîs Dominicîs diebûs [illegible]eri ſolet, dum cantant *aſperges me* pulſetur majus ſignum ad *Tertiam*. Aſpersâ aquâ benedictâ vadat Sacerdos per officinas cum portitoribus aquæ, & crucis: ceſſante ſigno fiat oratio *Tertiæ*. Quâ expletâ, pulſatô aliô ſignô canatur *Tertia*: Sacerdos interim, qui per officinas ivit, revertens ante introitum Monaſterii, dicat orationem ſolitam; dehinc intrans ante unum de Altaribus *via Sanctorum*; dictâ *Tertiâ*, diſtributîs cappîs, diſpoſitîs in Choto à Cantore, qni ea, quæ portanda ſunt, portare * debent, exeant omnes hoc ordine proceſſuri; primùm Converſus ferens ſitulam cum aqua benedicta, dehinc duo portantes duas cruces, poſt quos duo cum duobus candelabris accenſîs deſupet cereîs, alii duo ferentes duo thuribula, igne & thure plena; hos ſequantur duo Subdiaconi tunicîs induti, portantes duos Evangeliorum textus, poſt quos Infantes cum Magiſtris ſuis: extremi Abbas, & Priores, præcedentibûs aliîs binîs & binîs, ſicut eſt ordo eorum. Cùm Proceſſio de Choro incipit exire, pulſentur duo majora ſigna, non ceſſatura usque dum Proceſſio in Chorum ſit reverſa, ceſséntque alia ſigna; procedentes per majores januas Monaſterium inttoeant, & ante Ctucifixum ſtationem faciant. Quâ factâ expleto cantu, quem inceperant, incipiat Abbas, vel Cantor quod ad ipſum diem pertineat, & ſic ſonantibûs omnibûs ſignîs Chotum introeant, eîsque ceſſantibûs Miſſam incipiant. Ante Miſſæ introitum ſternatur unum, aut duo tapetia pet transverſum Chori, ubi ſtare debeat Cantor, & cæteri, quos ad ſe vocaverit ad Chorum regendum: omnes cerei, qui in coronis ſunt, & cætera luminaria, quæ in Choro, & presbyterio, & ante Crucifixum ſunt, accendantur. Cantor provideat quot, & qui, quæ ſingulariter cantanda ſunt, cantent. Ad ſequentiam duo majora ſigna pulſentur. *Communio*, ſi opus ſuerit, repetatur cum Verſu, & *Gloria Patri*. Expletâ Miſsâ pulſentur omnia ſigna, unusqu ſque veſtimentum ſuum, & cappam, ntraque benè plicata deferat Secretario ad arcam, Feſtivæ mappæ ſuper tabulas Refectorii ſint extenſæ, ita ut ante pendeant. Sint & quotidianæ, lotæ tamen, ſupet quas manducent Fratres: manutergia etiam candida, & honeſta ſuper terſoria quotidiana ſint extenſa: quæ manutergia poſt Capitulum à Camerariis ſunt extendenda; nullus tamen Fratrum debet ibi manus tergere, niſi ſolummodo ad refectionem primam, & ſerò ad cœnam. Ad *Nonam* duo majora ſigna pulſentur. Ad *Veſperas* agatur de ſignis, & cereis, ſicut actum eſt ad *Veſperas* præcedentis diei. Poſt cœnam teſectîs ſervitoribûs, colligant Refectotarii mappas Feſtivas & benè plicatas reddant Cellerario conſervandas; Camerarius verò honeſtiora terſoria accipiat & cuſtodiat.

* debet.

Sunt aliæ Feſtivitates, quæ magnificè celebrantur, quamvis non æqualiter ſuperioribus: ſunt autem hæ: Epiphania; Purificatio S. Mariæ; Feſtivitas S. Gregorii; Annunciatio Chriſti; octava dies Paſchalis ſolennitatis; Feſtivitas ſancti Alfegi Martyris; Aſcenſio Chriſti; Feſtivitas S. Auguſtini Anglorum Archiepiſco-

piſcopi; octava Pentecoſtes dies; Nativitas S. Joannis Baptiſtæ; Paſſio Apoſtolorum Petri & Pauli; translatio ſancti Benedicti; Nativitas ſanctæ Mariæ; Feſtivitas ſancti Michaelis; Feſtivitas omnium Sanctorum; Feſtivitas S. Andreæ; Dedicatio Eccleſiæ; harum omnium Feſtivitatum præcedentibûs diebûs ornentur Altaria, presbyterium, Chorus, membra Monaſterii, ex utraque parte Chori; pulſentur ſigna ſicut in præcipuis Feſtis, accendantur duæ partes cereorum coronæ presbyterii, & omnia luminaria, quæ circa majus Altare ſunt, & cereus ante Crucifixum: Antiphonæ, ſi propriæ habentur, quibus Cantor præceperit, ſuper Pſalmos imponant; ſin autem, cum una Antiphona de ipſa Feſtivitate canantur; Reſponſorium duo in cappis; Antiphona ad *Magnificat* bis dicatur; duo Sacerdotes cappis induti ad thuribula, ſicut ſuperiùs de præcipuis Feſtivitatibus dictum eſt. Miſſæ Vigiliatum Aſcenſionis Chriſti, Joannis Baptiſtæ, Apoſtolorum Petri & Pauli, omnium Sanctorum Feſtivè celebrentur: ſi quælibet harum Vigiliarum, vel alia aliqua, quæ Feſtivè celebretur, Dominica die evenerit, totum ſervitium noctis, & Miſſa matutinalis de Dominica agatur; major verò Miſſa, cum *Alleluja* poſt Reſponſorium de Vigilia dicatur, exceptâ Dominicæ Nativitatis Vigiliâ, in qua, ſi ita evenerit, in tertio Nocturno de ipſa Vigilia cantatur, & legitur. In craſtino ante Nocturnas Vigilias pulſentur ſigna, bina & bina, dehinc ſimul omnia: ad Invitatorium tres in cappis, tria Reſponſoria in tribus Nocturnis duo & duo canant, quartum tres, octavum quatuor, duodecimum quinque, quod poſt *Gloriam* à Capite repetatur; pronunciatô Evangeliô Altare diſcooperiatur; luminaria, ſicut ad *Veſperas* præcedentis diei, accendantur; Antiphona ad *Benedictus* bis dicatur, & thuribula ſimiliter circumferantur; ad *Primam* duo ſigna pulſentur, tres cerei accendantur, ſimiliter ad *Tertiam*, & *Sextam*, & *Nonam*; ornentur ſedilia, extendantur mappæ & terſoria, ſicut ſuprà dictum eſt: Miſſa matutinalis de ipſa ſolennitate cum una Collecta, niſi ſit Feſtivitas alicujus Sancti, unde commemoratio fiat; quòd ſi evenerit, matutinalis Miſſa erit de Sancto, & Collecta prima, ſecunda de ipſa ſolennitate, & non amplius: Sacerdotes ad Miſſas privatas ſimiliter Collectam unam: dicta matutinali Miſſa canatur *Tertia*, celebretur Miſſa in cappis, excepta Purificatione ſanctæ Mariæ, in qua ad Miſſam ſint omnes albis induti propter cereos, præter Cantorem, & eos, qui circa eum ſunt, quos cappis etiam indutos eſſe oportet. Excipiuntur quoque beati Gregorii & Dominicæ Annuntiationis Feſtivitates, quando inter Quadrageſimam celebrantur. In his enim ſimiliter ſint omnes albis induti, præter ſupradictos, & eos, qui Reſponſorium & Tractum cantant: hi namque, præcipiente Cantore, accedentes ad cantandum cappas in Choro induant, & cum percantaverint, venientes in veſtiarium eas ibi deponant: Cantor quot, & quos voluerit ad ſe vocet: numerus cantantium Reſponſorium, & Alleluja, & cætera, quæ cantanda ſunt, in arbitrio Cantoris ſit. Celebrata Miſſa, pulſentur omnia ſigna; ſi aliqua harum Feſtivitatum Dominica die evenerit, dictâ matutinalî Miſſâ, fiat aqua benedicta, & Proceſſio per Clauſtrum ſicut ſolet Dominicis diebus, omnes tamen ſint albis induti. Ad *Nonam* pulſentur ſigna duo, & agantur *Veſpera*, ſicut præcedente die. Feſtivitatem beati Gregorii inter Superiores ideo computamus; quia noſtræ, id eſt, Anglorum gentis Apoſtolus eſt. Si Dominicæ Annuntiationis Feſtivitas aliqua Quadrageſimæ Dominica evenerit, in craſtinum differatur; alioquin ſervitium Dominici diei reſtaurari non poſſet; *Veſpera* uſque ad Capitulum de Dominica agantur, Capitulum de Feſtivitate dicatur; poſt primam Collectam commemoratio Dominicæ diei fiat: ſi Sabbato evenerit, totum diei ſervitium de ipſa ſolennitate agatur. Poſt primam Veſpertinam Collectam, Collecta de Dominica dicatur, excepto Sabbato ante Palmas, in quo ſi hæc Feſtivitas evenerit, de ipſa Feſtivitate agatur ſervitium uſque ad Capitulum Veſpertinum. Ipſo die duo Fratres in froccis Reſponſorium cantent, unus Sacerdos cappâ indutus Altaria incenſet; poſt primam Collectam commemoratio Feſtivitatis fiat. Si verò tertiâ Feriâ poſt Palmas evenerit, Feſtivitas quidem, ſicut dictum eſt, celebretur, ſed Fratres in craſtino radantur, & tunc poſt Capitulum, & poſt *Sextam* in Clauſtro loquantur. Qui autem ipſo diè balneari non poterunt, in craſtino qui voluerint balneentur. Si verò quin[illegible]feriâ vel ſextâ vel Sabbatô ante Paſch[illegible] vel in ipſa Paſchali ſolennitate vel tribûs ſequentibûs diebûs evenerit, in quintam Feriam poſt Paſchalem ſolennitatem differatur; Feſtivitas iſta tunc ita ſolenniter agatur, ſicut Paſchalis ſolennitas, exceptô quod pro Skilla ante nocturnas Vigilias ad excitandos Fratres claſſicum non pulſetur, nec Proceſſio fiat; Antiphonæ, & Reſponſoria, quæ in hac Feſtivitate in Quadrageſima canerentur in hoc quoque tempore cum adjunctis Alleluis cantantur, Verſiculi quoque omnes cum finali

finali Alleluja dicantur Invitatorium, Alleluja Alleluja ſecundùm melodiam Invitatorii, Ave Maria cantica de Adventu Domini.

Die Aſcenſionis Chriſti fiat Proceſſio in albis vel extra Clauſtrum circa Monaſterii curiam præcedentibus vexillis, & reliquis cum reliquis, quæ ad Feſtivam Proceſſionem præcedere ſolent, vel per Clauſtrum ſine vexillis. Ex quo incipit Proceſſio exire, pulſentur duo ſigna ſicut ſuperius dictum eſt in die Nativitatis ſanctæ Mariæ; ad *Veſperas* Pſalmi *Dixit Dominus: lætatus ſum in his: niſi Dominus; memento Domine* cum Antiphona de fructu ventris tui, qui Pſalmus cum hac Antiphona quartus dicitur in omnibus Feſtivitatibus ſanctæ Mariæ. In Feſtivitate ſancti Michaelis Pſalmi ad *Veſperas: Dixit Dominus; Confitebor; beatus vir;* aliud *Confitebor* cum Antiphona *In conſpectu Angelorum.*

Vigilia omnium Sanctorum ad *Veſperas* Pſalmi cum Antiphonis de ipſis Pſalmis, qui quotidie ad eorum memoriam ſolent dici; preces, *poſt partum Virgo* & cætera; cùm dictum fuerit: *adducentur Regi Virgines poſt eam*, adjungatur *pro Fratribus noſtris abſentibus; Mitte eis Domine auxilium de Sancto; Domine exaudi orationem; Domine Deus virtutum; Dominus vobiſcum*: poſt Collectam commemoratio ſolummodo de ſancta Cruce. In craſtino ad *Laudes* ſimiliter preces *poſt partum virgo*: ad *Veſperas* Pſalmi, & ſuper Pſalmos Antiphonæ, ſicut præcedente die; dictis *Veſperis* pulſentur omnia ſigna, & productiùs ſolitò canantur *Veſpera* pro defunctis, niſi in craſtino ſit dies Dominicus, vel quælibet Feſtivitas duodecim Lectionum, Collecta una *fidelium Deus*, ſequente autem nocte ad Vigiliam Mortuorum, pulſentur ſimiliter omnia ſigna. Ipſa die Sacerdotes omnes celebrent Miſſas pro omnibus fidelibus defunctis. Qui verò Sacerdotes non ſunt, injungantur eis in Capitulo Pſalmi pro Miſſis. Agatur Miſſa matutinalis Feſtivè, pulſentur omnia ſigna, cappa ſit in Choro; Levita, & Subdiaconus caſulis induantur, duo Infantes Reſponſorium in albis, duo majores Fratres Tractum ſimiliter in albis, tres Converſi ad thuribulum & candelabra: ſeptem diebus plena officia, usque ad triginta dies *voce mea, & verba mea.* In Feſtivitate Dedicationis Eccleſiæ cerei accenſi ad priores *Veſperas* per omnia Altaria, quæ ipſa die ſacrata fuerunt, non extinguantur usque in craſtinum poſt Completorium. Cantica *lætare Jeruſalem; Urbs fortitudinis: Non vocaberis ultra.* Ipſa die celebretur Miſſa per unumquodque Altare, ſi numerus Sacerdotum tantus eſt: dicta *Tertia*, agatur Proceſſio Feſtiva in albis, aut circa Monaſterium, ſi locus aptus eſt, aut per Clauſtrum præcedentibus, quæ Feſtivam Proceſſionem præcedere ſolent, & ingrediatur Monaſterium per majores januas, fiatque ſtatio ante Crucifixum. Pſalmi ad *Veſperas*, qui in Feſtivitate Virginum dici ſolent. Hæc Feſtivitas Octavas habet.

Sunt aliæ tertiæ dignitatis Feſtivitates, quæ non tantopere celebrantur; hæ autem ſunt Feſtivitas ſancti Vincentii, Converſio S. Pauli, Philippi & Jacobi, Inventio ſanctæ Crucis, Jacobi Apoſtoli, ſancti Petri in Calendis Auguſti, Laurentii Martyris, octava dies Aſſumptionis ſanctæ Mariæ, Bartholomæi Apoſtoli, Auguſtini Doctoris, decollatio Joannis Baptiſtæ, Exaltatio ſanctæ Crucis, Matthæi Apoſtoli, Simonis & Judæ, B. Martini, Thomæ Apoſtoli; & ſi quæ aliæ Feſtivitates ita celebrari inſtituantur. Pridie ante has Feſtivitates parentur duo presbyterii Altaria, presbyterium & Chorus. Ad *Nonam* & ad *Veſperas* pulſentur ſigna, ſicut privatis duodecim Lectionibus, niſi quod majora ſigna pulſari debent. Tria candelabra ante Altare, & cætera luminaria, quæ circa ſunt, accendantur. *Veſpera* cum una Antiphona de ipſa Feſtivitate canantur, niſi præcedat Feſtivitas, de qua dicantur *Veſpera*, usque ad Capitulum: Reſponſorium, ſi propria Hiſtoria eſt, duo Fratres canant in froccis ſuis; ſi non eſt propria Hiſtoria, ſicut in Feſtivitatibus quorundam Apoſtolorum; aut ſi jam cantata eſt, quemadmodum octavâ die Aſſumptionis ſanctæ Mariæ, duo pueri dicant breve Reſponſorium: Sacerdos indutus cappâ, incenſet Altaria; Converſus ſit in alba; in craſtino ad Invitatorium duo in cappis; tria Reſponſoria in tribus Nocturnis, ſinguli ſingula; quartum Reſponſorium duo, octavum tres, duodecimum quatuor, quod poſt *Gloriam* repetatur. Pronunciatô Evangeliô, diſcooperiatur Altare, & accendantur luminaria, ſicut pridie ad *Veſperas*: ad *te Deum laudamus*, duo mediocria ſigna pulſentur; poſt lectum Evangelium Sacerdos in Chorum redeat in alba; ad *Laudes* duo pueri, breve Reſponſorium, ſive ſit propria Hiſtoria, ſive non; & ad *Veſperas* ſimiliter. Ad *Primam* pulſetur unum de majoribus ſignis; accendantur duo cerei ante Altare, & per omnes horas usque ad *Veſperas*. Ad Miſſam in Choro omnes ſint in albis, præter Cantorem, & eos, qui ſecum erunt, qui etiam, cappis induti, Chorum regere debent. Ad *Nonam* pulſetur ſignum, ſicut ad *Primam*: Antiphonas ſuper Pſalmos ad *Veſperas* imponant juvenes, quibus Can-

Cantor præcepit ; cætera agantur, ſicut ad *Veſperas* præcedentis diei.

Ad priores *Veſperas* Inventionis ſanctæ Crucis Hymnus *vexilla regis*. In craſtino Invitatorium & duo Nocturna de Martyribus, tertium de ſancta Cruce, cantica *Domine audivi*, quod dividatur in tres *Glorias* : prima *Gloria* eſt ante Verſum *pro iniquitate* ; ſecunda ante Verſum *egreſſus es*. Hymnus ad *Laudes luſtra ſex*, Miſſa matutinalis de Martyribus, major de S. Cruce, Pſalmi ad *Veſperas dixit Dominus; Confitebor ; Beatus vir ; Laudate pueri* ; Hymnus *vexilla regis*.

In Exaltatione S. Crucis ſimile ſervitium eſt ſervitio Inventionis ejusdem, niſi quod in hac S. Crux adoratur, in illa minimè. In hac itaque ſolennitate, dictâ *Tertiâ*, ſternatur presbyterium tapetibus, usque ad majus Altare ; quô factô, exeant de parte matutinalis Altaris duo Fratres in albis, quibus Cantor præceperit, portantes crucem coopertam, donec veniant ſuper gradum, qui ante Altare eſt propior ipſi Altari : tunc à portantibus diſcoopertâ cruce & ab eisdem inceptâ Antiphonâ *ecce lignum crucis*, omnes flectant genua ; ac deinde, ſuper tapetia proſtrati toto corpore, adorent eam, & oſculentur pedes crucifixi, ſicut ſunt priores. Cantatâ Antiphonâ ſupradictâ, incipiat Cantor Antiphonam *crucem tuam adoramus*, quam repetant per ſingulos Verſus Pſalmi *Deus miſereatur* ; deinde alia quæ conveniunt, ſi opus fuerit ; adorata cruce, prædicti duo Fratres, qui eam tenent, incipiant ſimul alta voce Antiphonam *ſuper omnia* ; flectentibûs omnibûs genua, fixâque cruce in loco ſuo, pulſatîs ſignîs, celebretur Miſſa. Ad Introitum *in nomine Domini omne genu flectatur* : Evangelium, *nunc judicium eſt mundi*.

Quinque dies Dominici ſunt, qui communia quædam inter ſe habent ſeparata à cæteris diebus Dominicis ; Dominica videlicet prima de Adventu Domini ; Dominica prima Septuageſimæ ; Dominica prima Quadrageſimæ ; Dominica in medio Quadrageſimæ ; Dominica in Palmis. In his duo Invitatorium canant in albis : Sacerdos, lecto Evangelio, exutus in veſtiario caſulâ & ſtolâ, revertatur in Chorum in alba, cum manipulo, exiturus inceptô Hymnô, & incepta Antiphona ad *benedictus*, ſimiliter in alba intraturus, & incenſum per Altaria portaturus ; Chorus ab heſterna die debet eſſe paratus, & per Chorum juncus ſparſus. Ad utrasque *Veſperas* & ad *Laudes*, duo Fratres in froccis Reſponſorium canant. Tabulæ Refectorii ſint coopertæ, honeſta manutergia ſint extenſa ſuper terſoria, ſicut in omnibus Feſtivitatibus, in quibus Invitatorium in cappis canitur ; quæ extendantur & colligantur, ſicut ſuperiùs dictum eſt.

In omnibus Feſtivitatibus duodecim Lectionum, quæcunque ſint, & in omnibus diebus, qui infra Octavas ſunt, in quibus in Clauſtro non loquuntur Monachi, quamvis ipſi dies trium Lectionum ſint, & in omnibus Vigiliis, in quibus Miſſæ, pulſatîs omnibûs ſignîs Feſtivè aguntur, & in omnibus Sabbatis jejuniorum quatuor temporum cùm Cantor inchoaverit *Gloria Patri* ad officium, Sacerdos ingrediatur ad Altare, ferens miſſale manibus ſuis, præcedentibûs tribûs Converſîs cum candelabris & thuribulo, Subdiaconô poſt eos cum textu, Subdiaconum ſequente Diacono, & poſitô Miſſalî ſuper Altare, faciat orationem ſuppliciter inclinatus ; Diaconus quoque retro poſt eum ſimiliter faciat ; factâque oratione, ſignet ſe Sacerdos, & oſculetur textum Evangelii, quem Subdiaconus ſuper Altare poſitum habere debet ; Diaconus quoque ſimiliter ſignans, ſe faciat ante & retro, & veniens ad ſiniſtram Sacerdotis, oſculetur cornu Altaris, dehinc faciant ſimul confeſſionem ; quâ factâ, impoſito à Sacerdote thure in thuribulo, tribuat Diaconus Sacerdoti thuribulum, humiliter oſculans brachium ejus. Acceptô thuribulô, Sacerdos incenſet Altare ante & deſuper, reddátque Diacono ; Diaconus incenſet utraque Altaris latera, & Altare matutinale, & ſic reddat Converſo : qui deferens in Chorum offerat primùm Cantori & ipſis, qui cum eo ſunt ; dehinc in dextro Choro omnibus per ordinem, & ſic in ſiniſtro ; deinde infirmis, qui extra Chorum ſunt, duo verò Converſi, qui tenent candelabra ante Altare, non dimittant ea usquequo inchoetur *Kyrie eleiſon*. Quô inchoatô depoſitîs candelabrîs, revertantur in Chorum. Ad Evangelium ſimiliter, deferatur thuribulum ad Sacerdotem. Poſt Evangelium, dum canitur Offerenda vel verſus Offerendæ, Converſus afferat thuribulum cum acerra Cantori, quicunque ille ſit, qui Chorum tenet, ſi Feſtivitas ſit duodecim Lectionum, vel Feſtivi dies ſint trium Lectionum intra Octavas ſuperiùs deſcriptas : Cantor verò, cùm viderit tempus eſſe, ponat incenſum in thuribulo, & mittat Diacono ad Altare, & Diaconus tribuat Sacerdoti, niſi Abbas, vel Epicopus in Choro ſit, vel Miſſam celebret : quod ſi evenerit, ad ipſum deferatur thuribulum cum acerra ; ad introitum & ante Evangelium, à

Dia-

Diacono & Converſo poſt Offerendam à Cantore & Converſo. Circa finem Miſſæ cùm perventum fuerit ad prioris Collectæ *per Dominum noſtrum*, deponant duo Converſi candelabra ante Altare, & ſic cum eo, qui thuribulum tenet, revertantur in veſtiarium. Expletâ Miſsâ, ſequatur Sacerdos præcedentem Diaconum ferentem Miſſale. Si Feſtivitas trium Lectionum eveniat in aliqua die Dominica, vel in alia Feſtivitate alicujus Sancti, quæ propriam Hiſtoriam habeat, vel ſi propriam Hiſtoriam non habet, in albis tamen, vel in cappis fit, commemoratio de Feſtivitate trium Lectionum ſolummodo fiat ad priores *Veſperas*, & ad *Matutinas Laudes*, & Miſſa matutinalis de ea canatur: ſi verò Hiſtoria jam alia die Dominica cantata eſt, aut illa alia Feſtivitas duodecim Lectionum Hiſtoriam propriam non habet, nec in albis, nec in cappis ſit, Antiphona de Feſtivitate, de qua tres Lectiones fierent, ad cantica pronuncietur, & deinceps totum ſervitium usque ad finem ultimæ Collectæ de ea agatur. Poſt *benedicamus* fiat commemoratio Feſtivitatis, de qua octo Lectiones fuerint: omnes quoque horæ de illa dicantur, ſermo verò in Capitulo, & Miſſa major, *Matutinales* unde *Laudes* fuerunt.

Si Feſtivitas alicujus Sancti, de qua duodecim Lectiones fiunt, eveniat in die Dominica, de qua Hiſtoria jam cantata ſit, aut ſubſequente die Dominica cantari poſſit, totum ſervitium noctis & diei de Sancto agatur, Miſſa tantùm matutinalis de Dominica dicatur: tertium enim Nocturnum de Dominica die nunquam erit, niſi præcedentia duo de ea fiant.

In omnibus Dominicis diebus, & in prima die Dominicæ Nativitatis ad majorem Miſſam tantùm, & in die Dominicæ Circumciſionis, & Epiphaniæ, & in prima die Paſchalis ſolennitatis, & in die Aſcenſionis, & in prima die Pentecoſtes, & in Feſtivitate omnium Sanctorum, & in Dedicatione Eccleſiæ, & in omnibus Feſtivitatibus beatæ Mariæ, & in die Paſſionis Apoſtolorum Petri & Pauli, & in cæteris Feſtivitatibus aliorum Apoſtolorum dicatur ad majorem Miſſam *Credo in unum Deum*; nam ad matutinalem Miſſam in Conventu nunquam dicitur.

Quotiens diſponitur, ut aliqua perſona cum Feſtiva Proceſſione ſuſcipiatur, tangatur ter breviter unum de majoribus ſignis, ut hôc ſignô convenîant omnes Fratres in Eccleſiam ad induendum ſe: & cùm omnes cappîs induti fuerint, ſi tanta capparum copia eſt, aut caſulîs, & Dalmaticîs, ſi cappæ deſint, & pueri tunicîs, expectent ſedentes in Choro, donec procedant. Secretarius interim extendat unum tapetem, & deſuper pallium ante majus Altare ſuper priorem gradum, & ſimiliter faciat ante Crucifixum in medio Eccleſiæ. Hîs peractîs, cùm indicatum fuerit, jam prope adeſſe perſonam, pulſentur duo majora ſigna; tunc aliqui de majoribus accipiant aquam benedictam, & cætera, quæ ad Feſtivam Proceſſionem portari ſolent; hos præcedentes ſequantur Abbas, & cæteri, ùt ſunt priores: pueri cum Magiſtris ſuis extremi veniant, & in ordine ſuo ſtent inter duos Choros: cùm facta fuerit ſtatio ad ſuſceptionem perſonæ, quæ eùm ſuſcipitur, det eia Abbas aſperſorium cum aqua in manum, ſi Epiſcopus fuerit; aliam perſonam aſpergat ipſe: dehinc porrigatur ei incenſum ſimiliter ab Abbate, textus à Priore. Dum hæc fiunt, pulſentur omnia ſigna; Cantor verò incipiat cantum, qui conveniat perſonæ; dehinc revertatur Proceſſio; pueri cum Magiſtris ſuis primi ingrediantur Eccleſiam, hos ſequantur reliqui, ſicut in ſtatione fuerunt: extremus veniat Abbas cum ſuſcepta perſona, præcedentibûs eos ſupradictis portitoribûs. Ingreſſi Monaſterium, faciant ſtationem ante Crucifixum; pueri verò ſimiliter ſtent inter utrosque Choros: prædicti portitores paulatim progrediantur per medium eorum, & ſtent ante Crucifixum, verſîs vultibûs ad eum; interim oret ſuſcepta perſona. Finitô cantu, ſurgente eâ ab oratione, incipiat Cantor Antiphonam, vel Reſponſorium de Sancto, in cujus honorem fundata eſt Eccleſia: tunc præcedant prædicti portitores depoſituri in locis ſuis ea, quæ portant, ſtatim eùm ad Altare venerint. Sequantur Infantes; poſt hos reliqui eo ordine, quô ſuperiùs dictum eſt. Ingreſſi Chorum, ſtent à parte Altaris ex utraque parte, ſicut ſunt priores: oret iterum ſuſcepta perſona; finitô, quod cantatur, ſurgat, & ſi Epiſcopus eſt, qui ſuſcipitur, poſt datam benedictionem oſculetur omnes Fratres per ordinem: Fratres verò, qui induti ſunt, non flectant genua ante eum, ſicut ſolent facere, cùm oſculantur Epiſcopum, vel Abbatem, vel Principem terræ, ſed humiliter inclinantes ſe procedant ad oſculum ejus. Si ſpiritualis perſona fuerit, & Abbas expedire judicaverit diveſtitis Fratribûs, & in Capitulo, ſicut ſolent, conſidentibûs, ducatur illuc prædicta perſona, & petita benedictione, legatur ante eam lectio divina: quâ finitâ, eùm *tu autem Domine* ſermonem, ſi voluerit, de ea faciat. Si Abbas fuerit, qui ſuſcipitur ante introitum Capituli egredientes Fratres oſculetur. Si verò Capitulum non

non intraverit, ſervatâ competentî horâ in Clauſtro oſculetur eos. Abbas cùm eligitur, omnes Fratres, vel major vel melior pars in ejus electionem conſentire debent: electus autem, ſi extra Monaſterium conſecratur, cùm redierit cum Feſtiva Proceſſione ſuſcipiatur: ipſe verò in utraque ſtatione proſtratus jaceat. Finito cantu ſecundæ ſtationis, Epiſcopus, ſi adeſt, vel legatus ejus, in loco & ſtatione Abbatis, eum ſtatuat; quo ſtatuto, ſi Epiſcopus abeſt, incipiat Prior *te Deum laudamus*, quod dum cantant, accedant omnes Fratres, ſicut ſunt priores, ad oſculum ejus, bis flectentes genua, ſemel ante oſculum, & ſemel poſt oſculum: ex illa die in omni loco ſingulari reverentia honorandus eſt. In primo Capitulo ubi ſederit, omnes, qui intra Monaſterium obedientias habent, & res Monaſterii ſervant, ſuarum obedientiarum claves ante pedes ejus ponant: ipſe verò recommendet eis ipſas obedientias, ſi non aliter ordinandas eſſe decreverit. Inclinari debet à toto Conventu cum poſt inceptam Antiphonam inclinat, cùm in tabula in capitulo nominatur, ſi ibi præſens eſt, cùm in Pſalmo vel in alio aliquo fallitur in Choro, pro quo veniam petat. Eunte eo ad legendum, vel redeunte à legendo, aſſurgat ei totus Conventus; tranſeunte eo per Clauſtrum, vel per quemcunque locum, aſſurgant ei omnes, ante quos tranſit, quoadusque pertranſeat: cùm Capitulum introièrit, Fratribûs jam in eo conſidentibûs, de omnibus gradibus omnes deſcendant, donec idem conſideat; ubicunque ſit, ibi debet eſſe ordò & diſciplina: quapropter in quocunque loco fuerit, ſive in Clauſtro, ſive extra Clauſtrum, cùm reprehendit aliquem Fratrem inordinatè agentem, ſive loquentem, mox ille coram eo humilitet veniam petat, ſicut in Capitulo, & tamdiu ſtet ante illum, donec illum jubeat ſedere. Et ſi viderit illum iraſci, tamdiu ſatisfaciat ante ipſum veniam petendô, quousque illum reddat placatum. Abbas tamen providere debet, ne hoc faciat coram ſecularibus hominibus: ubicunque ſederit, nullus juxta eum ſedere præſumat, niſi ipſe juſſerit: juſſus verò ſedere, ad genua ejus ſe flectat, & oſculetur, & ſic humiliter juxta eum ſedeat. Quicunque ei in manum aliquid dederit, vel de manu ejus aliquid acceperit, oſculetur manum ipſius; intraturo in Refectorium duo Fratres ſerviant ei de aqua & manutergio. Quamdiu in Choro fuerit, nullus Infantibus, niſi eô jubente, audeat diſciplinam inferre. Quamdiu dormièrit in lecto ſuo manè, nullus ſonitum audeat facere; Magiſter tamen Infantum ſi viderit tranſire horam, quâ ſonitus à Priore fieri ſolet, ſurgat, & quàm quietiùs poſſit Infantes excitet, virgâ tantummodo tangens pannos, quibus cooperti ſunt: quô facto, exeuntes de Dormitorio lavent ſe & pectant, & factîs ſolitîs orationibûs, in ſcholam ſuam redeant, & cum ſilentio ſedeant, donec Abbas de lecto ſurgat: cùm alicubi extra Monaſterium moram faciens, mandat Conventui ſalutes ſeu orationes, omnes, qui in Capitulo ſunt, inclinent, flexîs usque ad ſuppedaneum ſcabellûm genibûs: eôdem modô fit pro Papæ vel Regis ſalutatione: pro aliarum verò perſonarum ſalutationibus, humiliter inclinetur tantùm. Cùm autem alicui Fratri mandat hujusmodi aliquid, ubicunque dicatur ei ipſa ſalutatio, continuò humiliter inclinet flexîs ad terram genibûs: quicunque Frater ad eum extra Clauſtrum venerit, primùm dicat *benedicite*, deinde indicet, propter quam cauſam venerit: nec ſedere coram eo, nec recedere ab eo audeat ſine ejus licentia; acceptâ ab eo recedendi licentiâ, primùm dicat *benedicite*, deinde recedat; omnis totius Monaſterii ordinatio ex ejus arbitrio pendeat; ſi quid novum, neceſſitate cogente, vel ratione ſuadente, eo abſente, in Monaſterium ordinatum fuerit; cùm redièrit, indicetur ei, & poſtea fiat, ſicut ipſe præceperit: ſi de Monaſterio exièrit, & vel una nocte extra moratus fuerit, mox, ut redièrit, cuicunque Fratri abſtinentia in Capitulo injuncta fuerit, abſolutus erit. Cùm de hac vita deceſſerit, de proximo invitandus eſt Abbas, vel Epiſcopus ad ſepeliendum eum. Præter omnia, quæ aliis defunctis Fratribus fieri ſolent, addantur ei hæc: circumdentur ei Sacerdotalia indumenta, & virgâ paſtoralis ponatur in ejus dextro brachio; *Verba mea*, per unius anni circulum pro eo dicatur; & juſtitia ejus per totum ipſum annum ad menſam Abbatis quotidie cum tribus pulmentis danda pauperibus ponatur: omnî annô Anniverſarius dies mortis ejus Feſtivè celebretur.

Servatâ Abbati in omnibus reverentiâ, Prior, qui & Præpoſitus in Regula nominatur, honorabilior eſt reliquìs Miniſtrîs domûs Dei; ipſe ſolus cæterorum Miniſtrorum primum ſuæ partis locum habet in Choro, in Capitulo, in Refectorio. Ipſi ſoli ſervit Sacerdos de thuribulo poſt Abbatem, ad *Veſperas*, & ad *Matutinas Laudes*, quotienscunque ad easdem horas circumfertur thuribulum per Chorum: ea quoque, quæ extra Clauſtrum ſunt, ſi Abbas deeſt, juxta ipſius arbitrium diſponuntur: ſi Abbas longiùs à Monaſterio fuerit, ipſe deponere poteſt eos, quos intellexerit non juxta profi-

cuum

ctuum Eccleſiæ, res ſibi commiſſas tractare. Quotiens res expoſtulat, tenet, aut teneri jubet Capitulum de omnibus ſervientibus, qui intra officinas Monaſterii converſantur, & ſecundùm merita delinquentium, eo jubente, vindictæ inferuntur. Intrante eô Capitulum, omnes ei aſſurgant, ſtantes in ſuppedaneis, donec conſideat. Quod ſi tardaverit, & Prior Clauſtri in loco ſuperiori priùs ſederit, intrare non debet. Si cauſa fuerit, quæ differri non poſſit, aut non debeat, ingreſsô eô, Prior Clauſtri ex altera parte prior omnibus ſedeat. Tranſeunte eo per Clauſtrum, vel per Chorum, non aſſurgetur ei; volente eô ſedere in Clauſtro, ubi alii Fratres ſedent, aſſurgunt ei tantùm juxta quos ſedere vult; ubicunque extra Clauſtrum Fratres ſedentes invenerit, aſſurgunt ei omnes. Prior Clauſtri, quocunque major Prior eat, ſi fieri poſſit, in Clauſtro vel circa Clauſtrum debet ſemper eſſe & ordinem Clauſtri omni ſolicitudine ſervare; cùm Abbas & major Prior abſunt, ſi contingat quemlibet Fratrum ex infirmitate laborare, poteſt ei præcipere in domum infirmorum ire, &, ſi tanta ægritudo eſt, carnem comedere. Ad ipſum maximè pertinet infirmos Fratres viſitare, & quid agant, & quid velint cognoſcere & in omnibus quæ vel corporibus vel animabus eorum neceſſaria ſunt, conſulere. Abſente majore Priore, Capitulum ſervientium debet tenere, & ſecundùm culpas vindictas inferre, ſed non eſt ſui juris quemlibet addere vel auferre; ſui quoque officii eſt omni die poſt *Completorium*, ſuſceptâ, dante Hebdomadario Sacerdote, à Fratribus aquâ benedictâ, remanere, donec omnes pertranſeant in aliquo congruo loco, unde bene poſſit obſervare, qui ſint, qui non reverenter incedunt, & qui in exitu Eccleſiæ, ùt mos eſt, non velant caputiis capita ſua, & multa hujusmodi: egreſsô totô Convẽtu acceptâ abſconsâ, ſi nox eſt, vadat per cryptam & cætera membra Monaſterii, ubi ſuſpicio poteſt eſſe, per Clauſtrum, Capitulum, cæteráſque officinas ſubtiliter obſervando, ne aliquis Frater, qui non debeat, ibi remanſerit, & ne fortè oſtia Clauſtri vel armariorum non firmata remanſerint. Hîs ita expletîs vadat in domum infirmorum, eôdem modô conſideraturus, utrum omnes in lectis ſuis jam collocati ſint, & habeant ſe ſilenter, & omnibûs modîs regulariter, ſicut mos eſt. Revertens quoque in Dormitorium hoc idem conſideret; in hyeme autem ad intervallum, quod fit inter Nocturna & *Matutinas Laudes*, ſi major Prior abeſt, eandem circam facit, quam majorem Priorem debere facere ſuperiùs dictum eſt, cùm in Tractatu menſis Novembris de hoc intervallo ſermo fuiſſet. Facit & aliam citcam, cùm, tardantibûs *Veſperîs*, ſervitores nocte in Refectorio cœnant, & Fratres, qui majori cœnæ interſuerunt, accensîs luminaribûs in Capitulo eos expectant, circumit enim tunc ſuperiùs dicta loca, obſervans ne aliqui, qui cum cæteris in Capitulo ſedere debeant, otioſis verbis, aut alicui vanitati intendant; quod cùm accidit, ſi tanta noctis obſcuritas eſt, accendantur luminaria in Monaſterio, Clauſtro, Dormitorio, ut exeuntes, ab utraque cœna videant, quò procedant: ſervitores verò ſurgentes à cœna ante Capitulum, tunc ad Monaſterium vadant: & dum tranſeunt ante Capitulum, incurvati eant, quoadusque pertranſeant. Ante introitum tamen Capituli ſe erigant, & ſolito more ad Orientem verſi humiliter inclinent. Fratres quoque, qui in Capitulo ſedent, ſurgentes à ſedibus ſuis, illîs tranſeuntibûs, humiliter ſe inclinare debent. Quæcunque major Prior, dum in Monaſterio eſt, concedere poteſt, vel prohibere, ulciſci culpas vel indulgere, hæc quoque Prior Clauſtri, abſente eo, facere poteſt, exemptîs majoribûs causîs, quas vel ipſius majoris Prioris, vel Abbatis judicio reſervare debet, ubicunque vel in Refectorio, vel in Capitulo, ſive in Clauſtro, ſive extra Clauſtrum, aſſurgi debere majori Priori ſuperiùs dictum eſt; abſente ipſo majore, huic aſſurgi ſimiliter debet.

Circumitores Monaſterii, quos alio nomine Circas vocant, juxta S. Benedicti præceptum certîs horîs circumire debent Monaſterii officinas, obſervantes incurias, & negligentias Fratrum, & ſtatuti ordinis prævaricationes; iſti eligantur de totius Monaſterii melioribus & prudentioribus, qui nec malitioſè pro privato odio unquam clamorem de quolibet faciant, nec pro privata amicitia negligentias aliquorum taceant. Numerus eorum ſit ſecundùm facultatem loci, & neceſſitatem rei; hi religioſè & ordinatè maximè in circumeundo debent incedere, & exemplum Religionis videntibus oſtendere: dum circumeunt nulli ſignum faciant, nulli quacunque occaſione loquantur, ſtudioſè tantùm negligentias, & offenſiones inſpiciant, & tacitè prætereuntes, de eis poſtea in Capitulo clamores faciant. Cùm autem extra Clauſtrum inveniunt aliquos Fratres loquentes, ſimul aſſurgant eis ipſi loquentes, dicátque eis unus eorum, ſi ita eſt, quia per licentiam loquuntur ibi: circumitores verò, nec verbo nec ſigno ei reſpondeant, ſed modeſtè pertranſeuntes intenta aure ſubaudiant, ne ipſa verba ſint inutilia, quæ non oporteat dici,

dici. Cùm autem cum famulo, ſeu cum aliquo quolibet Laico inveniunt aliquem Fratrem loquentem, non eſt mos, ut ipſe Frater aſſurgat cuilibet eorum, aut dicat eis quidquam; nunquam, cùm circumeunt, debent ſimul ire, ſed unus hac, & alter illac, ſecundùm quod injunctam curam inter ſe diviſerint, & Abbas, vel Prior eis ordinaverit; officinas Monaſterii nunquam pro hac cura egrediantur, ſed per oſtia earum proſpiciant, ſi fortè aliqui Fratres per curiam vadant vagantes, aut ſtent, vel ſedeant fabulantes: hæ ſunt horæ, quibus ex conſuetudine circumire debent, quamvis & aliis horis, ſi Abbas vel Prior ita oportere judicaverit. Completis tribus orationibus, quas Conventus facit ante Pſalmos, quos ante Nocturna dicere ſolet, tunc enim, accensâ candelâ in abſconſa, unus eorum in Dormitorio debet circumire lectos omnium, & omnia ſedilia in neceſſariis ſollicitè conſiderans, ne fortè aliquis Frater dormiens ibi remanſerit, dehinc revertatur in Monaſterium; & circumeat omnia Altaria in cryptis, & quæ ex utraque parte Chori ſubtus ſunt, cæteráque Monaſterii loca, ubi ſuſpicio poterit eſſe, diligenter obſervans, ne aliquis Frater ibi dormiat, vel jaceat, vel inordinatè ſedeat: ſanguine verò minuti, ægri, & debiles non clamantur in Capitulo, ſi eâ horâ inveniantur ſedendô quidem, non jacendô quieſcere. Cæteros verò cùm dormientes invenerit, non eos quocunque modo tangat, ſed modeſtè atque ordinatè tantummodo, quô excitentur, faciat. Circa medietatem ſecundi Nocturni, & in *Laudibus* paululum ante *laudate Dominum de cœlis* accensâ candelâ in abſconſa circumeat prædicta Monaſterii loca, obſervans omnia, quæ ſuperiùs dicta ſunt: in die autem circumeat poſt Offerendam minoris & majoris Miſſæ; & poſt cœnam, cùm bis Fratres reficiunt; & poſt prandium, cùm ſemel; vadant & in fine Vigiliæ Defunctorum. Surgant etiam ſæpe de prandio, aut cœna, non omnes quidem, ſed aliqui, cùm ſuſpicantur, ſe inventuros aliquid negligentiæ, hoc verò non longè à Refectorio fiat, ut, ſi opus fuerit, ſtatim poſſint occurrere cum aliis; ad Verſum, qui finitô prandiô vel cœnâ dicitur, iſti attentè, & reverenter audiendi ſunt in Capitulo. Auditis eis, qui ſponte venias petunt, iſtorum eſt, primos clamores facere.

Cantor, quamdiu Abbas in Monaſterio eſt, Conventum ſequens, non ſcribatur in tabula ad Lectionem, vel ad Reſponſoriū, ut videlicet ſi fortè Abbati cómodum non fuerit legere aut cantare, ipſe ſine mora pro eo inveniatur paratus: cùm verò Abbas extra Monaſterium eſt, vel intra Monaſterium Conventum ſequi non poteſt, in locum ipſius ſcribatur Cantor in tabula, ad Lectionem, & ad Reſponſorium. Quicunque lecturus, aut cantaturus eſt aliquid in Monaſterio, ſi neceſſe habet ab eo, priusquam incipiat, debet auſcultare. Ipſius eſt omnì horâ ſolicitè providere, ne eveniat negligentia in quocunque obſequio, quod fit in Monaſterio: ſi quis obliviosſus non inceperit, cùm incipere debet Reſponſorium, aut Antiphonam, vel aliud hujusmodi, ſive in eodem jam benè incepto, aliquô modô deviaverit, ipſe debet eſſe proviſus, atque paratus, ut ſine mora, quod incipiendum erat, incipiat, vel eum, qui fallendô deviaverat, in viam reducat: ad ipſius arbitrium cantus incipitur, elevatur, remittitur, nulli licet cantum levare, niſi ipſe priùs incipiat, ipſius eſt omnes Fratres in tabula ad omnia officia annotare, non conſiderato converſionis ordine aut voluntate eorum; ſed ſecundùm quod ei viſum fuerit, honeſtatem & ædificationem in hoc vigilanter conſideranti. In Feſtivitatibus, quæ fiunt in cappis Secretarius debet eligere, quod opus fuerit de melioribus cappis earum, quæ ipſo die habentur in Choro, & ante initium Miſſæ ponere eas ſupra dextram formam Chori; Cantor verò diſtribuat eas Fratribus illis, quos ſecum in Choro habere voluerit: ipſa enim capparum diſtributio, eorum eſt ad regendum Chorum advocatio: nullúsque eorum ante finem Miſſæ, de Choro debet recedere ſine ejus licentia. Cantor verò, cujuscunque Ordinis, vel ætatis ſit, in medio eorum debet eſſe in Choro. Quotienscunque textus, aut thuribulum affertur eis, utrumque prius Cantori offeratur, niſi aliquis Epiſcopus, vel Abbas, ſeu major Prior, vel iſte, qui tenet ordinem, ibi ſit inter eos: Cantor in dextro Choro ſemper ſit, & dum tenet Chorum, quidquid incipit, ſive *Kyrie eleiſon*, ſive aliud hujusmodi, dexter Chorus priùs ſuſcipiat, quod ab eo inceptum fuerit, & ſequatur ipſum: omnes, qui in Choro ſunt, inclinati quidem cantant *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, niſi Verſus interponantur, erecti verò *Dominus Deus Sabbaoth &c.* Cantor & illi, qui cum eo ſunt, totum erecti canant: ad Collectas omnes & cum Sacerdos dicit *orate Fratres* & ad totum *Pater noſter* inclinentur. Sed ad finem ipſius *Pater noſter*, reſponſo, *ſed libera nos à malo*, erigantur, quod aliis non licet. Eodem modo fit cum in Feſtis In albis ſolus, vel cum aliis Chorum tenet, quod non licet ei, qui in Dominicis & hujusmodi Feſtis Hebdomadarius Cantor exiſtit. In omnibus præci-

præcipuis ſolennitatibus, cùm eveniunt in Dominicis diebus, ſcribatur in tabula ad officium Miſſæ, & cum eo duo, quos ipſe voluerir; de thuribulo poſt Offerendam ei deferendo ſuperiùs dictum eſt. Cùm ſit opus manuum, ipſius eſt, aut legere aut Magiſtro Infantûm oſtendere, quo in loco Infans debear Lectionem incipere. In Dominicis diebus, & hujusmodl Feſtis, inceptâ Offerendâ accedat, qui Chorum tenet, ad Cantorem, faciâtque illi ſignum incipieodi verſus Offerendæ: ad ipſum enim pertinet túnc incipere eos etiam, ſi ſuccenror Chorum teneat; Cantor viſô ſignô ioclinet ei, & Hebdomadarius Cantor ſimiliter ipſi: incepto unoquoque Verſu, Cantor ante & retro faciat, & omnes Inſantes inclinent; ipſius eſt notificare Abbati omoes cantus, quos Ipſe cantat, aut iocipit. Cura Brevium., qui foras mitti ſoleot pro defunctis Fratribus, & cura nominandi tricenaria & ſeptenaria ad eum pertinet: de univerſis Monaſterii libris curam gerat, & eos in cuſtodia ſua habeat, ſi ejus ſtudii, & ſcientiæ ſit, ut eorum cuſtodia ei commendari debeat.

Ad Secretarii officium pertinet, omnia ornamenta Monaſterii, & omnia inſtrumenta & ſupellectilem, quæ ad ipſum Monaſterium pertineor, cuſtodire; horas providere; in duodecim Lectionibus pronunciatô Evangeliô in tertio Nocturno & in ſeſtivis Octavis Altare diſcooperire; textum tunc io veſtiariom pottare, quem Sacerdos ſerat, cùm in cappa per ſingulos dies proceſſerit ad Altare; Sacerdoti ab Altari ad analogiū reverſo abſcooſū cum candela miniſtrare: fioitâque Collectâ eandem abſcooſam recipere; & poſtea textū pooere ſuper Altare. Ipſius eſt ſigna pulſare, vel qualiter pulſentur, aliis indieare; de nulla hora ſonanda à quovis licentiam petir, niſi de ſola *Prima*, & Collatione; excepto de *Tertia* & *Veſperis*; cùm loquentibûs Fratribûs Abbas in Clauſtro ſeder, candelas per officinas diſtribuit, ſecundùm quod opus fuerit, & Abbas vel Priot præceperit. De ſepulturis, tam Monachorum, quàm Laieorum curam gerir, ut videlicet fiant, & ubi fiant. Sul officii eſt calices bis in hebdomada, aut ſæpiùs, ſi ppos fuerit, lavare, cotporalia quoque, ante Paſcha ſemper, & quotiens reliquîs anni partibûs expedit; utrumque ſi Diaconus aut Presbyter ſit; ſi verò non ſir, Priori, vel Abbati iudicare, & ipſius licentiâ alicui, qui hujus Ordiois ſit, hanc curam commendare; lavandis corporalibus, quanta poſſit, diligentia adhibeatur, vaſa aenea, ad nullos alios uſus deſtinata, ad hoc opus habeaotur; aqua, quâ lavantur, ſicut & calicum in ſacrarium projiciatur: lotis, dum ſiccantur, ne aliquæ ſordes adhætcant, omnibûs modîs provideantur. Cura faciendi hoſtias ſuper eum eſt, quæ, ut mondiſſimè & honeſtiſſimè fiant, ſummopere ſtudere debet. Ioprimis, ſi fieri poteſt, ſrumentum cum magno ſtudio granatim eligatut, electum in ſacculo mundo, & de bono panno ſactô, & ad hoc opus tanrùm paratô pooatut, & à ſamulo boni ſtudii ad molcndinom deſeratur. Quô delatô ſamulus aliud ſrumentum in ipſo molendino moli priùs faciat, ur illud, uode hoſtiæ fieri debent, ſine aliqua ſorde moli poſtea valeat: reportatâ ſarinâ Secretarius vas, & locum, quô farina buletari debet, in circuiru cortina pàret, ipſemet verò, indutus albâ, & velato amictu capite, hoc opus agat. Ea autem die, quâ hoſtiæ fieri debenr, Secretarius & Fratres, qul eum juvare debent, antequam incipiant, manus & facies lavent, albîs induantur, capita amictibûs velent, præter eum, qui ſerta tenturus, & inde ſerviturus eſt. Horum unus ſuper tabulam mundiſſimam ipſam ſarinam aqnâ conſpergat, & manibûs ſortiter compingat, & maceret, Frater, qui ſerra, in quibus coquuntur, tener, manus chirothecìs habear involutas. Interim dum ipſæ hoſtiæ fiunt, & coquuntur, dicant iidem Frarres Pſalmos ſamiliares horarum, & horas Canonicas vel de Pſalterio ex ordine, quod tantundem valeat, ſi ita potiùs voluerint. Silentiom loquendi omnino teneant, ille tamen, qui ſerra tenet, ſi neceſſe ſit, breviter, quod vult, indicare poteſt ſamulo, qui ſocum facit, & ligna portat, quæ debent eſſe valde ſicca, & ante multos dies de induſtria præparata. Ejus ſolicitudinis eſt ambullas vinarias, & aquarias bis in hebdomada, id eſt quartâ Feriâ, & Sabbatô lavare; omni die vinum ac aquam ad Miſſas celebrandas portare, offcrentibus ad utramque Miſſam hoſtias miniſtrare; candelas ad Lectiones, & in *Matutinis Laudibus*, ad primam Collectam accendere: quæ Matutinæ Laudes, ſi ultra modum & iodecenter tardaverint, Secretarius, cui hujus rei cura tunc commiſſa erit, ante gradum ſatisfactionum proſternatur, quousque ipſa Collecta usque ad *benedicamus Domino* finiatur: quô inceptô, nullâ expectatâ llcentiâ, recedat, & ante & retro non faciat. Hôc modô ſatisfaciat, quocunque die hujusmodi negligentia eveniat, & inde poſtea in Capitulo aliam veniam non petat. Et quia hujus Miniſterii, & in his, quæ ſcripta ſunt, & in multis aliis, quæ ſcripta oon ſunt, multiplex, & valde implicita cura eſt, non uni tantùm ſed multis commendari, atque Inter eos dividi debet: unus eorum ſit Magiſter aliorum, ad cujus diſpoſitionem

cæteri agant, majoribûs cauſîs ſervatîs arbitrio Abbatis vel Prioris.

Camerarii eſt procurare omnia veſtimenta, & calceamenta, & lectos, & ſtramenta Lectorum, quæ Fratribus ſunt neceſſaria, & juxta Regulam habere conceſſa; raſoria quoque, & forfices, terſoria ad radendum; terſoria in Clauſtro pendentia; terſoria & manutergia mandati, & omnia vaſa ejus: vitreas Dormitorii facit, & reficit, cùm opus eſt; dat ferra, quibus ferrantur equi Abbatis, & Prioris, & omnium hoſpitum. quibus ferra dari Abbas vel Prior præceperit; Fratribus quoque in iter profecturis cappas, faſciolas, calcaria; ſemel in anno renovari facit fœnum in omnibus lectis Fratrum, & tunc etiam mundari Dormitorium.

Ad Cellerarii miniſterium pertinet, omnia, quæ in pane, & potu, & diverſis ciborum generibus Fratribus ſunt neceſſaria, ſecundùm facultatem loci procurare, omnia vaſa Cellarii, & coquinæ, & ſcyphos, & juſtas, & cætera vaſa Refectorii, & omnem horum trium neceſſariam ſupellectilem miniſtrare: Pater totius Congregationis debet eſſe, de ſanis, & maximè infirmis Fratribus ſolicitudinem habere: præter conſilium Abbatis, vel Prioris de majoribus cauſis nihil facere: rogandus eſt ab eo Cantor, ut ante aliquot dies præmoneat eum, & prænunciet ei diem, quô ſententia ſua de Regula legenda eſt in Capitulo, ut videlicet honeſtum, & Feſtivum ſervitium ipſa die poſſit facere Fratribus in Refectorio: tabulæ tamen Refectorii non ſint coopertæ: lectâ verò in Capitulo & expoſitâ prædictâ ſententiâ, cùm dictum fuerit à Priore *loquamur de ordine noſtro;* ſtatim proſtratus in loco, ubi mos eſt, dicat: *Iſtam obedientiam, quæ mihi injuncta eſt, meâ culpâ, negligenter, & tepidè, & multò aliter, quàm oportet, tracto; & in ea in multis offendo Dominum, & noſtros Seniores, meâ culpâ: & requiro inde abſolutionem veſtram & Seniorum.* Quo dicto, abſolvat eum, qui Capitulum tenet, de his offenſis, quas ibi enumeraverit; & de omnibus reliquis, quæ in eo ſunt. Ad cujus abſolutionis finem reſponsô ab omnibus, cum omni devotionis affectu, ùt mos eſt, *Amen*, vadat, ad pedem ejus, & deinde jubeatur ire ſeſſum; finitô Capitulô, & dictô *verba mea*, ſi ipſa die dici debet, in eodem Capitulo dicant Fratres pro eo quinquageſimum Pſalmum: quô completô cum *Gloria Patri* & *Pater noſter*, dicat Hebdomadarius: *Et ne nos inducas, ſalvum fac ſervum tuum, Dominus vobiſcum, oremus, omnipotens ſempiterne Deus, miſerere famulo tuo*; & reliqua. Quod ſi ſuſceptô Brevi pro defunctо, ipſa die canentes *verba mea*, in Monaſterium ituri ſunt; priuſquam eant, prædictum Pſalmum, cum Capitulis, & Collecta dicant. Si autem prædictam ſententiam contigerit tali die legi, quâ non poſſit refectio honorabiliter fieri, ſicut eſt in Vigiliis quatuor temporum, & hujuſmodi diebus petat Cellerarius à Priore & Capitulo licentiam, quò differre poſſit refectionem in aliam diem, quâ honeſtiùs & pleniùs fieri valeat.

Frater, qui ad ſuſcipiendos hoſpites deputatus eſt, in ipſa hoſpitum domo hæc præparata habere debet; lectos, ſedilia, menſas, manutergia, mappas, ſcyphos, ſcutellas, cochlearia, baccilia, & ſi qua ſunt hujuſmodi; ligna quoque; panem verò & potum, & cætera cibaria, ad opus hoſpitum per famulos ſibi deputatos, in Cellario recipit. Quicunque Abbati, vel Priori, ſeu alicui de Clauſtro loqui vult, legationem ſuam huic debet injungere: ipſe verò nihil inde alicui aliquô modò indicans, ad Abbatem vel Priorem voluntatem hoſpitis perferat; & poſtea, quod ipſe decreverit, fiat. Si autem Fratri, qui in Clauſtro eſt, loquendi cum hoſpite, vel propinquo, vel extraneo conceſſa licentia fuerit, iſtius eſt ipſum Fratrem de Clauſtro ad hoſpitem ducere: quod ſi Abbati, vel Priori non placuerit, ut ſimul loquantur, nec verbum, nec ſignum, nec aliquem nutum ipſi Fratri faciat, quô aliquid inde percipere quolibet modô valeat; ipſius eſt præ omnibus ſolicitè obſervare de Fratribus, qui in obedientiis ſunt, cùm ad Monaſterium redeunt, utrum famulos idoneos, & cellam regularem habeant, & quomodo ſe in curia contineant, ut ſi extra ordinem aliquid fecerint, clamorem inde ſuper eos in Capitulo faciat; ſi extranei Clerici ſe dixerint in Refectorio velle comedere, iſtius eſt voluntatem ipſorum Abbati vel Priori indicare. Quod ſi Abbas, vel Prior petitioni eorum annuerit, iſte eos, quomodo in Refectorio ſe habere debeant, bene inſtruat, & ita inſtructos, pulſatô jam cymbalô, in Locutorium adducat, ibique Abbas vel Prior, ſi Abbas deeſt, manibus eorum aquam tribuat, & poſtea prædictus Frater eos ad menſam Abbatis ducat: completô autem prandiô, atque exeunte Conventu de Refectorio, præfatus eorum ductor poſt Abbatem, vel Priorem ſolus cum illis remaneat, & ſequatur cum eis Proceſſionem, donec de oſtio Refectorii exeat; poſtea ducat eos extra Clauſtrum mediocri voce pſallendo cum eis, *miſerere mei, Deus*, & cætera quæ ſequuntur. Ipſius

eſt

eſt extraneum Monachum, qui ignarus loci ſit, per Clauſtrum in Monaſterium ad orationem ducere; breves pro defunctis per manum illius Magiſtro Infantum dari, vel in Capitulum deferri debent; ad eum pertinet ſeculares homines, qui ſocietatem Fratrum ſuſcepturi ſunt, adducere in Capitulum; ipſius eſt volentibus videre officinas ipſas officinas oſtendere, obſervarô, ut Conventus tunc in Clauſtro non ſedeat, nec aliquem ocreatum, vel calcaria habentem, nec aliquem, qui nudis pedibûs ſit, vel ſolis femoralibûs calceatus in Clauſtrum pro qualibet cauſa introducat. Suum prætere a eſt Novitios, qui de ſæculo veniunt, & in Capitulum adducere, & docere eos priorem petitionem facere.

Eleemoſynarius aut per ſe, ſi opportunum ſibi eſt, perquirat, aut per veraces & fideles homines cum multa ſolicitudine perquiri faciat, ubi ægri & debiles jaceant, qui non habent, unde ſe ſuſtentare valeant; ſi autem ipſemet ad perquirendum & viſitandum perrexerit, duos famulos ſecum habeat, & priusquam intret domum, ad quam iturus eſt, mulieres, ſi aliquæ in ea ſunt, exire faciat: ingreſſus domum blandè conſoletur ægrum, & offerat ei quod melius habet, & ſibi intelligit eſſe neceſſarium: quòd ſi æger aliud requirit, & ipſum perquirat, ſi aliquô modô habere potuerit. In eas autem domos, in quibus mulieres ægræ vel debiles jacent, nunquam introeant, ſed per unum de famulis ſuis, quod habere poteſt, & eis neceſſarium eſt, tranſmittat; priùs tamen quàm aliquid de ſupradictis agat, Abbati, vel Priori indicet, & ſecundùm eorum diſpoſitionem eleemoſynam Monaſterii eis diſpenſet.

Frater, cui cura domûs infirmorum committitur, & infirmis Fratribus ſervire deputatur, coquum ſuum habeat & coquinam ſeparatim, ſi loci ſitus, & facultas talis ſit, ùt, quod infirmis præparari neceſſarium eſt, opportuno tempore parari poſſit; omnia fercula apponenda infirmis ipſe adminiſtret eis: omni die poſt *Completorium* ſpargat aquam benedictam per omnes eorum lectos: factis tribûs orationibûs, quæ fiunt ante Nocturna, circumeat cum abſconſa lectos infirmorum omnium, obſervans ſolicitè, ne aliquis, qui valeret ſurgere, in lecto remanſerit; ipſius eſt præcipuè manifeſtare, & clamare in Capitulo, negligentias omnium in prædicta domo commorantium: cùm perceperit infirmum jam eſſe propè finem ſuum, ſuum eſt præcipere famulis ſuis, ut calefaciant aquam ad lavandum ipſum. Cura de feretro cuſtodiendo & adminiſtrando, cùm opus fuerit, ſuper eum eſt, & ſuper famulos ſuos, ſicut & cura de adminiſtranda tabula, quam ex more Prior ſemel percutit, completa ablutione ipſius defuncti; defuncto Fratre, & in Monaſterium deportato, locum, in quo jacuit, mundari, & fœno vel junco renovari faciat; Abbas vel Prior omnibûs modis ſolicitudinem gerat, ne aliquid, quod ad hoc Miniſterium neceſſarium eſt, in illa domo unquam deficiat,

Cùm de corpore, vel ſanquine Domini tanta negligentia aliquo caſu accidit, ut cadat deorſim; ſive in alium locum, ubi plenè percipi non poſſit, quo ceciderit, & utrum ad terram inde aliquid venerit, quàm citiùs fieri poſſit, indicetur res Abbati vel Priori, qui adjunctis ſibi aliquibûs Fratribûs properè veniat ad locum, ubi hoc contigerit. Et ſi corpus ceciderit, vel ſanguis effuſus fuerit ſuper lapidem, aut terram, aut lignum, aut mattam, aut tapetem, aut aliquid hujusmodi, pulvis terræ colligatur, pars illa lapidis radatur, pars ligni, mattæ, tapetis, aut ſi quid aliud eſt hujusmodi, abſcindatur, & in ſacrarium projiciatur; quod ſi locus, ubi ceciderit, manifeſtè deprehendi nequiverit, & tamen deorſim cecidiſſe conſtiterit, in loco, & circa locum, in quem maximè cecidiſſe crediderit, ſimiliter colligatur, radatur, abſcindatur, & in ſacrarium recondatur: hi verò, quorum negligentiâ hoc evenerit, in proximo Capitulo humiliter culpam ſuam dicant, judicium nudi ſuſcipiant, & injungatur eis pœnirenria, vel de jejunio, vel judiciis, vel Pſalmis, vel aliqnid hujusmodi: quibûs de judicio ad loca ſua reversîs, omnes Sacerdotes, qui tunc præſentes erunt, ſurgant, & ad judicia ſuſcipienda cum omni devotione ſe offerant. Tunc ille, qui Capitulum tenet, ſeptem tantùm quos voluerit de ipſis ad ſuſcipienda judicia retineat, & cæteris ire ſeſſum præcipiat. Finitô Capitulô, omnes ſimul proſtrati dicant ſeptem Pſalmos, in Monaſterio incipientes eos pſallere, cùm exeunt de Capitulo: quos ſequatur *Pat.r noſter*, cum his Capitulis & Collecta *& veniat ſuper nos miſericordia tua, Domine*; *Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum; Dominus vobiscum; Oremus; Exaudi, Domine, preces noſtras, & confitentium tibi parce peccatis, ut quos conſcientia reatus accuſat, indulgentia tua miſerationis abſolvat*, aut illam Collectâ, *Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper*: aut aliam pro peccatis. Si verò ſuper corporale vel ſuper aliquem honeſtum pannum ſanguis ceciderit, certùmque fuerit, quò

quò ceciderit, pars illa panni in aliquo calice abluatur, & prima ablutio à Fratribus abſumatur, reliquæ duæ in ſacrarium projiciantur. In primo autem Capitulo dictâ culpâ, hi ſoli tantùm, quorum negligentiâ hoc evenit, ſupradictam diſciplinam ſuſtineant; Fratres verò omnes ſeptem Pſalmos cum Capitulis, & Collecta, ſicut ſuperiùs dictum eſt, in Monaſterio dicant: ſi ipſa die brevis pro defuncto in Capitulo lectus fuerit, priùs canant *verba mea* pergentes in Eccleſiam; poſtea ſeptem Pſalmos, ſicut ſuperiùs dictum eſt: ſi verò alio modo de hoc Sacramento levior negligentia evenerit, ex judicio Abbatis, vel Prioris leniorî vindictâ Frater, cujus culpâ hoc contigerit, puniatur.

Qua die radendi ſunt Fratres, citiùs ſolitô pulſetur ſignum ad *Primam* vel ad *Tertiam*, ſi ipſa *Tertia* ante Capitulum dici debet: in Capitulo non diu ſedeant, ſed neceſſariîs rebûs explicitîs ſurgentes, pulſatâ tabulâ, dictóque *benedicite*, exeant in Clauſtrum. Infantes ipſa die Capitulum non teneant, ſed ſtatim poſt alios exeant, & in ſcholam ſuam pergant; reſidentibûs cunctîs, & ad radendum paratîs incipiat Abbas, aut Prior, quinque Pſalmos, id eſt, *verba mea* pro defunctis; Sacerdos Hebdomadarius ſedens dicat Collectas, alter quoque Hebdomadarius juxta eum ſedeat, & cum eo Pſalmos teneat; poſt quinque Pſalmos dicant omnes Canonicas horas, in quarum fine usque ad *Veſperas* non dicat Sacerdos *Dominus vobiſcum*, nec *benedicamus Domino*, ſed poſt *per omnia ſæcula ſæculorum*; ſtatim incipiat *Deus in adjutorium meum*: poſt *Veſperas* verò, dicto *benedicamus Domino*, pſallantur *Veſperæ* Mortuorum, dehinc *Completorium* ut Canonici; poſtea familiares Pſalmi horarum. Nullus in cuculla radatur, ſed priùs cuculla exutus, & frocco indutus, cuculla plicata & juxta ſe poſita radatur; ille, qui radit, frocco exutus ſit. Juvenes, qui ſunt in cuſtodia, cuſtodes ſuos radant, & cuſtodes ipſos juvenes: quod ſi cuſtos nequiverit, aut neſciêrit radere, roget aliquem maturum Fratrem, ut eum radat, ipſe tamen cuſtodiens ipſum juxta eum ſedeat. Juvenes quoque ſive nutriti, ſive de ſæculo venientes, utrique tamen extra hujusmodi cuſtodiam exiſtentes, non præſumant, ut alter alterum radat, ſed Seniores ab illis, & illi à Senibribus radantur; Magiſtri pueros radant, & ipſi à pueris radantur; ſi tamen hujusmodi ſcientiam habent. Hiemali tempore, quando pueri & ſanguine minuti, atque infirmi poſt Capitulum accipiunt mixtum, Refectorarii primi ſe radant, & poſt Pſalmos tam citò apparatum Refectorii faciant, ut Fratres accepturi mixtum omnia parata inveniant. Quamdiu Pſalmi dicuntur, nemo tondeatur, vel caput abluat, vel ungues incidat, nec extra Clauſtrum ſine licentia ire præſumat; finitîs Pſalmîs dicat Abbas vel Prior *benedicite*, & reſponſo *Dominus* poſtea loquantur: tunc lixivia in Clauſtrum deferatur, & qui vult, caput lavet, quisque ſibi, nullius alii, præter Magiſtros Infantum, qui parvulis pueris, qui id non poſſunt, capita lavare debent; Frater, dum raditur, ſi ſignum ad horam ſonuerit, induat cucullam ſuper froccum, & pergat in Chorum, ſi tamen omnino barbam raſam aut omnino adhuc intactam habet, alioquin extra Chorum maneat. Ipſo die, quô ſe radunt Fratres, mappæ in Refectorio mutandæ ſunt; aliîs diebûs, quando Fratres in Clauſtro loquuntur, qui neceſſe habet, tonderi poteſt in Clauſtro, ſed per licentiam Abbatis ſive Prioris.

Licentia minuendi ſanguinem omni tempore ſtatim poſt Capitulum petenda eſt, & Cellerario indicanda hora minuendi eſt; in hieme poſt Evangelium majoris Miſſæ, in æſtate poſt *Nonam* ante *Veſperas*, in Quadrageſima poſt *Veſperas*; cùm ii, qui minuendi ſunt, calciati nocturnalibûs ſuîs ad locum, qui huic operi deputatus eſt, venerint; Verſi ad Orientem ante & retro inclinent, deinde Priore eorum incipiente Verſum *Deus in adjutorium meum intende*, ter dicant, & cætera, ſicut in æſtate poſt *Nonam* in Capitulo, quando Fratres loquuntur in Clauſtro; ſi unus tantùm fuerit, ſolus hoc faciat, poſtea exuant froccos, & parent ſe ad minuendum. Silentium ibi omnino teneant, niſi neceſſitas loqui cogat, quæ differri aut non poſſit, aut non debeat. Quod ſi evenerit, breviter & modeſtè, & humillima voce id fiat: Chorum non cogantur intrare usque in craſtinum poſt orationem *Primæ*, vel *Tertiæ*, quo tempore ante Capitulum *Tertia* dicitur: ſi plus indigent petitâ licentiâ, diutiùs extra Chorum remaneant. Craſtino die nocturnales ſuos calcient; duobûs diebûs mixtum accipiant: cùm ad ipſum mixtum ventum fuerit, ſi tempus ſit, quô Fratres ſemel reficiunt, ſimul omnes dicant Verſum, & ante mixtum, & poſt mixtum, cum Pſalmo *miſerere mei Deus*; & reliquîs eô modô, quò dicitur à Conventu, cùm bis reficiunt omnes Fratres: benedictio à Priore Sacerdote detur; lectio ab uno aliquo memoriter recitetur; In Refectorio totum fiat. In craſtino minutionis clamatus aliquis minutorum ſurgat, & ad petendam veniam ſe offerat, aliquis verò eorum, quibus minutio nota

eſt,

eſt, Priori dicere debet, quod Frater ille minutus ſit, & Prior ei præcipere, ut ſtando loquatur, & maximè ſi de vena brachii minutus ſit: ſi culpa levis ſit, indulgeatur ei; Si autem talis fuerit, quæ ſine corporali diſciplina dimitti non debeat, in aliud tempus differatur. Hæc ſunt tempora, quibus Fratres minui non debent, niſi neceſſitas cogat. Si in craſtino Feſtivitas duodecim Lectionum ſit, exceptîs Sabbatîs Quadrageſimæ usque ad Paſſionem Domini; ſi craſtina die Feſtivitas trium Lectionum ſit, in qua Miſſa in cappis celebretur, ſicut ſunt tres dies poſt Paſcha, & tres poſt Pentecoſten, quatuordecim dies ante Paſcha, ſi ipſa die, vel in craſtino Canonica jejunia ſint, quæ violari non poſſint; Feſtivitas omnium Sanctorum, quia in craſtino omnes Sacerdotes pro defunctis Miſſas celebrare, & reliqui Pſalmos pto Miſſis dicere debent.

Cùm Sacerdoti majoris Miſſæ Hebdomadario aliquid dormienti evenerit, propter quod ipſa die Miſſam celebrare non debeat, ſi fuerit privata dies, non dimittat quidquam facere de ſuo officio, niſi Miſſam, & benedictiones in Refectorio; & *Completorium*, quia aquâ benedictâ poſt *Completorium* Fratres aſpergere ad ipſum pertinet, qui *Completorium* dixit, & Miſſam celebravit; quod ſi duodecim Lectiones fuerint, dimittat etiam *Veſperas*, *Matutinas* quoque *Laudes*, ſi ad ipſas reveſtiri debeat Sacerdos; finitâ autem principali oratione, cùm Sacerdos reveſtitus, qui pro eo facit officium, exièrit de Choro, Sacerdos Hebdomadarius in quacunque parte Chori ſit, nullô expectatô ſignô, compleat reliqua omnia, quæ ſequuntur: cùm autem ipſe Hebdomadarius reveſtitus cantat *Veſperas*, aut *Matutinas Laudes*, &, completa principali oratione, egreditur Chorum, ut exuatur, tunc uni de ſuo Choro, cui voluerit, ſignum faciat, ut agat pro eo commemorationem Sanctorum: quâ completâ, Hebdomadarius reverſus in Chorum compleat, quæ ſequuntur.

Frater in aliquod iter profecturus, & in craſtino non reverſurus, accipiat benedictionem exeundi; ſi verò contigerit, ut altera die revertatur, non accipiat benedictionem revertendi; Si autem profecturus ſperat ſe in craſtino rediturum, non accipiat benedictionem eundi; quod ſi evenerit, ut ultra biduum moretur, reverſus revertendi benedictionem accipiat. Ille verò Frater, qui acceptâ pergendi benedictione, ultra biduum moratus fuerit, ſi ipſo die, quô redièrit, in aliquem locum extra Monaſterium perrexerit, & unius noctis moram fecerit, in craſtino reverſus omnes revertendi benedictiones accipiat, quia, ex quo primùm abiit, non jacuit in Monaſterio; ſi verò ſine benedictione exeat, ſperans ſe in craſtino rediturum, & ita eveniat, atque ipſa die, quâ rediît, extra Monaſterium, ubi una nocte moretur, in aliquem locum pergat, reverſus ipſa die omnes revertendi benedictiones accipiat. Hoc propterea fit, quia duabûs continuîs noctibûs extra Monaſterium fuit. In exeundo nullam benedictionem accipiat, niſi ultro biduum ſe moraturum exiſtimet. Si Frater quilibet de foris veniens accipiat utramque benedictionem, veniendi, ſcilicet, atque exeundi, nec ſit ei opportunum ſtatim vel etiam per totam ipſam diem exire, ad quotcunque horas in Monaſterio fuerit, accipiat benedictiones veniendi, exeundi verò minimè; niſi fortè contigerit eum ipſa nocte in Monaſterio remanere, tunc enim in craſtino, ſi exire voluerit, ſuſcipiat eam. Ad *Veſperas*, vel ad *Completorium* nunquam debet dari benedictio exeundi; Frater, accepta benedictione, ſi priusquam de Clauſtro exeat, ſignum regularis horæ ſonuerit, cum cæteris in Chorum pergat, & dictâ horâ, in viam ſuam vadat; ſi autem extra Clauſtrum fuerit, & priusquam portam curiæ egreſſus ſit, ad regularem horam ſignum pulſatum fuerit, ad Eccleſiam redeat, & regularem horam extra Chorum dicat, & poſtea viam ſuam teneat. Faſciolatus, aut cinctus, ſive cum cappa, nunquam in Clauſtrum introeat. Fratres in viam directi cùm horam regularem dicunt, aut orationem faciunt, aut *Deus in adjutorium meum*, cum *Gloria Patri* dicunt, ſi dies talis eſt, ſicut in Monaſterio, genua flectant; ſed ante & retro nusquam faciant, nec, cùm falluntur, veniam petant, niſi ſint in Eccleſia: diebûs, quibûs ſuper formas orant dicturi aliquam horam, ſi equitant, de equis deſcendant, & inchoatâ horâ, ac veniâ petitâ, à manibus chyrothecas, & à capitibus capitia auferant, & ſic aſcensîs equîs horam finiant: quod ſi inter pſallendum neceſſitas loquendi eveniat, finita locutione iterum, à capite horam incipiant: dum hora in hoſpitio canitur, aut cùm manducant, froccîs induti ſint, aut ſolîs cucullîs cunctam pſalmodiam, quam in nocte eis dicere commodum non eſt, equitantes per viam dicant, præter eam, quam in die dicere ſolent; ad complendum ordinem, ad vitandam curioſitatem, ſcurrilitatem, otioſitatem, antequam dormitum vadant, *Completorium* dicant; quô dictô, ſi grandis, quæ vitari non debeat, neceſſitas loquendi eveniat, dicto Verſu, quàm brevius fieri

poſſit, loquantur. Et ſi ante *Matutinas* hoc accidat, *Completorium* iterum dicant, & poſtea ſilentium teneant. Ubicunque Monachus ſit tota nocte, ante eum lumen ardeat. De Monachis in viam directis hunc morem cœnobia illa tenent, quæ noſtro tempore noſtri Ordinis majorem auctoritatem habent. Beatus tamen Benedictus moram dierum non determinat, ſed abſolutè imperat, ut de itinere reverſus Monachus, per omnes Canonicas horas benedictionem accipiat.

Dum regularis hora præter *Completorium* in Monaſterio canitur, nullus Fratrum loquatur inter officinas totius Monaſterii, nec infra totam curiam; nec etiam in domo infirmorum, præter illos, quos tanta infirmitas anguſtat, ut eos interim ſilentium tenere non ſinat: *Completorium* verò dum canitur, licet Priori, & eis, qui per licentiam de *Completorio* remanent, de utilibus & neceſſariis rebus loqui; ſimiliter dum regularem horam Fratres in Eccleſia dicunt, nullus comedat in Refectorio, exceptô ſolô *Completorio*, tunc enim licet iis, qui aliqua utilitate impediti ante illam horam ſe expedire non poſſunt, & Fratribus, qui de foris veniunt comedere in Refectorio; qui ſi ante collationem incipientes comedere circa finem *Completorii* cœnam ſuam commodè explere non valent, licet eis à menſa ſurgere, & in Monaſterium ad benedictionem ire, & poſtea in Refectorium ad complendam cœnam redire.

Ad levis culpæ ſatisfactionem adjudicatus, Frater à communi menſa ſeparetur, uſurus cibo, & potu, quibus alii Fratres, niſi ei nominatim interdictum, refecturus horâ *Nonâ*, ſi Fratres *Sexta*, vel ad *Veſperam*, ſi Fratres hora *Nona*: in Monaſterio, & in Capitulo, in loco ubi ſolet eſſe, ſit aut ultimus omnium, aut inter utrumque, ſecundùm quod culpa fuerit, & Abbas præceperit. In Eccleſia Miſſam non celebret, Epiſtolam, vel Evangelium, vel Lectionem non legat, Reſponſorium non canat, Antiphonam ſuper Pſalmos non imponat, nec aliquid hujuſmodi, niſi cum cæteris agat, ad candelabrum, vel ad thuribulum non ſe reveſtiat, ad Offerendam, vel ad pacem non accedat: circa finem regulariter inſtituti operis Dei, tam in nocte, quàm in die, cùm incipiunt *Kyrie eleiſon*, proſternat ſe ante gradum, ubi benedictiones accipientes, ibique tamdiu proſtratus jaceat, uſquequo dicatur *qui tecum vivit*: ſi Feſtivitas duodecim Lectionum eveniat, tamdiu ab hac ſatisfactione quieſcat, quouſque privati dies redeant. Dum Fratres in Refectorio comedunt, ipſe ſit in Eccleſia; cùm Abbati placuerit ab hac ſatisfactione abſolvere eum, ſi in Monaſterio in Conventu fuerit, mittat ad illum, cùm proſtratus fuerit, unum de prioribus, qui circa eum ſunt, qui ex parte ipſius ſignum proſtrato faciat, ut ſurgat: qui ſtatim ſurgens humiliter Abbati inclinet, & ad locum ſuum vadat. Porro, ſi Abbas in Capitulo ſederit, rogantibûs Fratribûs, dicat ei, indulta ſit vobis hæc levis culpæ ſatisfactio, vel aliquid hujuſmodi; & ille Frater ſtatim ſurgat, & ad pedes Abbatis vadat, & poſtea in locum ſuum revertatur: ſi Abbas in itinere fuerit, licet Priori vel ei, qui ordinem tenet, abſente Priore, hoc totum facere.

Si Frater aliquis (quod Deus avertat) culpam gravem commiſerit, & ipſa culpa manifeſtata ſecretò emendari competenter nequiverit; in Capitulo ante Abbatem in Conventu Fratrum examinetur, & communi judicio Frater ille corporalem diſciplinam acriter patiatur; & in gravis culpæ ſatisfactione eſſe jubeatur; qui accepta diſciplina, veſtitus atque cinctus, cultellum ſuum ibi deponat, caput ſuum capuciô cooperiat, & cum ſummo ſilentio ad locum huic negotio ordinatum pergat, præcedente Fratre illo, qui clavem ipſius loci ſervat; tunc Abbas provideat unum de Senioribus, cui eum cuſtodiendum ſecurè poſſit committere, qui eum ad horas ducere, & poſt horas ad locum ſuum debeat eum reducere; qui Senior poſt Capitulum ſecretò ab Abbate inquirat; quo ordine Frater ille vivet, & quid, aut quâ horâ comedere debeat: loquatur ei Frater ille, & alii, quibus Abbas præceperit, cæterorum autem nemo illi ſocietur, neque colloquatur. Cùm pulſatur ſignum ad horam, cuſtode ſuo ducente, cooperto capite, ante oſtium Monaſterii veniat; & ſi Conventus adhuc Monaſterium non intravit, quouſque totus introeat, ibi proſtratus jaceat, ſi verò jàm intravit, ſtet ibi, & inclinet, & genua flectat, ſicut Fratres, qui in Choro ſunt; dum cantatur hora, ſi aliqui Fratres juxta ſe tranſierint, humiliter inclinet eis: tranſeunte tunc Abbate, proſtratus veniam petat, ſi Frater ille juxta ſe eum tranſire cognoverit: finitîs horîs regularibûs exeuntium ab Eccleſia pedibûs, cooperto capite, proſternatur, quouſque omnes pertranſeunt. Ingredientes verò & egredientes dicant ei ſub ſilentio *miſereatur tibi Deus*. Egreſſîs omnibûs operto capite, cuſtode ſuo eum præcedente, ad locum, unde venit, revertatur, in Capitulum, tranſactîs ab Abbate diebûs, prædictô cuſtode eum ducente, veniat, & corporale judicium humi-

humiliter, & patienter ſuſtineat, de cibo, & potu competens ei miſericordia impendatur, ne fortè nimiis anguſtiis oppreſſus immoderatâ triſtitiâ abſorbeatur, hôc modô tractetur, quoadusque humilitate, & patientia, & emendationis promiſſione, adjunctis Fratrum precibus, miſericordiam conſequatur: quâ verò die precantibûs Fratribûs, decreverit Abbas miſericordiam ei impendere, eô modô, quô ſuperiùs dictum eſt, in Capitulum veniat, proſtratus culpam ſuam fateatur, & emendationem promittat, & miſericordiam quærat, juſſus ſurgere frequenter ſe proſternat, & eadem verba, & ſimilia dicat, ceſſaturus, cùm Abbas dixerit ei, ſufficiat: poſtea jubeatur exuere, & corporalis diſciplinæ judicium ſuſtinere.

Quô factô dicat ei Abbas; Motus Fratrum noſtrorum precibus, & patientia, & humilitate veſtra, & promiſſione emendationis veſtræ, hanc miſericordiam vobis impendo, ut dehinc cum Fratribus ſitis in Refectorio, in loco, quem vobis deſignabimus, comedatis, diſciplinam corporalem pro hac culpa ulteriùs non ſuſcipiatis; de cæteris ad comprobandum adhuc humilitatem, & patientiam veſtram, ita vos habere, ſicut Frater, qui in levis culpæ pœnitentia eſſe jubetur, exceptô quod incepto *Kyrie eleiſon*, ad gradum vos non proſternetis, ſed expletâ regulari horâ, in loco, in quo ſtabitis, ſicut beatus Benedictus præcipit, flexis ad terram genibûs; ſicut qui in Pſalmo fallitur, humiliter ſatisfacietis. Hôc auditô Frater ille ad pedes Abbatis vadat, & rediens in locum, in quo ſtabat, tres genuum flexiones, ante ſcilicet, & ad dexteram & ad ſiniſtram, cum omni devotione faciat, gratias referens Fratribus, quia pro ſe rogaverunt, & humiliter ſupplicans quatenus adhuc rogare dignentur. Poſtea deſignet Abbas ei locum, ubi eſſe debeat, & eo præcipiente ſeſſum vadat. Hæc quidem culpa ad Abbatem propriè pertinet corrigenda; qui tamen ſi deſit à patria, nec ad præſens, ut veniat, expectatur, à Priore corrigi poteſt totius Congregationis aſſenſu.

Si Frater peccans peccatum ſuum defendere potiùs, quàm cognoſcere & emendare voluerit, proclamatus etiam Abbati vel Priori contumaciter reſpondere præſumpſerit, admonitus quoque, ut reſipiſcat, in ſua pertinacia permanere decreverit; hunc talem ſurgentes Fratres quot, & quibus juſſum fuerit, violenter arripiant, & in carcerem, hujusmodi arrogantibus deputatum, trahant, vel ferant, ibique depoſitus tamdiu ſervata diſcretione affligatur, quousque ſuperbiam deponat, culpam cognoſcat, humiliter emendationem promittat. Quod ſi, inſpirante Deo, evenerit, res prius in Capitulo oſtendatur, dehinc à Fratre, cui hujusmodi cura injuncta ſit, in Capitulum deducatur; introeat autem vel nudus, ſicut fugitivus Monachus, vel indutus, prout res popoſcerit, conſiderata qualitate & quantitate vel præcedentis culpæ, vel ſubſequentis arrogantiæ; poſtea tractetur ſicut ſuperiùs dictum eſt, hoc eſt, vel graviter, ſi gravi, vel leviter, ſi levi culpæ fuerit deputatus. Quod ſi ſpiritu diabolico plenus ſuperbire magis, quàm promittere emendationem elegerit, adhibeantur ei de toto Conventu orationum ſuffragia. Si verò Abbas nec ſic ſuam induſtriam prævalere conſpexerit, prudenter tractet cum conſilio omnium Fratrum, utrum expediat eum vel diutiùs detineri, vel de Monaſterio expelli.

Fugitivus de Monaſterio Monachus, ſi reverſum ad Monaſterium ſuſcipiendum eum eſſe Abbas judicaverit, hôc modô ſuſcipiatur. In hoſpitali domo aliquantis diebûs primùm maneat ad Clauſtrum, vel ad officinas Clauſtri, vel ad Monaſterium, niſi juſſus nullatenus accedat, ut interim pœnitudinis ſuæ, & humilitatis, & patientiæ aliquod documentum oſtendat, nullus Frater ſecum converſetur, nullius ei in aliquo conſortio vel colloquio conjungatur, niſi ei ab Abbate, vel à Priore, vel ab eo, qui ſervat ordinem, jubeatur. Ea verò die, quâ in Capitulum intraturus eſt, in Locutorio veſtimentis ſuis ſe exuat, ſtaminia, ſi habitum non reliquit, circumpoſito cingulo ſe circumcingat, ſiniſtro brachio cucullam plicatam, & in dextera manu virgas ſumat, & ſic nudis pedibûs, & nudo deſuper corpore, ducente eum Fratre, cui injunctum fuerit, in Capitulum veniat: qui ingreſſus in loco, ubi proſterni ſolent, ſtatim ſe proſternat: interrogatus more ſolito, culpam dicat; dehinc ſedens corporalem diſciplinam ad imperium Abbatis ſuſcipiat; quâ ſuſceptâ, cucullâ ibi tantùm indutâ, ſicut venit, ſed non ferens virgas, in Locutorium redeat, ibi ſe calciet, & regulariter induat, & in Capitulum rediens, tamdiu ſe proſternat, donec ab Abbate dicatur ei, ſufficiat: injungatur ei ſatisfactio gravis culpæ, & in ipſa ſatisfactione habeat ſe, ſicut ſuperiùs dictum eſt, cùm de gravi culpa ageretur: ſi abjectis Monaſticis veſtimentis, in ſæculari habitu ad Monaſterium redit, ſervatis circa eum cæteris, quæ ſuperiùs dicta ſunt, ſæculari veſte, in qua reverſus eſt, circumcinctus, ſicut ſupra de ſtaminia dictum eſt,

eſt, & non portans cucullam, Capitulum ingrediatur; & poſt ſuſceptam diſciplinam, cuculla à Camerario ante ipſum poſita, ab eo ſuſcipiatur, & ibi ſtatim induatur.

Veniens aliquis ad Converſionem de ſæculo, inprimis ſicut alii hoſpites ſuſcipiatur in hoſpitio; cujus voluntate cognita, Frater, qui cellæ hoſpitum Procurator eſt, Abbati, vel abſente Abbate ei, qui ordinem tenet, rem nunciet. Loquatur cum eo Abbas, vel Prior, vel aliquis ſpiritualis Frater, cui injunctum fuerit, qui ſi deſiderium petentis ex Deo eſſe cognoverit, oſtendatur res Fratribus in Capitulo; quorum auditû conſiliô, ſi ſuſcipiendum eum eſſe Abbas decreverit, ſtatuta die ducente eum prædicto hoſpitum ſuſceptore, & doctus ab eodem, qualiter petitionem facere debeat, in Capitulum veniat, in loco, ubi proſterni ſolet, ſe proſternat, interrogatus, quid dicat? quam humiliter poterit, in his, vel in ſimilibus verbis petitionem ſuam faciat; *Dei miſericordiam, & veſtram Societatem, & fraternitatem hujus loci requiro, in hoc Monaſterio Monachus fieri, & Deo ſervire deſidero.* Reſpondet ei Abbas, vel qui loco Abbatis ordini præeſt: *Societatem, & conſortium electorum ſuorum concedat nobis omnipotens Deus*: & reſponſo à toto Conventu, *Amen*, juſſus ſurgere ſurgat, pronuncientur ei dura, & aſpera, quæ in hoc ordine perferunt, qui piè, & regulariter vivere volunt: item duriora, & aſperiora, quæ ſi indiſciplinatè ſe habeat, ſibi poterunt evenire. Quibûs auditis, ſi adhuc in propoſito ſuo perſtiterit, & duriora & aſperiora ſe paratum perferre promiſerit, reſpondeatur ei ab eo, qui Capitulum tenet: *Dominus JEſus Chriſtus ſic perficiat in vobis, quod pro ejus amore promittitis, ut ejus gratiam, & vitam æternam habere poſſitis.* Et reſpondentibus omnibus *Amen*; ſubjungat *& nos pro ejus amore hoc tenore concedimus vobis, quod tam humiliter, & tam conſtanter requiritis.* Hôc auditô, Novitius vadat, & humiliter oſculetur pedes ipſius: tunc ipſo præcipiente, ducat eum Magiſter Novitiorum in Eccleſiam, ibique coram quolibet Altari extra Chorum ſedens præſtoletur, donec Capitulum finiatur. Quô finitò, ducat eum prædictus Magiſter ſuus in cellam Camerarii, vel in aliam domum, ubi id, quod agendum eſt, opportuniùs fieri poſſit, benedictâ ſibi priùs coronâ, ſi Laicus ſit, cum Antiphonis, & Pſalmis, & Collectis ad hoc officium ordinatis, vel in Eccleſia ante introitum Miſſæ, ad gradum ubi benedictiones Fratres accipiunt, vel in Capella infirmorum, aut in Capella Abbatis, ſecundùm quod ipſi Abbati placuerit; ductus itaque Novitius, ſive Laicus ſive Clericus, in prædictum locum, tondeatur, & radatur more Monachorum; dehinc veſtibûs ſæcularibûs exuatur, & rebûs Monaſterii regularibûs, præter cucullam, caputiô aſſutô tunicæ induatur: dum hæc aguntur à Fratribus, quibus injunctum fuerit, ſeptem pœnitentiales Pſalmi indirectum dicantur; ſic paratus ducatur in Conventum Fratrum; in Choro, ſi Clericus eſt, ultimus ſit in ordine Clericorum; ſi Laicus Laicorum, & ad Proceſſionem, ſimiliter in Capitulo, & Refectorio, ſicut eſt ordo converſionis. In cella Novitiorum dormiat, aut in Dormitorio, ſi cœnobium hujuſmodi cellam non habet; in Conventu non legat, ſolus non canat, ad Miſſam non offerat, pacem non ſumat, in Clauſtro ſeparatim ſedeat cum Magiſtro ſuo in loco Novitiis deputato, nullus ei loquatur aut ſignum faciat, abſque Magiſtri ſui licentia. Magiſter talis ſit, qui exemplo vitæ, & verbo doctrinæ poſſit eum de anima ſua monere, & ordinem docere. Loquentibûs in Clauſtro Fratribûs, ſi quis amore Dei, & Zelo juſtitiæ ad eum venire, eúmque vel arguere vel monere voluerit, licet ut veniat, & acceptâ à Magiſtro licentiâ, quod dicere voluerit, dicat; factò autem clamore, ſtatim coram Magiſtro ſuo, ſicut Fratres, in Capitulo, veniam petat, non ſeſſurus, donec, emendatione promiſſa, idem Magiſter præcipiat. Et de levibus quidem culpis hòc modô agatur; pro majoribus autem culpis, aut in Capitulo pro quantitate culpæ corripiatur; aut ſi ibi cella Novitiorum eſt, in ea quemadmodum in Capitulo increpetur, & verberetur; de Capitulo, factô ſermone, quotidie exeat, & interim in Monaſterio maneat, niſi pro majori culpa, ùt dictum eſt, caſtigandus remaneat; de his culpis, quas in ſæculo geſſit, & quæ in hoc ordine ſibi evenerunt, vel eveniunt, frequentes confeſſionea faciat Abbati, & Priori, ſpiritualibus Fratribus, quibus hæc cura injuncta eſt. Tranſactis pleriſque diebûs, ſi vita ejus Fratribus, & Fratrum converſatio ſibi placuerit, monendus eſt à Magiſtro ſuo, quatenus roget Priorem & aliquos majores Fratres, ut & ipſi pro eo intercedant apud Abbatem, pro benedictione tribuenda, & Profeſſione ſuſcipienda. Quod ſi eum benedicere Abbati placuerit, ſtatuta die in Capitulo finito ſermone, in loco, ubi ſolet, ſe proſternat, proſtratúſque pro impetranda benedictione petitionem faciat; juſſô eô ſurgere, narrentur ei rerum dura & gravia, quæ in noſtro ordine à ſanctis Patribus ſunt inſtituta: qui ſi hæc omnia & adhuc graviora, ſi neceſſe fuerit, humiliter & patien-

patienter ſe ferre paratum eſſe reſponderit: interroget Abbas conſidentes Fratres, quid inde ſentiant? & utrum precibus ejus annuendum eſſe concedant? quibûs reſpondentibûs ſe libenter concedere, adjungat, & nos concedimus in nomine Domini: quô dictô procidat ad pedes Abbatis, vel ejus, qui ordini præeſt, ſi Abbas deeſt: dehinc reverſus in locum, in quo ſtabat, flexîs ad terram genibûs, humiliter inclinet ante, & ad dextrâ & ad ſiniſtram, gratias referens Fratribus pro miſericordia eorum precibus ſibi impenſa. Poſtea præcipiente Abbate cum Magiſtro ſuo exeat; finitóque Capitulô, ſi ſcribendi ſcientiam habet, Profeſſionem ſuam ſcribat, aut, ſi neſcit ſcribere, alium roget, qui pro ſe ſcribat; ipſe tamen in fine ipſius Profeſſionis ſignum crucis faciat; deinde ablatô à tunica caputiô, usque ad horam benedictionis ſuæ extra Chorum maneat. Cantor verò procurare ſibi debet membranam, & incauſtum, & ſcriptorem, ſi neſcit ſcribere. Hora benedicendi in arbitrio Abbatis eſt, videlicet aut ante introitum Miſſæ, ſi Miſſam celebret, ſive non: ipſe tamen in conſecratione Monachi, ſi ei commodum eſt, Miſſam celebrare debet, ſicut Canones præcipiunt; lectô igitur Evangeliô, intrante Chorum Novitiô, præcedente eum Magiſtrô ſuô, incipiente dexterô Chorô, dicat Conventus Pſalmum *miſerere mei, Deus;* Novitius ante Altare veniens ſuper gradum ſe proſternat, dictóque Pſalmô, ſurgens Profeſſionem ſuam legat, & ſuper Altare ponat. Quod ſi ignarus literarum eſt, Magiſter ſuus debet eam pro eo legere, & ipſe Novitius ſuper Altare ponere: quô factô, flexîs coram Altari genibûs veniam petat, & poſtea ad locum, ubi ſe proſtravit, rediens Verſum *ſuſcipe me, Domine*, ter dicat; ibique inter dicendum ter genua flectat; quem Verſum ter repetens Conventus adjungat ad ultimum *Gloria Patri, Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon, Pater noſter*, Conventu incipiente, *Gloria Patri*; Novitius inclinatus provolvat ſe in circuitu, & ſtatim proſternat ſe. Abbas, dicto *& ne nos inducas in tentationem*, & reſponsô *ſed libera nos à malo*, incipiat Pſalmum, *de profundis*: quô finitô à Conventu cum *Gloria Patri* adjungat *ſalvum fac ſervum tuum; mitte ei, Domine, auxilium de Sancto; nihil proficiat inimicus in eo: eſto ei, Domine, turris fortitudinis: Domine, exaudi orationem meam; Dominus vobiscum.* Deinde Collectam, *Deus indulgentiæ Pater*: item aliam; *Deus, qui coæternum Filium*: item aliam; *Domine JEſu Chriſte, qui es via*: dictîs hîs tribûs Collectîs ſingulîs cum integro *per Dominum noſtrum*, incipiat Abbas Hymnum *veni, Creator Spiritus*: quô à Conventu devotè & ſolenniter decantatô, dicat Collectam *Sancte Spiritus, qui te Deum ac Dominum*; quâ dictâ ſurgat Novitius, & ſpargat ſuper eum Abbas aquam benedictam; eóque ſtante benedicatur cuculla, & aſpergatur aquâ benedictâ; quâ benedictâ accedat Novitius ad Abbatem, &, flexîs genibûs, ſtet ante eum, quem tunica exuens Abbas dicat: *Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus ſuis*: & induens eum cucullâ, ſubjungat, *Induat te Dominus novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis*: ad utrumque reſpondeant audientes Fratres *Amen*: ſubſequatur ſuper eum flexîs genibûs inclinatum, oratio *Deus miſericors, Deus clemens*; quâ dictâ, oſculetur eum Abbas, induens caput ejus caputiô: dehinc ducatur per Chorum ad oſculandum omnes Fratres, ultimus collocetur. Tribûs diebûs communionem corporis & ſanguinis Chriſti accipiat; tertia die ad pacem Miſſæ auferat ei caputium de capite Abbas, vel cui Abbas præceperit, ſi ipſe id faciendi opportunitatem non habet: ante hanc horam, ex quo benedictus eſt, ſummum ſilentium teneat, de Capitulo factô ſermone exeat; ad Proceſſionem non vadat, cucullâ indutus, cucullato capite dormiat: in primo autem Capitulo, quô ei licet loqui, debet Magiſter ejus de eo memoriam habere coram Abbate dicens: *Domine, ſi placeret vobis præcipere, poſſet iſte Frater ab hac die in antea legere, & cantare in Conventu, ſicut alii Fratres*; reſpondente Abbate: *faciat cum benedictione Dei*; inclinet ipſe Novitius ad Abbatem de loco, in quo ſedet. Ex illa die cujuscunque ordinis ſit, habet licentiam exequendi omnia, quæ ſui ordinis ſunt, niſi ſit Sacerdos; ipſi enim infra primum converſionis ſuæ annum Miſſam celebrare non licet, niſi in ſæculo probatæ caſtitatis fuerit, & Abbas pro hac re ſpecialem ei licentiam dederit.

Offerendus puer, factâ ſibi prius coronâ, manibûs portans hoſtiam, & calicem cum vino, ſicut mos eſt, poſt Evangelium Sacerdoti, qui Miſſam celebrat, à parentibus offeratur. Quâ oblatione à Sacerdote ſuſceptâ, involvant prædicti parentes manus pueri in palla, qua Altare coopertum eſt, & cujus pars anterius pendet, & tunc ſuſcipiat eum Abbas: quô factô, præfati parentes coram Deo, & Sanctis ejus ſtatim promittant, quod per ſe, vel à ſe ſuppoſitam perſonam ſuſceptum ordinem puer nunquam relinquat, neque ei ſe aliquid ſcienter daturos, unde puer, quod abſit, perire poſſit; hanc promiſſionem priùs ſcriptam coram teſtibus verbîs ibi edicant, & poſtea

ſtea ſuper Altare ponant. Hîs expletîs, benedicat Abbas cucullam, & exuens puerum cappâ vel pellibûs, vel aliqua hujusmodi clamyde dicat, *exuat te Dominus veterem hominem*, ùt ſuprà, & induens eum cucullâ, ſubjungat, *induat te Dominus novum hominem*, &c. dehinc ducatur ad radendum, & veſtiendum ſicut noſtri ordinis conſuetudo eſt; cùm verò adulta ætate facturus Profeſſionem fuerit, fiant ei cætera, quæ ſuperiùs debere fieri Converſo jam diximus. Hoc enim, quod modo factum eſt, iterari non oportet.

Omni die minimi ſigni, ad deſignandum Capitulum, incipiente ſono, Fratres omnes, qui ſedent in Choro, ſtatim ſurgere, & verſi ad Orientem interim debent ſtare; Fratres quoque, qui alicubi in Monaſterio ſunt, Chorum intrare. Nullus eorum librum teneat; nullus in libro aliquid legat, aut inſpiciat: nullus in Clauſtro pro qualibet occaſione tunc ſedeat. prædicti ſigni ceſſante ſonitu, præcedentem Priorem ſequantur alii, ſicut eſt ordo Converſionis eorum: conſedentibûs Fratribûs in Capitulo ad nutum ordinem tenentis, petita benedictione, lectîs & pronunciatîs, quæ legi & pronunciari conſuetudo eſt, facto ſermone, dicto *loquamur de ordine noſtro*; ſi clamatur aliquis, qui commune cum uno, aut pluribus nomen habeat, niſi clamans ita diſcernat, & determinet, ut nulla dubitatio poſſit eſſe, omnes, qui ejusdem nominis ſunt, cujus eſt ille, qui clamatur, ſtatim debent ſurgere, & ad venias humiliter ſe præſentare, donec clamator determinare eligat, de quo dicat: ipſa autem determinatio ab ordinibus vel officiis, ſi poſſit fieri, debet eſſe hoc modo; Domnus Edwardus Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, Secretarius, Magiſter Infantum, vel Juvenum, vel aliquid hujusmodi, non Archidiaconus, non Londonienſis, non aliquid cognominatum de ſæculo: clamator ei, ſuper quem clamorem facit, in ipſo Capitulo judicium non faciat: interrogatus more ſolito, qui proſternitur ad omnes venias, *meam culpam* dicat, exceptô cùm Societatem poſtulat, aut obedientiæ abſolutionem, aut cum aliquis Frater miſericordiam petit pro ſuo propinquo noviter, & poſtquam ad ordinem venit, defuncto Patre ſcilicet, Matre, Fratre, Sorore, vel cum unus aut plures pro eo, qui in gravis culpæ ſatisfactione poſitus eſt, miſericordiam petunt, vel cùm aliquis Frater in longum iter profectus eſt, aut cùm aliquid magnum, & arduum, & ſuis viribus impar Fratri injungitur: in his & hujusmodi hoc modo reſpondetur; *Dei miſericordiam & veſtram requiro & obſecro*, &c. ſicut ratio ei, pro qua petitur, poſtulat.

Suſcepturus judicium aut ſola groſſiori virga ſuper ſtaminiam verberetur, & proſtratus jaceat, aut pluribûs gracilioribûs virgîs, & nudus ſedeat, utrumque ad arbitrium ejus, qui præeſt ordini, conſiderata qualitate & quantitate culpæ; dum corporalis diſciplina infertur Fratri, omnes inclinato capite debent eſſe, & pio. & Fraterno affectu compaſſionem ſuper eum habere. Interim nemo in Capitulo debet loqui, nemo ad illum aſpicere, exceptîs gravibûs perſonîs, quibus licet pro eo intercedere; clamatus, ſuper eum, à quò clamatus eſt, in ipſo Capitulo clamorem facere non licet, diſciplinam corporalem inſerat, quicunque ille ſit, cui ab Abbate vel Priore injungitur; hôc obſervato, ne infantibus vel Juvenibus aut Novitiis id facere injungatur. Nemo ibi cum uno, aut pluribus ſecreto loquatur, quidquid quis loquitur, à Rectore ordinis, & toto Conventu audiatur. Sermo tantum ſit de utilibus, & de his, qui ad ordinem pertinent; loquente uno, taceant alii, verba loquentis nemo interrumpat, præter eum, qui Rector eſt Ordinis, cui licet loquenti præcipere, ut ſileat, ſi fortè ei ſermo illius ſuperfluus & inutilis videatur. Rectore ordinis incipiente loqui, etiamſi aliquis loquebatur, taceat, & ab omnibus ſummum ſilentium fiat.

Si placet Abbati aliquem Fratrem ſuis meritis honorare, & conſideratâ perſonæ ejus honeſtate, in ſuperiore loco ſtatuere, auditô, Frater ille, ab Abbate ſedente in Capitulo, ire ſuperiùs, ſedere juxta illum Fratrem; ſtatim ſurgens ad pedes Abbatis vadat, & poſtea ad locum, ubi ei præcipitur, ſeſſum pergat, & ex illa die in Monaſterio, & Proceſſione, & Refectorio ipſum locum habeat: Laicum Converſum beatus Benedictus non præcipit taliter promoveri. Si tamen Abbati promovere eum placuerit, locum, quem in Capitulo ſuſcipit, in Refectorio etiam tenebit; in Monaſterio verò, & Proceſſione ſuper eos Converſos eſſe jubebitur, quibus Frater ille, juxta quem locum habet, prior eſſe dignoſcitur. Evenire poteſt, cùm hujusmodi promotio ordinatur, ut abſentes ſint aliqui Fratres honeſti, & bonîs actionibûs præditi; quibus prior ſit Frater ille, juxta quem promotus ſedere jubetur; & ideo determinatè oportet ei in Capitulo dici, utrum ſuper ipſos etiam abſentes, cùm redierint, eſſe debeat. Ingrediens Frater Capitulum loquentibûs aliîs *benedicite* dicat; egrediens verò, ſi eſt reverſurus, nec ante & retro faciat, nec *benedicite* dicat: ſi non eſt reverſurus, utrum agat.

Mona-

Monachus petiturus concedi ſibi Societatem, & Beneficium Monaſterii introductus in Capitulum, *benedicite* dicat: dehinc proſtratus ad gradum, ubi conſuetudo eſt, interrogatus quid dicat? humili & devoto corde in his verbis reſpondeat: *Peto per miſericordiam Dei, & veſtram, & omnium iſtorum Seniorum Societatem, & Beneficium hujus Monaſterii:* quô dictô reſpondeat Abbas; *Omnipotens Dominus concedat vobis quod quæritis, & ipſe præſtet vobis conſortium electorum ſuorum:* poſtea juſſus, ut ſurgat, accedat ad Abbatem, & ab eo per librum Regulæ ſumat Monaſterii Societatem. Quâ ſumptâ, acceptóque ab eo oſculô, inclinet ſe ad pedes Abbatis, deinde oſculetur omnes Fratres in circuitum. Quô factô revertatur ad locum, ubi ſe proſtravit, ibique tres genuum flexiones ſolito more faciat. Fratres verò inclinent ei, dehinc præcipiente Abbate ſeſſum vadat, deſignatô ei priùs locô, ubi ſedere debet.

Porro ſi Abbas fuerit, ingrediente eo in Capitulum, totus Conventus ei aſſurgat, & tamdiu ſtet, quouſque humo proſtratus, ſicut ſuperiùs, petitionem faciat, & erectus cum Monachis ſuis Societatem ſuſcipiat, eáque ſuſceptâ, juxta Abbatem conſideat; Monachi verò, ejus Societate ſuſcepta, reverſi ad locum, ubi ſe proſtraverunt, tres genuum flexiones, ſicut ſuperiùs dictum eſt, faciant: egredientes Fratres de Capitulo oſculentur Abbas, & Monachi ejus. Si major Congregatio fuerit, ab oſculo ceſſari poteſt, quod in multis jam Cœnobiis fieri conſuevit; ſi ſæcularis perſona fuerit ante Abbatem, vel juxta Abbatem, ſi honorabilis perſona ſit, ſedeat; poſtea oſtenſa ejus petitione Fratribus, per textum Evangelii Societatem ſuſcipiat: dehinc ad oſculandum Fratres, ſi mulier non ſit, in circuitum pergat.

Talî horâ, Prior manè ad excitandos Fratres ſonitum debet facere, ut pueri, factîs ſolitîs orationibûs, in Clauſtro valeant legere. Qui cùm legere inchoant, altè, quamdiu legant, ſeparati ab invicem ita ſedeant, ut alter alterum nec manibûs, nec veſtibûs contingere poſſit. Infans Infanti non ſignô innuere, non verbô aliquid dicere, niſi vidente atque audiente Magiſtro, præſumat; non de locô, in quo ſedet, ſine præcepto, vel licentia ſurgat. Quocunque pergunt Infantes, unus Magiſter inter duos Infantes ſit. Tranſeuntes ante Fratres inclinent Fratribus, & Fratres eis ſedentes tantùm; duobus una laterna ſufficiat; ſi tres fuerint, tertius alteram portet; ſi plures fuerint, hoc ordine deponantur. In nullius manum aliquid dent; de nullius manu aliquid accipiant, niſi Abbatis, Prioris majoris, Magiſtri eorum, & hoc non ubique, ſed in congruis, ubi aliter eſſe non poſſit, aut non debeat. Cantor quoque, cùm in ſcholis eorum eſt, poteſt librum, in quo cantari, aut legi debet, dare eis, & accipere ab eis. Ad Altare ſi ſerviunt, dant etiam ibi, & accipiunt, ſi quid ordines eorum expoſcunt. In Capitulo ſuo vapulent, ſicut majores in majori Capitulo: confeſſuri ad Abbatem, vel ad Priorem vadant, vel ad eos, quos ſpecialiter in Capitulo deſignaverit Abbas.

Dum confitetur unus, ſedeat alter in ſuppedaneo, Magiſtrô eorum extra Capitulum ſedente in proximo: ſi poſt verſum, qui ante cibum dicitur, ingrediuntur Refectorium, vel poſt *Gloriam* primi Pſalmi ad horas intrent Chorum, ipſi quidem ad loca ſua vadant, ſolito more inclinent, Magiſter verò eorum ad loca, quæ tardantibus inſtituta ſunt, eat: puero, qui ante menſam Abbatis ſervit, abſtinentia cibi, vel potûs ſine ejus præcepto minimè injungatur. Quòd ſi præcipiente eo injungitur, aut ei indulgeatur, aut interim à menſa Abbatis removeatur. In Choro, præſente Abbate, niſi præceptô ejus nullus eos percutiat, nullus exuere faciat. Abſente eo, Cantor de iis, quæ ſui officii ſunt, eos caſtiget, Prior verò de cæteris, in quibus ſe leviter habent. Ubicunque ſint, præter perſonas ſuperiùs deſignatas, nullus eis ſignum faciat, nullus arrideat. In ſcholam eorum nullus ingrediatur, nullus cum eis alicubi loquatur, niſi ſibi ab Abbate, vel Priore ingrediendi, vel loquendi licentia concedatur; meridianîs horîs in lectis ſuis nunquam legant, nihil aliud ibi agant, ſed cooperti tantùm quieſcant. Unus ſuper alios Magiſtros ſit Magiſter eorum maturus & diſcretus, qui auditis clamoribus, culpas delinquentium moderata diſcretione ſciat vel punire, vel indulgere; collocatis in lectis ſuis aſſiſtant Magiſtri, dum ſint cooperti in nocte cum accenſis candelis.

Juvenes tam nutriti quàm de ſæculo venientes, qui Magiſtris cuſtodiendi commendantur, in multis ſicut Infantes, de quibus ſuperiùs dictum eſt, cuſtodiantur; remoti, ut ſupra, à ſe invicem ſedeant, extra locum cuſtodiæ ſuæ ſine cuſtode nuſquam procedant; duo & duo laternas ferant, Abbati, vel Priori & nulli alii, niſi ſpecialiter deſignatum ſit, confeſſiones ſuas faciant. Meridianîs horîs in lectis ſuis non debent legere, non ſcribere; non quippiam operis facere; ſed

cooperti tantùm quieſcere; lectos ſuos ante, & inter lectos Magiſtrorum habere; ſi neceſſe habent ſurgere, priùs Magiſtros excitent, & poſtea accensâ laternâ, ſi nox eſt, ad neceſſitates ſuas explendas cum Magiſtris ambulent. Præter Abbatem, Priorem, Magiſtróſque eorum, nulli liberum ſit in loco cuſtodiæ eorum deputato ſedere, nec verbo, nec ſigno aliquid eis innoteſcere, niſi acceptâ licentiâ ab Abbate, vel Priore: quæ licentia cùm conceditur, Magiſter ſedere debet inter juvenem & eum, qui juveni loquitur; Juvenis cum juvene non loquatur, niſi audiente, & intelligente Magiſtro, quid utrinque dicatur. Magiſtri inter eos ſedeant, vel ante illos, ſic ut eos, cùm volunt, conſpicere valeant. Cùm dormitum vadant, tamdiu ſtent ante ipſos Magiſtri, usque dum ipſi juvenes in lectis ſuis jaceant cooperti: ſi nox eſt, cum candelis accenſis aſſiſtant. In Monaſterio, Capitulo, Refectorio, Proceſſione mixti ſint Senioribus, non obſervato, ſi neceſſe ſit, ordine Converſionis eorum. Si ad menſam legunt, vel de coquina ſerviunt, ſurgentibus à menſa Fratribus cum eis ad Monaſterium vadant, & dicto *Et ne nos*, cum cuſtodibus ad Refectorium revertantur: duo ſimul, aut plures, ſi fieri poſſit, de Conventu non remaneant: quod ſi paucitas majurum, & pluralitas juvenum aliter agendum coegerit, ſufficientes eis cuſtodes deputentur: porro ſi cuſtodia illa juvenum, quæ in nonnullis Cœnobiis tenetur, magis placet, ut videlicet in diverſis, ac ſeparatis ab invicem locis, per Clauſtrum ſedeant, ſinguli ſingulos, aut plures, ſi tanta copia eſt, cuſtodes habeant, ſinguli ſingulas laternas in nocte ſerant. Cuſtos Juvenem non relinquat, niſi commendatum alicui Fratri, in quo & de quo bene confidat. Omnis denique cuſtodia ei adhibeatur, quæ ſuperiùs deſcripta eſt: Frater aliqua ſui corporis incommoditate detentus, ſi Conventum ſequi non poteſt, humiliter priùs in Capitulo petitâ veniâ, juſſus ſurgere ſtans fateatur ſe non poſſe Conventibus intereſſe propter infirmitatem ſuam. Cui reſpondet Abbas, vel qui loco Abbatis ordini præſidet: *Omnipotens Dominus concedat vobis utilem ſanitatem, ſicut vobis expedire cognoſcit. Amodo tractate vos, ſecundùm infirmitatem veſtram, & remanete de Conventibus, ſicut vobis melius viſum fuerit.* Si ægritudo adeò invaluerit, ut in Conventu remanere non poſſit, præcipiat Abbas Fratri, cui hujusmodi cura impoſita eſt, ut ducat ægrum in cellam Infirmorum; in qua domo ſerviatur ei ſecùndùm poſſibilitatem loci, tam de communibus cibis, quàm de eſu carnis, ut nullius rei, ſi fieri poſſit, indigentiam patiatur. Ex quo carnem comedere incipiet, quocunque perget, caput opertus caputio, & baculo ſe ſuſtentans incedere debet. Quâ verò die ſanitate recepta ad Conventum redire voluerit, ſi carnem comederit priùs raſus, ad horam, quæ ante Capitulum canitur, Chorum introeat, & ſi poſt ipſam horam in Conventu Miſſa dicitur, ad ipſam non offerat. Ingreſſus Capitulum, cùm indictum fuerit de ordine loqui, primus ſurgat, & in loco, ubi cunſuetudo eſt, proſtratus veniam petat. Interrogatus, & reſpondens, ut fieri ſolet, juſſus ſurgere hæc vel ſimilia verba dicat: *Domine infirmitate mea gravatus, in domo infirmorum diu fui, in cibo & potu, & aliis multis offendi, & contra ordinem noſtrum feci, & inde peto abſolutionem veſtram*: hôc dictò, abſolvat eum Abbas dicens: *Omnipotens Dominus abſolvat vos ab his, & ab omnibus aliis veſtris delictis.* Conventu reſpondente *Amen*: offerat ſe Frater ille ad pedem Abbatis; poſtea reverſus ad locum, ubi ſe proſtravit, gratias referens Abbati, & toti Conventui, quia miniſtrata ſunt ei, quæ infirmitati ſuæ fuerant neceſſaria, tres genuum flexiones ſolito more faciat: ipſa die & deinceps, quantùm opus fuerit, jubeatur mixtum accipere. Si verò carnem non comedit, in diſpoſitione Abbatis ſit, quâ horâ in Conventum petitâ licentiâ redire, & quomodo ſe de cætero habere debeat.

Si infirmus magis ad mortem, quàm ad ſalutem tendere videatur, & ſe petat inungi, Frater, qui domui infirmorum præeſt, rem Fratribus in Capitulo narret; tunc, jubente Abbate, vel qui locô Abbatis in Capitulo ſedet, exeant Sacerdos Hebdomadarius, Secretarius, quatuor Converſi, & parent, quæ ad hujusmodi negotium parari oportet. Quibûs paratis, expletisque, quæ in Capitulo agi ordo requirit, exeuntes de Monaſterio tranſeant ante Capitulum, hoc ordine procedentes; primus ex Converſis unus cum ſitula aquæ benedictæ; dehinc alius cum cruce; poſt hos duo cum candelabris; extremi Secretarius cum oleo; & Sacerdos albâ indutus, & ſtolâ, cum manipulo portans librum; iſtis tranſeuntibûs ſurgens Conventus, percuſſáque tabula, ſi dies talis eſt, egrediens de Capitulo jungatur eis, & pſallentes ſeptem Pſalmos ad ægrum veniant, & ordinatè circumſtent, ſicut locus, in quo jacet, fieri permittit. Primùm ſpargatur aqua benedicta, dehinc finitis Pſalmis ſequatur *Kyrie eleiſon*, & Capitula, & Collectæ, quæ ordinatæ ſunt usque ad confeſſionem. Facta confeſſione abſolvatur ab omnibus, & ipſe abſolvat omnes: dehinc oſculetur ab omnibus: interim dicantur aliæ Collectæ usque ad unctionem: facta unctione,

lavet

lavet Sacerdos manus, & projiciatur aqua ln ignem, vel in ſacrarium deſeratur; quô factô dictis Collectis, quæ ſequuntur, vadat Sacerdos, præcedentibûs duobûs Converſîs cum candelabrls, * vadat & tertius ad thuribulum deferendum; quibûs revertentibûs flexîs genibûs adorent omnes corpus Domini, quod à Sacerdote affertur; quô allatô, abluto priùs ore ejus, communicetùr infirmus, niſi fortè ipſa die communicatus ſit. Si Fratres ipſa die poſt Capitulum pſallentes *verba mea* in Monaſterium ituri ſunt, expletîs in Choro Pſalmîs dictáque Collecta, paratîs ante majus Altare, quæ ſuprà dicta ſunt, exeant, & ſequantur eo ordine, quô ſuperiùs indicatum eſt: quòd etiam finitîs quibuslibet horîs à *Prima* usque ad *Completorium* obſervandum eſt, ſi neceſſitas urgeat non expectare Capitulum. Porro ſi nec hora ipſa, quâ percantatâ id fieri debeat, expectare poteſt, diſponat Abbas, vel Prior, ſicut meliùs poſſit, quia neceſſitas lege non tenetur. His expletîs revertatur Conventus in Clauſtrum; ſed Infantes minimè ingrediantur ad tenendum ſuum Capitulum; ab hac die, niſi melioretur infirmus, carnem non comedat. Quotidie iſtud pro eo ſervitium impendatur. Ad Miſſam matutinalem Collecta, *Omnipotens ſempiterne Deus, ſalus æterna credentium*, cum cæteris duabus: aliquando, ſi dies vacuus fuerit, ipſa matutinalis Miſſa pro eo canatur: ad majorem Miſſam poſt *Sanctus* Pſalmus primus *Domine ne in furore tuo* ab unoquoque ſub ſilentio dicatur, *Kyrie eleiſon: Pater noſter; ſalvum fac ſervum tuum; mitte ei Domine auxilium de Sancto*; Collecta; *Omnipotens ſempiterne Deus, ſalus æterna*. Et hoc tamdiu agatur, quousque ad ſanitatem redire videatur. Porro ſi ad ſanitatem minimè redire, mortique potiùs appropinquare dignoſcitur, ex quo certa in eo mortis ſigna apparere inceperint, ſine duobus Fratribus eſſe non debet, qui diebus, & noctibus quamdiu intellectum tenet, legant coram eo Paſſiones Domini, & Evangelia; & cum intellectu privatus fuerit, quamdiu ſupervixerit, Pſalterium ex ordine decantare non ceſſet: & ſic ordinetur, ut diſcedentibûs duobûs, ſuccedant alii duo; horas verò regulares ibi dicant, ægrô autem in agonia poſitô, & jamjam, ſi ita viſum fuerit, moriturô, famulus, qui ad hoc deputatus eſt, cilicium expandat, & ſupra illud ad menſuram longitudinis & latitudinis, quàm ipſum cilicium habet, ſignum crucis de cineribus faciat; morientemque Fratrem deſuper ponat; cui poſtea indeſinenter aſſidens ſtudiosè conſideret, quâ horâ exitum ejus Conventui debeat indicare.

* Deeſt *ad Eccleſiam pro Venerabili Sacramento*, vel quid ſimile.

Cúmque eum jam in exeundo viderit laborare, geſtans manu tabulam ad oſtium Clauſtri currat, ictúque creberrimo acriter eam ibi percutiat, quousque in Conventu auditum eſſe cognoſat: quô perceptô ſonitu, ſi ad majorem vel minorem Miſſam, vel ad regularem horam fuerlnt, remanentibûs in Choro Infantibûs cum Magiſtris ſuis, & aliquibûs Fratribûs, quibus juſſum fuerit, reliqui omnes ad ægrum currant, & mediocri voce canentes *credo in unum Deum*, ad eum veniant: Fratres verò, qui remanſerunt, expletô, quod cœperant, eôdem modô currentes & canentes ad morientem properent: ubicunque verò aliàs, vel quocunque alio negotio occupatos prædictus ſonus invenerit, ſine aliqua excuſatione vel mora ſimiliter currentes & *credo in unum Deum* canentes, ad ægrum veniant. Quô pervenientes, & *credo in unum Deum* communiter explentes: canant ſeptem Pſalmos pœnitentiales ſine *Gloria*. Quibûs expletîs ſubjungat Sacerdos Capitulum *parce Domine, parce famulo tuo, quem redimere dignatus es pretioſo ſanguine tuo, ne in æternum iraſcaris ei*; hoc tertiò à Sacerdote dicatur, & per ſingulas vices à toto Conventu repetatur: deinde ſequatur Litania, quæ ſolet, quam protrahi, vel breviari oportet, ſecundùm quod Fratris exitus viſus fuerit admonere; ſi autem, ut aliquando fit, Litaniâ expletâ nondum migraverit, Conventus diſcedat, aliquibûs Fratribûs, quibus juſſum fuerit, ibi remanentibûs, qui Pſalterium ex ordine pſallere incipiant: cùm autem venerit hora, ut iterum Fratres vocari debeant, ſupradictô modô vocentur & veniant: egreſſa jam de corpore anima, tribus vicibus, cum parvis intervallis, pulſentur ſigna; Cantor incipiat Reſponſorium *ſubvenite ſancti Dei*, quô cum verſu & regreſſu expletô, ſubjungat Sacerdos, *proficiſcere anima Chriſtiana*; quô dictô incipiant commendationem animæ, dictáque prima Collecta *tibi Domine commendamus*, Sacerdote & Conventu proſequente cætera, portetur corpus ad lavandum ab his, de quorum ordine fuit, id eſt Sacerdos à Sacerdotibus, Diaconus à Diaconis, & ſic in reliquis Ordinibus, Converſus à Converſis: Infans tamen non ab Infantibus, ſed à Converſis. Hi verò ſunt, qui lavare non debent corpus defuncti. Sacerdos Hebdomadarius, & reliqui Miniſtri, qui circa Altare ſerviunt, & vaſa ſacrata contrectant; Hebdomadarii, Coquinæ, Cellerarii, Refectorarii; dum lavatur corpus, Camerarius præſto eſſe debet habens veſtimenta idonea, & fila, & acus ad conſuendum & cætera, quæ ſui officii

ſunt, & huic operi neceſſaria: Inter lavandum circumcinctus ſit ſtaminia, quâ indutus antea erat circa pudendas ſui corporis partes; lotus autem veſtiatur ſtaminiâ novâ, vel noviter lotâ, & cucullâ, & in capite ejus ponatur ſudarium, in modum caputii de ſtaminia factum; huic ſuperducatur caputium cucullæ, & cum filo in tribus locis annectatur; calcietur caligis de ſupradicto panno factis, uſque ad genua attingentibus, & nocturnalibus; manus cucullâ ſint cooperta; cuculla hinc & inde conſuatur, & circa crura ſimiliter: nocturnales alter alteri filo connectantur; taliter paratum corpus feretro imponatur, & palliô cooperiatur; quô expletô, expletiſque quæ in Conventu dici cœperant, percutiat Prior tabulam uno ictu. Quô auditô inclinati Fratres dicant *Pater noſter*: Sacerdos circa corpus aquam benedictam ſpargat, & incenſet: dehinc dicat, *& ne nos inducas; à porta inferi*; poſtea Collectam.

Hîs ita geſtîs, pulſentur ſigna: Cantor incipiat Reſponſorium, *ſubvenite ſancti Dei*; & præcedentibûs iis, qui ſitulam cum aqua, crucem, candelabra, thuribulum portant: Sequentibûs Infantibûs, & reliquo Conventu, extremis eis, qui corpus lavarant, & portant, veniant in Eccleſiam. Poſitóque corpore in loco, ubi poni ſolet, ceſſent ſigna, figatur crux ad caput ejus: ponantur duo candelabra, unum ad caput, & alterum ad pedes, cum cereis deſuper accenſis, qui continuè ibi ardeant uſquequo ad ſepulturam deferatur; finito cantu inclinati dicant *Pater noſter*, Sacerdos, *& ne nos: à porta inferi*, Collectam, ſicut ſuperiùs dictum eſt; hîs peractîs, ſi ſonitus tabulæ de Refectorio Fratres adduxerat, ablutîs manibûs, ad Refectorium revertantur, perficiántque, quod imperfectum remanſerat, remanentibûs cum corpore aliquibûs Fratribûs, quot, & quibus injunctum fuerit, qui Pſalmos ibi interim canant, nunquam enim ſine pſalmodia corpus eſſe debet, exceptô quando in Choro aliquid communis officii celebratur. Conventus in die circa corpus ſemper debet eſſe, niſi quando canunt horas, vel Miſſas, vel Proceſſionem circa Clauſtrum, vel extra Clauſtrum, ſi ita contingat, faciunt, vel in Capitulo ſunt aut in Refectorio, aut in Dormitorio meridianis horis, & tunc tamen deputentur aliqui Fratres, qui ibi remaneant, Pſalterium ex ordine pſallant, commendationem animæ agant, *Veſperas*, Vigilias, cum Laudibus, *verba mea* & hæc eadem frequenter; nocte verò poſt *Completorium*, incipiens primam Vigiliam dexter Chorus faciat, ſecundam ſiniſter, perſolventes utrique ſupradicta obſequia, prout quantitas noctium fieri permiſerit, hôc obſervatô diligenterque utrique Priores in una Vigilia deputentur. Circa finem primæ Vigiliæ exeat Prior ferens abſconſam, & vadat in Dormitorium, excitétque Fratres, qui ſecundam Vigiliam facturi ſunt. Poſt *Matutinas Laudes*, dictis in Choro, quæ dici ordo expoſcit, quidquid ſupereſt noctis, Infantes cum Magiſtris canendo expendant; interſint quoque infirmi illi, qui in domo infirmorum aſſiduè converſantur, & facultatem hoc faciendi habere videntur: cæteri verò Fratres in lectis ſuis quieſcant, uſquequo factô manè ſurgentes, calciati, loti, & pexi, factiſque orationibûs aggregentur & ipſi ad corpus. Quibûs aggregatîs pergant Infantes ſe calciare, lavare, & pectere, ſolitáſque orationes facere, & poſt accedant & ipſi, & hoc fit, ſi dies talis ſit, ut poſt *Matutinas Laudes* ad lectos redire Fratribus licitum ſit.

In hyeme verò, quando intervalla fiunt, ſi poſt Litaniam aliquid ſupereſt noctis, licet prædictis reliquis Fratribus in lectis ſuis uſque ad diem quieſcere; veſtiti tamen, & calciati quieſcant; Infantes, ſicut ſuperiùs dictum eſt, cum Magiſtris & infirmis ſuam circa corpus Vigiliam agant. Eâ autem horâ, poſtea omnes calcient ſe, & lavent, & pectinent, ſolitáſque orationes faciant, quas ordo illius temporis poſcit, ſedentes pſallant niſi ad *Magnificat*, & ad *Benedictus*: tunc enim ſtare debent; ad *Pater noſter*, & ad Collectas, quas Sacerdos dicit, inclinati ſint ſuper genua ſua. Si ante Nocturnas Vigilias Frater obierit, tanta jam noctis parte tranſacta, ut duas Vigilias facere commodum non ſit, locato in Eccleſia corpore, Fratres omnes vigilantes & pſallentes ibi remaneant: Infantes, cum Magiſtris ſuis, dormitum in Dormitorium redeant. Quamdiu corpus ſuper terram eſt, nullus in Clauſtro loquatur; tabula tamen, ſi dies talis ſit, in Capitulo pulſetur, & *benedicite* dicatur, ſicut aliis diebus: ſi tamen ipſa die poſt Capitulum ſepeliri debet, priuſquam ſepeliatur, nulli liceat extra Clauſtrum Monaſterii exire, niſi tam propè ſit locus, ut ad ſepeliendum Fratrem poſſit redire. Omnes, qui poſſunt, ipſo die pro eo Miſſam celebrent; Miſſa matutinalis, pro eo feſtivè agatur, etiamſi dies præcipuæ Feſtivitatis ſit. Ad quam Miſſam quotiens Diaconus incenſat Altare, ad corpus quoque incenſandum cum thuribulo debet accedere. Factô in Capitulô ſermone, abſolvat

eum

eum Abbas, vel qui ordini præeſt. Deinde præcipiat celebrari pro eo triginta diebus triginta Miſſas, ſingulis videlicet diebûs ſingulas Miſſas, præter eas, quæ in Conventu celebrandæ ſunr, ita ut nullus præterear dies, quo Miſſa pro eo non celebratur; niſi Paraſceve ſit, aur Sabbatum ſanctum: & qui inchoat non ipſa die, quâ ſepelietur, ſed in craſtino inchoare debet: celebratîs quisque ſibi Injunctîs Miſſis ipſo die id in Capitulo dicat, quatenus alii, qui ſubſequi debeat, ibidem Abbas aut Prior idem injungar: ipſo die Inſantes ſuum Capitulum non teneant. Quacunque horâ, per rotum diem poſt ſonitum, quem Prior ad excitandos Fratres manè facere ſolet, Frater moriatur, ſepultura ejus usque poſt craſtinum Capitulum differatur, niſi rationabilis cauſa exiſtar, quæ vel poſt majorem Miſſam, vel poſt *Nonam* ſepeliri eum ſuadear: & maximè ſi ante horam, quæ vel æſtate vel hieme ante Capitulum dicitur, mori eum contingar. Quod cùm accidit, præter ſervitium, quod pro mortuo Fratre facere ſolenr Fratres, integrum Pſalterium, cum integra mortuorum Pſalmodia, pro eo ſingulis eſt Fratribus injungendum. Si anre Nocturnas Vigilias moritur, ſubſequente ſimiliter die poſt Capitulum ſepeliatur.

Si inter ipſas Vigilias, vel poſtea ante prædictum ſonitum de hoc ſæculo migrer, poſt majorem Miſſam tradi eum ſepulturæ oporter. Si Feſtivitas duodecim Lectionum, aur trium, in qua in Clauſtro minimè loquantur Fratres, ipſa die ſuerit, poſt Capitulum celebretur pro eo Miſſa matutinalis feſtivo more, ſicut ſuperins dictum eſt: dehinc dictâ *Tertiâ*, Miſſâque majore, pergant ad ſepeliendum Fratrem. Ad quem accedenres ſive de Capitulo, ſive de Choro exeant, canendô *verba mea*, ad corpus veniant: interim pulſetur tribûs vicibûs unum de majoribus ſignis, ut, ſi qui fortè abſunt, ad hunc ſonum ſine mora conveniant. Secretarius Abbati, & Priori, & Sacerdoti, qui obſequium facturus eſt, cereos diſtribuar, candelas reliquis Fratribus, Magiſter infantibus. Sacerdos indutus ſir albâ, cum ſtola, & manipulo, albîs dun Fratres ex iis, qui ante laverant mortuum: albæ verò ſinr ad hujusmodi negorium ſpecialiter deputatæ. Ii, qui portant ſitulam cum aqua benedicta, crucem, candelabra, thuribulum, ſtent hinc, & inde ad caput defuncti, reliquus Conventus ad dexrram, & ad ſiniſtram, ſicut eſt ordo eorum. Sacerdos adveniens priùs aſpergar corpus aquâ benedictâ, dehinc accedens ad caput defuncti ſtet ita, ut prædictos portatores ad dextram ſuam, & ſiniſtram habeat. Accedanr duo Cantores, & ſtantes inrer Altare, quod ibi ſitum eſt, & corpus, dicant, *Kyrie eleiſon*, *Chriſte eleiſon*, *Kyrie eleiſon*. Conventu duo priora repetente, & ultimum *Kyrie eleiſon*, cum eis dicente: poſtea Sacerdos, humiliter inclinatîs omnibûs, dicat Collectam, *Oremus; Non intres in judicium;* quâ dictâ, prædictîs Cantoribûs incipientibûs canatur Reſponſorium cum Verſu, *qui Lazarum* quod dum canitur, incenſet Sacerdos Altare, quod ibi eſt, & corpus; hoc agatur ſecundò, & rertiò, exceptô quod aliæ Collectæ, & alia Reſponſoria dici debent, ſicut in libris, ubi actio hujus officii ordinata eſt, continetur. Finitîs Verſibûs tertii Reſponſorii, quod Canror præceperit, repetatur à capite Reſponſorium: quô percantatô, roget Sacerdos pro eo orari, ita dicendo, *Pater noſter; Et ne nos: non intres; A porta inferi; Dominus vobiscum; Oremus; Inclina, Domine, aurem tuam*, & reliqua: hîs ita peractîs, Cantore incipiente Anriphonam, *in Paradiſum*, exeant canentes Pſalmum, *in exitu Iſraël:* præcedant prædicti portitores aquæ, crucis, Candelabrorum, & thuribuli; ſequatur Sacerdos, & Canror, cujus officii ſpecialiter intereſt omni ſolicitudine providere, ne in hoc obſequio aliqua poſſit negligentia evenire. Poſt hos procedant Infantes cum Magiſtris ſuis, dehinc reliqui Fratres, extremîs Prioribûs, præcedentibûs junioribûs, ſicur eſt ordo Converſionis eorum; poſt omnes veniant, qui corpus portaut, hi verò ſint, ſi commodè fieri poſſit, qui laverant illud, adjuvantibûs eos, qui opus fuerit, aliîs Fratribus, quibus Abbas, aur Prior præceperit. Cùm exire incipiunt, pulſentur ſigna, usquequo corpus collocatum ſit in ſepultura; cùm verò ad ſepulturam pervenerint, ſtent ordinatè hinc & inde, ſicur in Choro ſtare ſolent. Sacerdos ſtet inter duos Choros, non longè à ſepultura, ad textram ejus, & ad ſiniſtram, qui portant aquam, & crucem, &c. de quibus dictum eſt ſuperiùs: dicta Collecta *Pia recordationis affectu*, accedar Sacerdos, & aſpergar ſepulchrum aquâ benedictâ, & impoſitô thure, tribuat thuribulum uni eorum, qui albîs induti illuc deſcenderant, & incenſetur ſepulchrum. Dehinc dictâ Collectâ *obſecramus miſericordiam tuam*, duo ex Fratribus, qui foris ſunt, pallium deſuper exrendanr, alii duo, corpus de feretro accipientes, illis tribuant, qui in tumulum deſcenderant.

Illi diligenter illud in ſepulchro componant, & abſolutionem ſcriptam, & à Fratribus lectam ſuper pectus ejus po-

ponant, & operiant: & ſtatim exeuntes, & ad Monaſterium revertentes, exuti albîs, & induti veſtibûs ſuis, ad Conventum redeant. Corpore in ſepultura poſitô, protinus extinguantur candelæ, & ceſſent ſigna. Expletis reliquîs, ſicut in codice, in quo hoc officium ordinatum eſt, repe[illegible]ur, revertantur canentes ſeptem Pſalmos pœnitentiales: Sacerdos præcedens Infantes cùm ad Monaſterium venerit, divertat in veſtiarium, & depoſitâ albâ, & manipulô, atque indutus veſtibûs ſuîs, revertatur in Chorum, & proſtratus cum cæteris proſtratis, quod reliquum eſt de Pſalmis, dicat; quibûs dictis ſubjungant *requiem æternam dona eis, Domine; Pater noſter; Et ne nos: A porta inferi; Dominus vobiſcum*; Collecta, *ſatisfaciat tibi, Domine, Deus noſter*. Poſt hæc revertantur in Clauſtrum, & dicto ab Infante *benedicite*, loquantur in Clauſtro, ſi dies talis & hora ſit; ſeptem plena officia pro eo in Conventu agant; triginta diebûs *verba mea*, & ad omnes horas *voce mea* pro eo dicant: ſingulariter unusquisque, quantùm Abbas præceperit pro anima ejus faciat; triginta quoque diebûs, aut pluribûs, ſi Abbas ordinaverit, panem ûnum cum potu, & regularibûs cibîs Eleemoſynarius accipiat.

Si Frater extra Monaſterium de hac vita migraverit, nec Fratres ſecum fuerint, qui eum abluant, cæteráque, quæ ſuperiùs dicta ſunt, circa eum adimpleant; deportatus ad Monaſterium in feretro, quod ſibi præmitti debet, cum pallio per portas curiæ ingrediatur, & cooperante Fratre, cui infirmorum cura commiſſa eſt, in domo infirmorum deponatur; quô depoſitô, famulus, ut ſolet, ad oſtium Clauſtri veniat, tabulam percutiat, Conventus adveniat, fiántque cætera, acſi de hac vita migráſſet in eadem infirmorum cella, excepto quod non dicitur *proficiſcere anima Chriſtiana*: porro ſi Fratres ſecum fuerint unus aut plures, factáque ſunt ei, quæ in tali negotin fieri oportet; procedat ei Coovențus obviam per majores Monaſterii portas, pſallendo hos Pſalmos, *miſerere mei, Deus, ſecundùm: Deus in nomine tuo; miſerere mei, Deus, miſerere mei: Ad Dominum cùm tribularer*; & qui ſequuntur, donec ad corpus perveniant; at ubi pervenerint, faciant ſtationem verſi ad alterutrum; Sacerdos albâ indutus, & ſtolâ, accedat & aſpergat corpus aquâ benedictá, & incenſet; dehinc moneat, ut orent pro eo, dicendo *Pater noſter; Et ne nos; non intres in judicium; requiem æternam; A porta inferi; Dominus vobiſcum; Oremus*: Collecta, *ſuſcipe, Domine, animam ſervi tui*. aliam, *ſuſcipe, Domine, ſervum tuum*. Inde revertantur, Cantore incipiente Reſponſorium, *ſubvenite*. Dum intrant in Eccleſiam, pulſentur omnia ſigna, & deponatur in loco, in quo cæteri Fratres deponi ſolent, & agantur cætera, quæ agerentur, ſi in domo infirmorum mortuus, & de illa domo illuc depoſtatus fuiſſet.

Quacunque hora, ex quo Infantes manè incipiunt legere usque ad collationem, de Monacho Congregationis alibi defuncto, atque ſepulto, vel ſepeliendo, certus nuncius, aut brevis ad Monaſterium venerit; ſi Fratres non ſunt in Capitulo, aut in Refectorio, aut in Dormitorio meridianîs horîs, aut ſi in Monaſterio, vel extra Monaſterium non interſint alicui obſequio, quod deferi, & imperfectum relinqui commodum non ſit, ſtatim Prior tabulam percutiat, & reſidentibûs in Capitulo Fratribûs, Fratris obitum nunciet; & ſubjungat *Eamus, & faciamus ei quod juſtum eſt, & noſtri Ordinis conſuetudo habet*: & ſurgentes, & *verba mea* canentes, ſonantibûs ſignîs, in Chorum veniant, expletisque inceptîs Pſalmîs cum Collecta, *Veſperas* Mortuorum, & Officium cum novem Lectionibus & *Laudibus* dicant, accensîs ante Altare duobûs luminaribûs: Miſſa matutinalis pro eo Feſtive dicatur, niſi dies Dominicus aut magna ſolennitas ſit. Quod ſi evenerit, in alium diem differatur. Poſt hæc in primo Capitulo abſolvatur. Continuatio triginta Miſſarum, ſi in eo loco, ubi mortuus eſt, non fit, pro eo injuogatur, fiántque cætera, quæ pro Fratre Congregationis in Congregatione defuncto fieri ſolent.

ADDI-

ADDITAMENTUM XVII.

STATUTA ORDINIS CISTERCIENSIS.

OBSERVATIO CRITICA.

DE exordio & mirabili progreſſu Sacri Ordinis Ciſtercienſis hîc diſcurrere inane foret, cùm ſequentia authentica documenta ex Monaſtico Anglicano deſumpta id ipſum perſpicuè manifeſtant. Nec quidem cuncta ſtatuta ſalubriter ſancita, & ad arctiſſimam Regulæ Benedictinæ obſervantiam ordinata hîc apponere licuit, utpote integro volumine digniſſima. Notum quippe eſt, quanto cum ſanctitatis ardore, quanta cum ſapientiæ & doctrinæ laude floruerint primi Inſtitutores, S. Robertus, S. Stephanus, S Bernardus; qui omnes ſalutaria ſtatuta condiderunt, ex quorum obſervantia, tot fructus & ornamenta non ſolum in Ordinem Monaſticum, ſed in totam Eccleſiam promanârunt; quòd ſacer Ordo Ciſtercienſis innumeros Cælo genuerit Sanctos, atque plures Eccleſiæ ſummos Pontifices, Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque Præſules procreaverit, & etiamnum hodie ubique ſumma cum pietatis & doctrinæ eximiæ laude floreſcat.

Quæ ſanè omnia hi ſequentes Tractatus teſtantur, qui quidem ex optimæ notæ Codicibus MSS. deſumpti omnem fidem merentur. Primum enim ex antiquo Regiſtro Monaſterii de Bellalanda ejuſdem Ordinis, eruit Dugdalius Monaſtici Anglicani Auctor probus & ingenuus; Erat autem Bellalandenſis Abbatia apud Anglos celeberrima, in Agro Eboracenſi fundata Anno MCXXXIII. per Robertum de Moubrag alióſque nobiles Anglos, prout Chartæ authenticæ in eodem Monaſtico Tom. I. Pag. 775. teſtimonium faciunt. Quod autem ſecundum Tractatum attinet, & illum ex antiquis MSS. collectum edidit Edmundus Martene, in ſuo novo Theſauro Anecdotorum, tome 4. qui cum ſelecta ſtatuta in Generalibus Ordinis Capitulis condita contineat, ſic circa illum quædam ſunt notanda.

Inprimis enim apparet, Ciſtercienſes ab exordio, non adeo frequenter Capitula generalia celebrâſſe, nam primum hic adductum etſi ante annum MCXXXIV. celebratum fuerit, tamen non aliud habitum ante annum MCLII. reperimus. Si verò ultra hunc terminum progredimur, tunc ab anno octogeſimo Sæculi duodecimi, ſingulis annis Capitula Generalia celebrata erant, multiplicatis per totam Europam Sacri Ordinis Monaſteriis. Hinc in immenſam molem ſalutaria ſtatuta creſcere cæperunt, quod ab exordio uſque ad annum MDXLVIII. integrum volumen exhauriant; quæ proin, ultra annum MCXCIX. proferre diſtulimus, ob nimiam prolixitatem, & præſertim, quia adducta ſtatuta ſalubriter ſancita, ſatis manifeſtant Religionis fervorem à primis illis Sacri Ordinis Proceribus obſervatum. Interim lubet his ſtatutis ſubjungere Regulam Converſorum ſive Fratrum Laicorum *in hoc Sacro Ordine olim viventium, quam laudatus Edmundus Martene, loco citato, ex antiquo MS. Alnenſi eruit, & inter ſua Anecdota* collocavit.

INCIPIT RELATIO, QUALITER INCEPIT ORDO *CISTERCIENSIS.*

NOs Ciſtercienſes primæ hujus Eccleſiæ Fundatores Succeſſoribus noſtris ſtilò præſenti notificamus, quàm Canonicè, quanta auctoritate, à quibus etiam perſonis, quibúsque temporibûs Cœnobium & tenor vitæ illorum exordium ſumpſerit, ut hujus rei propalata ſincera veritate tenaciùs & locum & obſervationem ſanctæ Regulæ in eo à nobis per Dei gratiam utcumque inchoatum ament, pro nobisque, qui pondus diei & æſtus indefeſsè ſuſtinuimus, orent, in arcta & anguſta via, quam Regula demonſtrat, usque ad exaltationem ſpiritûs deſudent, quatenus depoſitâ carnis ſarcinâ in requie ſempiterna feliciter pauſent.

Exordium Ciſtercienſis Cœnobii.

ANnô ab Incarnatione Domini milleſimô nonageſimô octavô beatæ memoriæ Robertus Molismenſis Eccleſiæ in Epiſcopatu Lingonenſi Fundatæ primus Abbas, & quidam ejusdem Cœnobii Fratres ad venerabilem Hugonem tunc Apoſtolicæ Sedis Legatum ac Lugdunenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum venerunt, vitam ſuam ſub cuſtodia ſanctæ Regulæ Patris Benedicti ſe ordinaturos pollicentes, & idcirco ad hoc liberiùs exequendum, ut eis & ſui juvaminis Apoſtolicæque auctoritatis robur porrigeret, conſtanter flagitantes. Quorum votîs Legatus ille lætanter favens talî Epiſtolâ exordii eorum fundamentum jecit.

Epiſtola Hugonis Legati.

HUgo Lugdunenſis Archiepiſcopus & Apoſtolicæ Sedis Legatus Roberto Molismenſi Abbati & Fratribus cum eo ſecundùm Regulam ſancti Benedicti Deo ſervire cupientibus. Notum ſit omnibus de ſanctæ Matris Eccleſiæ profectu gaudentibus, vos & quosdam Filios veſtros Molismenſis Cœnobii Fratres Lugduni in noſtra præſentia aſtitiſſe, ac Regulæ beatiſſimi Benedicti, quam illuc tepidè ac negligenter in eodem Monaſterio tenuerant, arctius deinceps atque perfectiùs inhærere velle profeſſos fuiſſe, quódque in loco prædicto pluribus impedientibûs causîs conſtat adimplere non poſſe. Nos utriusque partis ſaluti ; videlicet inde recedentium, atque illuc remeantium providentes, in locum alium, quem vobis divina largitas deſignaverit, vos declinare, ibique ſalubriùs atque quietiùs domino famulari utile duximus fore. Vobis ergo tunc præſentibus Roberto Abbati, Fratribúsque quoque Alberico, Otoni, & Joanni, Stephano, Letaldo & Petro, ſed & omnibus quos regulariter & communi conſilio vobis ſociare decreveritis hoc factum propoſitum ſervare & tunc conſuluimus, & ut in hoc perſeveretis, præcipimus, & auctoritate Apoſtolica per ſigilli noſtri impreſſionem in perpetuum confirmamus.

De egreſſu Ciſtercienſium de Molismo, & de adventu eorum ad Ciſtercium ; ac de Monaſterio, quod inceperunt.

POſt hæc talî ac tantâ antedictus Abbas & ſui auctoritate freti Molismum redièrunt, & de illo religioſo Fratrum Collegio Socios votum in Regula habentes elegerunt, ita ut inter eos, qui Legato Lugduni fuerant locuti, & illos, qui de Cœnobio vocati, XX. & unus Monachi eſſent, talique ſtipati comitatu ad eremum, quæ Ciſtercium dicebatur, alacriter tetenderunt. Qui locus in Epiſcopatu Cabilonenſi ſitus, & pro nemorum & ſpinarum tunc temporis opacitate acceſſui hominum inſolitus à ſolis feris inhabitabatur. Ad quem viri Dei venientes, locúmque illum tantò Religioni, quàm animô jamque conceperant, & propter quam illum advenerant, habiliorem quantò ſecularibus deſpicabiliorem & inacceſſibilem intelligentes, nemoris & ſpinarum denſitate præſcisâ ac remotâ, Monaſterium ibidem voluntate Cabilonenſis Epiſcopi & conſenſu illius, cujus ipſe locus erat, conſtruere cœperunt. Nam viri iſti apud Molismum ſæpiùs inter ſe

Dei

Dei gratiâ de transgreſſione Regulæ beati Benedicti Patris Monachorum loquebantur, conquerebantur, contriſtabantur videntes ſe cæteróſque Monachos hanc Regulam ſolemni Profeſſione ſervaturos promiſiſſe, eámque minimè cuſtodiſſe, & ab hoc, perjurii crimen ſcienter incurriſſe, & propter hoc Apoſtolicæ Sedis Legati auctoritate, ut prælibavimus, ad hanc ſolitudinem, ut Profeſſionem ſuam obſervantiâ ſanctæ Regulæ adimplerent, veniebant. Tunc Dominus. Oto Dux Burgundiæ ſancto fervore eorum delectatus, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ præſcripti legati literîs rogatus, Monaſterium ligneum, quod inceperunt, de ſuis totum conſummavit, illóſque inibi in omnibus neceſſariis diu procuravit, & terrîs ac pecoribûs abunde ſublevavit.

Quando locus ille in Abbatiam ſurrexit.

EOdem tempore Abbas, qui advenerat ab Epiſcopo illius Diœceſis, virgam paſtoralem cum cura Monachorum juſſu prædicti Legati ſuſcepit, Fratréſque qui ſecum advenerant, in eodem loco ſtabilitatem regulariter firmare fecit. Sicque Eccleſia illa in Abbatiam Canonicè Apoſtolicáque auctoritate creſcendo ſurrexit.

Quare Moliſmenſis aures Domini Papæ pro reditu Roberti Abbatis inquietaverint.

IGitur haud multô elapsô temporis ſpatiô Moliſmenſes Monachi voluntate Domini Godefridi Abbatis ſui, qui Roberto ſucceſſerat, Dominum Urbanum Papam Romæ adeuntes poſtulare cœperunt, ut ſæpe dictus Robertus in locum priſtinum reſtitueretur. Quorum importunitate motus Papa mandavit Legato ſuo venerabili, ſcilicet Hugoni, ut, ſi fieri poſſet, idem Abbas reverteretur, & Monachi eremum diligentes in pace conſiſterent.

Epiſtola Domini Papæ pro reditu Roberti Abbatis.

URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili Fratri & Cœpiſcopo Hugoni Apoſtolicæ Sedis Vicario ſalutem & benedictionem. Moliſmenſium Fratrum magnum in conſilio clamorem accepimus Abbatis ſui reditum vehementer poſtulantium. Dicebant enim Religionem in ſuo loco everſam, ſéque pro Abbatis illius abſentia odio apud Principes & cæteros vicinos haberi. Coacti tandem à Fratribus veſtris dilectioni tuæ per præſentia ſcripta mandamus ſignificántes gratum nobis exiſtere, ut ſi fieri poſſet, Abbas ille ab eremo ad Monaſterium reducatur. Quod ſi implere nequiveritis, curæ tibi ſit, ut & qui eremum diligunt, conquieſcant, & qui in Cœnobio ſunt, regularibus diſciplinis inſerviant. His Apoſtolicis litterîs lectîs Legatus viros autenticos & Religioſos convocavit, & de præſenti negotio, quæ ſubtus ſunt exarata, diffinivit.

Decretum Legati de toto negotio Moliſmenſium, atque Ciſtercienſium Monachorum

HUgo Lugdunenſis Eccleſiæ ſervus chariſſimo Fratri Roberto Lingonenſium Epiſcopo ſalutem; Quid de negotio Moliſmenſis Eccleſiæ in colloquio apud Pontum Anſille nuper habito diffinerimus Fraternitati veſtræ notificare neceſſum duximus. Venerunt ante nos illuc cum litteris veſtris Moliſmenſes Monachi loci ſui deſolationem atque deſtructionem, quam per remotionem Roberti Abbatis incurrerant oſtendentes, ipsúmque ſibi reddi in patrem magnopere poſtulantes: nullo modo enim aliter ſperabunt pacem & quietem Moliſmenſi Eccleſiæ poſſe reſtitui, vel Monaſtici Ordinis vigorem in priſtinum ſtatum illic revocari & proſperitatem, niſi in præſentia noſtra Frater Gaufredus, quem eidem Eccleſiæ in Abbatem ordinaviſti, dicens ſe libenter ipſo Roberto velut patri ſuo locum daturum, ſi nobis placeret, ut eum Moliſmenſi Eccleſiæ remitteremus, remitteretur. Audita & ipſorum Moliſmenſium petitione, relictis Domini Papæ literis ſuper hoc negotio nobis directis totum diſpoſitioni & arbitrio noſtro committentibus, tandem multorum virorum Religioſorum Conventorum, quàm aliorum qui nobiſcum aderant conſilio, precibus veſtris & eorum adquieſcentes Moliſmenſi Eccleſiæ ipſum reſtituere decrevimus, ita videlicet ut priuſquam illuc redeat Cabilonè veniens, in manu Fratris veſtri Cabilonenſis Epiſcopi, cui ſecundùm conſuetudinem cæterorum Abbatum Profeſſionem fecit, virgam & curam Abbatiæ reddat, atque Monachos novi Monaſterii, qui ei ſicut Abbati ſuo Profeſſionem fecerunt & obedien-

dientiam promiſerunt, ab ipſa Profeſſione & obedientia liberos & abſolutos dimittat, ac ſic ab ipſo Epiſcopo Profeſſionis quam ei & Cabilonenſi Eccleſiæ fecit abſolutionem accipiat. Dedimus etiam licentiam cum eo redeundi Moliſmum omnibus illis de Fratribus novi Monaſterii, qui eum ſecuti fuerant, quando à novo Monaſterio receſſerit; Tali conditione, ut de cætero neutri neutros ſolicitare vel recipere præſumant, niſi ſecundùm quod beatus Benedictus Monachos novi Monaſterii præcepit recipiendos. Poſtquam autem hæc ſupradicta fecerit, remittimus eum dilectioni veſtræ, ut Moliſmenſi Eccleſiæ illum in Abbatem reſtituatis. Ita tamen ut ſi deinceps eandem Eccleſiam ſolita levitate deſeruerit, nullus ei ſubſtituatur vivente præfato G. Abbate abſque noſtro & veſtro ejuſdemque Galfridi aſſenſu. Quæ omnia Apoſtolica auctoritate rata eſſe præcipimus. De capella etiam prædicti Abbatis Roberti & de cæteris rebus, quas à Moliſmenſi Eccleſia recedens ſecum tulit, & cum eis Cabilonenſi Epiſcopo atque novo Monaſterio ſe reddidit, id ſtatuimus, ut omnia Fratribus novi Monaſterii ſalva permaneant præter Breviarium quoddam, quod uſque ad Feſtivitatem ſancti Joannis Baptiſtæ retinebunt, ut tranſcribant, aſſenſu Moliſmenſium; Huic autem diffinitioni interfuerunt Epiſcopi Norgundus Eduenſis, Galterus Cabilonenſis, Berardus Manticenſis, Poncius Bilbenſis; & Abbates Petrus Trevorcienſis, Jarento Dimonenſis, Gancerennus Acanocenſis, Petruſque Domini Papæ Camerarius, multique alii viri honeſti & boni teſtimonii. Hæc omnia Abbas ille laudavit, & fecit abſolvendo Ciſtercienſes ab obedientia, quam ei in illo vel Moliſmenſis loco promiſerant. Et Dominus Galterius Cabilonenſis Epiſcopus Abbatem à cura illius Eccleſiæ liberum dimiſit. Sicque reverſus eſt & quidam Monachi cum eo, qui eremum non diligebant. Hac ergo ratione Apoſtolicaque diſpenſatione iſtæ duæ Abbatiæ in pace & libertate ſumma remanſerunt.

Rediens verò Abbas ſecum pro ſcuto has literas Epiſcopo ſuo detulit.

Commendatio Abbatis Roberti.

Dilectiſſimo Fratri & Coepiſcopo Roberto Lingonenſi Epiſcopo Galterus Cabilonenſis Eccleſiæ ſervus ſalutem. Notum ſit vobis Fratrem Robertum, cui Abbatiam illam in veſtro Epiſcopatu ſitam, quæ novum Monaſterium dicitur, commiſeramus, à Profeſſione, quam Cabilonenſi Eccleſiæ fecit, ab obedientia, quam nobis promiſit, ſecundùm Domini Archiepiſcopi Hugonis diffinitionem à nobis eſſe abſolutum. Ipſe autem Monachos illos, qui in præfato novo Monaſterio remanere decreverunt ab obedientia, quam ſibi promiſerant & Profeſſione abſolvit & liberos dimiſit. Illum igitur amodo ſuſcipere & honorificè tractare ne vereamini.

De electione primi Abbatis Ciſtercienſis Eccleſiæ.

Viduata igitur ſuo Paſtore Ciſtercienſis Eccleſia convenit, ac regulari electione quendam Fratrem Albericum nomine in Abbatem ſibi promovit, virum ſcilicet literatum, in divinis & humanis ſatis gnarum, amatorem Regulæ & Fratrum, quique Prioris officium & in Moliſmenſi & in illa diutius gerebat Eccleſia, multúmque diu nitendo laboraverat, ſic ad illum de Moliſmo transmigrarent Fratres locum, & pro hoc negotio multa opprobria carcerem & verbera perpeſſus fuerat.

De Privilegio Romanorum.

PRæfatus Albericus cura paſtorali licèt multùm renitens ſuſcepta, cogitare cœpit veluti vir mirabilis providentiæ, quæ tribulationum procellæ domum ſibi traditam aliquando concutientes vexare poſſent, & præcavens in futurum cum conſilio Fratrum transmiſit Monachos duos, Joannem & Ilboldum Romam, Dominum Papam Paſchalem per eos exorans, ut Eccleſia ſua ſub Apoſtolicæ protectionis alis quieta & tuta ab omni Eccleſiaſticarum ſeculariúmve preſſura perſonarum perpetuò ſederet. Qui Fratres prædicti Hugonis Archiepiſcopi, Joanniſque & Benedicti Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, Walteri quoque Cabilonenſis Epiſcopi litteris ſigillatis freti Romam proſperè ierunt & redierunt, antequam ipſe Papa Paſchalis in captione poſitus Imperatoris animum pacaret, reportantes ejuſdem Apoſtolici Privilegium juxta Abbatis Sanctorúmque ejus voluntatem per omnia exaratum. Has Epiſtolas Privilegium etiam Romanum congruum duxi-

duximus in hoc opuſculo relinquere, ut poſteri noſtri intelligant, quàm magno conſilio & auctoritate Eccleſia eorum ſit fundata.

Epiſtola Joannis & Benedicti Cardinalium.

DOmino Patri Papæ Paſchalis & ubique laude eximia prædicando Joannes & Benedictus ſeipſos per omnia. Quia veſtri moderaminis eſt omnibus Eccleſiis providere & juſta poſcentium votis manum porrigere, veſtræque juſtitiæ adjumento religio Chriſtiana fulta debet incrementum ſumere, veſtram ſanctitatem obnixiùs deprecamur, quatenus harum litterarum bajulo noſtro conſilio, à quibuſdam Religioſis Fratribus paternitati miſſo, aures pietatis veſtræ flectere dignemini. Petunt enim, ut præceptum, quod de quiete & ſuæ Religionis ſtabilitate à Prædeceſſore veſtro Domino beatæ memoriæ Papa Urbano acceperunt, & quod ſecundùm ejuſdem præcepti tenorem Archiepiſcopus Lugdunenſis tunc Legatus & alii Cœpiſcopi & Abbates inter eos & Molismenſem Abbatiam, à qua Religionis cauſa deceſſerant, diffinierunt, veſtræ auctoritatis Privilegio in perpetuum maneat inconvulſum. Ipſi enim vidimus, eorúmque veræ Religionis teſtimonium perhibemus.

Epiſtola Hugonis Lugdunenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi.

REverendiſſimo Patri & Domino ſuo Paſchali Papæ Hugo Lugdunenſis Eccleſiæ ſervus per omnia ſeipſum. Fratres iſti præſentium geruli ad paternitatis veſtræ celſitudinem tendentes per nos tranſitum fecerunt. Et quia infra Provinciam noſtram, videlicet in Epiſcopatu Cabilonenſi manſionem habent, humilitatis noſtræ litteris apud celſitudinem veſtram ſe commendari petiêrunt. Sciatis autem eos de quodam loco, qui novum Monaſterium vocàtur, ad quem de Molismenſi Eccleſia cum Abbate ſuo exeuntes propter arctiorem & ſecretiorem vitam ſecundùm Regulam beati Benedicti, quam propoſuerunt tenendam, habitandum venerunt, depoſitis ſuorum Monaſteriorum conſuetudinibus imbecillitatem ſuam ad tantum pondus ſuſtinendum imparem judicantes, unde Molismenſis Eccleſiæ Fratres & quidam alii adjacentes Monachi inter eos habitare videantur. Quapropter deſideratiſſimam nobis paternitatem veſtram humiliter & cum fiducia deprecamur, ut Fratres iſtos totam ſpem ſuam in vobis poſt Dominum ponentes, & idcirco ad Apoſtolatus veſtri auctoritatem confugientes benignè pro more veſtro reſpiciatis, & eos & locum ipſorum ab hac infeſtatione & inquietudine liberando auctoritatis veſtræ Privilegio muniatis, utpote pauperes Chriſti nullam contra ſuos æmulos divitiis vel potentia defenſionem præparantes, ſed in ſola Dei & veſtra clementia ſpem habentes.

Epiſtola Epiſcopi Cabilonenſis.

VEnerabili Papæ Paſchali, Walterus Cabilonenſis Epiſcopus ſalutem & debitam ſubjectionem. Sicut ſanctitas veſtra, ut fideles in vera Religione proficiant, ardenter deſiderat, ſic eidem veſtræ protectionis umbram veſtræ conſolationis fomentum deeſſe non expedit; ſimpliciter ergò petimus, quatenus, quod factum eſt de Fratribus illis, qui arctioris vitæ deſideriô à Molismenſi Eccleſia ſanctorum virorum conſiliô receſſerunt, quos in noſtro Epiſcopatu divina pietas collocavit, à quibus tranſmiſſus præſentium litterarum bajulus verbis præſens adeſt, ſecundùm Prædeceſſoris veſtri præceptum & Lugdunenſis Archiepiſcopi Apoſtolicæ Sedis tunc Legati, & Epiſcoporum & Abbatum diffinitionem & ſcriptum, cui rei nos præſentes extitimus, vos approbare, & ut locus ille Abbatia libera in perpetuum permaneat, ſalvâ tamen perſonæ noſtræ Succeſſorúmque noſtrorum Canonicâ reverentiâ auctoritatis veſtræ Privilegio corroborare dignemini; ſed & Abbas quem in eodem loco ordinavimus, & cæteri Fratres totis viribûs confirmationem in ſuæ quietis tutelam à veſtra flagitat pietate.

Privilegium Romanorum.

PAſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Venerabili Alberico novi Monaſterii Abbati, quod in Cabilonenſi Parochia ſitum eſt ejuſdémque Succeſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Deſiderium, quod ad Religioſum propoſitum & animarum ſalutem pertinere monſtratur auctore Deo ſine aliqua dilatione complendum; unde nos ô Filii in Domino dilectiſſimi citra difficultatem omnium

veſtrarum precum petitionem advertimus, quia Religioni veſtræ paterno congratulantur affectu; Locum ergo illum quem inhabitandum pro quiete Monaſtica elegiſtis, ab omnium mortalium moleſtiis tutum ac liberum eſſe ſancimus, & Abbatiam illic perpetuo haberi, ac ſub Apoſtolicæ ſedis tutelæ ſpecialiter protegi, ſalvâ Cabilonenſis Eccleſiæ Canonicâ reverentiâ. Præſentis itaque decreti pagina interdicimus, ne cuiquam omnino perſonæ liceat ſtatum veſtræ converſationis immutare, neque veſtri, quod novum dicitur, Cœnobii Monachos ſine regulari commendatione ſuſcipere in Congregationem veſtram, aſtutiis quibuslibet aut violentiis perturbare. Eam ſanè Controverſiæ deciſionem, quam inter vos & Moliſmenſis Clauſtri Monachos Frater noſter Lugdunenſis Epiſcopus tunc Apoſtolicæ Sedis Vicarius cum Pruvinciæ ſuæ Epiſcopis aliisque Religioſis viris ex præcepto Prædeceſſoris noſtri Apoſtolicæ memoriæ Urbani II. perpetravir, nos tanquam rationabilem ac laudabilem confirmamus. Vos igitur in Chriſto Filii dilectiſſimi meminiſſe debetis, quod pars veſtri ſeculares latitudines, pars etiam ipſas Monaſterii laxioris minùs auſteras anguſtias reliquiſtis. Ut ergo hac ſemper gratia digniores cenſeamini, Dei ſemper timorem & amorem in veſtris cordibus habere ſatagite, ut quantò à ſecularibus tumultibus & deliciis liberiores eſtis, tantò ampliùs placere Deo totîs mentis & animæ virtutibûs anheletis. Sanè ſi quis impoſterum Archiepiſcopus aut Epiſcopus, Imperator, aut Rex, Princeps aut Dux, Comes aut Vice-Comes, Judex aut Eccleſiaſtica quælibet ſæcularis perſona hanc noſtræ Conſtitutionis paginam contra eam venire tentaverit, ſecundo tertióve commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictè ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri JEſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant & apud diſtrictum judicem prœmia æternæ pacis inveniant.

Inſtituta Monachorum Ciſtercienſium de Moliſmo venientium.

DEhioc Abbas ille & Fratres ejus non immemores ſponſionis ſuæ, Regulam beati Benedicti in loco illo ordinare & unanimiter ſtuduerunt tenere, rejicientes à ſe, quidquid Regulæ reſragabatur, froccos videlicet & pelliceas ac ſtamina, capucia quoque & ſemoralia, pectina & coopertoria, ſtraminia lectorum, ac diverſa ciborum Reſectorio fercula, ſagimen & cætera omnia, quæ puritati Regulæ adverſabantur, ſicque rectitudinem Regulæ ſupra cunctum vitæ ſuæ tenorem ducentes, tam in Eccleſiaſticis quàm in cæteris obſervationibus Regulæ veſtigiis ſunt adæquati ſeu conformati. Exuti ergo veterem hominem novum ſe induiſſe gaudebant. Et quia nec in Regula nec in vita ſancti Benedicti eundem doctorem legebant poſſediſſe, Eccleſias vel Altaria ſeu oblationes, aut ſepulturas, vel decimas aliorum hominum ſeu furnos vel molendinos, aut villas, aut ruſticos, nec etiam fœminas Monaſterium ejus intrâſſe, nec mortuos ibidem excepta Sorore ſua ſepeliſſe; Ideo hæc omnia abdicaverunt, dicentes, ubi beatus Benedictus docet, ut Monachus à ſecularibus actibus ſe faciat alienum, ibi liquidò teſtatur hoc debere verſari in actibus & cordibus Monachorum, qui nominis ſui ethymologiam hæc fugiendo ſectari debent. Decimas quoque ajebant à ſanctis Patribus, qui organa erant Spiritus ſancti, quorum ſtatuta transgredi ſacrilegium eſt committere, in quatuor partitiones diſtributas; unam ſcilicet Epiſcopo, alteram Presbytero, tertiam hoſpitibus ad illam Eccleſiam venientibus, ſeu viduis & orphanis, ſive pauperibus aliunde victum non habentibus, quartam reſtaurationi Eccleſiæ. Et quia in hoc computo perſonam Monachi, qui terras ſuas poſſideret, unde & per ſe & per pecora ſua laborando vivat, non reperiebant; Idcirco hæc veluti aliorum jus injuſte ſibi uſurpare detractabant. Ecce hujus ſæculi divitiis ſpretis cœperunt novi milites Chriſti cum paupere Chriſto pauperes inter ſe tractare, quû ingeniô, quò artificiô, quô ſe exercitiò in hac vita ſe hoſpiteſque, divites, & pauperes ſupervenientes, quos ùt Chriſtum ſuſcipere præcipit Regula, ſuſtentarent. Tunc itaque diffinierunt ſe converſos Laicos barbaros licentia ſui Epiſcopi ſuſcepturos, eoſque in vita & morte, excepto Monacharu, ùt ſeipſos tractaturos, homines etiam mercenarios, quia ſine adminiculo iſtorum non intelligebant ſe plenariè die ſive nocte præcepta Regulæ poſſe ſervare, ſuſcepturos quoque terras ab habitatione hominum remotas, & vineas, & prata & ſilvas, aquas quoque ad faciendos molendinos ad proprios uſus & ad piſcationem, & equos pecoráque diverſa neceſſitati hominum utilia. Et cum alicubi curtes aut agriculturas exercendas inſtituiſſent, decreverunt, ut prædicti converſi domos

illas

illas regerent non Monachi, quia habitatio Monachorum ſecundùm Regulam debet eſſe in Clauſtro ipſorum. Quia etiam beatum Benedictum non in Civitatibus nec in Caſtellis aut in villis, ſed in locis à frequentia hominum & populi ſemotis Cœnobia conſtruxiſſe ſancti viri illi ſciebant, idem ſe æmulari promittebant. Et ſicut ille Monaſteria conſtructa per duodenos Monachos adjuncto Patre diſponebat, ſic ſe acturos confirmabant.

De triſtitia eorum.

ILlud virum Dei prædictum & ſuos aliquantulum mæſtitiæ ſubdidit, quod raro quis illis diebus illuc ad eos inviſendos veniret; viri enim ſancti theſaurum virtutum cælitus inventum ſucceſſoribus ad multorum ſalutem profuturum committere geſtiebant; ſed fere omnes videntes & audientes vitæ eorum aſperitatem inſolitam & quaſi inauditam, plùs corde & corpore elongare, quàm approximari ſe eis feſtinabant, & de perſeverantia eorum titubare non ceſſabant. Sed Dei miſericordia, qui hanc militiam ſpiritalem ſuis inſpiravit ad multorum profectum, egregiè eam amplificare & conſummare non ceſſavit, ſicuti ſequentia declarabunt.

De morte primi Abbatis & promotione Stephani & de inſtitutis & lætitia eorum.

VIr autem Domini Albericus in ſchola Chriſti per ſeptem annos & dimidium regulari diſciplina feliciter exercitatus migravit ad Dominum fide & virtutibus glorioſus, & ideo in vita æterna à Deo merito beandus. Huic ſucceſſit quidam Frater Stephanus nomine, Anglicus natione, qui & ipſe cum aliis de Moliſmo illud advenerat, quique amator Regulæ ſanctæ & Fratrum. Hujus temporibûs interdixerunt Fratres unà cum eodem Abbate ne dux illius terræ - - - - - - - - - - ſuam aliquo tempore in illa Eccleſia tenerent ſicuti antea in ſolemnitatibus agere ſolebant - - - - - ne quid his qui in domo Dei die ac nocte Deo ſervire devotè cupiebant, remaneret, quod ſuperbiam aut ſuperfluitatem redoleret, aut paupertatem cuſtodem virtutum, ſponte quam elegerant aliquando corrumperet. Confirmaverunt, ne retinerent cruces aureas aut argenteas, niſi tantumodo ligneas coloribus depictas, neque candelabra niſi unum ferreum, neque thuribula, niſi cuprea vel ferrea; neque caſulas niſi de fuſtaneo vel lino ſine pallio aureo vel argenteo. Pallia verò omnia & cappas atque dalmaticas tunicáſque ex toto dimiſerunt, ſed calices argenteos, non aureos, ſed ſi poterit fieri deauratos & fiſtulam argenteam, & ſi poſſibile fuerit deauratam, ſtolas quoque atque manipulos de pallio tantum ſine auro & argento retinuerunt. Pallæ autem Altarium, ut de lino fierent & ſine pictura planæ præcipiebant; & ut ambullæ vinariæ ſine auro & argento eſſent. Illis diebus in terris & vineis & pratis curtibúſque eadem Eccleſia crevit, nec decrevit Religione. Ergo iſtis temporibus viſitavit Deus locum illum viſcera miſericordiæ ſuæ effundens ſuper ſe petentes, ad ſe clamantes, coram lacrymantes die noctúque longáque & profunda ſuſpiria trahentes, & ferè oſtio deſperationis appropinquantes pro eorum Succeſſoribus, ne pane carerent; Nam tot Clericos literatos & nobiles & Laicos & in ſæculo potentes & æquè nobiles uno tempore ad illam Dei gratiâ remiſit Eccleſiâ ut. XXX. inſimul in cellam Novitiorum alacriter intrarent, ac bene contra propria vitia & irritamenta ſpirituum malignorum fortiter curſum ſuum conſummarent, quorum exemplo ſenes & juvenes diverſæque ætatis homines in diverſis mundi partibus animati, videntes ſcilicet poſſibile in iſtis fore, quod antea impoſſibile in cuſtodienda Regula formidabant, illuc concurrere, ſuperba colla jugo Chriſti ſuavi ſubdere, dura & aſpera præcepta Regulæ ardenter amare, Eccleſiámque mirabiliter ædificare, & corrobare cœperunt.

De

De ordinatione & inſtitutione chartæ Charitatis ſufficienter habetur, ſecundùm quam ordo multis annis ſatis pacifice & utiliter fuit gubernatus, donec ſchiſma horribile ortum fuit inter Abbatiam Ciſtercienſem & Clarevallenſem, ſicut ſequens Epiſtola manifeſtè teſtatur.

Tranſcriptum literarum Domini Abbatis Savigniacenſis, directa domibus ſuis filialibus in Anglia.

VEnerabilibus & in Chriſto dilectis de Furnes & de Bellalanda, ac univerſis generatiois Savigniacenſis Coabbatibus ſuis per Angliam & Walliam conſtitutis, ac eorum Conventibus, Frater Joannes dictus Abbas Savigniacenſis cum ſalute, quam ſibi in Domino Compaſſionis viſceribus abundare & recognoſcere veritatem. Inter procelloſas voragines & tempeſtuoſos turbines hujus mundi noſtri Ordinis navicula conſtituta, ſicut ſtellæ maris radioſo lumine, gratia videlicet Virginis indiget ad conductum, ita nautarum ſolertia, Prælatorum ſcilicet diligentia eidem eſt neceſſaria ad Scillenſe periculum cautius evitandum. Inde eſt quod vobis tanquam Zelatoribus Religionis pariter & fervoris, ipſius Ordinis ſtatum cujus eſtis Filii, & alumni, qualiter ad præſens ſe habeat in partibus Gallicanis, breviantes duximus intimandum. Noverit ergo univerſitas veſtra, quod anno præterito in Capitulo generali, cùm Dominus Ciſtercienſis Deffinitores vellet eligere & nominatos à quatuor primis reprobare pro ſuæ libitu voluntatis, unum de Filiis Clarevallis virum utique experientiâ, fama, & induſtria ac fervore Religionis inſignem inter alios ſpecialiter refutavit. Obſecratus itaque à reverendo Patre Domino Abbate Clarevallenſi, & cæteris Senioribus & majuribus Abbatibus de linea Clarevallenſium, Ciſtercienſis Abbas etiam petitîs veniîs, ut propter novitatem dicti Clarevallenſis quem Dominus diebus iſtis Ordini veſtro creditur reſervâſſe, antiqua libertas & conſueta licentia quatuor primis ſuper nominatione Deffinitorum ſaltem in illo anno in ſuo robore perduraret, nullatenus nec ſupplicationibus nec precibus idem Ciſtercienſis voluit conſentire. Et habito cum filiis ſuis conſiliô ſalutari, idem Clarevallenſis de conſenſu omnium Filiorum ſuorum jus ſuum & antiquam libertatem Matris noſtræ Clarevallis in ipſo Capitulo proteſtatus dixit, propter illius Abbatis amotionem nullum ſibi debere præjudicium generari. Vidimus enim quia Ciſtercienſis Abbas, quos vellet, poſſet ponere Deffinitores, & quos nollet reprobare; poſſet Deffinitores facere quales vellet, & ita pro libitu ſubventiones impoſterum exigeret, exactiones imponeret, jurisdictionem ſibi per totum ordinem vendicaret, & ſic antiqua Ordinis ſimplicitas malignorum ambitione multiplici penitus deperiret, & limitati termini, quos poſuerunt Patres noſtri, transgreſſione damnabili minime curarentur. Quibus de cauſis & etiam pluribus aliis, quæ inferius deſcribuntur, conſulimus univerſi Abbates de linea Clarevallis, ut tantæ peſtilentiæ congruum antidotum quæreretur. Ecce autem interim Dominus Clarevallenſis mandato ſummi Pontificis compellitur ad Pontificii dignitatem; quod mira & occulta Dei diſpoſitione factum eſſe creditur, & ut honeſtiorem & manifeſtiorem occaſionem haberet ad Curiam accedendi. Quam quidem dignitatem idem Clarevallenſis tanquam homo humillimus & religioſiſſimus recipere minimè acquievit. Sed audiens, quòd apud Ciſtercienſes Abbas mandati eſſet Apoſtolici executor, feſtinatò viam eundi ad Curiam Romanam aggreſſus jam ſex dietas itineris confecerat, cùm ecce duo Abbates miſſi ex parte Abbatis Ciſtercienſis ad pedes montium pervenerunt, exhibentes ei duo patria litterarum, in quibus Ciſtercienſis excommunicabat in ſcriptis nulla monitione præmiſſa prætermiſſo juris ordine eundem Clarevallenſem, niſi tertia die pro aliquibus negotiis, ùt ſcribebat, apud Ciſtercium compareret. Clarevallenſis verò nil motus talibus utpote homo conſtantiſſimus & ordinatus ſe literatoriè humiliter excuſavit, dicens quod, cùm ad Curiam accedere diſponeret pro abſolutione ſibi impoſiti oneris obtinenda & pro filialibus ſuis, quæ ſunt in Italia viſitandis & jam magnam partem itineris confeciſſet, non poterat ſine magno detrimento & ſcandalo dimittere iter cœptum, & ideo ſupplicabat omni humilitate, quâ poterat, quatenus ſuam excuſationem legitimam acceptaret: & ita infectô negotiô, ad quod illi duo venerant Abbates, ad propria redierunt. Domnus autem Clarevallenſis vocaverat nos, ut eſſemus participes itineris illius & laboris. Venientes igitur ad Curiam Romanam inſimul poſt multas fatigationes & difficultates permaximas, tandem abſolutionem obtinuit ab Epiſcopatûs regimine, quam petebat. Innotuit poſt hæc ſummo-

mn Pontifici, quod Ordo noſter quoad plures Articulos reformatione indigeret propter tyrannicas oppreſſiones & graves inſolentias aliquorum Patrum Abbatum, qui ad cedendum turpiter & injuſte ſuos Filios compellebant, parentes ſuos & alios ſibi favorabiles, vitioſos ignominioſè depoſitos & malæ famæ homines locò utilium perſonarum contra voluntatem Conventuum intrudentes. Innotuit etiam eidem ſummo Pontifici Conventus Ordinis in pluribus locis ſuis liberis electionibus defraudatos per Patres Abbates, & perſonas honeſtas religioſas & utiles indebitè refutari; tempore etiam Viſitationis, honeſti & utiles domibus Monachi contra voluntatem proprii Abbatis & conſilii Senioris cum ſuis ſarcinulis ſæpius emittuntur nullâ causâ rationabili exiſtente. Gravationem etiam domorum intellexit idem ſummus Pontifex occaſione plurium equitaturarum in Ordine ſuboriri, ſcandala non curari, diſſenſiones augeri, novitates obrepere, fervorem minui, augmentari diſſolutiones, remitti rigorem Monaſticæ diſciplinæ. In Capitulo etiam Generali animadvertit Statuta edi & inutilia, & grave inferentia Ordini nocumentum, ſicut eſt illud, ut de aliis taceatur, de Inquiſitationibus committendis, licèt de novo inceperunt, plura tum ſcandala generârunt tum per tales Commiſſiones Inquiſitationum aliquibus malevolis injunctas auctoritate Capituli generalis multorum jam fuerit innocentia ſupplantata. Percepit inſuper idem ſummus Pontifex quod Viſitatio Ciſt. ſuperficialis tantùm eſſet, cum quatuor primi ibi ad Viſitationem convenientes nihil poſſent aut auderent corrigere niſi de Domini Ciſtercienſis beneplacito & aſſenſu, cùm idem Ciſtercienſis tempore Viſitationis ſedem primam teneat & uſurpativè correctiones faciat pœnitentias injungendo, & ſi aliquid contra voluntatem Ciſtercienſis fuerit attentatum, comminationes Viſitatoribus inferuntur, & ex defectu debitæ correctionis domus illa Ciſtercienſis in abyſſo debitorum multoties corruit, de quibus onerari ſæpe oportuit Ordinem univerſum. His & pluribus aliis rationibus imò enormitatibus quoniam nimis longum eſſet præſentibus inſerere, licèt multiplices ſint & graves, excitatus ſummus Pontifex, poſt longos tractatus, de conſcientia Religioſorum & majorum Fratrum ſuorum Cardinalium, & honeſtos, & diſcretos Fama Religionis, experientia, & ætate grandævos reverentia præcipuos, Dominum Epiſcopum Treten. Abbatem Majoris-Monaſterii & Confeſſorem Domini Regis Franciæ Reformatores noſtri Ordinis & Inquiſitores inſtituit, ut per tractatus pacificos & viam concordiæ, ſi poſſet fieri, noſtrum Ordinem Appellatione poſtpoſita reducerent ad curſum ſolitum & antiquum. Dominus autem Morimundus, cùm tenorem reſcripti Apoſtolici Inquiſitoribus deſtinati pleniùs intellexiſſet, nihilque fictitium nihil adinventicium vel mendoſum in eo perſpexiſſet, pro ſe & pro totâ generatione ſua litteras adhærentiæ nobis dedit Reformationi Ordinis conſentientes totaliter & præcisè. Ita quod ſumus modò tres partes totius Ordinis in hoc negotio concordantes abſque illis, qui ſunt de alia quarta parte, qui nobis occulte favent, & quidam etiam manifeſtè. Unde non credimus, quod ſit Conventus in toto ordine niſi unus, ſcilicet Conventus Ciſtercienſis, nec aliquis Abbas niſi fortè XX. vel circiter, qui non adhæreant toto corde. Cæterùm cùm aſſignata die & partibus convocatis ad preces & inſtantiam Domini Regis Franciæ tractaretur de pace in aliquibus Articulis, fuit ex utraque parte concordatum, in aliquibus contradictum, & præſentibus XV. Abbatibus & amplius electo Majlamenſi, & Archiepiſcopo Bajocenſi ex parte Regis ad tractandum de pace ſpecialiter deſtinatis, Abbas Ciſtercienſis coram omnibus petit Juriſdictionem & correctionem culparum & curam animarum per Ordinem univerſum, & fuit iſta petitio ſigillata de mandato Ciſtercienſis Abbatis & ab Abbate Clarevallenſi omnino contradicta. Sic enim Ciſtercienſis celare non potuit virus peſtiferum, quod latebat in corde, ſed crepuit in audientia talium & tantorum, & ſic errore acceptus contra ſe omnes Patres Abbates totius Ordinis provocavit. Cùm verò die aſſignata coram Reformatoribus & Inquiſitoribus cum aliquantis Abbatibus Ciſt. Abbas & XVI. Advocatis ſecularibus comparuiſſet, & mandatum Apoſtolicum audiviſſet, & ei facta fuiſſet copia Reſcripti Apoſtolici, poſtquam Clarevallenſis & Morimundenſis, qui ſecum habebant circiter XII. Abbates & nullum penitus Advocatum obnixè ſupplicaverant, petitis veniis ut juxta mandatum Apoſtolicum in commiſſo ſibi negotio procedere non differrent, Ciſtercienſis Abbas & qui præ cæteris Reformationem & bonum ſtatum Ordinis quærere debuiſſet conſilin Advocatorum deceptus frivolam quandam Appellationem & nugatoriam cùm legiſſet coram Executoribus mandati Apoſtoli, de nocte affugit & exinde ad Curiam eſt profectus. Executores verò noſtri frivolæ appellationi & tergiverſationi minimè deferentes in negotio totaliter juxta formam ſibi traditam proceſſerunt, & relationem ſu-

per his, quæ à majoribus & ſanioribus Ordinis per Sacramentum invenerint, diverſis in locis & diverſis perſonis miſerunt ad Curiam per nuntios ſpeciales ; Poſt quos ivit jam Dominus Clarevallenſis & nos poſt ipſum, audituri & recepturi, Deo propitio, quod ad decus Ordinis & decorem antiquum & pacem cedere debeat animorum. Hæc autem vobis ſcripſimus, ut vobis aliud referentibus non credatis, quia vobis licèt breviter, rei intimavimus veritatem. De cætero, quia res veſtra & totius Ordinis agitur vel ad confuſionem perpetuam vel ad exaltationem perpetuam duraturam, devotiſſimis orationibus negotium, quod habemus præ manibus, muniatis, oraotes pro nobis & orari devotiùs facientes. Bene valete. Legatur iſta Epiſtola in omnibus Capitulis generationis veſtræ, ubi fieri potuir oportunè. Datum apud Clarevallem anno Domini MCCLXIV. In craſtino Natalis Domioi.

Ordinatio Domini Guydonis, titulo ſancti Laurentii in Laicis Presbyteri Cardinalis pro diffinitione habeatur, quæ talis eſt.

IN nomine Domini, Amen. Nos Frater Guydo titulo ſancti Laurentii Presbyrer Cardinalis ſedis Apoſtolicæ Legatus ; Facto & recepto in nos compromiſſo ſuper diſcordia, quæ vertebatur in Ordine circa electionem ſive Inſtitutionem Deffinitorum, & data nobis plenariè poteſtate ab Abbate & Conventu Ciſtercii, & à quatuor primis Abbaribus, & à toto Capitulo generali ordinandi & ſtatuendi in prædicto negotio, quod paci & utilitati Ordinis videbimus expedire : Pro bono pacis & charitatis in Ordine conſervandæ ordinamus, atque conſtituimus. Quod quilibet de quatuor primis Abbatibus veniens ad Capitulum generale quinque Abbates Domno Ciſtercienſi volenti Deffinitores eligere nominabit, ita tamen quod duo ex ipſis, quos Pater Abbas nominans præeligere voluerit, per Abbatem Ciſtercienſem illa vice amoveri non poterint vel dimitti. De tribus verò reſiduis quemcunque voluerit Abbas Ciſtercienſis relinquet, & alios duos Deffinitores inſtituet cum prædictis. Si verò aliquem de primis quatuor Abbatibus ad Capitulum generale venire non contigerit, prædictam nominationem & præelectionem per litteras ſuas petere poterit, vel aliquem de Filiis ſuis Abbatibus Vicarium ibi conſtituet ad hoc ipſum. Si verò aliquam de quatuor primis filiabus vacare contigerit vel Abbatem ejus in tali ſtatu eſſe, ut ad facienda prædicta ſit impotens & ineptus, tempore Capituli generalis primus Abbas de Filiis generationis illius, qui in Capitulo fuerit prædicta omnia ſupplere poterit vice Patris. Si verò aliquem de primis quatuor Abbatibus per negligentiam vel quamcuoque occaſionem aliam nec venire ad Capitulum nec litteras mittere nec Vicarium ad prædicta ſubſtituere contigerit, Abbas Ciſtercienſis vice ipſius quatuor Deffinitores aſſumet de generatione ipſius abſentis, ſi tot præſentes ibi fuerint, alioquin de aliis Abbatibus quod defuerit ſuppleatur, ut Deffinitorum numerus integretur. In nullo tamen volumus per ordinationem iſtam derogari ſtatutis chartæ Charitatis, quæ de generali Capitulo faciunt mentionem, Cætera verò quæ in ordinatione Domni Papæ continentur, in ſuo robore perſeverent. Act. Ciſtercii XVII. Kalendis Octobris tempore Capituli generalis, anno Domini MCCLXV.

STATU-

STATUTA SELECTA

CAPITULORUM GENERALIUM ORDINIS CISTERCIENSIS.

Antiquiſſima Statuta Capituli generalis Ordinis Ciſtercienſis ante annum M. C. XXXIV. celebrati.

1. Abbas veniens Ciſtercium ad generale Capitulum, intra Abbatiam nec Monachum adducat, nec plusquam duos equos.

2. In prima die Capituli poſt recitationem brevium, & abſolutionem defunctorum, dicatur *Adjutorium noſtrum*, & omnes Monachi præter Priores, qui loco Abbatum fuerint, exeant ad tenendum ordinem ſuum. Idem fiat aliis diebus poſt expoſitionem Regulæ.

3. Nulli Abbatum præter Domnum Ciſtercienſem liceat clamare, vel in audientia loqui, niſi ſtando, aliis omnibus ſedendo auſcultantibus. Si quis autem aliorum vel contradicere, vel aliud dicere voluerit, illo ſurgente ſurgat.

4. Monachus vel Converſus non debet minui extra Abbatiam noſtri Ordinis.

5. Si quis Abbatum terram aliquam habuerit, vel uſuaria, vel inde aliquam habuerit conventionem, nullus aliorum quærat eam, vel in ea uſuaria ſine aſſenſu illius Abbatis.

6. Si cui locus ad Abbatiam conſtruendam oblatus fuerit, non præſumat accipere, niſi prius diſtare eum à cæteris Abbatiis noſtri Ordinis decem leucis Burgundiæ pro certo cognoverit. Si tamen ibi Congregatio fuerit, per aſſenſum generalis Capituli recipi poterit.

7. Quod ſi Subprior jam reſederit, ingrediatur tamen ut cæteri Monachi, & retrahente ſe paululum Subpriore ad nolam ſedeat, & ſuum deinceps officium exequatur, ſimili modo ad Capitulum & ad collationem.

8. De cætero præſente & abſente Abbate, intus & deforis, pro voluntate Abbatis omnino ſe agat, ſic tamen quod locum in Eccleſia numquam occupabit.

9. Prior & Subprior & alii obedientiales tam ab Abbatibus quàm à Monachis ſuis, nominibus ſuis, ſed non puris vocentur.

10. Si non occurrerit Abbas ad *Gloriam*, ſatisfaciat ad gradum ùt Monachus, excepto quod ſine alicujus licentia, mox poſt ſatisfactionem recedat in ſedem ſuam, niſi alius Abbas in Choro affuerit.

11. Illis diebus in quibus communicaturi ſunt Monachi, poſſunt ad privatas Miſſas miniſtri communicare. Licet etiam Abbati Monachos, Novitios, Converſos, prout expedire judicaverit dividere per Altaria ad communicandum.

12. Singulis menſibus communicent, niſi quem Abbas certa de cauſa crebriùs vel rariùs accedere judicaverit.

Statuta Capituli generalis Ordinis Ciſtercienſis anno M. C. LII. celebrati.

1. Anno ab Incarnatione Domini MCLII. ſtatutum eſt in generali Capitulo Abbatum, ne ulterius alicubi conſtruatur nova Abbatia Ordinis noſtri, neque aliquis alterius Religionis per ſubjectionem Ordini noſtro ſocietur. Licet tamen alicui Abbati pro aliqua incommoditate intolerabili, conſilio & aſſenſu Patris Abbatis, Abbatiam ſuam ad locum magis idoneum transferre, qui tamen ab aliis Abbatiis noſtri Ordinis ad minus decem leucis Burgundiæ diſtet, & duabus à Grangiis, ſive ille locus ad quem ſit translatio, alterius ante fuerit Religionis, ſive non: ita quod priorem locum vel omnino deſerat, vel in eo Grangiam faciat, ſi ultra dietam intra ſe diſtent. Nulli enim licet à modo ab Abbatia ſua ultra communem dietam Grangiam facere. Sciendum etiam quod non licet per manum fugitivi noſtri Ordinis, aliquem locum ſive ad Abbatiam, ſive ad Grangiam faciendam recipere. Loca tamen quæ ante illud generale Capitulum ædificari cœperant, conceſſum eſt, ut ante generale Capitulum ſubſequentis anni honeſte & ſecundùm inſtituta Ordinis fieri poſſet, in Abbatiam ſurgerent. Quod ſi ante illud Capitulum convenienter, ut dictum eſt, accepta loca in Abbatiam ſurgere non poſſint, ex tunc remota omni diſpenſatione dimit-

dimitterentur, niſi Grangia ibi ſecundùm ordinem fieri poſſit.

2. Quando vel quibus major Cellerarius computare debet.

Major Cellerarius, &c. ut in Nomaſt. Ciſterc. pag. 270.

3. De pœna loquendi ad menſam.

Omni tempore, &c. ut in Nomaſt. Ciſter. pag. 270.

4. Cum quot Monachis liceat Abbati hoſpiti ſimul loqui.

Conſtituimus, ut nullus Abbas, &c. ut in Nomaſt. Ciſterc. ſed poſt finem hujus capitis ſequentia deſunt in Nomaſtico. Similiter infirmis & ſervitoribus eorum in Infirmitorio vel juxta, & hoc tantum duobus Abbas hoſpes loquatur, exceptis his qui ei, ſi in Infirmitorio fuerit, deputantur, nullus præſumat accedere.

5. De lumine Oratorii.

Lampadem tam die quàm nocte jugiter ardentem in Oratorio habeat, qui voluerit & potuerit.

6. Anniverſaria dies Abbatum defunctorum ſingulis annis in Capitulis ſuis pronunciabitur, & pro eis oratio injungetur.

7. Nullus Prior in minutione convocet multitudinem Monachorum.

8. Nullus præter Regem ſive Reginam, ſive Archiepiſcopos & Epiſcopos in noſtris ſepeliantur Eccleſiis.

9. Qui in domibus nigrorum Monachorum ſcienter ſagimen comederint, ſeptem ſextis Feriis in pane & aqua jejunabunt.

10. Loquentes ad menſam ubi ubi, aut vinum in taberna vendentes, ſententiâ, quæ olim de talibus lata eſt, puniantur.

11. Coquus Abbatis, & qui vocantur ad menſam ejus, ſi in Refectorium redeunt, non perdunt verſum.

12. De votis & pœnitentiis in ſæculo acceptis poteſt Abbas diſponere, prout voluerit, ſi ad converſionem venerint.

13. Nemo intret in Chorum ad *Laudes* XII. Lectionum.

14. Prohibetur, ne Abbas Ordinis noſtri induatur cappâ ſericâ, niſi ad benedictionem ſuam tantùm.

15. Prohibetur etiam, ne Abbas habeat ſæculares ſervientes in hoſpitio, niſi pro multitudine hoſpitum.

16. Caveatur omnino, ne pulli equorum venundentur extra terminos Abbatiarum & Grangiarum noſtrarum.

17. Ad Miſſam B. Mariæ tam privatim quàm in Conventu Cantore incipiente *Salve ſancta parens*, omnes qui affuerint tam in Choro, quàm extra Chorum, præter Sacerdotem & Miniſtros in albis indutos, petant veniam, ſemel videlicet ante verſum, & privatis quidem diebus ſuper genua, Feſtis verò ſuper Articulos. Similiter & ad commemorationes, quæ fiunt ſingulis diebus ad *Laudes* & ad *Veſperas*, quando Antiphonæ inchoantur, ubicumque cantaverint, niſi gravis infirmitas obſtiterit, vel in via directi fuerint.

18. Ad Miſſam quotidianam pro defunctis, ſi præſens defunctus fuerit, Collecta *Omnipotens ſempiterne Deus*, pro eo ſecunda dicatur.

19. Sabbato infirmi à carnibus abſtineant, exceptis his, qui tanta ac tali invaletudine laborant, ut aliud quid guſtare non poſſint.

20. Abbates ad Capitulum venientes ſecum non adducant Monachos, ſed Converſos, ſine certa neceſſitate, excepto Abbate Savigniacenſi, cui hoc permiſſum eſt ab antiquo. Qui autem aliter fecerit, petat veniam in Capitulo generali.

21. Quando campana pulſatur in elevatione hoſtiæ ſalutaris, omnes petant veniam, præter eos, qui ſunt in Dormitorio.

22. Liceat cuilibet Abbati vel Priori, ſi Abbas defuerit, auferre habitum Monacho fugitivo etiam revertenti.

23. De Saracenis antiqua ſententia teneatur, ſcilicet, ut nec emantur, nec baptizari prohibeantur.

24. Cùm ſtatutum ſit à Capitulo generali, ut creationes & electiones Abbatum non fiant, niſi in domibus, quæ vacant; tamen auctoritas Capituli generalis diſpenſat circa illas, quæ à matribus ultra XV. dietas diſtare noſcuntur: in quibus ſi Seniores domus illius quæ vacat, in Patrem Abbatem vota ſua tranſtulerint, poterit illuc Pater Abbas Abbatem dirigere.

25. Sententia de reædificandis Capellis intelligitur tantùm de illis, quæ ſunt intra Grangias.

26. Sententia quæ lata eſt de Abbatibus ad Capitulum venientibus, ne infra Capitulum generale pluſquam duas noctes morentur in Ciſtercio, niſi in infirmitate vel neceſſitate detenti, additum ut à vino abſtineant ſine diſpenſatione, quamdiu ibiden fuerint demorati.

27. Abbates venientes ad Capitulum, qui introducunt ſervientes in equis tempore Capituli generalis, contra inſtituta ejuſdem Capituli, veniam petant ſuper hoc, ad nutum Capituli ſatisfacturi.

Statuta

Statuta Capituli generalis Ordinis Ciſtercienſis anno M. C. LVII. celebrati.

ANno ab Incarnatione Domini MCLVII. in Capitulo generali hæc cœperunt inſtitui, ex quibus multa jam ſuperioribus ſcriptis ubi poſuimus, inſeruimus, cætera quæ reſtant per Capitula diſtinguantur, & præcedentibus, ut dictum eſt, Capitulis adjungantur hoc modo.

1. Abbatibus & Monachis, qui in via ſunt vel in Grangiis, ſi Conventus defuerit, licet ſimul cantare horas de S. Maria, & officium pro defunctis.

2. Nullus Abbas alienum Monachum de ordine noſtro faciat ordinari, ſine conſenſu Abbatis ſui.

3. Non licet Monacho in proxima Grangia pernoctare, nec pro Capitulo tenendo, niſi diſtet ab Abbatia per dimidiam leucam.

4. Qui lanam vel aliud vendunt, non ideo amplius accipiant, quam credunt.

5. Nullus Abbas guerrientibus aliquid det vel accomodet tempore guerræ.

6. Vadimonia ſive gageriæ ulterius non accipiantur, exceptis decimis propriis, feudis, & paſturis.

7. Abbas vel Monachus Ordinis noſtri non baptizet Infantem, niſi in Articulo mortis, ſi Presbyter defuerit.

8. Qui greges porcorum nutriunt, alios deinceps porcos non emant ad ducendum in alienas paſturas.

9. Numquam deinceps fiat menſuratio leucarum funibus vel perticis, ſed viſu arbitrorum omnis de hoc querela terminetur.

10. Novem dies poſſunt fœminæ noſtras intrare Baſilicas, cùm noviter dedicantur.

11. Coria emere licet etiam ultra quatuor dietas in nundinis nominatis.

12. Portas vel oſtia Eccleſiæ ſuæ albo colore, qui voluerit, poterit colorare.

13. Abbates, qui ad Capitulum non venerint, nec miſerint eo anno, quo debent venire, à die Capituli Ciſtercienſis in ſtallum Abbatis non intrent, & omni ſexta Feria jejunent in pane & aqua, donec Ciſtercium venerint.

14. Nullus Abbas vel Monachus ſive Converſus noſtri Ordinis extra Infirmitoria noſtri Ordinis carnes comedat. Quod ſi alicujus Epiſcopi juſſu, vel indignatione, aut excommunicatione fecerit; pro ſingolis vicibus, quibus carnes comederit, tres dies jejunet in pane & aqua, & hanc pœnitentiam præcipienti prædicat. Et ſi Abbas eſt, in Capitulo Ciſtercienſi in de veniam petat: ſi Monachus vel Converſus, in ſuo Capitulo.

15. Cruces cùm auro non habeantur, nec tam magnæ, quæ congrue non portentur ad Proceſſionem; ſed ad Altare ponantur. Item aureæ vel argenteæ cruces notabilis magnitudinis non fiant.

16. Turres lapideæ ad campanas non fiant. Domus extra portam cadant.

17. Quando aliquis Epiſcopus in Eccleſia noſtra Miſſam celebrat, Monachi noſtri non induant cappas vel dalmaticas.

18. Quotiens pronunciantur in Capitulo Feſtivitates S. Mariæ, videlicet Aſſumptio, Nativitas, Purificatio, & Annunciatio Dominica, inclinetur ab omni Conventu.

19. Coria tannata nec noſtra nec aliena nulla omnino nobis licet vendere, neque lanas, quas emerimus.

20. Qui per Dominum Papam vel alios Epiſcopos vel alios Principes petunt aliquid à Capitulo contra formam Ordinis, nullo modo petita obtineant. Si quid tamen obtinendum videtur, hoc modo in manu Capituli ſit, ut alteri, cui Capitulum voluerit, tradat.

21. Campanæ noſtri Ordinis non excedant pondus quingentarum librarum: ita ut unus pulſet, & numquam duo ſimul pulſent.

22. Nullus de Ordine noſtro pro aliqua perſona vel Eccleſia, niſi fortè de Ordine noſtro, fidejuſſorem vel reſponſorem ſe conſtituat.

23. Nullus nimis juvenis & puerili facie Abbas conſtituatur.

24. Temporibus, quibus prandetur, licet Monachis etiam non accepta licentia prandere in Grangiis ejusdem domus.

25. Abbati non detur oſculum, niſi prius oratione facta.

26. Qui in levi culpa eſt, de labore remaneat propter ſatisfactionem. Qui etiam, cùm ſatisfacit, toto corpore extenſo proſternatur, quando Conventus proſternitur ſuper formas. Cæteris verò diebus ſtans incurvetur.

27. Nemo clamorem vel litteras pro quolibet ſæculari, contra aliquem Ordinis noſtri ad Capitulum deferat.

28. Poteſt Pater Abbas ejicere Novitium, ubi inordinatè receptum invenerit; non enim debet Novitius recipi minus quàm decem & octo annos habens, nec talis quem ter in die comedere opus ſit.

29. Artifices intra Clauſtrum vel tam prope operentur, ut ad horas regulares poſſint occurrere.

30. Ali-

30. Aliquis Monachus lapſus in fornicationem & publicatus, in ea domo, ubi hoc ei accidit, non remaneat, ſed in aliam domum Ordinis noſtri transmittatur, ad priorem non reverſurus, niſi per generale Capitulum.

31. Veniam petat in Capitulo qui Lectionem, vel Reſponſorium, aut *Venite* alii injungit, ſi tamen extra Chorum non eſt.

32. Abbatum noſtrorum Anniverſaria in Capitulo pronunciamus.

33. Cum ex Regulæ auctoritate duobus pulmentis coctis debeamus eſſe contenti, & ipſa propter diverſorum infirmitates concedantur, ut qui ex uno non poſſit, ex alio reficiatur; honeſtum ſatis eſt, & conſentaneum rationi, ut occaſione Abbatum vel hoſpitum, ſi fortè ſupervenerint, modum non transgrediatur; ſed ſicut ait B. Benedictus, ſervata in omnibus parcitate vivamus. Statuimus itaque, ut nulli Abbati vel Monacho, vel Converſo Ordinis noſtri, vel in Refectorio, vel in Hoſpitio, vel in Grangia, vel ubicumque nos nobis eſcas miniſtramus, amplius quàm tria pulmentaria demus; Sed neque Hoſpitibus aliis, niſi fortè adſit aliquis Epiſcoporum vel Principum. In Refectorio tamen, ſi Conventus vel Servitores comedunt, licet Abbati vel Fratri hoſpiti quartum pulmentum, ſi juſſum fuerit, propter diſtributionem ſimul comedentiũ. Et ſciendum, quod flatones, & paſtillos, vel caſerũ ſi non eſt in pulmento, pro pulmentis intelligamus. Butyrum vel poma quælibet, aut herbæ crudæ in hoc numero non computantur. Infirmis Hoſpitibus vel Fratribus in Infirmitorio non tenebitur lex iſta. Si quis verò transgreſſus fuerit hanc Conſtitutionem: Si Monachus eſt, una die ſit in levi culpa; ſi Converſus, una die in pace & aqua.

34. Abbates noſtri Ordinis ad Capitulum venientes, ſi citra alpes & mare habitant, ſine Monacho & Garcione ſicut Ciſtercium veniunt, ſic veniant. Qui ultra alpes & mare habitant; ſi plures adducunt in itinere, non eos adducant in domos proximas Ciſtercii, de Firmitate, & Pontiniaco, de Claravalle, de Morimundo, vel quæ ſunt inter eas & Ciſtercium, ſed ſimpliciter ſicut Ciſtercium veniunt, intrent ad eas & cum duobus equis & uno Garcione & famulo, ſi Converſum non habent. Ipſis verò conceſſum eſt, ut ſi Converſos ſuos vel alios mutuatos in via infirmitate detentos ad Capitulum adducere non potuerunt, Garciones ſuos Ciſtercium introducant.

35. Multa de Mercatoribus noſtris querela eſt, multa confuſio. Quia tamen ad nundinas nominatas interdum mittere Fratres noſtros coëmendarum mercium, quibus utimur, neceſſitas perſuadet; hoc ſaltem conſentiamus, ut nihil omnino vendamus in eis; Sed cùm vendimus res noſtras ubi ubi, caveamus inhoneſtas commutationes, quas iterum venundare debeamus, nec accipiamus in precio niſi aurum, argentum, aut nummos, vel tales merces, quibus in ordine ordinatè utimur. Conſtituimus etiam, ne quoquo modo res noſtras venales trans mare convehamus.

36. Molendinos vel cæteras poſſeſſiones, quas ſecundùm ordinem tenere non licet, alicui perſonæ concedi in vita ſua, ut ad Monaſterium denuo revertantur, omnino non licet.

37. Pulli equorum ſic vendantur, ut ſi frenum eis imponitur, ut domantur, ſaltem ſella eis non imponatur, ut ad currendum erudiantur, nec cooperturas habeant. Non ducantur ad vendendum extra fines Abbatiarum vel Grangiarum noſtrarum, & cùm mutaverint quatuor dentes, tunc vendantur, antequam alios mutent, niſi fortè ad proprios uſus retinere velimus.

38. Crociones, id eſt, vetulos boves emere conceditur, ne longius coria perquiramus, ſed non pro hoc ultra dietam ab Abbatiis vel Grangiis noſtris procedamus.

39. Ruptis ſicut interdicitur inciſio, ita combuſtio.

40. Quicumque Abbatum Ordinis noſtri in Adventu & Quadrageſima comederit vel pernoctaverit extra domus noſtri Ordinis; niſi ab Epiſcopo ſuo vel Principe vocatus fuerit, vel causâ Abbatis infirmi viſitandi, vel Novitii benedicendi, vel Abbatis ponendi, vel ſcandali orti in aliqua domo noſtra ſedandi, vel pro pace terræ perrexerit; tribus diebus jejunet in pane & aqua.

41. Monachus vel Converſus, qui ſæcularem hominem in ira vel perturbatione percuſſerit, uno anno ſit ultimus in Congregatione.

42. Servientes ſæculares, qui cum Abbatibus, vel Monachis, ſeu Converſis noſtris equites, ſeu pedites vadunt, tinctas veſtes non habeant, niſi nigras, & acuminatos cultellos non habeant, vel enſes, nec notabiliter compti cum eis vadant. Si quis Abbas vel Monachus ſeu Converſus tales duxerit, quamdiu eos ſecum habuerit, omni ſexta Feria jejunet in pane & aqua.

43. Nullus eat ad Curiam Domini Papæ, niſi cum proprio Epiſcopo, nec Monachum, nec Converſum mittat ſine conſilio Capituli generalis. Quod ſi ſu-

bita

bita vel inevitabili neceſſitate præventus hoc expectare nequiverit; fiat hoc cum conſilio Domini Ciſtercienſis & quatuor priorum Abbatum, vel duorum, ſi omnes adire non poterit.

44. Decretum eſt, & communi conſilio confirmatum, ut apud Divionem tam in eundo ad Capitulum, quàm redeundo, nullus Abbas Monachus vel Converſus piſces faciat comparari, nec piſces ibi tunc temporis manducare præſumat, etiamſi transmiſſi fuerint vel donati, niſi cum Epiſcopo manducet. Nullus etiam ultra duas candelas accenſas parietibus affigat, nec Converſum ſuum ad ſerviendum ſibi flexis genibus adſtare permittat.

45. Abbas qui dimiſerit Abbatiam ſuam, infra XXX. dies Profeſſionem faciat; & nihil ex omnibus ſibi retineat aut reſervet.

46. De medicis Monachus vel Converſis ab olim ſtatutum eſt, ut extra domos ſuas pro medicinæ opere non pernoctent, neque potionem ſæcularibus dent.

47. Monachos vel Converſos artifices ad operandum ſæcularibus concedi non licet.

48. De Abbatibus, qui domos ſuas nimiis obligant debitis, dictum eſt, ut Pater Abbas in Viſitationibus inquirat ſtatum Filiæ domus tam in temporalibus, quàm in ſpiritalibus. Et ſi intellexerit debita modum excedere, vel occaſionem debitoſum irrationabilem, inhibeat Filium Abbatem, & arguat, ſecundùm quod viderit expedire.

49. Sarraceni nec vendantur, nec prohibemus baptizari.

50. De pitantiis antiquus ordo ſervetur, ut nullo die expetantur, neque fiant niſi ad arbitrium Abbatis, nec per Abbatem continuentur tribus diebus. Nullus præter Abbatem ipſius loci & Patrem Abbatem, pitantias in Grangiis faciat generales. Magiſter, Converſus vel Hoſpitalis, qui pitantiam fecerit generalem abſque præcepto Abbatis ſui, per annum pitantia careat. Solitam pitantiam faciat hoſpiti, quæ poſſit diſtribui duobus Fratribus ſecundùm ordinem. Prior, Cellerarius, & Magiſter Converſorum ſimiliter in Grangiis non faciant generales pitantias.

51. Abſtinentia in Quadrageſima ita obſervetur, ut omni ſexta Feria jejunemus in pane & aqua, niſi fortè ſexta Feria vel Sabbato XII. Lectionum Feſtivitas evenerit.

52. Monachus vel Converſus cùm neceſſe fuerit ipſum loqui in Eccleſia, ſi præſens fuerit Epiſcopus, petat ab eo licentiam: ſin autem, licentia Abbatis ſui vel Prioris hoc faciat.

53. Qui de Ordine exeunt: ita ut Jeroſolymam eant, vel aliam peregrinationem aliorſum faciant, vel ſeipſos qualibet occaſione faciunt abſcidi vel incidi; ſine omni perſonarum acceptione de domibus propriis amoti, mittantur in alias domos Ordinis perpetuo nunquam reverſuri.

54. Qui ante *Veſperas* vel poſt de Abbatia ad loquendum exierit, & eadem die reverſurus ad collationem non venerit, tribus diebus ſit in pane & aqua.

55. Eleemoſynas Capitulo deferendas nullus quærat, nulli dentur, ſed omnium uſibus, quibus miſſæ fuerint, reſerventur, aut dividantur.

56. Omnibus Ordinis noſtri omne genus Chyrothecarum tam de corio, quàm de panno interdicitur, exceptis artificibus, quibus illud genus conceditur, quod vulgò mitana dicitur.

57. Equi, boves, & canes Epiſcopis vel aliis ſæcularibus non commodentur.

58. Nuſquam in Ordine noſtro habeantur mulieres, quæ mulgeant. Qui eas deinceps habuerint, quamdiu eas habuerint, ſint in pane & aqua, tam Abbates, quàm Priores, & Cellerarii. Qui verò jam velatas habent, nullas ulterius recipiant.

59. Abbatiæ, quæ non ſunt creatæ in Ordine, molendinos teneant, quamdiu Capitulo viſum fuerit. Acquiſitos, autem poſtquàm Ordini ſociati fuerint, omnino dimittant. Qui eos deinceps tenuerint, quamdiu eos habuerint, omni ſexta Feria jejunet in pane & aqua. Priores & Cellerarii ſint ſimiliter in pane & aqua, & Cellerarius ſit ultimus omnium. Id ipſum etiam de fullonibus ſit dictum.

60. Sacerdotes noviter ordinati primas Miſſas, non niſi privatim cantare præſumant.

61. Falſarii chartarum vel ſigillorum, qui inventi fuerint, ſi Clerici ſunt, non miniſtrent, niſi ad privatas Miſſas; ſi verò Laïci, ultimi ſint in Ordine per annum, & utrique omni ſexta Feria jejunent in pane & aqua, & nemo inſtrumentis illis utatur.

62. Abbatibus Scotiæ conceditur, ut quarto anno veniant ad Capitulum.

63. Ad ſepeliendum, non niſi Fundatores recipiantur. Si quis tamen vivus adducebatur, & mortuus eſt in via, nec ſine gravi ſcandalo, aut grandi periculo remitti poteſt, qui eum ſepelierit, in proximo Capitulo confiteatur factum & neceſſitatem.

64. De jejuniis quartæ & ſextæ Feriæ in æſtate ſicut in Regula continetur, & ſicut hucuſque actum eſt, teneatur.

Statu-

Statuta Capituli generalis anni M. C. LXXX.

Anno M. C. LXXX. ſtatuta ſunt hæc in generali Captulo apud Ciſtercium.

1. Cum divina pariter & humana verba nos admoneant, ut ſtudeamus cupiditatibus imponere frenum, & modum acquiſitionibus noſtris propter varios ſtatus Monaſteriorum, adhuc veremur neceſſitatem Fratribus noſtris imponere, optantes bonum eorum voluntarium eſſe, & diuturna diliberatione ſuper hoc credimus opus fore. Interim autem propter ſcandalum gravius, quod ſuper retentione decimarum undique creſcit in dies, providemus, & firmiter præcipimus, ut quicumque ex vobis ab hoc die, & deinceps acquiſierit agros vel vineas, & quibus Eccleſiæ vel Monaſteria, ſeu perſonæ quælibet Eccleſiaſticæ percipere hactenus decimas conſueverant, ſine contradictione exſolvant, niſi fortè jam donationem exinde receperunt, vel compoſitionem fecerunt, aut in poſterum in pace acquirere poterunt.

2. Multitudinem minutorum non licet Priori, quaſi ad conſolandum vocare propter inordinatas collocutiones, nec quando abſens eſt Abbas.

3. Abbati, qui benedicendus eſt, licet indui alba & cappa.

4. Qui in domibus alterius Ordinis comedunt, ſi credunt in polmentariis eſſe ſagimen, ab eis prorſus abſtineant. Si contra conſcientiam comederint, ſeptem ſextis Feriis jejunent in pane & aqua; & ſi in conſuetudinem vertant, gravius puniantur.

5. In Oratoriis noſtris non ſepeliantur, niſi Reges & Reginæ & Epiſcopi; in Capitulis Abbates, vel etiam prædicti, ſi maluerint.

6. Altaria in Grangiis nova non ſiant. Antiqua, quæ conſecrata fuerint, abſque licentia Epiſcopi non diruantur. Verumtamen nullatenus ibi cantetur.

7. Mercatores Ordinis noſtri terminum receptionum, ſive redditionum ſuarum in nundinis publicis nullo modo conſtituant.

8. Inquietant multi ex nobis Monachi ſive Converſi Conventus alios ſervitia propria in morte ſua petentes, tales petitiones ultra non fiant, quia omnia communia ſunt nobis.

9. De fugitivis ſuis unusquisque Abbas non diſſimulet juſtitiam quærere.

10. Quamdiu laborant Monachi in Grangiis, ubi vinum vel cereviſia dari non ſolet, ſimiliter ipſi abſtineant, quamdiu ibi fuerint nullam pitantiam potus accipientes ab aliquo.

11. Converſi non in Grangiis, ſed in Abbatia minuantur.

12. Qui gajerias receperunt, ſi ſciunt ſortem ſuam recepiſſe, deductis expenſis, usque ad Paſcha eas reſignent, niſi ſit poſſeſſio, quæ ad jus Monaſterii pertineat. Qui aliter retinuerint, ex tunc Abbas, & Prior, & Cellerarius à divino officio ſint ſuſpenſi, nec cenſus impoſitione pallient hujusmodi pignorationes.

13. In domibus noſtris & villis, ubi Converſi morantur frequentius, non habitet fœmina, nec intret.

Statuta Anni M. C. LXXXI.

1. Non eſt conſuetudo Ordinis noſtri, ut qui ante Converſionem vovere jejunia, propter hoc in Congregatione diſtincti victu Fratres debeant conturbare, ſed obediant Patri Abbati per omnia.

2. Interdicitur generaliter, ne Converſi interſint Electionibus Abbatum.

3. Ad menſam Abbatis nullus ſæcularium miniſtret, niſi pro neceſſitate ſæcularium hoſpitum.

4. Tempore quo Abbates venientes ad Capitulum apud Divionem piſcibus abſtinent, eandem legem Monachi ibi remanentes obſervent.

5. Apud Divionem, quando veniunt Abbates ad Capitulum, vel redeunt, caveant omnino, ne in manibus ſe invicem tenentes, vel alio notabili modo per vicos incedant, nec ſine certo negotio ſe invicem viſitent, nec ſpecies alicubi compareant, ſed nec aliqua extra ſua hoſpitia.

6. Pater Abbas, ſi invenerit Filiam Abbatiam immoderatis debitis obligatam, niſi rationabilem cauſam obligationis cognoverit, diſtrictiſſime Abbatem loci illius & officiales puniat, & omni modo inhibeat, ne debita augeantur.

7. Erubeſcendum eſt nimis, quod dicitur, quosdam pro vino emendo gravia debita contraxiſſe, ſicut illos de Calſanova, quos Patribus Abbatibus relinquimus graviter puniendos.

8. Pro interdictis terrarum nullatenus vacent Eccleſiæ noſtræ à divinis, quocumque Epiſcopo præcipiente; ſed libertas in Privilegiis à Domino Papa nobis indulta inviolabiliter obſervetur.

9. In-

9. Indecens eſt conſuetudo in quibusdam Abbatiis, ut Abbatibus de via regreſſis, etiam poſt longas moras, pacis oſculum petant: quod ne ulterius fiat, modis omnibus prohibemus.

10. Lanam unius anni licet prævendere, ſi neceſſe fuerit: ultra annum, non fiat.

11. Panni tincti & curioſi ab ordine noſtro penitus excluduntur.

Statuta Anni M. C. LXXXII.

1. Abbates ad Capitulum venientes, quando plures conveniunt, provideant, qui Priores eorum ſunt, ne pro vino accipiendo immoderatè aggravent domos.

2. Abbates qui ſunt in Provinciis Lugdunenſi, Biſuntinenſi, Bituricenſi, Senonenſi, Remenſi, Trevirenſi, Viennenſi, venientes ad Capitulum apud Firmitatem, Pontiniacum, Claravallem, Morimundum, & apud Abbatias quæ infra ſunt, non adducant, niſi duas equitaturas, alii non adducant ultra tres.

3. Abbates, Monachi, & Converſi qui habuerint in comitatu ſuo Garciones ſibi ſervientes cum culteſſis acuminatis, quamdiu eos ſcienter tenuerint, niſi fortè in confinio Saracenorum à vino abſtineant; non aliquis in via Capituli ultra duos ſecum adducat.

4. Pro pacto certo nulla fiat Miſſarum promiſſio, quia ſimoniacum eſt.

5. Monachus de alio ordine, ſi antequam ſit benedictus, ad noſtrum Ordinem venerit, ſi in habitu erat ſæculari, ſit in probatione per annum integrum: ſi in habitu Monachali, vel fortè per violentiam ei ablatus fuerit habitus; in Abbate ſit ipſum admittere inter Monachos aut ponere in probationem; Benedictus in Ordine alio inter Monachos recipiatur.

6. Temperantes pro tempore, quæ de tabernis ante ea rigidius ſunt inſtituta, toleramus pro intolerabili quorumdam indigentia, quod in propriis domibus extra Abbatiam & Grangias, liceat vinum vendi in ſumma alicui ſæculari. Sæcularis autem illud vendere poſſit ad brocam: ita tamen quod ut tabernacula duraverit, nulli omnino Monacho vel Converſo liceat habitare in aliqua parte domus illius, ſed nec vendere, nec bibere, nec jacere.

7. De Converſis Grangiarum Dominicis & Feſtis diebus ad Abbatiam venientibus, in diſpoſitione Abbatis ſit ſecundùm multitudinem vel paucitatem Converſorum, vel locorum poſitionem, in ordine ſuo, vel ſeorſum ad menſas eos conſtituere.

8. De his, qui extra domum vagantur, provideant Abbates eorum, qui eos expellunt vel repellunt, cui debeant reddere rationem; & quantum licuerit, ad miſericordiam, quàm ad judiciū proniores exiſtant, ut miſericordiam conſequantur.

9. Ex nimietate debitorum, non tam periculum, quàm excidium pluribus Monaſteriis noſcitur imminere. Propterea providemus, ut qui debuerit ultra precium quinquaginta marcarum, terras non emant, neque novas ædificationes faciant, niſi tanta coegerit neceſſitas, ut de aſſenſu Patrum id faciant. Si autem repentina cauſa compulerit, Abbas in generali Capitulo veniam petat, & cauſam indicet, Capitulum autem judicet utrum puniendum ſit, an tolerandum. Si quis aliter feciſſe cognitus fuerit, Capitulum Ciſterciénſe tam gravem ſententiam ferat in Abbatem & in Officiales ejuſdem transgreſſioni conſentientes, ut eorum pœna correctio debeat eſſe multorum. Similiter faciat de eo, quod fecerit de aſſenſu Patris Abbatis.

10. Cellerarius de Carocampo, vel alius Ordinis noſtri ſervientes in equo ſecum non ducant.

11. Vitreæ picturæ infra terminum duorum annorum emendentur; alioquin ex nunc Abbas & Prior, & Cellerarius omni ſexta Feria jejunent in pane & aqua, donec ſint emendatæ.

12. Qui convenienter occurrerit ad orationem cujuſlibet horæ vel ad benedictionem collationis, non petat veniam in Capitulo, etiamſi poſtquam ſonuerit ſignum, aſcenderit Dormitorium, vel alicubi diverterit.

Statuta Anni M. C. LXXXIII.

1. Solemnia Anniverſaria ſtando præter quatuor Generalia nulla fiant, excepto Regis Ludovici, de quo conceſſum eſt, ut ſtando fiat tantummodo ibi, ubi ſepultus eſt.

2. Sententia de cultellis acuminatis ante data firmiter teneatur.

3. De fugitivis autem nihil novum inſtitui poſſe videtur ſine periculo totius Ordinis. De his autem, qui in extremis agere

agere videntur, in Abbatis ſit providentia; & ita in uſibus ſcribatur centeſimo primo Capitulo.

De his quibus Regula præcipit omnem reverſionis aditum denegari, nos contra Regulam nihil audemus, niſi fortè de indulgentia generalis Capituli, vel mandato Domini Papæ, ſeu Legati ejus, exceptis perſonis illis, quas ab hujusmodi rigore (eximi) notaria ſimplicitas exigit.

5. A nominatim excommunicatis nullam licet nobis recipere donationem, exceptis victualibus in gravi neceſſitate.

6. Qui convictus fuerit aut confeſſus publicè de ſortilegio, quod fecerit, aut fieri fecerit; ſi Abbas fuerit vel Prior, deponatur: ſi Monachus vel Converſus, tribus diebus ſit in gravi culpa, & per annum ſuſpenſus ab Altari, ſit omnium ultimus.

7. De juramento Converſorum, quod ſcriptum eſt in fine uſuum, qui multas generat quæſtiones, deleatur.

8. Abbates, qui de indulgentia generalis Capituli uno anno vel pluribus remanent; ſi eo anno, quo debent venire, gravi infirmitate impediuntur, ne veniant, liceat eis per litteras excuſare, & anno ſequenti ſine omni excuſatione veniant, & veniam inde petant.

9. Patres Abbates, vel qui pro eis viſitant, Abbatibus publicas pœnitentias non imponant, quia hoc ſolius Capituli generalis eſt.

10. Converſi, qui in domibus juxta Abbatiam ſitis extra terminos habitant & laborant, juxta priſtinam conſuetudinem in ipſis domibus comedant, nec Abbatibus id liceat mutare.

11. Conſpiratores, Incendiarii, fures, proprietatem habentes, annis ſingulis in Ramis Palmarum poſt habitum ſermonem, illis qui non ſunt de Ordine prius emiſſis, ab eo qui præeſt Capitulo cum ſtola & candela accenſa, auctoritate Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & beatæ Mariæ, & omnium Sanctorum, & totius Ordinis, excommunicentur.

12. Caveant Abbates, ne ipſi vel Monachi eorum aliquando utantur caſulis oloſericis in Monaſteriis noſtris. Qui autem uti præſumpſerit, ea die jejunet in pane & qua. Similiter Sacriſta vel alius Monachus, qui tale ornamentum ſcienter miniſtraverit.

13. Depoſita in domibus noſtris non ſuſcipiantur ultra centum ſolidos ſine conſcientia ad minus trium Fratrum, & ad juſſum Abbatis, & ſub eorum teſtimonio reddantur; & ſub tali conditione ſuſcipiantur, ut ſi contigerit, amitti, domus inde non teneatur. Nihilominus Abbas provideat ſtudioſè, quomodo commiſſa fideliter cuſtodiantur. qui autem ſub iſta conditione deponere noluerit, ipſe ſibi cuſtodiat.

14. Sententia de tabernis, ſicut ſuperiori anno temperata eſt, teneatur. Qui autem hoc anno ſcienter transgreſſi ſunt, Abbas, Cellerarius, & alii Officiales, quorum conſilio factum eſt, tribus ſextis Feriis jejunent in pane & aqua; & Abbas poſtquam redierit à Capitulo, infra triginta dies ad portam ſuam X. ſolidos pro hac transgreſſione pauperibus faciat diſtribui.

15. In lenis artificioſè ſiunt varietates colorum in Monaſteriis noſtris; quod ne ulterius fiat, modis omnibus prohibemus: ſed ſi contigerit, quod ſimbrias tinctas emerint, non niſi unius coloris in una lena ponant.

16. Monachi vel Converſi in Conventu niſi bis ullo tempore comedant.

17. Nulli Conventui Ordinis noſtri liceat aliquam pitantiam quacumque occaſione quaſi de jure expetere; ſed in Abbatis diſpoſitione conſiſtat, qui ſecundùm continentiam ſuam prævideat, ne quid immoderate vel inhoneſte fiat.

18. Quando duæ Miſſæ fiunt in Conventu, provideat quantum poteſt ſecundùm numerum Fratrum ſuorum, ne Clauſtrales nimis evagentur, & diſtrictè corrigat, quos invenerit excedentes.

Statuta Anni M. C. LXXXIV.

1. INdulgentia, quæ fuit anno præterito conceſſa his, qui non tenentur ſingulis annis ad Capitulum venire, ut per litteras liceat excuſare, ſi infirmitate detenti venire non potuerint, in proximis regionibus poſitis non conceditur, niſi transmarinis, & his, qui ultra montem Bardonis ſunt, & his, qui ſunt de Hungaria, de Polonia, de Hiſpania.

2. Qui nimis adoleſcentes receperunt, ita ut oporteat eos ter in die comedere, ſex diebus ſint in levi culpa, una eorum in pane & aqua. Si Priores abſentibus Abbatibus tales receperunt, hanc pœnitentiam agant.

3. Nullus Abbas vel Monachus afferat litteras ad Capitulum de petitionibus, quæ ſunt contra Ordinem. Si quis hoc anno attulit, ſit in pane & aqua.

4. Pre-

4. Provideant Abbates, de quibus datur aliqua ſententia, & ſtudioſè agant, ut habeant illam, quoniam ignorantia non excuſat eos.

5. Minuantur Converſi, quando Abbates præcipiunt. Qui contempſerit, perdat minutionem illam.

6. Abbates, qui pullos militarium equorum miſerunt ad nundinas, & ſi venditi fuiſſent, pretium Capitulo reddere debuiſſent, eleemoſynam quæ modo dabitur eis, Abbatibus diſtribuant Clarevallis & Morimundi, & ipſi pauperibus Abbatibus diſtribuant. Officiales, qui miſerunt ſine conſcientia Abbatis ſui, ſex diebus ſint in levi culpa, uno eorum in pane & aqua, & de cætero caveant, quia ſi ultra præſumerent, gravius punirentur.

7. De Gajeriis ſicut annis præteritis ſtatutum eſt, teneatur, quod non licet alicui cenſum, vel terragium, vel aliquem fructum terræ in Gajeria recipere, qui non computetur in ſortem, niſi decimas de propriis laboribus, & uſum nemoris, & uſus paſcuorum.

8. In confeſſione ponatur. *Confiteor Deo, & B. Mariæ, & omnibus Sanctis*; & omnibus Solemnitatibus infra Octavas Aſſumptionis S. Mariæ ad *Completorium* dicatur Hymnus de B. Maria, & ad *Tertiam*. Similiter in Commemoratione B. Mariæ, dum Cantor incipit Antiphonam, ſi dies fuerit proſternendi, omnes flectant genua. Si verò Feſtivitas fuerit, ſuper Articulos manuum. Similiter in omnibus Solemnitatibus B. Mariæ poſt *Magnificat* & *Benedictus*, dum incipitur Antiphona.

9. Qui duxerunt pueros nimis curioſè indutos cum Chirothecis, vel cum manicis conſutilibus, vel cum cultellis acuminatis; ſi conſcii fuerint Abbates, tribus diebus jejunet in pane & aqua. Quod ſi conſcii non fuerint Abbates, Converſi prædictam pœnitentiam faciant, & in poſterum idem judicium.

10. Excommunicatio, quæ in anno præterito præcepta fuit in die Palmarum facienda, firmiter teneatur. Qui autem omiſerunt hoc anno, ſex diebus ſint in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

11. Abbates, qui debuerunt venire, & remanſerunt pro guerris, vel pro debitis, vel quacumque alia ex cauſa, & non pro infirmitate, ſex diebus ſint in levi culpa, quadraginta diebus extra ſtallum ſuum, & ſequenti Capitulo ſe præſentent, exceptis Galenſibus & Hiſpanis, qui pro irruptione paganorum rationabiliter excuſantur.

12. Patres Abbates diligentiam adhibeant, & plenam habeant poteſtatem, ubi enormia ſunt debita, ſuadendi, & & cogendi, & faciendi, ut vendantur mobilia: vel ſi aliter fieri non poteſt, etiam immobilia, donec debita temperentur auctoritate ſua & totius Ordinis.

13. Venientes de Hibernia, & redeuntes de Curia, ſi ſe dicunt eſſe Epiſcopos, non eis ſine certo teſtimonio credatur. Similiter de Monachis & Converſis, qui ignoti ſunt, non eis credatur ſine litteris commendatitiis.

14. Scimus, quod in quibusdam terris conceſſum & toleratum eſt, ut in Grangiis vel vinum vel ſiceram bibant, & nunc non poteſt revocari. In cæteris autem terris quidam de novo ſua præſumptione ceperunt, propterea ſicut ſententia data fuit in Anglia, ſic irrefragabiliter teneatur, & ſimiliter in Flandria, & Normannia, & Cenomannia.

Statuta Anni M. C. LXXXV.

1. Nullus Abbas Ordinis noſtri Monachum vel Converſum tradat alicui perſonæ, niſi Domino Papæ, quæ non ſit de Ordine noſtro, ad habitandum cum eo.

2. De Commendationibus, quod annis præteritis dictum eſt & ſcriptum, diligenter & firmiter teneatur.

3. Diebus Sabbatorum in Infirmitoriis noſtris carnes non comedantur, niſi fortè Abbas vel Prior, abſente Abbate, circa aliquem diſpenſaverit pro aliqua graviſſima infirmitate.

4. Unam tantùm crucem licet ſuper Altare ponere præter communem ligneam, cum vaſe reliquiarum, ſine cereis, in præcipuis Feſtivitatibus tantùm ad Miſſas.

5. Nullus Ordinis noſtri litteras, quarum tenorem non novit, ad aliquam perſonam portare præſumat.

6. Quicumque Monachus miſerit malitioſè manum in Abbatem ſuum, mittatur de domo ſua in aliam domum, ultimus ſit omnium, in Ordine ſuo non miniſtret, legere & cantare & miniſtrare ad Miſſas privatas non poterit. Et hæc pœnitentia nulli relaxetur, niſi ad nutum generalis Capituli. Similiter & Converſi à domo propria amoveantur, ultimi omnium ſint, nec redeant ad domos ſuas, niſi ad nutum generalis Capituli. De jejuniis & diſciplinis, & ſi quid aliud addendum fuerit ad pœnam, Pater Abbas diligenter inſpiciat, & addat.

7. Abbates, qui exceptâ causâ morbi non venerint ad Capitulum, cùm venire de-

debuiſſent, ſex diebus ſint in levi culpa; uno eorum in pane & aqua.

8. Abbates, qui levaverunt pueros de ſacro Fonte, tribus diebus ſint in levi culpa. Qui verò baptizaverunt, & etiam, qui aquam ad hoc conſecraverunt, ſex diebus in levi culpa, in pane & aqua, & utrique ſeptem diebus extra ſtallum Abbatis. Sed & ſi quis Monachus de licentia Abbatis vel Prioris ſui id fecerit, ſimiliter patiatur; ſi ſine licentia, præter hæc, ſit tribus diebus in pane & aqua. Qui de cætero id præſumpſerit, diſtrictiùs punietur, quia contra Canones eſt.

9. Sententia anno præterito dictata de vino vel cereviſiis non dandis ad Grangiis, ſicut ſcripta eſt, teneatur; & quod in ea dicitur in Francia, non eſt intellectum in Aquitania, ſed in Senonenſi & Remenſi Provincia. Abbates, qui usque ad Paſcha non emendaverint, & tunc ab officio Abbatis abſtineant, ſi per eos ſteterit, quod non emendatur. Si Converſi eis, imò Ordini obtemperare noluerint, à Communione ſancta abſtineant, donec dignè ſit emendatum.

10. Ordinati ab Epiſcopo ſuſpenſo non exequantur officia illa, niſi ex indulgentia Domini Papæ.

11. In Feſtivitate S. Thomæ Martyris, Anglis ab olim conceſſæ ſunt duæ Miſſæ, cæteris una.

12. Qui præſidet Capitulo, ſemper unum teneat ſecum de quatuor primis Abbatibus in Capitulo, modo unum, modo alterum, per diverſa ſpatia diei, dum deffinitiones fiunt, & duos de aliis diſcretioribus.

13. Si præſens defunctus fuerit in Choro ad *Veſperas* & ad *Laudes*, qui ſunt in Infirmitorio celebrent Officium Defunctorum.

14. De eleemoſynis, quæ diſtribuuntur, tres partes pro defunctis dentur ſuper majorem menſam, tollendæ à portario, & in veſtibus vel calceamentis pauperibus diſtribuendæ.

15. Ad diſciplinæ diſtrictionem pertinet, ut Monachi vel Converſi ante Abbatem vel Priorem non niſi per tertiam perſonam ſibi invicem loquantur. Qui aliter præſumpſerit, in Capitulo veniam petat; vel qui audierit, proclamet, & dignè corrigatur. Qui verò aliis perſonis loquuntur, & occaſione illarum quaſi per tertiam perſonam loquuntur aliis Monachis vel Converſis, ſilentium frangere eſt, & omnino non licet.

16. Nulla perſona Ordinis noſtri, ſi in ejus electione in Epiſcopum controverſia orta fuerit, cauſam ſuper hoc intret, vel judicem adeat, vel ad eum aliquem mittat.

17. Pro neceſſitate indultum eſt, ut foris ubi competentia ſtramina non habemus, ſuper culcitras jaceamus. Diſtrictè igitur præcipitur, ut ubi habere ea ſufficienter poterimus, à culcitris abſtineamus.

18. Monachus coram Conventu de collatione vel Choro evocatus ab Abbate vel Priore, ſi perdiderit benedictionem collationis, vel orationem in Choro, inde veniam non petat, niſi pro *Pater noſter* & *credo in Deum*.

19. Quidam ponunt in chartis ſuis hoc vel aliud promiſimus in verba veritatis, ulterius non fiat.

20. Fibulæ non niſi ligneæ, & flexiles fiant.

21. Ad *Veſperas* S. Vincentii dicatur duodecimum Reſponſorium, id eſt, Gloria & honore.

22. Monachus vel Converſus de una domo ejectus, & in aliam receptus, non intret domum illam, de qua ejectus eſt, niſi per licentiam Abbatis.

Statuta Anni M. C. LXXXVI.

1. SOlet movere nonnullos, quod Fratres noſtri Ordinis Monachi & Converſi, ipſi quoque Abbates, ab Octava Pentecoſtes usque ad Exaltationem ſanctæ Crucis inter jejunantes alios ſextâ Feriâ bis manducant. Propter quod ſtatuimus, ut honeſtati ſuæ & Ordinis ſtudioſius deinceps in hac parte debeant providere. Qui Feriâ quintâ pernoctaverit in qualibet villa, & Feriâ ſextâ ibidem manſerit, ſive etiam non jejunus advenerit, & ibidem fuerit demoratus inter jejunantes alios, ipſe quoque jejunet. In illis etiam Regionibus, ubi eâdem ſextâ Feriâ ab eſu caſei & ovorum abſtinent ſæculares, vel dum prandemus inter eos, qui à talibus cibariis abſtinent illa die, nos cum eis decet illa die abſtinere.

2. His, quos pro certo ſcimus nominatim excommunicatos eſſe, non debemus in menſa communicare, in oratione, in oſculo, in ſalutatione.

3. Nimis eſt grave & contra Canones & inſtituta Ordinis, quod Abbates noſtri baptizare præſumunt. Propterea quicumque hoc anno baptizaverunt, ſex ſextis Feriis jejunent in pane & aqua, & usque ad Nativitatem Domini Miſſas non celebrent, & ſint extra ſtallum. Qui autem à modo præſumpſerint, omnibus ſextis Feriis ſint in pane & aqua, & extra ſtal-

ſtallum ſuum, nec Miſſam celebrent uſque ad nutum Capituli, & Monachus, qui hoc præſumpſerit, idem patiatur. Idem patiatur, qui aqua n conſecraverit, vel puerum de ſacro Fonte levaverit.

4. Si in aliqua Abbatia vel Grangia Ordinis noſtri vinum venditum fuerit ad brocam, in Abbatia interim non cantetur M ſſa, & ad ſeque is Capitulum Abbas, vel alius pro ipſo culpam illam in Capitulo miniſtret.

5. Erubeſcant Abbates Ordinis noſtri, & confundantur, qui notabilibus aſſueſcunt juramentis, vel ſubditos ſuos id agentes diſtrictè non corrigunt. Abbas autem, qui alium Abbatem in his aſſuetum noverit, in generali Capitulo illum proclamet, & Monachus Monachum, Converſus Converſum in propriis Capitulis, & in eos pro modo juramenti diſtrictè vindicetur.

6. Converſi, qui pœnitentiam inobedientiæ faciunt, & in terra comedunt, diſciplinam quoque in Capitulo debent accipere.

7. Sequenti die poſt Exaltationem ſanctæ Crucis in Ciſtercio cantetur Miſſa in Conventu de Spiritu ſancto, & ab uno Sacerdote privatim de ſancto Nicomede ad nutum Cantoris. A cæteris, qui cantare poterunt, Miſſa cantetur de Spiritu ſancto pro generali Capitulo, & Miſſa de ſancto Nicomede in Conventu cantetur.

8. Sententia olim data de non bibendo vino vel cereviſiis in Grangiis quarundam Provinciarum, firmiter teneatur. Qui autem contra ſententiam iſtam venerunt, vel de cætero venerint, tamquam conſpiratores, ipſi & fautores eorum excommunicentur: quia tam manifeſta conſpiratio diſſimulari, ſalvo Ordine, nullatenus poteſt.

9. Monachus vel Converſus de aliqua domo ejectus vel egreſſus, & per licentiam in alia receptus, non intret in domum, de qua exiit, neque in Conventum Fratrum ad Grangias, niſi per licentiam Abbatis ipſius domus. Similiter, qui per auctoritatem Capituli generalis de aliqua domo emittitur, nec ipſi Abbati liceat eum admittere, nec ulli intrare ſine certa licentia ejusdem Capituli generalis.

10. Si tabula pulſetur pro aliquo decedente, dum Opus Dei celebratur in Eccleſia, qui de Choro ad privatam exierint neceſſitatem, non accurrant ad ſonitum, ſed expleta neceſſitate revertantur in Chorum.

11. Quando præſens defunctus in Chorum introducitur, & minuti & infirmi, & quicumque ſunt extra Chorum, Chorū intrent. Similiter ad ſolemnes Exequias quando eſt efferendus ad tumulum. Si qui tamen ex eis neceſſe habuerint, ibi ſedere licebit. Similiter ad Pſalmos circa defunctum adſint, qui competenter adeſſe poterunt.

12. Si præſens defunctus fuerit in Choro, qui ſunt in Infirmitorio, celebrent Officium Defunctorum ad *Veſperas* & ad *Laudes*, diebus quibus Conventus celebrat. Similiter qui privatas Vigilias in Capitulo dixerint, & qui nocte vigilant, circa funus poſt Matutinos, in Choro ſimiliter dicant Officium, niſi fortè finito Pſalterio prius dixerint illud. Quod ſi Pſalterium finierint, antequam corpus ſepeliatur, dicant Officium Defunctorum ab hora prandii usque ad noctem, *Placebo* & *Dirige*; vel ſi ſecundum Pſalterium finierint, *In loco Paſchua*; ſi tertium, *Complaceat*. Ab initio noctis & deinceps usque ad horam prandii *Dirige*, vel *In loco Paſcue*, vel *Complaceat*, & *Exultabunt*.

13. Nullus loquatur dum Opus Dei in Oratorio celebratur ad *Veſperas* & ad *Laudes*, usque poſt ultimum *Benedicamus*.

14. Diſtrictè præcipitur, ut nullus Abbas ſecum adducat Garciones rixoſos, ſicut nec notabili habitu veſtitos tempore Capituli, & infra Firmitatem, & Pontiniacum, & Claramvallem, & Morimundum, & Abbatias infra poſitas, nemo eodem tempore niſi unum introducat.

Statuta Anni M. C. LXXXVII.

1. Anniverſarium Domini Regis Francorum piæ memoriæ Ludovici, XIII. Kalendas Octobris ſolemniter fiat in omnibus Monaſteriis noſtri Ordinis cum Officio generali Defunctorum Ordinis noſtri, ita ut in Officio ad Miſſam prima ſit Collecta *Deus veniæ largitor*, ſecunda *Præſta quæſumus, ut anima famuli tui, cujus Anniverſarium*.

2. Domino Petro Atrebatenſi ab olim conceſſum eſt, ut poſt obitum ſuum per omnes domos Ordinis noſtri plenum Officium habeat, ac ſi permanſiſſet Abbas Ciſtercienſis. Præcipimus, ut ſcribatur in ſingulis Monaſteriis Ordinis noſtri: cui conceſſum eſt, ut proprium habeat Officium, quandocumque auditus fuerit obitus ejus, & qui ante Capitulum non cognoverint, nihilominus poſt communes viginti Miſſas, tres faciant ei reddi.

3. Statuimus & præcipimus, ut in electionibus faciendis, maximè in majoribus Monaſteriis noſtris, forma, quæ continetur in charta Charitatis & legatur & obſervetur

 4. Si

4. Si qui de Ordine noſtro homicidia perpetraverint, ſi perſonas Ordinis noſtri occiderint, teneantur ſub arctiſſima cuſtodia ad diſtrictiſſimam pœnitentiam uſque ad mortem. Si alias perſonas occiderint, ſtatim ejiciantur ad domum illam numquam reverſuri: & ſi contigerit in alia domo eos recipi, ſemper noviſſimi ſint, nullam adminiſtrationem habeant, omni ſextâ Feriâ jejunent in pane & aqua, in Adventu Domini, & in Quadrageſima bis in hebdomada.

5. Abbates, qui ex licentia Ordinis ſunt miſſuri ad Curias Domini Papæ vel Principum, tales provideant, de quorum honeſtate ſecuri ſint, ita quod ſcandalum ſuper actibus ipſorum ultra non perferatur ad Capitulum. Quod ſi contigerit, in ipſos Abbates, qui tales miſerint, diſtrictè vindicabitur.

6. Quoties aliqua domus Ordinis noſtri Abbate caret, Prior & conſilium domus de viſitandis filiabus Abbatiis provideant, non tamen ſine aliquo Abbate.

7. De Cortis & omnibus Coopertoriis Converſorum ubique generaliter teneatur, ſicut tenetur apud Ciſtercium, & in quatuor primis domibus, niſi fortè in frigidiſſimis Regionibus aliquid à Capitulo diſpenſetur. Abbates, qui pro nimia frigiditate locorum diſpenſatione eguerint; ſequenti Capitulo humiliter neceſſitatem ſuam proponant.

8. De pitantiis dictum eſt, quæ fiunt ex permiſſione, quod de illis, quæ factæ ſunt, differtur ad præſens. De cætero diſtrictiſſimè prohibetur, ne talis promiſſio fiat; & ſi factum fuerit, ſciant illi, qui hoc fecerint, ſe graviter puniendos, & poſſeſſionem vel beneficium vel pecuniam, quam propter hoc receperint, amiſſuros.

9. Cùm venerit Abbas ad Grangiam ſuam, in ejus ſit providentia, ubi in loco honeſto comedat, quando valet, in Refectorio, vel alibi. Pitantiam Converſis rariùs faciat, ne in aliquam conſuetudinem vertatur.

10. Illis, qui ſunt in Diœceſi Pictavienſi conceſſum eſt, ut Feſtum S. Hilarii cum duodecim Lectionibus celebrent in craſtinum poſt Octavam Epiphaniæ, nec Monachi laborabunt.

11. Conceſſum eſt de poſſeſſiunculis parvis, quas Monachi vel Converſi retinere volunt, ut occaſionem habeant vagandi, ut Abbas poſſit eas diſtrahere, cum conſilio tamen vicinorum Abbatum, nec propter reclamationem aliquorum omittat, qui hujuſmodi amant evagationem, ſi melior poteſt domui ſuæ utilitati provideri.

Statuta Anni M. C. LXXXVIII.

Ex nimietate debitorum non tam periculum, quàm excidium pluribus jam in Monaſteriis Ordinis noſtri noſcitur imminere. Propterea providemus, ut Abbas quamdiu obligatus fuerit debito quinquaginta marcarum ad pondus Trecenſe, abſtineat interim ab emptione terrarum, & ab ædificiis, niſi fortè de eleemoſyna ad eos uſus proprie data, ſine gravamine domus ſuæ; vel tantùm de alia poſſeſſione ſua vendiderit, unde ipſa emptio vel ædificatio perfici poſſit, excepto incendii infortunio vel ruinæ, exceptis etiam humilibus Grangiis & tectis animalium, quæ certa neceſſitas exegerit, & exceptis his, quæ inchoata ſunt modo; quæ tamen ipſa ſi ultra ſummam quinque Marcarum extenduntur, oſtendantur Viſitatori vel vicinis Abbatibus, quorum arbitrio vel differatur uſque ad Capitulum, vel ſi nimis grave cognoverint, eorum licentia compleantur; ita ut in proximo Capitulo quid & quare factum ſit, nuncietur. Præterea ſi uſque ad pretium quinque marcarum Trecenſium aliquem Abbatem debitis obligatum in anno uno in terris emendis vel ædificiis aliqua evidens cauſa coëgerit, in proximo poſtea Capitulo generali id fateatur, & à Capitulo, ut ei viſum fuerit, dijudicetur. De cætero transgreſſor hujus ſententiæ in præſentia duorum vel trium Abbatum comprobatus vel ultro confeſſus, poſtquam ei ſententia ipſa innotuerit, oportet Patres Abbates Filiis ſuis diligentius intimare, à Patre Abbate abſque retractatione aliqua deponatur, numquam amplius in Abbatem promovendus - - - - tale Capitulum tamquam transgreſſor tam neceſſariæ Conſtitutionis ſub anathemate impoſitæ. Prior verò ſive Cellerarius aut quicunque Monachus vel Converſus cujus conſilio vel aſſenſu facta fuerit ipſa transgreſſio, ſint in culpa levi, ut ultimi ſint - - - - - jejunent in pane & aqua.

2. Tempore quo venitur ad Capitulum & reditur, provideant Abbates & Officiales domorum, ut in Abbatiis & Grangiis eorum venientibus & redeuntibus ſufficienter & honeſtè neceſſaria procurentur.

3. Liceat Abbates noſtri Ordinis fures ſuos comprehendere & tenere in vinculis, ſi ita viderint expedire.

4. Provideant Abbates, ne perſonas generoſas, & quæ in Officio Monachorum poſſunt utiliores eſſe quàm in labore Con-

Converſorum, inter Converſos recipiant, ſed inter Monachos magis.

5. Liber, qui dicitur Canonum, ſive decreta Gratiani apud eos qui habuerint ſecretiùs cuſtodiantur, ut cùm opus fuerit, proferantur. In communi Armario non reſideant, propter varios qui inde provenire poſſunt errores.

6. Liber Uſuum legatur in Conventu ad collationem, ab initio primæ hebdomadæ Quadrageſimæ usque dum perlegatur.

7. Officium Defunctorum ſic fiat in Quadrageſima, ſicut fieri ſolet poſt Paſcha.

8. Ubique extra Conventum dicatur ad *Primam Pater noſter* & *Credo in Deum*, & *Pretioſa in conſpectu Domini.*

Statuta Anni M. C. LXXXIX.

1. Novitii ſemper ad Miſſam benedicentur, & Abbas eam cantet. In hyeme verò perfecta ei Regula die Anniverſario, veniat in Capitulum, in craſtinum benedicendus.

2. Abbates Viſitatores habeant plenariam poteſtatem deponendi Officiales, quos invenerint inordinatos.

3. In omnibus Abbatiis ſint ad minimum XII. Monachi cum Abbate tredecim, alioquin vel in Grangias redigantur, vel ex toto dimittantur.

4. Abbates ad generale Capitulum venientes non niſi unum Garciónem in domibus iſtis ſecum adducant, ſcilicet in Firmitate, Pontiniaco, Claravalle, & Morimundo, & in domibus quæ inter iſtas ſunt poſitæ. Si quis contra hoc facere præſumpſerit; Converſus Abbatis qui hoc fecerit, non bibat niſi aquam, donec ad domum propriam revertatur: Abbas verò tribus diebus ſit in pane & aqua. Abbates, qui tres equos ad domos prohibitas adduxerint, uno die ſint in pane & aqua. Excipitur Abbas Savigniaci, cui tertium in Claravalle licet adducere. Qui verò devitant domos, in quibus eis annuatim cibaria conſtat præparari, & volentes inde ſibi cibaria deferri, una ſexta Feria jejunent in pane & aqua. Quod ne proveniat de cætero caveatur, nec eis ad deportandum detur.

5. Qui inobedientes fuerint Viſitatori de ſolutionibus debitorū, Abbas, vel Prior vel Cellerarius, ſeu quilibet alius à Sacramentis interim abſtineat, & omni ſextâ Feriâ ſit in pane & aqua ad ſatisfactionem.

6. Qui pro alia cauſa, quam pro infirmitate de Capitulo remanſerint, pro ſe reſponſalem non mittant.

7. Converſi dicant alternatim poſt refectionem *Miſerere mei Deus*, Priore tamen incipiente.

8. Converſi communicantes in cœna cibis utantur Quadrageſimalibus, donec in Paſcha communicaverint.

9. Non exigantur à modo pitantiæ poſt meſſem vel aliquem alium laborem: quas ſi Prior vel Cellerarius dederit, tres dies agat in levi culpa, & ex his uno ſit in pane & aqua. Si verò Magiſter Converſorum vel alius Converſus eas propria præſumptione dederit, tribus diebus ſit in pane & aqua.

10. Converſi, qui cauſa venditionis vel compoſitionis ad Rupellam tendunt cum quadrigis de domo Gratiæ Dei, prima nocte avenam accipiant, de cætero autem proviſuri equitaturis ſuis de proprio provideant. Id ipſum de Laus in Flandria definitum eſt.

11. Nulla domus Ordinis noſtri in villa una, niſi unicam habeat manſionem, & ſi fortè aliqua alia domus poſtea data fuerit in eleemoſynam, infra annum eam à ſe alienent, quod dictum eſt attentius obſervantes, nec in villa una manſionem habeant, niſi unam.

12. Quando Feſtum alicujus Sancti fuerit, in cujus honore Altare aliquod præcipuè conſecratum fuerit, liceat Abbati ad Altare illud lumen ſola nocte illa accendere, cereos tamen interdicimus.

13. De fugitivis teneatur ut olim. Qui de Ordine egreditur; ſi Monachus eſt, & præter cucullam & tunicam; ſi Converſus eſt, & præter cappam & tunicam quidquam furtivè apportaverint, non recipiantur, niſi priusquam tulerant vel valens reſtituant. Poterunt tamen ſi non habuerint, unde reſtituant, reſtitutionem illam opere mercenarii compenſare, ſicut Abbati viſum fuerit, & ſic gravi culpæ ſubjaceant. Verùm ſi aliquis in furto deprehenſus fuerit, ejiciatur de domo; & poſtea ſi recipiendus eſt, ſententiæ quam præmiſimus ſubjaceat plenè.

14. Si in aliqua domorum noſtrarum conſpirationem oriri contigerit, Abbas ad quem ſpectat vel proprius, vel Pater, vel Viſitator illos quos cognoverit Auctores vel magis culpabiles à domo propria penitus ſine ſpe reverſionis eliminet, & in aliis domibus ad quas miſſi fuerint, in gravi culpa recipiantur, & ultimi omnium ſemper permaneant, & ab adminiſtratione Ordinum ſuorum abſtineant, non communicent niſi in Paſcha & in extremis: tantum ad privatas Miſſas poterunt miniſtrare. Converſi quoque non communicent: in hebdomada quoque ſemel diſciplinam accipiant, & omni Feriâ ſextâ

ſextâ ſint in pane & aqua; ſi fortè exire voluerint, eis in Abbatia morantibus, divina non celebrentur. Cæterorum verò, qui ſe eis jungere præſumpſerint, ſi reſipiſcentes emendationi ſe obtulerint, in gravi culpa recipiantur, & ultimi maneant uſque ad nutum generalis Capituli. Eſt autem conſpiratio contra Ordinis diſciplinam & majorum inſtituta confœderatio.

15. Quoniam manifeſtum eſt nullas domos per uſuras recuperari, multas verò ſupra modum gravari, omnino prohibetur, ne aliquis ad uſuram de cætero quidquam accipiat. Audiſtis verò, quia amicis crucis Chriſti, nec pro uſura, nec ſine uſura aliquid mutuo accipere liceat.

16. Si quis in manifeſto carnis contagio fuerit deprehenſus, à domo illa in qua peccavit, ſecundùm antiquam conſuetudinem à ſanctis Patribus noſtris hactenus conſervatam, penitus expellatur, numquam ad illam reverſurus, nec ad alium Abbatem mittatur, ſine manifeſtatione culpæ & injuncta condicta pœnitentia, & utraque re diligenter litteris expreſſa. Si verò cum litteris hujusmodi ad aliam domum ire noluerit, vel qui eum recipiat, non invenerit, mittatur ad Dominum Ciſtercienſem, vel unum de quatuor primis Abbatibus, ad illum videlicet de cujus derivatione eſt.

17. Qui Domum propriam cauſa potionum fuerint egreſſi, ad eam de cætero non revertantur. Hoc idem dicimus de his, qui in peregrinatione Sanctorum vel pro calidis balneis exeunt. Nullus Abbas de hujusmodi dare diſpenſationem præſumat.

18. Ad Abbatias quorum Conventus pro penuria ciborum vel nimietate debitorum diſperſus fuerit, non divertantur Abbates vicini vel alii Monachi, niſi vocati; vel Converſi Ordinis noſtri, niſi tantum illi qui de Provinciis peregrinis adveniunt: quibus ibidem pro poſſe miniſtretur, maxime tempore generalis Capituli.

19. Converſi in villis manentes aliena ad terras excolendas ibi non habeant.

20. Novitii exeuntes, ſi reverti voluerint, ad portam Monaſterii ſatisfaciant, ſicut alii fugitivi: & ſi recipiendi ſunt, veniant in Capitulum inde, & de Capitulo ad probationem.

21. His qui in Infirmitorio veſcuntur carnibus, ſufficiet ſemel in die carnium eſus. Qui verò graviſſima infirmitate laborant, non tenentur ſub hac lege.

22. Abbates miſſuri ad Curiam Domini Papæ, omnes petitiones, quas volunt recipi, ſigillo ſignent proprio, & tales mittant, de quorum vita & honeſtate ſecuri ſint, nec ibi negotia tractent, niſi tantum Ordinis noſtri, vel proprii Epiſcopi, vel Principis.

23. Nulli Abbatum liceat à modo alicui perſonæ quotidianam Miſſam concedere vel annualem.

24. Qui habuit in quibuslibet mobilibus penes ſe repoſitum, unde ſe teſtimonio officialium ſuorum & cognitione Patris Abbatis vel Viſitatoris aquitare valeat, & ſumptus ſibi per annum nec cæteros providere, reus ſub pœna de non ædificanda nullatenus teneatur. Similiter Abbates ad quos de jure terræ alicujus fundus pertinere dignoſcitur, ipſam ſine culpa de non emendo in ſuam poteſt redigere proprietatem.

25. Monachi, qui per ſe vel alios Abbates ſuos inquietarint de Ordinibus aſſequendis, ab ea die uſque ad biennium careant poſtulatis, niſi promoti fuerint in Abbates.

26. In Vigilia S. Jacobi & S. Bartholomæi, & aliis Vigiliis quas ſæculares faciunt, & nos non facimus; noſtri qui foris ſunt, non coguntur comedere. Qui verò in Grangiis & Abbatiis ſunt, antiquam teneant conſuetudinem.

27. Abbas, Prior & Cellerarius, qui in Coquina vel Infirmitorio Monachorum vel Converſorum famulos ſæculares habuerint, omnî ſextâ Feriâ jejunent in pane & aqua, quamdiu apud eos eadem culpa duraverit.

28. Sententia in præterito anno data de ſolutione debitorum in domibus Ordinis noſtri ita firmiter obſervetur, ut quicunque Patri Abbati inobediens fuerit, ſive Abbas, ſive Prior, ſive alius, à Sacramentis Altaris removeatur, & omnî ſextâ Feriâ jejunent in pane & aqua.

29. Abbates qui tempore Capituli domos, in quibus cibaria annis ſingulis Abbatibus præparantur, devitant, inde volentes deferri ſibi cibaria, unâ ſextâ Feriâ jejunent in pane & aqua, & ne id fiat de cætero caveatur, nec eis aliquid ad deportandum ulterius miniſtretur. Illi verò, qui tertium equum adduxerint in Abbatias inhibitas, eandem ſententiam ſortiantur.

30. Quia in electionibus faciendis verbum, quod contra rationem eſſe non ambigimus, proponi ſolet ad hunc modum. Non accipiemus perſonam niſi de domo noſtra & patria noſtra, proviſum eſt, ut tale verbum, quod de conſpiratione manere videtur, non prodeat in effectum, ſed ad repulſionem talis propoſiti magis proficiat.

31. Si Pater Abbas viſitaverit Filiam ſuam vel alius ab eo miſſus, & Officiales depoſitione dignos invenerit, liceat ei deponere.

Statuta

Statuta Anni M. C. XC.

1. ABbates de Hibernia tribus annis remaneant, & quarto anno veniant, & ita ordinet Abbas Melli-Fontis, ut aliqui eorum veniant ſingulis annis ad Capitulum.

2. Abbas de Inſula, qui mulieres intra ſepta Monaſterii admiſit, tribus diebus ſit in levi culpa.

3. Querela, quæ vertebatur inter Abbatem Joyaci & Canonicos S. Jacobi, quia non potuit cum pace partium terminari, committitur Abbatibus Quinciaci, Scarlegiarum, ſacri Portus: ut quod minus actum erat, compleatur.

4. Scribatur Domino Regi Scotiæ, ut libertatem Ordinis conſervet, & maxime in promotione Abbatum regni, ſicut ubique terrarum Chriſtiani Principes devoti obſervant.

5. Abbas de Marquan, in cujus Grangiis ſententia de non bibenda cerevifia contenta eſt, pœnitentiam ab olim ſuper eodem exceſſu datam, tam in propria perſona, quàm in omnibus ſubditis ſuis exequatur: quod ſi huic mandato contumax eſſe præſumpſerit, ab omni officio Abbatis abſtineat. Hoc autem mandatum Capituli, & ipſam ſententiam Abbates de Dana & de Tinterna ei ignoteſcere faciant.

6. Abbas Joyaci in proprla perſona Domum de Riſu-Agni viſitet, ita quod perſouas illas infames & irregulariter viventes amoveat: Conventum autem ad minus duodecim Monachorum regulariter ibi viventium reſtituat, alioquin locum dimittat, & quid inde factum fuerit, ſequenti Capitulo renuntiet.

7. Conſideratio Cleri pro conſtituenda Abbatia ad Anglorum Regis petitionem, committitur Abbatibus Mortui-Maris, & Perſeniæ, & de Valle ſanctæ Mariæ; & quod eis ſuper hoc viſum fuerit, auctoritate Capituli exequatur.

8. Petitio Comitis Palatini de conſtituenda Abbatia exauditur; & Abbati de Sconavia ad petitionem Comitis illius loci conceditur.

9. Abbas de Dalone, qui cemeterium in Grangia fieri conſenſit, ſex diebus ſit in levi culpa: uno eorum in pane & aqua; & omnes Officiales de quorum conſilio factum fuit. In cemeterio illo nullus de cætero ſepeliatur.

10. In eodem Capitulo jubetur domus de Fonteneto deſtrui, ut reædificetur, & Monachi tamquam Conſpiratores ibi puniantur. & ſi ejusmodi definitioni noluerint conſentire, in Claravalle reverti jubentur.

11. Abbas Bonæ-Aquæ, qui miſit Monachos ſuos cum apoſtata, ſex diebûs ſit in levi culpa; uno eorum in pane & aqua: Monachus verò, qui communicavit apoſtatæ, tribûs diebûs ſit in gravi culpa, & de cætero caveat à moleſtatione vicinarum domorum.

12. Querela Abbatum S. Andreæ & Ripæ-Altæ committitur Abbati Ciſtercii & Abbati de Firmitate terminanda.

13. Converſus Theoloci, qui pecunias ſub lecto ſuo abſconderat, & Converſus de Zuetula, qui pro pellicio male facto ſibi de cemeterio extumulatus eſt, ubi ſepulti ſunt, remaneant.

14. Vindicta in Conſpiratores Vallis-Magnæ committitur Abbatibus de Firmitate & Bonæ-Vallis.

15. De Monacho Vallis-Magnæ, qui venit Ciſtercium accuſaturus Abbatem ſuum, dicitur, quod In Bona-Valle recipiatur, & ſit tribûs diebûs in gravi culpa, & non revertatur in Domum Vallis-Magnæ, niſi ad nutum generalis Capituli.

16. Abbati Curiæ-Dei conceditur translatio molendini ſui propter urgentem neceſſitatem.

17. Abbas Turris-Aguilaris, qui protervè & inhumanè loquutus eſt contra Abbatem mortuum Prædeceſſorem ſuum, tribus diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

18. Abbas de Monaſterio In Argona, qui in Capitulo proterve & irreverenter ſe geſſit, tribus diebus ſit in levi culpa, uno eorum In pane & aqua.

19. Abbas Stamedii, qui Monachum ſuum accomodavit Archiepiſcopo Tarentaſiæ ad exercenda ſæcularia negotia, & quia in Grangiis ſuis vinum venditur ad brocam, ſit quadraginta diebus extra ſtallum, & ſex diebus in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

20. Abbas de Inſula, qui contra Inſtitutionem Capituli pitantiam miniſtrari fecit in Conventu in ſexta Feria de caſeo, tribus diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua, qui autem caſeum comederint, unam diſciplinam accipiant.

21. De Monachis de Sinanqua, qui propter exceſſus ſuos emiſſi fuerant à domo ſua per Capitulum generale, conceditur Abbati Manſiadæ, ut, ſi viderit domui expedire, poſſit eos revocare.

22. Abbas de Marerola, qui inconſulto Capitulo Abbatiam ſuſcepit, & ibi Abbatem inſtituit, quadraginta diebus ſit extra ſtallum ſuum, ſex diebûs in levi culpa, uno eorum in pane & aqua; milites verò de Turgel ſicut Calatravenſes Ordi-

Ordini aſſocientur, & Abbati de Marerola de Ordine obediant.

23. Quereia quæ vertitur inter Abbatem Silvæcanæ & Abbatem Sinanquæ de vicinitate Grangiarum, committitur Abbatibus Morimundi & Manſiadæ terminanda.

24. Abbates de Carreria, de Stalieya & de Forda, qui ad Capitulum generale non venerunt, ſex diebûs ſint in levi culpa, uno eorum in pane & aqoa, & Abbas de Eleemoſyna hoc eis nuntiet. Eamdem pœnam ſuſtineant Abbates de Joyaco & de Bono-Fonte, qui domos ſuas hoc anno viſitare oeglexerunt. Hoc idem patiatur Abbas de Berdona, qui ad Capitulum non venit: & quia frivolam excuſationem habuit, addimus, ot quadraginta diebus ſit extra ſtallum ſuum; pecuniam autem, quam debet, Abbati de Taxoneto usque ad Natale Domini ſioe omni occaſione reddat.

25. Querela, quæ vertebatur inter Abbatem de Inſula, & Abbatem de Monaſterio in Argona, committitur Abbatibus Belli-Prati & Longæ-Vallis de poſſeſſionibus, de quibus modo eſt quæſtio terminanda: & Abbatia pro bono pacis in pace poſſidenda remaneat Abbati ſancti Benedicti.

26. Abbas Vallis-Magnæ, qui fecit jurare Converſos ſuos, ſex diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

27. Domino Abbati Morimundi committitur, ot ad pactionem, quam fecit Abbas S. Prudentii Fundatori Domus ſuæ diligenter inquirat, & dignè corrigat.

28. Abbas de Columba, qui benedictiones in domo ſua fieri conſenſit, & mulieres ingredi permiſit, ſex diebus ſit in levi culpa, uno corum in pane & aqua; & nblationes in ſequenti Capitulo reddat. Similiter & alii caveant: & qui rei ſunt, oblatiooes Capitulo reddant.

29. Abbas de Teonebar, qui publicè de multis confeſſionem in Capitulo fecit, & Novitium ter in die comedentem ſuſcepit, omnî ſextâ Feriâ jejunet in pane & aqua, donec Novitius Monachus fiat, pro aliis verò exceſſibus in levi culpa.

30. Abbas de ſancta Cruce, eo anno quo venire debet ad Capitulum, ſi potuerit, veniet; ſi verò non potuerit, reſponſorem mittat.

31. Abbas de Zentula, quem Dux Auſtriæ retinuit, & ad Capitulum noo venit, quando venire debuit, ſex diebûs ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua: ſequenti verò anno excuſatione remota veniet.

32. Abbas ſancti Georgii, qui à multis annis ad Capitulum non venit, extra ſtallum Abbatum ſit, & omnî ſextâ Feriâ ſit in paoe & aqua, donec Morimundum veniat, & io ſequenti Capitulo, omni excuſatione remota, ſe repræſentet.

33. De Converſis Bonæ-Vallis, qui in manu Domini Abbatis de Firmitate promiſerunt, quod de cætero coquos non recipiant absque licentia Capituli generalis, vel Domini Ciſtercii, dicimus: quod ſi à propoſito reſilierint, ſententiam in præterito anno datam obſervent, quam Dominus Bonæ-Vallis eis denuntiet, & firmiter obſervari faciat.

34. Abbates de Morimundo & de Criſta, qui Converſos ſuos Hieroſolymam miſerunt ſine cauſa ſufficiente, tribus diebus ſint in pane & aqua. Abbas Theoloci, qui hoc ipſum omnino contra formam Ordinis & contra conſilium Patris fecit, quadraginta diebus extra ſtallum remaneat, & ſex diebûs ſit in levi culpa, uno eorum io pane & aqua.

35. Abbati de Alba, qui eleemoſynas Epiſcopi Spirenſis, cui non debuit reddidit, præcipitur, ut portionem illam, quam ſibi retinuit, Abbatibus dividat, quibus ſuam ſubtraxit. Regi autem ſcribatur, ut paci Abbatis provideat, ne totum reddere cogatur.

36. In Secanæ-Portu, quia mulieres in Anniverſario Regis ingreſſæ ſunt Oratorium, tam Abbas, quàm Monachi & Converſi uno die ſint in pane & aqua: Officiales verò, qui hoc ſcienter fieri permiſerunt, tribûs diebûs ſint in levi culpa, uno eorum in pane & aqua: & hoc Abbas eorum diligenter ioquirat, & eis hanc pœnam imponat.

37. Abbatibus Mortui-Maris & Perſeniæ ad preces Domini Regis pro nova unctione ipſius modo parcitur, & à talibus præſumptis à modo caveatur.

38. Abbas de Sturielburne, in cujus domo Infans baptizatus eſt, & mulieres ingreſſæ ſuot, ipſo in domo exiſtente, ſtet conſilio Domini de Firmitate & de Maceriis, & Officiales, de quorum cooſilio hoc factum eſt, qualibet ſextâ Feriâ jejuoent in pane & aqua.

39. Ad negotia Ordinis pertractanda ad plenum nominati ſunt Abbas iſti de Savigniaco, Prulliaco, Bella-Valle, Dalone, Bello-Prato, Fusneio, Urſicampo, Quiociaco, Longovado, & Moris: Iſti ergo cum quioque primis Abbatibus apud Chaleyum Grangiam Pontigniacenſem ſimul veniant: ita nullos audeat accedere noſtri Ordinis illuc, niſi de conſilio vocatus. Ponitur autem terminus conveniendi in Grangiam prius nominatam io Octava Epiphaniæ. Porro io omnibus Abbatiis Ordinis noſtri ipſa die, id eſt Octava Epiphaniæ dicatur Collecta *Deus qui corda, ut ipſos Deus dirigat in viam* *veri-*

veritatis. Quod ſi negotium ampliores moras exegerit; Vallis-lucentis Abbas ipſe provideat in Grangia de Cerolegio.

40. Si data nobis fuerit eleemoſyna, cuilibet ædificio vel emptioni terrarum à donante propriè aſſignata, transferre eam ad alios uſus non licebit. Quod ſi indeterminatè, nec alicubi nominatim aſſignata, data fuerit, ſine culpa & transgreſſione de voluntate & conſilio Abbatis ad uſus magis neceſſarios deputabitur.

41. Tres ſextæ Feriæ ſemper obſerventur in Quadrageſima, ſine miſericordia, non obſtante alicujus Sancti Feſto.

42. Fugitivi, qui furtivè recedunt cum ſubſtantia Monaſterii, de conſilio Abbatis recipi poterunt, conſiderato rigore Ordinis & meritis perſonarum.

43. Non bibant, niſi aquam qui de inquietudine ſua equitant ad parentes.

Statuta Anni M. C. XCI.

1. DE raſuris, Prima ſit ante Nativitatem Domini; ſecunda, ante Purificationem beatæ Mariæ; tertia, ante Dominicam quâ canitur: *Oculi mei*; quarta, ante Paſcha; quinta ante Aſcenſionem Domini; ſexta, ante Nativitatem ſancti Joannis Baptiſtæ; ſeptima, ante ad Vincula S. Petri; octava, ante Nativitatem beatæ Mariæ; nona, ante Feſtum omnium Sanctorum.

2. Injungitur Domino de Firmitate, ut quando venerit ad partes Lombardiæ, convocet Abbates, qui dicuntur Capitulum feciſſe, & faciat, ut talis conventio Abbatum de cætero non fiat, & ſcriptum, quod fecerunt, non remaneat; & in Capitulis Monachorum hoc ipſum denuntiet: ipſi verò Abbates Lombardiæ, quod ſcriptum eſt in Uſibus, & Inſtituta Capituli generalis diligenter & viriliter in domibus ſuis faciant obſervari.

3. Committitur Domino Ciſtercienſi & Domino Pontigniacenſi, quatenus ad Domum de Quintiaco accedentes, Fratres ejuſdem Domus ad reverentiam proprio Abbati exhibendam diligenter & ſtudioſè inducant; & ſi qui fortè eſſent, qui vellent ſcandalum ſuſcitare, eos auctoritate Capituli generalis ad remota loca emittant, non reverſuros abſque nutu Capituli generalis.

4. Scribatur Abbatibus S. Anaſtaſii & Caſemarii, quoſque poterint de vicinis Abbatibus Ordinis auctoritate Capituli generalis convocent, & de ſtatu S. Sebaſtiani diligenter videant, ſi duodecim ad minus Monachi cum decimo tertio Abbate per Ordinem ineſſe poſſint; alioquin ante venturum Capitulum Monachos & Converſos ejuſdem loci per alias domos dividant.

5. Abbatia de Linda revertatur ad Matrem ſuam Lugana, & de duabus fiat una, & ſit unum Ovile & unus Paſtor.

6. Prior de Oliva, qui miſit Monachum ad Curiam Domini Papæ abſque licentia Domini Ciſtercii & conſcientiâ proprii Abbatis, ceſſet à Prioratu, & ultimus ſit per annum.

7. Abbas de Nova-Valle, qui remanſit in via infirmus, & reſponſalem miſit, quod facere non debuit, una die ſit in pane & aqua.

8. Interdicitur Abbati Aquæ-Bellæ, ut de cætero non prædicet in Eccleſiis ſæcularibus, nec pœnitentiam ſæcularibus injungat, abſque juſſu Epiſcopi ſui; & quia mortuum ſepelivit in propria domo, quam habet in civitate, ſex diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua, & quadraginta ſit extra ſtallum.

9. Domino Regi Caſtellæ ſcribatur, quia non poſſumus cogere Abbatiſſas ire ad Capitulum de quo ſcripſit; & ſi vellent ire, ut jam eis conſuluimus, multùm nobis placeret.

10. Abbas de Perſenia, qui hoſpitibus in ſexta Feria caſeum & ova dedit, ſextâ Feriâ jejunet in pane & aqua, & de cætero ipſe & alii caveant.

11. Novitii de domibus exeuntes, ſi reverti voluerint, ad portam Monaſterii ſatisfaciant ſicut alii fugitivi; Et ſi recipiendi ſunt, tunc veniant in Capitulum, & de Capitulo in probationem.

12. Illis, qui in Infirmitorio veſcuntur carnibus, ſufficiat in die ſemel eſus carnium; qui verò graviſſima infirmitate laborant, non tenentur ſub hac lege.

13. Cùm Feſtum alicujus Sancti fuerit, in cujus honore Altare aliquod fuerit conſecratum, liceat Abbati lumen ad illum accendere ſola nocte illa: cereos tamen interdicimus.

14. Ad Miſſas matutinales dicatur totum neuma in fine Reſponſorii & Verſus propter diſſonantias quæ contingunt, & ſententia eradatur de Uſibus.

15. Provideat ergo Abbas interim, ut tam de mobilibus vel immobilibus vendat, ut non ſolùm, ſi fieri poteſt, debita non creſcant, ſed poſt minuantur. Abbas igitur, qui hujus mandati transgreſſor fuerit, extra ſtallum ſuum ſit uſque ad nutum Capituli generalis, & in omni ſexta feria in pane & aqua. Similiter Cellerarii & alii Conſiliarii domus, ſi

ſi qui eorum huic ſententiæ contraire voluerint, ſententiam quæ de conſpiratoribus data eſt, ſuſtineant: ita tamen ſi obſtinatè reſiſtant.

16. Cùm igitur Abbas Pater vel etiam Viſitator ad aliquam domum acceſſerint, inquiſitione facta de ſtatu Monaſterii, Conventum ad alias Abbatias emittant, ſi neceſſaria non habuerit: vel ſi in domo remanere voluerit, contentus ſit paupertate ſua: ita ne aliquid pro ſumptu ſuo mutuo, ſi fieri poteſt, accipiet, unde debitū creſcat. Provideat autem, qui in tali caſu Monachos emittit, ut ad talem domum eos dirigat, qui ſimili non laboret inopia. Abbas autem vel Prior loci ad quem mittuntur, cum gaudio charitatis eos ſuſcipiat, & illis ſicut & propriis in omnibus ſecundùm Ordinem provideat. Si verò in hujus charitatis Officiis ſe ultra vires ſenſerit prægravari; Abbas ei, cujus cauſa Monachos ſuſcepit, in ſufficientiam ſuam benignè renuntiet, & ſi cum pace fieri poteſt, Monachos ſuos ei remittat: ſin autem, pro inſtitutione Ordinis & reverentia fraternæ charitatis, uſque ad ſequens Capitulum ſuſtineat; & ibi neceſſitatem ſuam proponens, Capituli ſuper hoc conſilio acquieſcat. Præterea ſi fortè aliquis Abbas juxta teſtimonium conſcientiæ ſuæ aliquem de ſuis ad aliam domum tranſmittendum ad tempus judicaverit, Abbas ad quem mittitur, eum charitative ſuſcipiat, ſaltem quouſque per ſe vel per nuntium cum Abbate, qui Monachum miſit, loquatur; & Abbatis illius voluntate plenius intellectâ, Fraternum opus ita ſupportet, ſicut ei ſuum vellet in ſimili caſu ſupportari.

17. Si quis in manifeſto carnali contagio fuerit deprehenſus, à domo illa ſecundùm antiquam conſuetudinem à ſanctis Patribus noſtris hactenùs obſervatam penitus expellatur, numquam ad eam reverſurus: nec ad alium Abbatem mittatur, ſine plena manifeſtatione culpæ, & injuncta ei condigna pœnitentia, & utraque re diligenter litteris expreſſa. Si verò cum his litteris ad aliam domum ire noluerit, vel qui eum recipiat, non invenerit; mittatur ad Dominum Ciſterſienſem, vel ad unum de quatuor primis Abbatibus, ad illum ſcilicet de cujus derivatione eſt.

18. Abbas de Sinaca, qui de dimittenda Abbatia ſua miſericordiam petiit, miſericordiam in præſenti conſequatur, & ſicut petit, fiat ei.

19. Abbas de Superado, qui puerum duodennem recepit, & qui inobediens fuit Viſitatori de clauſura facienda in Eccleſia inter Monachos & Converſos, ſex diebus ſit in levi culpa, & à die qua domum ſuam ingreſſus fuerit, omni ſexta Feriâ, donec eadem clauſura fiat, ſit in pane & aqua, ſicut & Prior & Cellerarius. De puero verò committitur Domino Claræ-vallis utrum ejiciendus ſit, vel retinendus.

20. Ad Abbatias quorum Conventus pro ciborum penuria vel debitorum gravamine diſperſos fuerit, non divertant Abbates vicini, vel alii Monachi, vel Converſi, niſi tantùm illi, qui de Provinciis peregrinis advenerint, quibus pro poſſe miniſtretur, & maximè tempore Capituli generalis.

21. Feſtum B. Malachiæ fiat quarto nonas Novembris, & agatur de eo ſicut de B. Gregorio.

22. Diſtrictè præcipitur, ut Abbates ad Capitulum generale, non niſi Garcionem in domibus iſtis ſecum adducant, ſcilicet in Domo de Firmitate, de Pontigniaco, de Claræ-valle, & de Morimundo, & aliis domibus, quæ ſunt inter iſtas quatuor & Ciſtercium. Quod ſi contra hoc aliquis facere præſumpſerit, Converſus Abbatis illius, qui hoc fecerit, non bibat aliquid præter aquam, donec ad propriam domum revertatur: Abbas verò tribus ſextis Feriis jejunet in pane & aqua.

23. In Feſto S. Thomæ Cantuarienſis, fiant duæ Miſſæ: ita ut matutinalis ſit de Nativitate Domini, illa ſcilicet quæ intermittebatur.

24. Ad temperandam cupiditatem in Ordine noſtro, & notam ſemper acquirendi qua impetimur repellendam, propoſuimus firmiter tenendum ab omnibus, ut deinceps omnino abſtineamus ab emptione terrarum & omnium poſſeſſionum immobilium.

25. Frequenter ex nimio perſonarum numero nonnulla Ordinis noſtri Monaſteria prægravantur, & ideo ad augendas poſſeſſiones & augenda debita compelluntur. Propterea ſtatuimus, ut de perſonis tam Monachis, quàm Converſis, nec non & familiaribus in hoc triennio recipiatur, niſi aliquo moriente, vel ſine ſpe reverſionis diſcedente. Si cui tamen talis perſona ſupervenerit, quæ ſine gravi damno vel ſcandalo repelli non poſſit, poterit recipere; ſed in ſequenti Capitulo id confiteatur.

26. Qui de Ordine egrediuntur, ſi Monachus præter cucullam; ſi Converſus præter cappam & tunicam quidquam furtivè aſportariot, non recipiatur, niſi prius quod tulerat vel valens reſtituerit; poterit tamen, ſi non habuerit unde reſtituat, reſtitutionem ipſam opere mercenarii recompenſare, ſicut Abbati viſum

viſum fuerit; & ſic gravi culpæ ſubjaceat, ſemper in eo quo recipitur Ordine permanſurus, verùm ſi aliàs in furto fuerit deprehenſus, ejiciatur de domo; & poſtea ſi recipiendus eſt, ſententiæ quam præmiſimus, plenè ſubjaceat.

27. Si in aliqua domorum noſtrarum conſpirationem oriri contigerit, quod abſit, Abbas ad quem ſpectat, illos quos cognoverit actores, aut magis culpabiles, à domo propria ſine ſpe reverſionis eliminet; & in aliis ad quas miſſi fuerint, in gravi culpa recipiantur, & omnium ultimi ſemper permaneant. In hebdomada quoque ſemel diſciplinam accipiant, & omnî ſextâ Feriâ ſint in pane & aqua usque ad nutum Capituli generalis. Qui verò fortè exire noluerint, eis in Abbatia manentibus non celebrentur divina, nullus eis jungatur in conſortio ſive in colloquio. Qui verò actoribus hujus mali ſe miſcuerint, & reſipiſcentes emendationi ſe obtulerint, in ipſâ domo ſint in gravi culpa & ſemel in hebdomada diſciplinam accipiant, & omnî ſextâ Feriâ in pane & aqua ſint, & ultimi usque nutum Capituli generalis. Eſt autem apud nos ſpecialiter conſpiratio contra Ordinis diſciplinam & Majorum inſtituta conſœderatio.

Statuta Anni M. C. XCII.

1. Nciſi ſecundùm inſtitutionem Capituli generalis ex domo propria emittantur.

2. Comitiſſæ Flandriæ conceditur, quod audito obitu ſuo, ab unoquoque Sacerdote tres Miſſæ generaliter celebrentur.

3. Hoſtiæ non fiant, niſi de puro frumento.

4. Quarto idus Septembris in territorio Biluntinenſi Monaſterio Beliæ-Vallis S. Petri Epiſcopi & Confeſſoris fiat Officium in Feſto S. Malachiæ.

5. In Vigilia S. Jacobi, S. Bartholomæi & ſextis Feriis, quibus Sæculares jejunant, noſtri qui foris comedunt, non coguntur bis comedere; qui verò in Abbatiis ſunt, antiquam conſuetudinem ubique communiter obſervent.

6. De Abbatibus Hiſpaniæ & aliis qui in ſimili culpa detinentur, videlicet quod in Abbatiis eorum Miniſtri ſæculares ſerviant in Coquina & Infirmitorio Monachorum & Converſorum, præcipimus, quod tribus diebûs ſint in levi culpa. Et ſi à modo ſimile ſuſtinuerint, Abbas ejusdem domus, Prior & Cellerarii omnî ſextâ Feriâ jejunent in pane & aqua, quamdiu apud eos eadem culpa duraverit.

7. Monachi qui Abbates ſuos per ſe vel per alios inquietant, ut promoveantur ad Ordines, à die qua hoc fecerint usque ad biennium non ordinentur, niſi fortè promoti fuerint in Abbates.

8. Abbates qui hoſpitibus in ſexta Feria caſeum & ova appoſuerint, tribus diebûs ſint in levi culpa, uno eorum in pane & aqua; qui verò de cætero præſumpſerint, omnibus diebus quibus hoc fecerint, jejunent in pane & aqua.

9. In Abbatiis Angliæ, in quibus Converſi contra inſtituta Capituli generalis cerviſiam bibunt, & incorrigibiles perſeverant, quamdiu apud ſe hujusmodi culpa duraverit, nullus Converſus recipiatur. Abbates verò, qui hujusmodi transgreſſiones relinquunt incorrectas, pœna quæ à generali Capitulo ſuper hoc inſtituta agnoſcitur, puniantur.

10. De Converſis Quinciaci, qui in eadem domo tumultum excitaverunt, committitur Domino Abbati de Pontiniaco, ut ad locum ipſum de facto illo diligenter inquirat, & dignè ſecundùm modum culpæ corripiat & caſtiget.

11. Dominus Epiſcopus de Brumac, qui à die promotionis ſuæ Capitulum noluit viſitare, per litteras evocetur, ut ad ſequens Capitulum veniat, & hoc ei per Abbatem S. Andreæ nuncietur.

12. Pro evocando Joachim dudum Abbate & Raynerio Monacho à Capitulo generali Litteræ dirigantur. Si verò usque ad Feſtum S. Joannis Baptiſtæ venire contempſerint, omnes Abbates & Fratres Ordinis noſtri eos, ut fugitivos devitent. Hoc verò illis denuntiet aliquis ad Domini Papæ Curiam dirigendus.

13. Abbas Raignaci, qui ſuos Officiales non tenuit, ne contra ſententiam Capituli facerent emptionem, quadraginta diebus ſit extra ſtallum ſuum, ſex diebus in levi culpa, uno eorum in pane & aqua. Officiales verò, quia minus cauti fuerunt agnoſcere Capituli decreta, usque ad Paſcha omnî ſextâ Feriâ ſint in pane & aqua.

14. Dormitorium Longi-Pontis infra triennium ad formam Ordinis redigatur, non obſtante ſententia, quæ de non ædificando & debitis continetur. Abbas autem Longi-Pontis qui contra formam & conſuetudinem Ordinis hujusmodi ædificium conſtruxit, quadraginta diebus ſit extra ſtallum ſuum, & ſex in levi culpa, uno eorum in pane & aqua. Quod ſi fortè infra hoc terminum factum non fuerit, nullus ex tunc & in reliquum

in eo dormiat, & Abbas in ſequenti Capitulo ſuper hoc veniam petat.

15. Abbas de Joyaco provideat quatenus in Abbatia ſua quæ dicitur Riſus-Agni uſque ad ſequens Capitulum XII. Monachi cum Abbate proprio ita honeſtè & convenienter ordinentur, ut de cætero querela ſuper hoc nullatenus audiatur: alioquin noverit locum illum alterius juriſdictioni & ſine contradictione aliqua reſignandum.

16. Dominus Abbas Clarævallis, qui apud Valcellas ad viſitandum conſtitutus quoſdam exceſſus ibi non correxit; & præcipue ædificium Eccleſiæ, quod ſumptuoſum nimis eſt & ſuperfluum, & multos ſcandalizat, tribus diebus ſit in levi culpa: & injungitur ei, quatenus aſcitis ſibi Abbatibus de Fuſneio & de Urſicampo ad locum accedant nominatim; & ſic emendare quod Eccleſiæ ædificium id malè & contra Ordinis ſimplicitatem actum eſt, ut qui audierint ſimilia de cætero non præſumant.

17. Epiſcopo Elienſi ſcribatur, quatenus libertatem Ordinis noſtri diligat, & ab aliorum preſſuris cuſtodiat & defendat. Abbati de Fontanis committitur hoc mandatum exequendum.

18. Abbas Bonæ-Vallis in Hiſpania, qui non venit ad Capitulum hoc anno, nec litteras miſit, tribus diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

19. Dominus Ciſtercienſis & Dominus Clarævallis ad Dominum Remenſem Archiepiſcopum & Comitiſſam Flandrenſem vadant pro Moribundo, & pro Abbatia Fuſneii & aliis, quas Nicolaus de Rumilleio vaſtat, & aliis incommodis Ordinis noſtri: vel tales mittant Abbates, qui ad hoc diligenter exequendum idonei videantur. Scribatur autem propter id à Capitulo prænominatis perſonis.

20. Quoniam mulieres intraverunt in Bellam-Vallem in Feſto S. Petri, Abbas tribus diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua. Conventus verò uno die ſit in pane & aqua, & privatam accipiant ſinguli diſciplinam.

21. Converſus de Prato, qui menſam magni Altaris movit omnino de loco ſuo, ut Eccleſia iterum dedicaretur in alio tempore, & Monachus cujus verbo hoc fecit, à domo propria non reverſuri in perpetuum in aliam mittantur, & tribus diebus ſint in gravi culpa, & ultimi ſint, & uno anno omni ſexta Feria jejunent in pane & aqua. Monachus non celebret per annum, & Converſus non communicet, niſi in periculo mortis, ſimiliter per annum. Eccleſia verò in eadem Calenda rededicetur, qua prius fuerat dedicata: Ita ſane ut fiat hoc ſecretiſſimè, & quidquid dedicationis gratiâ ibidem oblatum fuerit, ad Capitulum ex integro reportetur.

22. Abbas de Criſta, qui Matrem ſuam viſitare contempſit, & Priorem Morimundi appellavit ante faciem Dei, uſque ad Adventum Domini apud Morimundum ſex diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

23. Abbas Sequanæ-Portus, quod mulieres intraverint ejus Domum, ſex diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

Statuta Anni M. C. XCIII.

1. DE Viſitatoribus & viſitandis quæſtio habita eſt in generali Capitulo, in eo præcipuè quod forma viſitationis ſuper hoc facta, non ita diligenter, ut ſcripta eſt, obſervatur. Auctoritate Capituli generalis diſtrictè Viſitatoribus præcipitur & viſitandis, quatenus à forma à Prædeceſſoribus noſtris poſita nullatenus ab aliquo devietur, illud præcipue admonentes, ut Viſitatores, qui forma gregis eſſe debent; cautius agant, & in victualibus parcius ſibi faciant miniſtrari, nec de facili in Infirmitoriis ingrediantur, ne diſcipulorum animi, qui de præſentia eorum ædificari & radicari in pace debuerant, viſo pravo Paſtoris exemplo, à propoſiti ſui rigore tepeſcant. Similiter & de viſitandis diſtrictè præcipitur, quod ſi in Capitulo de ſuis victualibus coram Viſitatore aliquam propoſuerint quæſtionem, eadem die in pane & aqua jejunent, & coram omnibus verberentur: quia non decet Monachos, præpoſitis neceſſitatibus corporum, minus intendere utilitatibus animarum. Quæ verò circa hujuſmodi proponenda ſunt, extra Capitulum cum reverentia proponantur, hæc in forma viſitationis ſcribantur.

2. Sententia, quæ anno præterito lata eſt de fugitivis, qui de rebus Monaſterii aliquid furto abſtulerint, temperatur hoc modo, quod in providentia Abbatis ſit, & Fratrum ſanioris conſilii, moderato tamen rigore Ordinis & meritis perſonarum.

3. Si data fuerit nobis eleemoſyna cuilibet ædificio aut emptioni terrarum à donante proprie aſſignata, ſine culpa & tranſgreſſione aliqua pro voluntate & conſilio Abbatis ad uſus magis neceſſarios transferatur.

4. Monachus vel Converſus, qui per inquietationem ſuam licentiam extorſerit quo-

quoquam ire ſine utilitate domus, quod fieri non licet, ſicut pridem præceptum eſt à Capitulo generali, non bibat, niſi aquam, donec ad propria revertatur.

5. Abſtinentia ſextæ Feriæ in Quadrageſima teneatur ſicut pridem ſtatutum eſt: ita ſanè, ut ſi qua facienda eſt indulgentia, nec pro Feſto, nec pro alia occaſione pluſquam tribus ſextis Feriis, uſquam fiat ab aliquo per totam Quadrageſimam.

6. Si contigerit mulieres Abbatiam Ordinis noſtri ex conſenſu intrare, ipſe Abbas à Patre Abbate deponatur abſque retractatione. Et quicumque ſine conſcientia Abbatis introduxerit, de domo ejiciatur non reverſurus, niſi per generale Capitulum. Et quoquo modo intraverint, excepto Dedicationis tempore, quamdiu ibi fuerint, divina in eodem loco nullatenus celebrentur.

7. Feſtum S. Juliani Ceomanenſis Epiſcopi faciant cum XII. Lectionibus omnes Abbatiæ, quæ ſunt in ejuſdem Epiſcopatu, & per univerſum Ordinem commemoratio ejus fiat V. Kalendas Februarii poſt commemorationem S. Agnetis, Collecta *Da quæſumus, ut B. Juliani, &c.*

8. Septem Pſalmi, qui ſexta Feria poſt Capitulum dicebantur, & Collecta *Eccleſiæ tuæ* de cætero omittantur: ſed orationes aliæ teneantur.

9. Domino Papæ ſcribatur, pro eo quod Gregorius Cardinalis tituli ſancti Angeli ab Abbatibus Ordinis noſtri novas exigit exactiones, & in noſtro Ordine prius non auditas. Abbates verò qui dederint ei pecuniam, tribus diebus ſint in levi culpa, uno eorum in pane & aqua: de cætero omnimodis caveatur.

10. Abbas de Salem, qui in Oratorio ſuo mortuam ſepelivit, ſex diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua, & quadraginta diebus ſit extra ſtallum ſuum, & de cætero nullus contra decretum Ordinis iſtud facere præſumat.

11. Abbas S. Martini, qui pileo uſus eſt, & in villa pro curatione ſua nimiam curam fecit, ſex diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua, & quadraginta extra ſtallum ſuum.

12. Abbas de Gymmuns, quia ſigillum ſuum litteris alienis minus diſcrete appoſuit, tribus ſit diebus in levi culpa, uno eorum in pane & aqua, & quadraginta extra ſtallum.

13. Abbas de Caſſilejo, cujus negligentia accidit, quod domus ejus hoc anno non fuit viſitata, ſex diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua; & eandem pœnitentiam agant, quicumque domos ſuas non viſitaverint, vel aliis non injunxerint; ſive qui injuncta non fecerint.

14. Committitur Abbati de Bello-Prato & de Fremont, quatenus ad Gardum veniant infra decem dies, & Fratrem Guidonem Monachum, in quantum potuerint, auctoritate Ordinis moneant & inducant, ut infra quindecim dies poſt admonitionem ſuam, eat Urſicampum, ad conſilium & voluntatem Domini Abbatis de Urſicampo ſe de cætero habiturus. Quod ſi facere contempſerit, quamdiu in ipſa Abbatia, aut ejus Grangiis contra præſens mandatum manſerit, divina officia auctoritate generalis Capituli prohibeant celebrari.

15. Monachus de Bonalde, qui cùm in extremis ageret, pœnitentia ductus, cum promiſſione & propoſito revertendi ad Ordinem ſe fecit ad Grangiam deferri, ibique defunctus eſt, ex indulgentia Capituli in Abbatia deferatur.

16. Abbates, qui apud Albam-Ripam Chorum non ingreſſi, cùm de Vigiliis remanſiſſent, poſt *Laudes* benedictionem acceperunt, uno die jejunent in pane & aqua.

17. Abbas de Rupibus, qui ſuſtinuit mulieres domum ſuam ingredi, ſex diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua, & quadraginta extra ſtallum.

18. Abbas Boni-Fontis, qui Filiam ſuam de Perigoac jam multis annis non viſitavit, tribus diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

19. Abbas Fontis-Morigniaci, qui contra Dominum Ciſtercienſem nimis protervè locutus eſt, & ſuſtiouit in Grangia vinum ad brocam veoumdari, & de quibuſdam aliis proclamatus eſt, Claramvallem eat, & ibi ſtet ad arbitrium Domini Claræ vallis.

20. Abbas Trium-Fontium, qui Patri Abbati inobediens fuit, tribus diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

21. Scribatur Domino Regi Franciæ pro quodam Monacho Euſtachio nomine egreſſo de Gardo, qui quamdam Grangiam per ſe & per alios ſæculares manibus violentis occupavit, quatenus ipſe fortiter per præpoſitum Ambianenſem tam ad hoc, quàm ab aliis malefactoribus Regia poteſtate protegat & defendat. Abbas verò Caroli-Loci ad Dominum Regem propter hoc eat, & id ipſum infra XV. dies exequatur.

22. Injungitur Abbati de Eveca, quatenus Abbatiam de Hilaria in propria perſona adeat, & per excommunicationis ſententiam diligenter inquirat, per quem, ſive per quos conſtitit mulieres intraſſe Abbatiam in Cœna Domini, & communicaſſe

nicaſſe in ſexta Feria & ſequenti Sabbato in ſancto Paſcha. Illos autem quos deprehenderit eſſe culpabiles, gravi culpæ ſubjiciat; & ultimi ſint per annum. Abbatiam autem ad formam & ſtatum Ordinis reſtituat, aut ſi implere non poterit, deſtituat.

23. Converſi Reigneii, qui in diſtribuenda avena menſuram & menſuram habent, & amplius dant Clarævallenſibus, quàm aliis Fratribus Ordinis, tribus ſex Feriis jejunent in pane & aqua, & Dominus Clarævallis ad ſuggeſtionem Abbatis Reigneii hanc illis pœnitentiam injungat.

24. Abbates Boni-Radii, de Rupibus, de Benedictione-Dei, quoniam ad præſens Capitulum non venerunt, nec miſerunt, obſervent plenius ſententiam, quæ ſuper hoc in Uſibus continetur. Abbas de Pontigniaco nuntiet his Boni-Radii & de Rupibus; Abbas Septem-Fontium nuntiet & huic de Benedictione-Dei.

25. Injungitur Abbatibus de Bergis & de Carocampo, qualiter accedant ad nobilem virum Comitem Gueldrenſem, & inquiſita diligentius veritate ſuper voluntate & devotione ejus de Abbatia conſtruenda, conſiderato etiam ſtatu loci quem offerre diſponit, ſequenti Capitulo renuntient.

26. Abbas de Berdona, qui contra Capituli generalis inſtituta jura Auxitanæ Eccleſiæ in Profeſſionibus Canonicorum & aliis quamplurimis uſurpavit, deponitur in inſtanti; & auctoritate Capituli generalis præcipitur ei, ut electioni & adminiſtrationi jam dictæ ſedis penitus renuntiet, & usque ad inſtans Feſtum S. Andreæ Morimundum veniat, converſaturus ibi ſecundùm voluntatem Abbatis & Ordinis diſciplinam. Quod ſi in aliquo huic noſtro mandato duxerit reſiſtendum, à Societate Ordinis eum ejicimus tamquam fugitivum.

27. De Monacho de Perſennia, qui cùm eſſet in ſæculo, & celebravit ut Sacerdos, cùm tantum eſſe Subdiaconus, præcipitur, ut ſi reverti voluerit, pro tanti Sacrilegii perpetratione hujusmodi pœnitentiam ſuſtinebit; de cætero ad ſacros Ordines non promovebitur, omni ſexta Feria usque ad ſeptem annos in pane & aqua ſuſtinebit, nec miniſtrabit in Subdiaconatus Ordine, niſi poſt peractam ſeptennem pœnitentiam.

28. Abbas de Cicador, qui Abbatem de Signi de ſuſpicionibus minus cautè in Capitulo accuſavit, ſex diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

29. Duci Poloniæ reſcribatur, quod petitio ſua de non deſtruenda Abbatia Deſſandes conceditur ei.

30. Abbas de Fonte-Frigido revocet Converſum ſuum ante Nativitatem Domini, quem commodaverat Domino Gregorio Cardinali, & ſequenti Capitulo veniat ſuper hoc veniam petiturus.

31. De Exactionibus illis, quæ pro domo Divione inchoata ſolvuntur, ſtatutum eſt firmiter obſervari, ut qui eas adhuc non exſolvit, ipſas de cætero ſolvere nullatenus compellatur, quia ſimplicitati Ordinis noſtri videtur plurimum contraire, ut ordo, qui hactenus liber extitit, hujusmodi ſervitutis laqueis innodetur.

32. Abbas de Morimundo, qui carrucam habet in quadam villa, & omnes alii, qui in ſimili culpa detinentur, tribus diebus ſint in levi culpa, & ne à modo iſtud ab ipſo vel ab alio præſumatur, firmiter prohibetur.

33. Abbas de Charitate, qui novis exactionibus animalia ſua ſub obtentu novi-cenſus - - - - redemit cujusdam Comitis, & per hoc Ordinem noſtrum novæ quodammodo videtur ſubjicere ſervituti, eat in Bellam-Vallem, & ibi ſtet arbitrio Domini Abbatis Bellæ-Vallis.

34. Abbas de Lucella, qui de mapula ſæpe admonitus, eam Abbati de Capella, qui eam ut ſuam expetit, reddere contradicit, usque ad Feſtum omnium Sanctorum ſine contradictione aliqua de ipſa, vel de alia æquipollenti eidem Abbati ſatisfaciat. Quia verò nimis protervè coram Domino Ciſtercii in Capitulo ſuper hoc reſpondit, ſex diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

Statuta Anni M. C. XCIV.

1. Horæ B. Mariæ dicantur omni tempore in Infirmitorio, exceptis Feſtivitatibus ejusdem, & Octava Aſſumptionis ejus, & die Natalis Domini, Paſchæ & Pentecoſtes; & qui voluerit extra terminos, præter in Conventu.

2. Martino quondam Seguntino Epiſcopo conceditur plenarium Officium, quando auditus fuerit obitus ejus.

3. Mercatores Ordinis noſtri non vendant cariùs res noſtras pro termino prolongando. Quod ſi fecerint, teſte conſcientia, non communicent, donec con-

fitean-

fiteantur & ſatisfaciat ad proprii Abbatis arbitrium. Et ſi moram fecerint in nundinis ultra tres dies, ſint in pane & aqua, quamdiu ibi permanſerint. Idem patiantur, qui viliùs emunt, ut carius ea vendant, præter animalia.

4. Monachi, qui litteras communes non habent, ſine habitu dimittantur. Monachi Luxionenſes, & S. Maxentii in Pictavia, in commemoratione Fratrum noſtrorum ſcribantur.

5. Qui minantur incendium vel homicidium ad domos emittantur remotas, non reverſuri, niſi per generale Capitulum.

6. Qui celant pravitatem in rebus vendendis, ut emptores decipiant, non communicent, donec confiteantur, & ſatisfaciant ad proprii Abbatis arbitrium.

7. Novitii, qui in probatione incurrunt lepram, emittuntur de jure; ſed de miſericordia eis provideri poterit.

8. Lapides poſiti ſuper tumulos Defunctorum Clauſtris noſtris coæquentur terræ, ne ſint offendiculo tranſeuntium.

9. De Abbate de Forcaumont, qui propter nimiam debilitatem ſuam non venit ad Capitulum, nec ab eo ſuæ Grangiæ viſitantur, & nimis delicioſè vivit: qui & de nimia familiaritate mulierum notatur, committitur Abbatibus Savigniaci & de Beabec, ut hos & alios exceſſus ſollicitè ſtudeant emendare.

10. Pro ſummo Pontifice, pro Imperatore, pro Regibus Franciæ & Angliæ, pro Epiſcopis & Principibus, & aliis fidelibus, pro quibus rogati ſumus, pro pace terrarum, & aliis neceſſitatibus Eccleſiarum, dicatur una Miſſa de Spiritu ſancto à ſingulis Sacerdotibus ſupra viginti.

11. Oratio pro terra Hieroſolymitana *Deus venerunt gentes*, & Collecta *Deus à quo ſancta deſideria* in Miſſis Defunctorum; & *Deus qui corda* in aliis Miſſis dicantur.

12. Vinum in Conventu non apponatur, niſi prius fuerit adaquatum.

13. Querela Præmonſtrati contra quoſdam Abbates Ordinis noſtri committitur terminanda Abbati Claræ-Vallis.

14. Abbas Trium-Fontium, qui nimis pepercerat Monachis Signiacenſibus Conſpiratoribus, tribus diebus ſit in levi culpa.

15. Abbas ſancti Juſti, qui per multos annos ſine benedictione permanſit, uſque ad Paſcha benedictonem accipiat: quod ſi non fecerit, ſit extra ſtallum Abbatis, & ſequenti Capitulo ſe præſentet. Hoc ei denuntiet Abbas S. Anaſtaſii.

16. Converſi de Monaſterio in Argona, qui ad præceptum Abbatis diſperſi ſunt, iterum ſinguli diſpergantur per domos ſingulas Ordinis noſtri, una dieta ad minus diſtantes à Monaſterio. Et hoc Abbas Trium-Fontium uſque Feſtum omnium Sanctorum exequatur. Et ſi quis ei inobediens fuerit, ab Ordine expellatur. Fulco verò & Terricus niſi venerint apud Ciſtercium uſque Feſtum ſancti Lucæ Evangeliſtæ, ſimiliter ab Ordine expellantur.

17. De petitione Regis Aragoniæ committitur Abbatibus de Morimundo & de Bolbona, ut Regi reſpondeant ex parte Capituli. Et ſicut audierint & viderint, ad ſequens Capitulum referant.

18. Abbas Morimundi, quia poſuit in Lucella Abbatem præter formam Ordinis, & Priorem in Morimundo, cum alium Priorem ſuum non ſciret depoſitum vel defunctum; & Monachos de Anglia venientes in habitu ſæculari ſine litteris Abbatis proprii recepit, tribus diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

19. De ſumptuoſa nimis hoſpitalitate, & numeroſitate nimia perſonarum provideat Dominus Ciſtercienſis & quatuor primi Abbates, & de neceſſitate Ordinis, quæ multæ ſunt. Provideat etiam locum & tempus, ubi liberius & diligentius, aliis convocatis Abbatibus quos convocandos judicaverint, & valeant tractare de iis, & conſtituere, quod crediderint expedire, qui ſequenti Capitulo, quæ providerint, nunciabunt.

20. Abbas de Bonorato, cujus conceſſu Monachus comedit carnes in Grangia, ſex diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

21. Abbas de Trappa ſtatim vadat Claram-Vallem poſt Capitulum, & de his, quæ ſibi objiciuntur, ſtet ad arbitrium Abbatis Claræ-Vallis.

22. Abbas de Veteri-Villa, cujus novam domum ingreſſæ ſunt mulieres, tribus diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

23. Abbati Leoncelli conceditur locus ille, pro quo petitionem fecit in Capitulo.

24. Abbati Urſicampi conceditur, ut commemoratio fiat de S. Eligio.

25. In Abbatia, quæ vocatur Edſendurç divina non celebrentur, quamdiu mulieres fuerint in contigua domo Epiſcopi, ſicut Domnus Petrus bonæ memoriæ, tunc Abbas Morimundi, inſtituit.

26. Converſi Specioſæ-Vallis, qui Principi & mulieri carnes in Abbatia miniſtrârunt, per annum ſint ultimi, & ſeptem ſextis Feriis in pane & aqua: & Abbas, qui tantum exceſſum non correxit, ſex diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

27. Abbas Bonæ-Vallis, qui ſepultus eſt in Oratorio pro Religionis ſuæ opinione, ibi ſic remaneat: De iis verò, qui contra Ordinis formam hoc facere præſumpſerunt, Dominus Ciſtercii diligenter inquirat, & dignè caſtiget.

28. Abbas Melli-Fontis, qui ſine licentia Capituli generalis quondam in Epiſcopum eſt conſecratus, ſequenti Capitulo ſe repræſentet, ſuper his quæ ſibi objiciuntur reſponſurus: & interim de ſubſtantia & de rebus Melli-Fontis nullam habeat partem. Quodſi ad Capitulum non venerit, ſciat ſe ab Ordine eliminandum, & hoc ei ab Abbate Savigniaci denuntietur.

29. In Abbatiis de Spina & de Valle - - - - - ubi per ſingulas hebdomadas Monachi tres pitantias ex conſuetudine requirunt, prohibetur, ne de cætero habeant; & quia contra Ordinem eſt, tales pitantias Monachi Ordinis noſtri amplius non requirant.

30. Ad Regem Angliæ mittantur Abbates Pontigniaci, Monaſterii in Argona, de Pinu, de Bono-Portu cum litteris Capituli generalis.

31. Monachus de Fornajo, qui fecit ſe doloſè in Epiſcopum de Man conſecrari, adhuc vivente Epiſcopo Civitatis illius, expellitur de Ordine, & injungitur Abbati Savigniaci, ut eum denunciari faciat excommunicatum, & ejectum de Ordine Ciſtercienſi.

32. Abbates, qui hoc anno venire debuerunt ad Capitulum, & non venerunt, nec pro infirmitate remanſerunt, non celebrent Miſſam, & ſint extra ſtallum Abbatis, & omni ſexta Feria jejunent in pane & aqua, donec Ciſtercium ſe repræſentent. Abbas Savigniaci hoc nunciet vel denunciari faciat Abbatibus, qui ſunt in Anglia, Scotia, Hibernia, & in Wallia: Abbas Morimundi in Provincia, in Gaſconia, in Hiſpania: Abbas de Coronato in Lombardia: Abbas S. Anaſtaſii in Romania, in Apulia, & Sicilia. Abbas Campenſis in Alemannia & in Saxonia, & ſi qui ſuperſunt, Patres Abbates eis annuncient vel faciant denunciari.

33. Abbates de Firmitate, de Pontigniaco, de Clara-Valle, & alii Abbates, qui cum illis fuerunt in Choro cum Sanctimonialibus in Dedicatione Ciſtercienſis Baſilicæ, & quorum conſilio terminus ab Ordine conſtitutus de ingreſſu mulierum prolongatus eſt, tribus diebus ſint in levi culpa, & de cætero caveatur. Oblationes verò, quæ inde provenerunt, committuntur quatuor primis Abbatibus, & eorum arbitrio diſtribuantur.

34. De loco Abbatiæ conſtituendæ, qui promittitur Abbati de Lucella, committitur Abbatibus Bellæ-Vallis & Cari-Loci, ut locum videant, & diligenter cuncta parata ſufficienter ad Conventum ſuſcipiendum, habeant poteſtatem mittendi illuc Conventum Monachorum.

35. De vecturis, quæ commodantur Domino Regi & aliis Principibus, ſcribatur Domino Regi, ut & ipſe nobis parcat ſuper hoc, & alios, qui in ejus regno ſunt, à tali exactione compeſcat.

36. Converſus de Bona-Valle, qui cùm minus ſani capitis eſſe diceretur, ſepultus eſt extra cemeterium pro tribus Denariis circa ſe inventis, ſi ita viſum fuerit Abbati Bonæ-Vallis cum aliis Abbatibus, qui ad prædictam Abbatiam ituri ſunt, in cemeterium reponatur.

37. Philippus Monachus Fonteneti, & omnes alii de Ordine noſtro, qui pro ſale ſuo compoſuerunt cum Comite Willelmo uſque ad Feſtum omnium Sanctorum, veniant Ciſtercium, & ibi ſtent arbitrio Domini Ciſtercii.

Statuta Anni M. C. XCV.

1. STatutum eſt anno præterito, ut pro tribulatione terræ Hieroſolymitanæ, pro incurſu Saracenorum in Hiſpaniam, pro pace ſummi Pontificis & Imperatoris, pro pace Regis Franciæ & Angliæ, & pro aliis pro quibus requiſiti ſumus, omni ſexta Feria Conventus calceatus eat poſt Capitulum in Eccleſiam, ibique ſeptem Pſalmos pœnitentiales proſtratus dicat cum ſolita Litania. *Pater noſter*, preces *Exurgat Deus &c.* Collect. *Eccleſiæ tuæ: Deus à quo.* Singulis ſeptimanis unuſquiſque unam diſciplinam privatam recipiat, niſi nimia ægritudine prægravetur. Oratio ſolita ad Miſſam, ſcilicet *Deus venerunt*, non intermittatur, ſed tamen: *Reſpice ad Chriſtianorum benignus auxilium*, emendetur. Qui equitaverint, & diſciplinam recipiendi non habuerint facultatem, pro diſciplina ſeptem Pſalmos pœnitentiales dicant.

2. De eſu carnium in Infirmitorio, ſicut ſtatutum eſt antiquitus, teneatur. Hoc tantum diligentius obſervetur, ut eis ſuperfluitas auferatur.

3. Nulli penitus in Abbatiis, Grangiis, vel culinariis carnes dentur exceptis infirmis in Abbatia. Transgreſſor, ſive

ſive Abbas, ſive quilibet alius, eadem die quâ hoc fecerit, ſit in pace & aqua.

4. Monachi vel Converſi, quamdiu in nundinis fuerint, à piſcibus abſtineant; in Adventu tamen & Quadrageſima halecia poterunt comedere. Transgreſſor amoveatur ab officio ſuo.

5. In Abbatiis, in quibus vinum vel cerviſia bibitur, & duo pulmentaria habentur, vinum eorum omni ſexta Feria usque ad Paſcha pauperibus erogetur. Si contigerit, ut Feſtum præcipuum ſextâ Feriâ evenerit, hæc omnia fiant quintâ Feriâ præcedente.

6. Statuitur, ut ſingulis annis die quarta Capituli ante receſſum Abbatum, commemoratio fiat Domini Philippi Regis Franciæ, in cujus regno fundata eſt Domus Ciſtercii; Regis Anglorum, qui eleemoſynam ſuam annis ſingulis Capitulo aſſignavit; Imperatoris, Regis Aragonum, Ducis Burgundiæ, & pro eis aliqua oratio ſpecialis injungatur.

7. Abbates, qui vina vel lanas habent vendere, provideant, ne eorum evectiones, Grangias ſeu Abbatias Ordinis per quas tranſeunt, gravent, & hoc ſaltem anno propter avenæ caritatem ſibi provideant in annona.

8. Garciones non ſerviant in coquinis Conventus, nec in Infirmitoriis: quoties verò in domo aliqua factum fuerit, Cellerarii omni ſextâ Feriâ ſint in pane & aqua: Abbas verò ſi hoc ſciverit, & non emendaverit, culpam hanc in Capitulo fateatur.

9. De Abbate S. Juſtini, quem ſummus Pontifex excuſare videtur, interim ſuſtinemus; firmiter tamen ei præcipientes, ut omni occaſione remota ſequenti Capitulo ſe repræſentet.

10. Abbas Rievallis, quem Rex Angliæ excuſavit, ad ſequens Capitulum veniat, & propter hoc veniam petat.

11. Abbas de Maceriis eamdem pœnam ſuſtineat, quam Abbas de Firmitate pro Novitio infra annos recepto.

12. De Abbatia de Carnot, à cujus ingreſſu mulieres ad præſens non poſſunt arceri, permittitur, ut Monachi in Grangia, ad quam ſeceſſerunt Ordinem ſuum tenentes, usque ad ſequens Capitulum demorentur.

13. Abbates, qui præſentes ſunt, & non fecerunt pœnitentiam de eo, quod anno præterito ad Capitulum non venerint, ſex diebus continuis in propriis domibus ſint in levi culpa, & extra ſtallum ſuum usque ad Natale Domini permaneant, & omni ſexta Feria usque ad dictum terminum in pane & aqua jejunent. Qui verò abſentes ſunt, pœnitentiam, quæ anno præterito indicta fuit, exequatur, donec Domui Ciſtercii ſe præſentent.

14. Abbas de Pratea, qui veniens ad Capitulum, à Clara-Valle reverſus eſt propter imminentem domus ſuæ vaſtationem, tribus diebus ſit in levi culpa.

15. Abbas de Domo-Dei, qui Dominum Cardinalem in Pratea ægrotantem minimè viſitavit, tribus diebus ſit in levi culpa.

16. De fugitivis, qui vel incendium vel homicidium minantur ut faciant, ſummus Pontifex conſulatur, utrum nobis liceat pro ipſis coercendis adire juſtitiam ſæcularem.

17. Abbati in prandio non niſi duæ juſtitiæ apponantur, & una in cœna, ſi ibi comederit, excepto eo, qui ſedet ad molam, cui una poterit deſuper apponi, ſi neceſſe fuerit.

18. In domibus, ubi habetur vinum in Refectorio, Monachus hoſpes vinum ſuum non diſtribuat, nec alius accipiat; & Monacho hoſpiti una tantum pitantia diſtribuenda fiat, & alia non poſſit apponi, niſi ex præcepto Prioris vel Abbatis, & ipſa non diſtribuenda. Transgreſſor ſit una die in pane & aqua. Idem de Converſis obſervetur.

19. Qui ſcienter ſilentium fregerit, eadem die ſit in pane & aqua, ſi jejunus eſt: ſi autem comederit, in craſtino, & poſtmodum veniam petat in Capitulo, & verberetur. Si hoc privatim confeſſus fuerit, eadem die pœnitentia injungatur cum privata diſciplina.

20. Monachi vel Converſi, qui ſibi aliquid ad mutuum dederint vel acceperint ſine licentia Abbatis vel Prioris, abſente Abbate, tribus diebus ſint in pane & aqua, & in privata confeſſione eadem eis injungatur pœnitentia.

21. Scribantur dona, quæ Abbas fecerit, Prior & Cellerarius, & in communi computatione recitentur.

22. In Abbatiis vel Grangiis non habeantur pro Mercenariis conſanguinei Monachorum vel Converſorum, neque pueri mittantur; ſed nec tales habeantur in officina textorum, ſutorum, vel pellificum, qui minus quàm duodecim annos habeant.

23. In Cellariis & Grangiis, in quibus vinum bibitur, unum tantummodo pulmentum habeatur.

24. Qui deprehenſus fuerit in manifeſto carnis contagio, de domo illa penitus emittatur, nec nominatim alia ei aſſignetur, ſed litteras habeat generales univerſis Religioſis communi vita degentibus.

tibus. Monachus tunc non tranſeat, niſi ad Collegium Monachorum.

25. In domo in qua orta fuerit conſpiratio, Converſi Novitii non recipiantur usque ad nutum Capituli generalis. Hoc ipſum & de Monachis conſtituitur, niſi fortè talis perſona fuerit, unde ſcandalum oriatur & damnum. Et hoc cùm factum fuerit, illi ab uno ex quatuor primis Abbatibus nuncietur, de cujus derivatione domus illa fuerit.

26. De fugitivis, qui uxores duxerint, vel ex concubinis Filios habuerint, ſtatuimus ſicut de illis, qui in manifeſto carnis contagio fuerint deprehenſi.

27. De illis, qui in proprietate vel furto inventi fuerint, vel qui cum rebus Monaſterii exierint, ſtatuimus, ut non niſi in loco familiarium deinceps habeantur: & ſi poſtmodum in eo habitu in proprietate, vel furto quis inventus fuerit, de Ordine expellatur. Monachi ad domos alias emittantur, ſemper in eo gradu, in quo ultimi recipiuntur, permanſuri.

28. Dominica in Ramis Palmarum tres lampades ardeant, ſicut & in cæteris ſolemnitatibus.

29. Prior, qui quotidianam pitantiam exegerit, ab officio Prioratus deponatur.

30. Si contigerit Feſtum Annunciationis B. Mariæ vel S. Benedicti Sabbato in Ramis Palmarum evenire, ipſo die celebretur, & ſermo in Capitulo habeatur. *Veſpere* usque ad Capitulum de Sancto erunt, reliqua de Dominica, ita ſane ut commemoratio fiat de Sancto.

31. Abbas de Dulenine, qui hoc anno non venit ad Capitulum, de infirmitate ſe excuſans, cum benè equitaret, pœnam anno præterito ſuper tali culpa injunctam faciat, donec Ciſtercio ſe præſentet. Hoc ei denuntiet Abbas de Choro benedicto.

32. De mantellis & batis novis teneatur, quod in libro Uſuum continetur: Converſi, qui hoc transgreſſi fuerint, quamdiu in hac transgreſſione perſeveraverint, omni ſexta Feria ſint in pane & aqua, nec communicent. Abbates, Priores, Cellerarii, qui hoc emendare diſſimulaverint, quamdiu in iſta ſimulatione permanſerint, omni ſexta Feria ſint in pane & aqua.

33. Qui cappis oloſericis hoc anno uſi ſunt, vel deinceps uſi fuerint, tribus diebus ſint in levi culpa, uno eorum in pane & aqua, exceptis illis qui benedicuntur.

34. Secundùm Regulam non licet Monachis vel Converſis litteras aut eulogia alicui mittere, vel ab aliquo accipere omnino. Statuimus, ut nulli de cætero liceat litteras Patri Abbati vel perſonæ ſine conſcientia proprii Abbatis dirigere.

35. Si quid autem in Abbate vel Abbatia corrigendum fuerit, usque ad Adventum Viſitatoris ſuſtineat, & ad conſilium ejus ſe habeat. Quod ſi quis fuerit transgreſſor, ſententiæ Conſpiratorum ſe ſubjiciat.

36. Abbas depoſitus in domo illa non remaneat, ſed ad aliam ſe transferat, & ibi infra triginta dies Profeſſionem faciat. Qui verò ſponte ceſſerit, niſi quietus, humilis & obediens fuerit, ad aliam domum mittatur.

37. Domino Cantuarienſi Archiepiſcopo conceſſum eſt in obitu ſuo ſervitium, ſicut uni ex nobis, & ſcribatur in Regula.

38. Pedules de corio omnibus omnino interdicuntur, & de Wandegiis ſententia ſcripta teneatur.

39. Quicunque hoc anno guerras facientibus vecturas commodaverit, tribus ſextis diebus ſit in pane & aqua. Et quicumque de cætero fecerit, vel quorum conſilio factum fuerit, quotiens hoc fecerint, eandem pœnam ſimiliter patiantur.

40. Abbates, qui hoc anno venire debuerant ad Capitulum, & non venerunt, nec pro infirmitate remanſerunt, non celebrent Miſſam, & ſint extra ſtallum Abbatis, & omni ſexta Feria in pane & aqua jejunent, donec ſe Ciſtercio repræſentent.

41. Qui pro Abbatis creatione, vel aliqua Monaſterii ordinatione potentes adeunt, & eorum auxilia implorant, vel ſæcularibus Ordinis ſecreta depravando revelant, ſententiæ Conſpiratorum ſubjaceant.

42. Abbas de Hirantia, qui contra Patris Abbatis prohibitionem ad colendas vineas Monachos ſuos miſit, pœnitentiam de Inobedientia ſcriptam exequatur.

43. Querelæ illis non committantur, qui de Patribus derivantur, ſi aliunde inveniri potuerint.

44. De Carthuſienſibus pacis, charitatisque gratia ſtatuimus, ut nullum de eorum Ordine ſine ipſorum licentia ſuſcipiamus, & ipſi de noſtris ſine aſſenſu noſtro nullum recipiant.

45. Abbas de Coronato, qui Filium Abbatem nimis durè tractavit, & litteris Domini Ciſtercii minus, quàm debuit detulit, veniat Morimundum, & ſtet ad arbitrium Domini Morimundi.

46. Ab-

46. Abbas de Balerna, qui in Adventu Domini Ciſtercii viſus eſt contriſtari, tribus diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

47. Abbas de Firmitate, qui pueros infra annos quindecim in probatione recepir, tribus diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua. Similiter Prior & alii officiales patiantur, quorum conſilio tales ſunt recepti. De eiſdem verò pueris retinendis vel ejiciendis, arbitrio Domini Ciſtercii relinquitur: qui utique ſalva pace ſua hoc quod per ſe potuit emendare, non debuerat Capitulo reſervare.

48. Abbas de Inſula, qui de frequenti mendacio arguitur, & de Inobedientia Patris Abbatis, eat in inſtanti Morimundum, & ſtet ad arbitrium Abbatis Morimundi.

49. Converſi de Wallia, qui Abbati de Guthlimur abſtulerunt equos, quia cerviſiam eis inhibuerat, Claram-Vallem pedites veniant, & ſtent ad arbitrium Domini Claræ-Vallis. Abbas verò de Staflur hoc nunciet faciendum.

50. Abbas de Petris, qui Inobediens fuit Domino Ciſtercii, tribus diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua. De damno verò quod paſſa eſt Domus Boni-Loci, committitur Abbatibus de Albis-Petris, & de Albiniaco, & de Domo-Dei.

51. Abbatibus Walliæ præcipitur, ut in eorum Grangiis nec cerviſia, nec aliquis potus præter aquam ſimplicem bibatur. Quamdiu verò id non fuerit obſervatum, nullus ubi hoc factum fuerit, Converſus interim recipiatur.

52. Abbas de Intreburch, qui Monachum & Converſum ſuum miſit cum reliquiis ad mendicandum, ſex diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua; & Collecta, quam accepir, ſequenti Capitulo deferatur. Quicumque verò de cætero aliquid tale commiſerit, vindictam ſimilem ſortiarur.

53. De ſumptibus, qui Domui Clarevallenſium Divione conſtruendæ ſunt neceſſarii, comittitur Abbatibus Savigniaci, Trium-Fontium, Igniaci, Urſicampi, ut ipſi rem hujuſmodi ea diſtinctione moderentur, quatenus & à notabili exactione prorſus abſtineant, & querela prorſus ſopiarur.

54. Abbas ſancti Sulpitii utatur conſilio Domini Pontigniaci in ſubſtituendis Abbatibus Filiis, & in ſuis Cœnobiis ordinandis; & de ingreſſu mulierum in Monaſterio ſancti Sebaſtiani ſummum Pontificem conſulat, ſuggerens ei, quod ſi mulieres ab ingreſſu Monaſterii non arceantur, ordo non poterit ſuſtinere.

55. Abbas Igniacenſis, qui de receptione Converſi Domini Ciſtercii litteris inobediens fuit, tribus diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua. Abbas verò Claræ-Vallis diſſuaſores hujus receptionis diligenter inquirat, & eos dictam pœnam ſubire compellat.

56. Abbatibus Hiberniæ permittitur, ut tres tantùm de ipſis annis ſingulis veniant ad Capitulum, & Abbas Melli-Fontis provideat, ut ſic fiat.

57. De Abbatibus Hiberniæ præcipitur, ut qui habent Privilegia contra formam Ordinis, ſequenti anno Privilegia ad Capitulum deferant, & interim eis non utantur; & ſi quis eis uſus fuerit, ab Ordine amovearur, & quicumque aliqua Privilegia contra formam Ordinis habuerint, idem patiantur.

58. In Feſtivitate ſancti Benedicti ſingulis annis Regula inchoetur.

Statuta Anni M. C. XCVI.

1. Monachus de Fonte-Joannis, qui in Grangia de Moiſſi Dominum Ciſtercienſem minus reverenter ſuſcepit; & Converſus Hoſpitalarius infra Feſtum omnium Sanctorum Ciſtercium pedites veniant ſatisfacturi.

2. Abbas Frigidi-Fontis, qui inhumanè ſuſcepit Hoſpites noſtri Ordinis Abbates, & tapetibus pavimentum Presbyterii ſtravit, & plures quàm Ordo patiatur, lampades in Oratorio fecit accendi, (quod videtur vanitatem aliquatenus redolere) & vecturas commodavit, & tempore guerrarum conductum Abbatibus Ordinis denegavit; ad Domum Grandis-Silvæ ſatisfacturus veniat in hunc modum: Tribus diebus in levi culpa, & quadraginta diebus continuis ſit extra ſtallum, & interim omni ſexta Feria ſit in pane & aqua, & interim non equitet.

3. Abbas Pontigniaci, quia Monachum ſibi determinarum non recepit, tribus diebus ſit in levi culpa.

4. Grangia, quæ data eſt à Comite pro cerviſia Converſis facienda, in eos uſque de cætero non expendatur: ſed in alias utilitates Monaſterii deputetur, aut Comes eam recipiat.

5. Abbates Monachi, vel Converſi de Hungaria, & de Alemannia ſervientes

 cum

cum gladiis & arcubus non ducant: & quamdiu in hac culpa perſtiterint, omni ſexta Feria ſint in pane & aqua.

6. De duobus pulmentis non habendis, ubi vinum bibitur in Grangiis, nihil novum ſtatuimus.

7. Unusquisque Abbas teſtimonio, ſi fieri poteſt, Patris ſui vel vicinorum Abbatum, penſata diligenter & conſiderata quantitate & qualitate poſſeſſionum & proventuum domus ſuæ, proponat ſecundùm quod ei rationabiliter viſum fuerit, quot perſonas Monachorum vel Converſorum ſecundùm præſentem ſtatum domus ſuæ poſſit ſuſtinere, eo nihilominus conſiderato, quod bonum hoſpitalitatis ſecundùm regionis modum poſſit congruè adventantibus hoſpitibus exhiberi.

8. Abbas Altæ-Cumbæ, qui præterito anno non venit ad Capitulum, & ad domum Foſſæ-Novæ talem miſit Viſitatorem, qui turbationem fecit in Ordine, ſex diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua, & quadraginta diebus extra ſtallum ſuum. De Priore ejus, qui turbationem ſuſcitavit in Ordine, committitur Abbati Claræ-Vallis.

9. Abbas de Aqua-Bella, qui Abbates ad Capitulum venientes minùs reverenter recepit, & cùm ſuper hoc fuiſſet requiſitus, inventum eſt in ore ejus, Eſt & Non: eat Morimundum in inſtanti, & ibi ſtet ad mandatum Abbatis Morimundi. Monachus verò, qui conductum eisdem Abbatibus præſtare noluit, tribus diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua, & ultimus maneat usque ad voluntatem Domini Morimundi.

10. Abbas de Domo Dei, qui ſine licentia Capituli generalis Priorem ſuum miſit ad Curiam, tribus diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

11. Quia à Domino Papa datum eſt in mandatis de rebus - - - - - Epiſcopi, qui anno præterito in præſenti Capitulo annulum ſuum depoſuit, committitur Domino Ciſtercii.

12. Abbas de S. Agatha, qui conſecrationibus & ordinationibus ejusdem Epiſcopi adſtitit; ſex diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua. Monachi, quibus manum impoſuit, niſi de mandato ſummi Pontificis ipſis ordinibus non utantur. Altaria, in quibus divina celebravit, deſtruantur. De Converſo extumulato committitur Abbati Morimundi.

13. De Monachis Signiacenſibus, qui pro conſpiratione, in qua inventi ſunt, jam per triennium ſatisfecerunt, committitur Abbati Claræ-Vallis, ut ei ipſos revocare liceat, cùm judicaverit expedire.

14. Abbas S. Sulpicii, qui neglectui habuit ea, quæ anno præterito ei auctoritate Capituli injuncta ſunt, tribus diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

15. Abbas Boni-Radii, qui pro inhumanitate quam fecit in Abbatem de Hiſpania, qui ad ejus januam pernoctavit, tribus diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

16. Abbas Depoſitus infra triginta dies profiteatur, quod ſi non fecerit, pro fugitivo habeatur.

17. Statuitur ac firmiter præcipitur, ut nulli omnimode de Ordine noſtro ad Capituli audientiam invicem audeant appellare: quia hoc redundare poſſet in ſubverſionem totius Ordinis & ruinam. Sed ſic obſervetur, ſicut hactenus eſt obſervatum.

18. Abbas de Caſemarii, Abbates de Calabria, de Apulia & de Sicilia, qui annis conſtitutis ad Capitulum generale non venerunt, ſed de facili quærunt occaſiones remanendi, hoc anno ad Capitulum venire non remorentur: alioquin ex tunc ſe noverint depoſitos, ſi ad terminum non venerint nominatum.

19. Abbas de Vulchederode, qui Converſum conſpiratorem auctoritate Ordinis excommunicatum ſciens, & prudens Eccleſiaſticæ tradidit ſepulturæ; & cum tali facto, quod ad ſubverſionem totius Ordinis noſcitur imminere, dignus depoſitione videretur: ſi non pia intentio, quam in conſpiratione ſedanda habuit, eum aliquatenus excuſaret: nos autem de communi conſilio circa eum diſpenſantes; & maxime quia propriis manibus tumulatum extumulavit, injungimus ei, ut ſex diebus ſit in levi culpa, & quadraginta diebus continuis extra ſtallum ſuum, & interim omni ſexta Feria in pane & aqua jejunet, & abſtineat à divinis. Ne trahatur in conſequentiam, præcipimus firmiter obſervari, ut qui à modo ſimile opus præſumpſerit, à Patre Abbate absque aliqua retractatione deponatur.

20. Quidquid anno præterito pro terra Hieroſolymitana ſtatutum fuerat, teneatur, excepto quod duo pulmenta omni ſexta Feria poſſint fieri, & diſciplinam, qui voluerit ex devotione recipiat, nullus ex debito teneatur.

21. Feſtum S. Petri Tarentaſienſis de mandato Domini Papæ transfertur ad VIII. Idus Maji, & Verſus anno recurſo non dicatur.

22. Monachi S. Guthlaci, Canonici S. Crucis de Waltera, & Canonici de Reiſeburne, & Monachi Monaſterii S. Joannis ſcribantur in commemoratione familiarium noſtrorum ſingulis annis ſicut alii recitandi, in qua commemoratione

ſex

ſex nomina tantum de primis ſpecialiter nominentur, hoc adjuncto & aliorum plurimorum, quorum in præſenti pagina nomina continentur.

23. Præcipimus, ut Abbates ea die, qua intrant Capitulum, de Divione ante lucem ſcienter non exeant. Similiter in reditu ſuo, ſi in villis proximis pernoctaverint, piſcibus non utantur.

24. Abbas, qui Novitium infra XVIII. annos conſtitutum receperit, omni ſexta Feria probationis ejus ſit in pane & aqua. Similiter Prior & Cellerarius, & alii, quorum conſilio hoc factum fuerit.

25. Ad petitionem Domini quondam Lugdunenſis ſtatuitur, ut in commemoratione Epiſcoporum & Abbatum Eugenius Papa primus nominetur piæ memoriæ. De eo verò, quod petit emendari Lectionem Evangelicam de Paſſione Domini, quæ juxta Matthæum in Ramis Palmarum legitur, injungitur Abbati de Firmitate, ut in Cluniacenſi & Lugdunenſi Eccleſia, quid ſentiant, inquirat, & in ſequenti Capitulo ſtudeat nunciare.

26. In Feſtivitate S. Benedicti ſingulis annis Regula inchoetur.

Statuta Anni M. C. XCVII.

1. CAveant Patres Abbates in depoſitione Filiorum Abbatum, ne nimis præcipitanter erumpant, nec ſine magno & maturo conſilio eos deponant. Si quis autem eorum tale aliquid attentaverit, à generali Capitulo graviſſimè puniatur, & pro meritis recipiat talionem. Ipſe etiam Dominus Ciſtercii cautelam magnam & diligentiam adhibeat, ne quando hoc ipſum ſine maturo diſtrictóque judicio faciat.

2. De ingreſſu mulierum in domos Ordinis, præcipitur, ut Abbas & Conventus, in quam intraverint, eadem die jejunet in pane & aqua, ſi ante refectionem factum fuerit; ſi poſt, in craſtina; & omnia Altaria ſtatim diſcooperiantur per quatriduum ſic manſura; nec aliqua Miſſa in illo quatriduo celebretur, præter Miſſam S. Mariæ & Miſſam quotidianam pro defunctis; & ſi fortè Feſtum Sancti alicujus fuerit, vel Miſſa aliqua, quæ omitti non poſſit, privatim celebretur, nec etiam, quamdiu inibi fuerint mulieres, horæ Canonicæ celebrentur in Eccleſia. Et ſi quis eſt, cujus conſenſu intraverint; ſi Abbas eſt, deponatur; Si Monachus vel Converſus, à domo ſua eliminetur, non reverſurus, niſi per Capitulum generale. Domino quoque Papæ ſupplicando ſcribatur, ut per ſententiam excommunicationis ab inſolentia hac eos coërceat.

3. Quicumque Ordinem noſtrum de noſtris ſcienter aliter nominaverit, quam Ordinem Ciſtercienſem, eo die vel ſequenti ſit in pane & aqua.

4. Abbas Fontis-Morigniaci, qui Abbatibus venientibus ad Capitulum vinum negavit in prandio, ſex diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

5. Abbas Clarimontis, qui Fundatorem ſuum in Capituló ſepelivit, tribus diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

6. De juramentis dictum eſt & conceſſum à ſummo Pontifice, quod in cauſis propriis nobis liceat uti teſtimonio Fratrum, qui propter evidentem neceſſitatem poſſunt facere juramentum.

7. Abbas Berdonenſis, qui ſine Converſo vel Monacho dicitur equitare, ſex diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua: & Abbas Morimundi de ſtatu ejus diligenter inquirat, & dignè auctoritate Capituli corrigat.

8. Abbates, qui Monachos ab Abbate Pontigniaci Miſſos, non receperunt, tribus diebus ſint in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

9. De duobus monachis, Gilleberto de Bono-Portu & Roberto de Perſenia, qui de guerris Regum contra formam Ordinis ſe intromiſerunt, præcipitur, ut extra utrumque regnum emittantur, non niſi per Capitulum generale reverſuri; & omni ſexta Feria uſque ad Capitulum generale publicam in Capitulo recipiant diſciplinam, & ultimi ſint in Ordine, nec celebrent divina. Abbates autem eorum ſex diebus ſint in levi culpa, uno eorum in pane & aqua, & XL. diebus extra ſtallum ſuum. Si quis autem de cætero aliquid ſimile præſumpſerit, de Ordine ejiciatur.

10. De Duramo Monacho Claræ-Vallis, qui errorem ſuum defendere nititur, & de Domino quondam Lugdunenſi durè nimis & irreverenter locutus eſt, præcipitur, ut ad voluntatem Abbatis Claræ-Vallis ad aliam domum tranſeat, nec de cætero prædicet, nec ſcribat, nec tabulas, nec libros, nec membranas habeat.

11. De nuntiis Romanæ Curiæ diſtrictè præcipitur, ut cum debita reverentia & honore recipiantur, & eis benignè provideatur per totum Ordinem in victualibus. Quod ſi quis facere neglexerit, à generali Capitulo, ut dignum eſt, corrigatur.

12. Pro

12. Pro terra Hieroſolymitana fiat, ſicut antea fieri ſolebat.

13. De Philacteriis ponendis ſuper Altare in Feſtis præcipuis, quod deffinitum eſt, teneatur. Transgreſſor hujus ſententiæ ſit in pane & aqua.

14. Nullus Abbas ad Capitulum veniens infra XV. dies ante Capitulum Ciſtercium intrans ibi moretur pluſquam per duas noctes, niſi fuerit infirmus vel neceſſitate detentus.

15. De Novitiis, qui in alia domo benedicuntur, ſtatutum eſt, ut ſecundùm formam communem Ordinis profiteantur: & nihilominus cùm ad proprias domos redierint, proprio Abbati debitam faciat Profeſſionem, niſi ab ipſo fuerint benedicti.

16. Quando ſcandalum, ſive diſſenſiones, vel querelæ quælibet in Ordine oriuntur, ſicut olim à Patribus Ordinis eſt proviſum, extra Ordinem numquam exeant; ſed intra Ordinem & per perſonas Ordinis charitative, diſtricte & rationabiliter ad Ordinis unitatem ſocientur. Qui contra hoc venire, & ſchisma in Ordine facere, & contumaciter excitare & procurare præſumpſerit, à Deo & ab Ordine anathema ſit, donec per humilem ſatisfactionem redire mereatur. Ea verò quæ non potuerint aliter terminari, in Capitulo generali proponantur, & quod inde per Capitulum fuerit ordinatum, irrefragabiliter teneatur.

Statuta Anni M. C. XCVIII.

1. QUando Feſtum S. Petri Tarentaſiæ diebus Rogationum evenerit, duæ Miſſæ in Conventu canantur.

2. Abbas, qui renuerit ad Superiorem ſuæ generationis vocatus accedere, deponatur.

3. Prohibetur, ne prædicationes fiant, quibus eleemoſynæ colligantur ad conſtruendas Eccleſias, vel ob cauſam hujusmodi. Eleemoſynas tamen recipere vel etiam colligere ſine prædicatione non prohibetur.

4. De mulieribus, quæ domos noſtras violenter ingrediuntur, iterum Dominus Papa conſulatur. Sententia verò ſuper hoc data, firmiter teneatur.

5. De S. Antonio fiat commemoratio ſicut Pauli primi Eremitæ.

6. Pro interventu alicujus ſæcularis nulla pitantia fiat generalis, niſi eam de proprio facere voluerit. Si quis autem de ea ſuggeſſerit, tribus ſextis Feriis ſit in pane & aqua.

7. Abbatibus egredientibus æſtatis tempore poſt *Primam*, regredientibus verò poſt *Tertiam* in hyeme, permittitur Miſſam celebrare vel audire.

8. De rebus Novitiorum ſicut continetur in Regula, ſic obſervetur.

9. Diſtrictè prohibetur, ne quis conſtitutum ſibi numerum perſonarum præſumat excedere, niſi talis perſona fuerit, quæ utilis ſit & Domui & Ordini.

10. Sententiam de loquentibus ad menſam Abbates diſtrictè faciant obſervari.

11. Gagerias reddant, qui de eis ſortem receperunt.

12. Solemnitates transpoſitas Converſi in Grangiis agant die ſuo quando etiam ſæculares; in Abbatia verò quando Monachi.

13. In nundinis Monachus vel Converſus, qui ſcienter piſces comederit, exceptis halecibus in Adventu & Quadrageſima, omni ſextâ Feriâ ſit in pane & aqua.

14. Monachi de Cultura S. Petri Cenomanenſis inter familiares ſcribatur.

15. Abbates de Tuſia ſecundo anno ad Capitulum veniant.

16. De loco, quem Abbas de Pratea ſuſcepit ab excommunicato, differatur usque ad ſequens Capitulum.

17. Abbas Vallis-Lucentis, qui Fundatorem ſuum in Capitulo ſepelivit, tribus diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

18. De Abbatia de Boſchet, quam Comes Arvernorum contulit Ordini, committitur Abbati de Monte-Petroſo & de Benedictione-Dei, ut Comiti loquantur, quatenus provideat, quomodo convenienter poſſit ædificari, alioquin dimittatur.

19. Monachus de Sacromœnia, qui ordinatus extra Ordinē ad Ordinis rediit unitatem, ac deinceps licitum accepit à quodā Cardinali ſedis Apoſtolicæ Legato, ut divina celebret, tamen Ordinis auctoritatem reveritus, absque ejus licentia facere non eſt auſus, indulgetur, ut celebret.

20. Abbas de Boxcleja, de quo dicitur, quod poſt Viſitationes factas à domibus, quas viſitaverat, munera recepit, tribus diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

21. Abbati de Caſemaril, cui anno præterito denunciatum fuerat, ut præſenti Capitulo ſe præſentaret, & venire diſtulit, diſtrictè præcipitur, ut ad ſequens Capitulum, omni occaſione poſtpoſita, venire non differat. Abbas autem de Soran hoc ei denunciet.

22. De

22. De electione Fiterii dicitur, ut Domnus Hermenius, qui prius Canonice electus eſt, Abbas inſtituatur, ſecundus autem, videlicet Willelmus de Gajano ſtatim ut mandatum Capituli per Abbates de Sacromœnia & de Bona-Valle audierit, cedat ei. Quod ſi Conventus præfatum Hermenium reverenter & honeſtè non receperit, eidémque humiliter obedire neglexerit, quamdiu in hac obſtinatione perſtiterit, non celebrentur ibi divina. Abbates autem qui geſtis interfuerunt, tribus diebus ſint in levi culpa, uno eorum in pane & aqua. Abbas de Horta præfatis duobus Abbatibus hoc denunciet.

23. Prior Morimundi, qui Conſpiratores de Criſta binos per Domos Ordinis miſit, cùm ſingulos miſiſſe debuiſſet, & pro eis nimis indulgentes litteras deſtinavit, tribus diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

24. De Monacho populeti, qui à quodam Judæo litteras Hebraïcas didiciſſe dicitur, Abbati committitur Claræ-Vallis, ut inquirat & corrigat.

25. De Abbate de Stella, dicitur quod per minorem ejus ſollicitudinem & diligentiam Ordinis diſciplina deperit, & ſubſtantia Domus ejus detrimentum patitur, quod Abbas Ponrigniaci diligenter inquirat, & debita ſedulitate ſecundùm rigorem Ordinis, quod invenerit, corrigendum corrigat.

26. Ad diſcuſſionem ejectionis & electionis Abbatis de Cæſarea conveniant Abbates de Morimundo, de Bella-Valle, de Lucella, de Werbac, de Curas, de Salem, qui ea, quæ facta ſunt, diligenter inquirant, & dignè corrigant.

27. Ad Capitulum Præmonſtratenſe mittantur Abbates Urſicampi & de Valcellis pro Ordine reſponſuri.

28. Abbati S. Sulpitii dicitur, ut breviarium Abbatia Melli-Fontis Abbati Claræ-Vallis reſtituat. Similiter & equos Altæ Cumbæ reddat. Quod ſi factum non fuerit, à Feſto omnium Sanctorum Abbas & Prior omni ſexta Feria in pane & aqua abſtineant.

Statuta Anni M. C. XCIX.

1. MOnachi qui rithmas fecerint, ad Domos alias emittantur, non reverſuri, niſi per Capitulum generale.

2. De Furibus noſtris & Malefactoribus conqueri poſſumus Juſtitiæ ſæculari, ut ab eorum violentia nos defendant.

3. Prohibetur, ne in Altaribus noſtris habeantur mappæ limbatæ. Quod ſi aliter fuerit, Sacriſta Domus illius, in qua fuerit factum, tribus diebus ſit in levi culpa. Qui hoc fieri juſſerit, ſimili culpæ ſubjacebit.

4. Prohibetur, ne quis de Ordine noſtro troitas comparet in lacu Lauſamæ, vel in aliis vicinis, in quibus Ciſtercienſes piſces comparare ſolent ad opus Capituli generalis, à Feſto B. Mariæ usque ad Feſtum S. Crucis, exceptis Ciſtercienſibus.

5. De S. Nicolao celebrentur duæ Miſſæ, & Converſi laborent.

6. Abbas Boni-Fontis, qui in via, qua veniebat ad Capitulum minus ordinate ſe geſſit, in Infirmitoria Ordinis de facili ingreditur, & de accurata procuratione ſibi facienda nimis effectuosè loquitur, tribus diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

7. Abbas de Palea qui in Infirmitorium & ſtallum Abbatis miſit Abbates alterius Ordinis, antequam aſſociati eſſent noſtro, tribus diebus ſit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua, & de cætero ſimilia caveantur.

8. Abbatibus de Firmitate, de Pontiniaco, de Claræ-Valle, de Morimundo injungitur, ut ad viſitationem Ciſtercii reportent, quo anno Abbates remoti venire debeant ad Capitulum, & tunc de ſingulis ordinetur.

9. Abbas S. Cypriani qui pene per menſem equitavit cum quadam Abbatiſſa, XL. diebus ſit extra ſtallum, & ſex diebus in levi culpa, uno eorum in pane & aqua, & de cætero caveat ſibi ſub pœna depoſitionis. Hoc ei Abbas de Samaria nunciet.

10. Abbas Morimundi, qui minus diſciplinatè locutus eſt in Capitulo, quadraginta diebus extra ſtallum ſuum ſit in Morimundo, tribus diebus ſit in levi culpa apud Ciſtercium.

11. De Abbatibus, qui plus, quam duos equos adducunt in quatuor primas Domos Ordinis, & in alias infra ipſas conſtitutas tempore generalis Capituli, antiqua ſententia teneatur. Similiter & de Garcionibus præcipitur.

12. De Monachis Bonæ-Aquæ, qui una die Acolythi & Subdiaconi ſunt ordinati, committitur Abbati de Obazina, ut conſilio Domini Ciſtercii dignam pœnitentiam eis injungat.

13. Statuitur & firmiter præcipitur, ut nulli omnino de Ordine noſtro ad Capituli audientiam invicem audeant appellare, quia hoc redundaret ad ſubverſionem totius Ordinis. Sed ſic obſervetur, ſicut hactenus fuit obſervatum.

14. Abbati de Roſec-Valle conceditur, ut Feſtum S. Æmilii in Domo ſua faciat, ſicut poſtulavit.

REGULA CONVERSORUM ORD. CISTERC.

SIVE

Breve & memoriale ſcriptum de converſatione Laicorum Fratrum ſecundùm Inſtituta S. Bernardi.

SAlubris Inſtitutio Patris S. Bernardi, quam ſuorum cordibus Filiorum lingua ejus tamquam calamus Sapientiæ cæleſtis ſcripſit, hoc brevi memoriali ſcripto includitur, ut ſi extra ea, quæ communis conſuetudinis Liber continet, aliqua de Converſatione Laicorum Fratrum emerſerit dubitatio, habeant ſaltem Filii Claræ-Vallis de Matris auctoritate, quod teneant, ne ab his, quæ in ea B. Bernardus inſtituit, tepida vel temeraria novitate recedant, & attendant, quo lacte ſimplicitatis aluerit, quos Dominus parturivit, & æmulantes in bonitate, quod bonum eſt, ad fovenda plantaria Religionis in Fratribus fluenta puriſſima de ſuo Fonte derivent.

CAPUT I.

Quomodo ſe habeant in oratione.

TEnetur igitur apud eos in tempore Patris noſtri pia conſuetudine jam firmatum, quod Converſi omnes eo modo ſe habent in Choro ſuo, quo & Monachi in Choro proprio.

Nullus eorum de Choro exit pro infirmitate niſi ſigno facto ei, qui prior eſt inter eos: quo annuente ut exeat, jam licitè egreditur, ſubſequente eum eodem priore, vel cui juſſerit ipſe, qui infirmum Fratrem, ſi neceſſe fuerit, ad lectum uſque deducet & collocet, & cooperiat eum, aut etiam ante Abbatem ad eum venire faciat, ſi Frater ipſe petierit.

Si quis ex Converſis extra Chorum pro infirmitate ſederit, ad omnes *Glorias* ſurgit de loco ſuo & inclinat, ſicut & Monachi, qui in Choro pſallunt. In Infirmitorium autem, niſi pro gravi infirmitate non deducatur, donec tres dies fuerit extra Chorum.

A Feſto ſanctæ Crucis uſque ad Paſcha, dum Nocturnæ Vigiliæ aguntur à Monachis, Converſi ſeptem Conſuetudinarias venias, quas pro ordine debent, cum totidem *Pater noſter* in ſtallis ſuis faciunt, ut multum expediti ab eis, ſtatim finito ſecundo Nocturno eant ad opera ſua.

Ad regulares horas ſive Miſſas, priores Fratres ſuperiora ſtalla juxta Altare obtinebunt. Ad gratias autem & refectionem prætereuntibus junioribus priores in ultimo ſubſequuntur, & in ſtallis noviſſimis remorantur.

Quando ad communionem accedere debent, prior eorum pacem recipit à Miniſtro Altaris, & deinde pax ab ipſo procedit ad alteros cæteros, recipientibus eum ordinem ſingulis in ſtallis ſuis.

Nullus eorum de uno Choro tranſeat ſine licentia in alterum ſcamnum. In ſtallo ſuo ſine ſtrepitu alicujus ſoni ſuaviter deponere debet, ne alios ſcandalizet. Quod ſi quis neglexerit, diuroo potu privabitur.

CAPUT II.

Generale Decretum.

IN omnibus diebus, quibus Converſi laborant, & Monachi feriantur, primam tantùm Miſſam Converſi audiant. Si quis autem eorum huic Miſſæ non interfuerit, reddet rationem pro illa eodem die quinquaginta *Pater noſter*. Similiter & Converſi de Grangiis faciunt omni die, qua Fratres de Abbatia Miſſam ex ordine audiunt.

Ad unctionem Infirmi vadunt omnes exceptis Servitoribus, qui poſt Conventum reficiunt, & Hoſpitariis in obſequiis hoſpitum occupatis, ſeu etiam Miniſtris Infirmorum, quos inde recedere ægrotantium neceſſitas non permittit.

Ad defunctum verò cuncti ſine exceptione conveniunt, donec in Eccleſiam deferatur & redeunt ſinguli ad opus ſuum uſque ad Miſſam, ad quam univerſi conveniunt exceptis his, qui officinas abſque gravi incommodo relinquere fortè non poſſunt.

CAPUT III.

Quomodo ſe habeant in Capitulo.

IN Capitulum intrant die Dominica ſtatim finita matutinali Miſſa moventes ſinguli de ſtallis ſuis & ſuo gradientes ordine, incipientes à Senioribus. In Capitulo qui clamatus fuerit, veniam petet, nullam excuſationem faciens objectæ culpæ: quod ſi præſumpſerit, ſtatim diſciplinatur.

Si

Si quis eorum, qui intra Curiam ſunt, interfuerit, quando Capitulum inchoatur, ſtatim poſteaquam intraverit, ſi de eodem tunc agitur, veniam petat, antequam ſederit, pro hac negligentia. Si verò ſermo tenetur, dum intrat, ſedet priùs, finito ſermone veniam petiturus.

CAPUT IV.
Quomodo ſe habeant in Refectorio.

IN Refectorio ſunt cum omni diſciplina & ſilentio. Pro exceſſibus & negligentiis, quæ ſibi contingunt, veniam petunt coram eo, qui prior ſedet. Pitantiam ibi dividere nulli licet, niſi proximis Fratribus ad dextram & ſiniſtram. Si oblatam comedere fortè noluerit, dimitet eam ante ſe; & ſignum faciat Refectorario, ut tollat eam.

CAPUT V.
De Magiſtro Infirmorum.

MAgiſter Infirmarius in Coquina ſua cum omnibus ſolatiis loquatur, ſtans & ſedens, & ſolatium cum eo, ſi neceſſe fuerit. Pro aliquo gravi Infirmo, etiam poſt *Completorium* loqui permittatur tam ipſi Infirmo, quàm ſolatiis propter eum. In loco determinato loqui poteſt cum uno Infirmo tantùm, utroque ſedente, ita quod alii non audiant, quid loquantur. Infirmi, qui longè ab Infirmitorio ſpatiantur, locum habent determinatum, ultra quem eis convenire non licet, vel invicem ſigna facere.

CAPUT VI.
De Fratribus textoribus.

FRatres in Officinis ſuis ſilentium teneant, excepto quod Novitio diſcenti artem ipſam conceditur loqui cum eo, qui docet illum, ſecundùm quod Magiſter eorum judicaverit ſatis eſſe.

CAPUT VII.
Generale Decretum.

OMnibus Converſis noſtris generaliter eſt prohibitum, ne per tertiam perſonam ſermonem in aliquem dirigant. Quod ſi quis transgreditur, grave inde punitur.

Si quis intra ſignificandum verba ſua dimidians ſiluerit; eodem die accipiat diſciplinam, aut die altera, antequam comedat. Si quis autem prius ab altero exinde proclamatus fuerit, mox in Capitulo corporali vindictæ ſubjicitur. Qui ſilentium fregerit, eodem die uno pulmento privatur, & in proximo Capitulo veniam petit, emendaturus culpam ad arbitrium Præſidentis.

Fratres, qui pro ſolemnitate aliqua veniant de Grangiis tempore quo Monachi jejunant, ſi die Feſto redire volunt ad Grangias ſuas, poſt tertiam prandent, & ſic recedunt. Similiter & Dominica faciunt. Tempore verò quo Monachi non jejunant in diebus ferialibus usque ad Adventum ſuſtinent, aut jejuni recedunt, vel in Grangia, quæ juxta Abbatiam eſt, comedere permittuntur. Si autem in Abbatia comedunt, regreſſis ad Grangiam apponitur in cœna dimidia libra panis. Si verò foris, ubi comederint, apponitur integra. Venientes autem & redeuntes tenent ſilentium, niſi fortè cum Magiſtro ſuo loquantur, aut cum alio, quem ad hoc ipſe conſtituerit. Obviantibus non loquuntur, interrogantibus non reſpondent, niſi pro via aut beſtia perdita breviter indicanda. Si quis eos amplius interrogaverit, dicant non licere ſibi colloqui cum hoſpite.

CAPUT VIII.
De Magiſtro Grangiæ.

MAgiſter Grangiæ cum duobus tantùm Fratribus colloqui poteſt, & hoc ſtando, & interdum etiam, ſi neceſſe fuerit, ſedendo, ſed breviter. Nullus ei Fratrum colloquio jungitur, niſi prius ei ſignum fecerit.

CAPUT IX.
De Hoſpitalario Grangiæ.

HOſpitalarius Grangiæ, ſi quis ei Fratrum ſignum fecerit loquendi, locum habeat deſignatum, in quo loqui poterit. Si autem Magiſter extra fines Grangiæ fuerit, poterit Hoſpitalarius per totam Curiam cum omnibus loqui. Præſente quoque Magiſtro cum familia & hoſpitibus loqui poteſt. Nullam equitaturam habet Magiſter Grangiæ, ſed cùm ad Abbatiam venit, quaſi unus ex aliis graditur ſuper pedes ſuos.

CAPUT X.
De Fratribus bubulcis.

A Feſto ſanctæ Crucis usque ad Feſtum S. Martini mox finitis Matutinis omnes Fratres caputia ſua ſuſcipiunt & occupantur usque ad diem aliquibus laboribus, ut non vacent. A Feſto autem S. Martini usque ad Purificationem, totum illud ſpatium in frugibus excutiendis impendunt Fratres bubulci. Omni tempore dicta *Prima* jungunt boves ad carrucam ſuam bini & bini, loquentes pariter in eodem loco. Longiùs procedentes ſilentium tene-

teneant, donec arare incipiant: Quod cùm inceperint, loqui poſſunt in eundo uſque ad revolutionem carrucæ, ubi ſilentium ex conſuetudine teneant. Similiter etiam aliis obviantibus eis in arando ceſſent loqui, ne ſcandalum faciant audientibus. Ea verò poſtquam disjunxerint in ſilentio redeunt ad ſtabula ſua, ubi locum habent determinatum, ubi Magiſter eorum cum eis loquitur, ſtando tamen. Tempore meſſionis & ſecationis euntes & redeuntes ad vectigalia ſua bini & bini loquantur ad invicem.

Tacent tamen, ut dictum eſt, & colloquium intermittunt, quando ei ex adverſo venientes occurrunt. Refectionem ibi accipiunt, ubi erant, habentes ſinguli pulmentum ſuum. Ab eo tempore, quo boves mittuntur ad paſtus, ſinguli bubulci per vices ſuas ante bini & bini boves per noctes in paſcuis ſervant, vigilantes vigilias noctium ſuper eos, nec tamen ideo ſequenti die prodeunt ad carrucam.

CAPUT XI.
De Paſtoribus ovium.

FRatres Paſtores ovium mane exeuntes à Grangiis tempore quo non jejunant, accipiant ſinguli panem in pera ſua, & vadunt in paſcua ducentes oves. Hora competenti reficiuntur; ſi quid reſiduum fuerit de pane ſuo, domum referunt. Nihil aliud manducare præſumant, etiamſi eis mittatur à quoquam, niſi fortè fructus ſylveſtres inveniant, quibus eis veſci permiſſum eſt.

Euntes & redeuntes ſilentium tenent ad invicem, & ad omnes, niſi fortè viam alicui demonſtrent, ut beſtiam perditam indicent, vel de ſuis perditis breviter inquirent. Cùm verò in paſcua pervenerint, loquuntur ſibi ad invicem & bini, ſecretò tamen ut alii non intelligant. Reverſi domum nullum habent locum aſſignatum colloquio; ſed locum habent ubilibet cum Magiſtro ſuo, ſicut obedientiæ neceſſitas exigit.

CAPUT XII.
Generale Decretum.

IN nulla Grangiarum noſtrarum caſeo aut lacte veſcuntur, ſed nec ova, nec piſces, nec ullam omnino pitantiam habent, niſi ab Abbatia mittatur, excepto quod ei, qui infirmatur per tres dies aliquando pitantia providetur. Vinum nec nominetur apud eos, ut illud habeant ad bibendum, quamvis in aliquibus Grangiis vinearum culturam ſolicitè & diligenter exerceant: generalem pitantiam à nullo recipiunt, niſi ab Abbate, vel Epiſcopo proprio, aut etiam ab alio Epiſcopo, qui de Ordine ſit.

CAPUT XIII.
De Sutoribus & Pelliparìis & Textoribus.

SUtores, Pelliparii & Textores fere ſervent ordinem eundem; nemini autem omninò loquuntur, niſi Abbati vel Priori. Si aliquando aliquis Fratrum interrogetur, quid ageret, aut quomodo quid ageret, aut quomodo id agnoverit, extra egreditur, & ſigno Magiſtrum advocet, & qualiter agendum ſit, diligenter inquirat. Fratres autem de neceſſitatibus ſuis Magiſtro eorum ſtante, ſtantes loquuntur, & hoc breviter & ſilenter. Si autem & aliter loqui voluerint, patienter expectent, donec illo negotio expleto, vel ſibi denegato, reverſus fuerit. Modo verò cum ſibi ſervientibus ſtando, vel ſtando extra loquantur. Converſi autem extra domum propriam ſilentium teneant, excepto eorum Magiſtro, qui de opere loquitur neceſſario.

CAPUT XIV.
De Furnariis.

FUrnarii autem cum Magiſtro eorum ante molendinum, & in ingreſſu domus ad dextram vel ſiniſtram ſtantes loquuntur. Ubi verò panis pinſatur, Magiſter ſolus loquitur.

CAPUT XV.
De Fullonibus.

FUllones quoque propter aquæ ſonitum ſecretò cum Magiſtro ipſorum intra domum propriam loquantur.

CAPUT XVI.
De Fabris.

FAbri cum fabris fabricas ſibi deputatas habeant. Si verò Frater aliquis ad alterius fabricam causâ operis perrexerit, ſigno tantummodo petat, quod indiget, & nihil dicens diſcedat. Illorum autem Magiſter omnes fabricas ſæpè videat, ut quid ſinguli operentur, agnoſcat.

ADDI-

Digitized by Google

ADDITAMENTUM XVIII.

REGULA
MILITUM TEMPLARIORUM.

OBSERVATIO CRITICA.

Poſtquam Chriſtiani Principes in Occidente, de recuperanda à manibus impiorum Saracenorum, Terra ſancta ſerio cogitaverant, & ſub glorioſis Gothofredi Bullionæi Lotharingiæ Ducis auſpiciis, ſacram Hieroſolymorum Civitatem redegerant in ſuam poteſtatem; circa Annum MXCIX. Magnanimo Duce Gothofredo Rege creato, ad reparanda loca ſacra ſe ſe præparaverunt, quorum cuſtodiam quibusdam Nobilibus Militibus pietate & magnanimitate præcipue præditis demandaverunt. Milites autem illi, Viri Illuſtres, numero novem, Latini omnes, primaque in Palæſtinam expeditionis Socii, à Balduino Rege & Stephano Hieroſolymitanæ Civitatis Patriarcha, ad inhabitandum acceperunt locum prope Templum Salomonis, nunc in uſum Chriſtianorum converſum, cujus quidem parietes non gemmis, ſed Armis, non aureis Coronis ſed circumpendentibus clypeis operiebantur, & pro candelabris, thuribulis atque urceolis, domus undique frenis, ſellis ac lanceis communiter exornatur; prout S. Bernardus in Exhortatione ad Milites Templi *cap. 5. eosdem deprædicat.*

Unde Illuſtres hi Milites, appellari cœperunt, Militiæ Chriſti Templi Milites, *ac communiter* Equites Templarii *nominabantur; quorum primarium officium erat ſacrum Chriſti ſepulchrum cuſtodire, aliaque loca ſacra Viſitantes à Graſſatoribus defendere. Ad quod pium officium fortiter peragendum, ſe ſe omnes tribus votis religioſis adſtrinxerunt, coram Patriarcha aliisque Epiſcopis, Anno MCXVIII. aut ſequenti, ſolemniter & voluntariè Deo promittentes arctiſſimam perpetuæ Caſtitatis, obedientiæ, & paupertatis obſervantiam conſervare, & ideo inter ſacros Ordines Religioſos numerari meruerunt. Hanc Militum Templi originem ſic deſcribit Gulielmus Archiepiſcopus Tyrenſis, lib. 12. cap. 8.* Anno MCXVIII. quidam Nobiles Viri de equeſtri Ordine, Deo devoti, Religioſi, & timentes Deum, in manu Domini Patriarchæ, Chriſti ſervitio ſe mancipantes, more Canonicorum Regularium, in Caſtitate & obedientia, & ſine proprio velle perpetuo vivere profeſſi ſunt. Inter quos primi & præcipui fuerunt Viri venerabiles, Hugo de Paganis, & Gaufredus de S. Aldemaro: quibus quoniam neque Eccleſia erat, neque certum habebant domicilium, Rex in Palatio, quod ſecus Templum Domini ad auſtralem habet partem, eis ad tempus conceſſit habitaculum. Prima autem eorum profeſſio, quodque eis à Domino Patriarcha & aliis Epiſcopis in remiſſionem peccatorum injunctum eſt, ut vias & itinera maxime ad ſalutem Peregrinorum, contra latronum & incurſantium inſidias, pro viribus conſervarent.

Hoc igitur modo inſtituti ſacræ Templi militiæ Milites, in Magiſtrum ſibi elegerunt, Domnum Hugonem de Paganis de Payens, *virum fortitudine & pietate. Præcipuum qui à Rege Balduino & Stephano Patriarcha in Europam, cum prædicto* Gaufredo *miſſus, ab* Honorio II. *Papa confirmationem ſacri Ordinis accepit. Summus namque Pontifex circa Annum MCXXVII.* Trecis *in* Campania *Concilium*

convocavit, *ubi Præſidente Albanenſi Epiſcopo tanquam Legato Apoſtolico, præſentibus aliis Archiepiſcopis, Epiſcopis & Abbatibus Ciſtercienſibus, ſacer Ordo confirmatur, atque ad diſcernendos hos* Templarios Milites, *à cætera Laicorum & Clericorum turba, iisdem Albus habitus eſt aſſignatus, quem poſtea rubea Cruce mantellis aſſuta exornaverunt. Sic enim eorum habitum deſcribit Jacobus de Vitriaco, cap. 65.* Tempore Domini Eugenii Papæ cruces rubeas veſtimentis ſuis exterius aſſuerunt, veſtes albas in ſignum innocentiæ deferentes, per cruces autem rubeas martyrium deſignantes: eo quod ſanguinem proprium ſecundùm inſtituta Regulæ pro Defenſione Terræ ſanctæ effundere ſunt Profeſſi, & Chriſti crucis inimicos viriliter expugnando à Chriſtianorum finibus propellere.

In hoc quoque Trecenſi Concilio *ſancitum eſt, ut his Templariis Militibus quædam præſcriberetur Regula religioſa, ſecundùm quam & illi omnes vitæ actiones componere tenebantur, quæ ſanè vitæ norma etſi prima ſit* Equitibus Militaribus *conceſſa, attamen circa ejusdem Auctorem, in varias abierunt viri docti ſententias. Nam Manriquez celeberrimus Ciſtercienſium Annaliſta, ad Annum MCXXVIII. ſicuti & Auctor* magni rerum Belgicarum Chronici, SS. 46. *hanc Regulam Mellifluo Doctori S. Bernardo aſcribunt, atque ipſe Miræus eandem ex codice Victorino eruit, atque Chronico Ciſtercienſi inſeruit, exiſtimans S. Bernardum exſtitiſſe illius auctorem, quia in ipſo Regulæ Prologo dicitur: quod* Joannes Michaelenſis, *juſſu Concilii ac venerabilis Abbatis Claræ-Vallenſis, tanquam Scriba humilis eandem ſcripſerit. Verum his omnibus non obſtantibus, non deſunt Viri doctiſſimi, qui hanc Regulam S. Bernardo omnino abjudicant, cum neque ex Prologo, vel ex actis Concilii Trecenſis idipſum probari poſſit. Ut enim optime animadvertit clariſſimus Mabilonius, in admonitione ad* Exhortationem ad Milites Templi Tom. 2. operum S. Bernardi *à Patribus Concilii ſancitum quidem fuiſſe, ut iisdem Militibus Regula præſcriberetur, nunquam tamen aſſeritur, S. Bernardum ejusdem extitiſſe auctorem. Deinde, ex ipſius Regulæ variis locis, omnino conſtat, hunc ordinem jam ubique multiplicatum fuiſſe, licèt tempore Concilii Trecenſis, non niſi novem* Milites Templarii *exſtiterint; neque hoc tempore, aliquod Capitulum generale Ordinis celebrari potuit, prout in ipſa Regula ſupponitur celebratum fuiſſe. Adeoque poſt hanc Synodum Trecenſem hæc Regula ſcripta eſt, quæ, nec ſtylum S. Bernardi ſapit, nec tanto doctore digna eſt, cum contineat quasdam Conſtitutiones quæ cum arcta Mellifui Doctoris diſciplina, haud adeo conveniunt; prout cap. 7. mandatur, ut in Choro non ſtando ſed ſedendo divinum Officium peragerent. An vero Auctor hujus Regulæ ſit ipſe* Joannes Michaelenſis, *aliis judicandum relinquo, ſaltem in Prologo, ipſe fatetur ſe fuiſſe ejusdem Scribam ex mandato Patrum Concilii & Abbatis Claræ-Vallenſis. Et quidem auctor qualiscunque ſit, videtur extitiſſe* Benedictinæ Diſciplinæ *Cultor eximius, nam hæc Regula totidem Capitulis conſtat, quot Regula S. Benedicti, ex qua, magna ex parte de verbo ad verbum ſumpta eſt; conſtat enim Capitulis LXXII. prout legentibus patebit. Unde mirum eſt, quod hi* Templarii Equites *ab antiquis appellentur*, Canonici Regulares, *quemadmodum Guhelmus Tyrenſis citatus, & Mathæus Pariſienſis in ſua Regum Angliæ hiſtoria eosdem nominat, atque Monaſticon Anglicanum Tom. 2. illos inter Auguſtinianæ Regulæ ſequaces collocat. Ut ut ſit, hoc unum certum eſſe videtur, quod nec* Monachi *nec* Canonici, *proprie loquendo vocari potuerint, utpote, ex primario inſtituto, perpetuis militiæ tumultibus irretiti, quamvis, juxta præſcriptam Regulam, vitam ſatis religioſam ducere tenerentur.*

Hinc ob intaminatos mores, à ſanctiſſimis Viris, eximia encomia meruerunt, nam ad Hugonem de Paganis *primum Magiſtrum Ordinis, literas laude plenas dedit Beatus Guigo V. Magnæ Carthuſiæ Prior, quemadmodum & S. Bernardus elegantiſſimum Opuſculum Capitibus* 13. *conſtans:* De laude novæ Militiæ ad Milites Templi *ad eundem Hugonem Magiſtrum transmiſit, quod Tom. 2. novæ Edit. reperitur. Quamdiu igitur præſcriptam Regulam rite obſervabant*, Templarii Milites, *ab omnibus, ſummo in prætio habiti ſunt, ſtupenda incrementa ubique facientes, quod paulo poſt medium Sæculi XII. trecentos plus, minusve in Conventu habuerint Equites, albis Chlamidibus indutos, exceptis Fratribus, quorum pene infinitus erat numerus, prout refert ſæpe laudatus Gulielmus Tyrius; cum tamen, ſub exordio Ordinis, adeo pauperes fuerint primi Inſtitutores*, quod, *teſte Math. Paris. in Chorb.* unum ſolum equum Hugo de Paganis & Godefridus de ſancto Adomaro inter ſe habuerint: Unde propter primitivæ paupertatis memoriam, & ad humilitatis obſervantiam, in ſigillo eorum inſculpti ſunt duo unum equum equitantes.

Ac

Ac ſane quamdiu primævum Religionis fervorem retinuerunt, in immenſum crevit eorum Ordo, quod, tempore diſſolutionis, haud minus quàm 900. domos Commendatarias ſatis divites per Europom poſſederint, atque in ſolo Scotiæ Regno, octo amplas Commendatarias obtinuerant à S. Davide Rege, cuſtodes corporis conſtituti, ſic enim in libro Cuprenſi Scriptum reperio: Sanctus David de præclara militia Templi Hieroſolymitani, optimos Fratres ſecum retinens, eos diebus & noctibus motum ſuorum fecit eſſe cuſtodes. *Tantis ergo divitiis ac nimia potentia turgidi, ſummi Pontificis & Regum auctoritatem contemnere agreſſi ſunt. Vitam diſſolutam & luxurioſam amplexi, quod tandem in Concilio Viennenſi in Gallia Anno MCCCXI. omnes extingui mererentur. Primus hujus abolitionis Auctor erat Philippus IV. Galliæ Rex,* Pulcher *cognominatus, qui,* Templariorum Equitum *nefanda imo execranda crimina, ſive vera ſive falſa, ad Clementem V. Papam & prædicti Concilii Patres detulit, à quibus & totius Ordinis extinctionem, non ſolum per Gallias, ſed per totam Eccleſiam obtinuit, illosque per totum Regnum crudeliter occidi juſſit. An verò jure tam rigide condemnati ſint, multi dubitant; dicuntur enim Templarii appellaſſe ab hac dura ſententia, & ad Dei judicium citaſſe Papam Clementem & Philippum pulchrum Franciæ Regem, qui uterque intra annum obiit. Franci quidem referunt hos Templi Milites extinctos fuiſſe, ob Atheismum & Impudicitiam maximam; ſed Germani, Angli & Scoti proteſtantur has calumnias ipſis fuiſſe impoſitas, ad maximas illorum divitias conſequendas. Nam per Germaniam & Britanniam ſuperſtites illi Equites in Judicium vocati, & auditi, ne quaquam crudeli morte irretiti ſunt, ſed, ut poſtulabant, nomen ſolummodo & leges mutabant, perſonis & reditibus diſtributis in alias ſacrorum Ordinum Familias. Hujus militaris Ordinis hiſtoriam integram ſed veneno haretico illitam ſcripſit Nicolaus Gürtlerus editam Amſterdami Anno MDCXCI. aliique magni nominis Scriptores illorum partim defenſionem aſſumpſerunt, partim condemnationem approbaverunt, quorum quidem in utramque partem, rationes hic adducere noſtri fori eſſe vix putamus, cum ſolum eorum Regulam ſatis religioſam adducere intendamus, quam ſi rite obſervaſſent, nunquam in tantum Vitiorum barathrum incidiſſent.*

REGULA

Pauperum Commilitonum Chriſti, ſanctæ Civitatis & Templi Salomonis.

PROLOGUS.

OMnibus in primis ſermo noſter dirigitur, quicunque proprias voluntates ſequi contemnunt, & ſummo ac vero Regi militare animi puritate cupiunt, ut obedientiæ armaturam præclaram aſſumere, intentiſſima cura implendo præoptent & perſeverando impleant. Hortamur itaque, qui usque nunc militiam ſæcularem, in qua Chriſtus non fuit cauſa, ſed ſolo humano favore amplexati eſtis, quatenus horum unitati, quos Dominus ex maſſa perditionis elegit, & ad defenſionem ſanctæ Eccleſiæ gratuita pietate compoſuit, vos ſociandos perenniter feſtinetis. Ante omnia autem, quicunque es, ô Chriſti Miles, tam ſanctam Converſationem eligens, te circa Profeſſionem tuam oportet puram adhibere diligentiam ac firmam perſeverantiam, quæ à Deo tam digna, ſancta & ſublimis eſſe dignoſcitur, ut ſi purè & perſeveranter obſervetur, inter militantes, qui pro Chriſto animas ſuas dederunt, ſortem obtinere merebe-ris: In ipſa namque refloruit jam & reluxit Ordo Militaris, qui deſpecto juſtitiæ zelo, non pauperes aut Eccleſias defenſare, quod ſuum erat, ſed rapere, ſpoliare, interficere contendebat. Benè igitur nobiscum agitur, quibus Dominus & Salvator noſter JEſus Chriſtus amicos ſuos à Civitate ſancta in continuum Franciæ & Burgundiæ direxit, qui pro noſtra ſalute, veræque fidei propagatione non ceſſant animas ſuas, hoſtiam Deo placentem offerre.

Nos ergo cum omni gratulatione ac fraterna pietate, precibúsque Magiſtri Hugonis, in quo prædicta militia ſumpſit exordium, cum Spiritu ſancto intimante ex diverſis Ultra - Montanæ Provinciæ man-

manſionibus in ſolemnitate S. Hilarii an. MCXXVIII. ab Incarnato Dei Filio, ab inchoatione prædictæ militiæ IX. ad Trecas, Deo duce in unum convenientes, & modum & obſervantiam Equeſtris Ordinis per ſingula Capitula ex ore ipſius Magiſtri Hugonis audire meruimus, ac juxta notitiam exiguitatis noſtræ ſcientiæ, quod nobis videbatur abſurdum, omnéque, quod præſenti Concilio nequivit eſſe nobis memorabiliter relatum, ac computatum, non levitate, ſed conſultè providentiæ & diſcretioni Venerabilis Patris noſtri Honorii, ac incliti Patriarchæ Hieroſolymitani Stephani fertilitate, ac neceſſitate non ignari Orientalis Religionis, nec non Pauperum Commilitonum Chriſti, conſilio communis Capituli unanimiter commendavimus. Sanè autem prorſus licèt noſtri dictaminis auctoritate permaximus numerus Religioſorum Patrum, qui in illo Concilio divina ammonitione convenerunt, commendat, non debemus ſilenter tranſire, quibus videntibus & veras ſententias proferentibus, ego Joannes Michaelenſis præſentis paginæ, juſſu Concilii, ac Venerabilis Abbatis Clarævallenſis, cui creditum ac debitum hoc erat, humilis Scriba eſſe divinâ gratiâ merui.

Primus quidem reſedit Matthæus Albenſis Epiſcopus Dei gratia S. R. E. Legatus: Deinde Rainaldus, Archiepiſcopus Remenſis: Tertius Henricus Archiepiſcopus Senonenſis. Dehinc Coëpiſcopi eorum, Ranckedus Carnotenſis Epiſcopus, Goſſenus Sueſſionum Epiſcopus; Epiſcopus Pariſienſis; Epiſcopus Trecenſis; Præſul Aurelianenſis; Epiſcopus Antiſiodorenſis; Epiſcopus Meldenſis, Epiſcopus Latalaunenſis; Epiſcopus Laudunenſis; Epiſcopus Belvacenſis; Abbas Vezelacenſis, qui non multo poſt factus eſt Lugdunenſis Archiepiſcopus, ac S. R. E. Legatus. Abbas Ciſtercienſis; Abbas Pontiniacenſis: Abbas trium Fontium: Abbas S. Dionyſii de Remis; Abbas S. Stephani de Divione; Abbas Moleſmenſis ſupra nominatus Abbas Bernardus Clarævallenſis non defuit, cujus ſententiam præſcripti libera voce collaudabant.

Fuerunt autem & Magiſter Albericus Remenſis, & Magiſter Fulgerius, ac complures alii, quos longum eſſet enumerare. Cæterum verò de non litteratis idoneum nobis videtur, ut teſtes, amatores veritatis adducantur in medium Comes Theobandus, Comésque Nivernenſis, ac Andreas de Bandionento, intentiſſima cura, quod erat optimum, ſcrutantes; quod eis videbatur abſurdum, temperantes in Concilio ſic aſſiſtebant. Ipſe verò Magiſter militiæ, Hugo nomine, revera non defuit, & quoſdam de Fratribus ſuis ſecum habuit, verbi gratia: F. Godefridum, F. Rurallum. F. Gaufridum Biſol. F. Paganum de Monte deſiderii. Archembaudum de S. Amàno. Iſte verò Magiſter Hugo cum iſtis diſcipulis modum & obſervantiam exiguæ inchoationis ſui Militaris Ordinis, qui ab illo, qui dicit: *Ego Principium, qui & loquor vobis*: ſumpſit exordium, juxta memoriæ ſuæ notitiam ſupra nominatis Patribus intimavit. Placuit itaque Concilio, ut conſilium ibi lima & conſideratione divinarum Scripturarum diligenter examinatum, tamen cum providentia Papæ Romanorum, ac Patriarchæ Hieroſolymitarum, nec non etiam aſſenſu Capituli Pauperum Commilitonum Templi, quod eſt in Jeruſalem ſcripto commendaretur, ne oblivioni traderetur & inenodabiliter ſervaretur, ut recto curſu ad ſuum Conditorem, cujus dulcedo tam mel ſuperat, ut ei comparatum velut abſynthium ſit amariſſimum, pervenire dignè mereantur: præſtante, cui militant, & militare queant per infinita ſæculorum ſæcula, Amen.

REGULA.

Qualiter Divinum Officium audiant.

1. VOs quidem propriis voluntatibus abrenunciantes atque alii pro animarum ſalute vobiſcum ad terminum, cum equis & armis ſummo Regi militantes, Matutinas & omne ſervitium integrum ſecundùm Canonicam Inſtitutionem, ac regularium, Doctorum ſanctæ Civitatis conſuetudinem, pio ac puro affectu audire univerſaliter ſtudeatis. Idcirco vobis, venerabiles Fratres maximè debetur, quia præſentis vitæ luce deſpectâ, contemptóque veſtrorum corporum cruciatu, ſævientem mundum pro Dei amore vileſcere perenniter promiſiſtis Divino cibo refecti ac ſatiati & Dominicis præceptis eruditi & firmati, poſt myſterii divini conſummationem, nullus paveſcat ad pugnam, ſed paratus ſit ad coronam.

Quot Orationes Dominicas, ſi nequierint audire, dicant.

2. CÆterum ſi aliquis Frater negotio Orientalis Chriſtianitatis fortè remotus, quod ſæpius eveniſſe non dubitamus,

tamus, & pro tali abſentia Dei ſervitium non audierit, pro Matutinis XIII. Orationes Dominicas, ac pro ſingulis horis ſeptem, ſed pro Veſperis IX. dicere collaudamus, ac libera voce unanimiter affirmamus. Iſti enim in ſalutifero labore ita directi, non poſſunt accurrere hora competenti, ad divinum Officium, ſed ſi fieri poteſt, horæ conſtitutæ non prætereant ante inſtitutum debitum.

Quid agendum pro Fratribus defunctis.

3. QUando vero quilibet Fratrum remanentium, morti, quæ nulli parcit, impendet, quod eſt impoſſibile auferri, Capellanis ac Clericis vobiſcum ad terminum charitativè ſummo Sacerdoti ſervientibus, creditum Officium & Miſſam ſolemniter pro ejus anima, Chriſto animi puritate jubemus offerre: Fratres autem ibi aſtantes & in orationibus pro Fratris defuncti ſalute pernoctantes, centum Orationes Dominicas usque ad diem ſeptimum pro Fratre defuncto perſolvant: ab illo die, quo eis obitus Fratris denunciatus fuerit, usque ad prædictum diem centenarius numerus perfectionis integritatem cum fraterna obſervatione habeat. Adhuc nempe divina misericordia ac charitate deprecamur, atque paſtorali auctoritate jubemus, ut quotidie, ſicuti Fratri in vicibus dabatur, & debetur, ita quod eſt neceſſarium ſuſtentationi hujus vitæ in cibo & potu tantùm; cuidam pauperi, ad Quadrageſimam diem impendatur. Omnes enim alias oblationes, quas in morte Fratrum & in Paſchali ſolemnitate, cæterisque ſolemnitatibus Domino Pauperum Commilitonum Chriſti ſpontanea paupertas indiſcretè reddere conſueverat, omninò prohibemus.

Capellani victum & veſtitum tantùm habeant.

4. ALias verò oblationes, & omnia eleemoſynarum genera, quoquomodo fiant, Capellanis, vel aliis ad tempus manentibus, unitati communis Capituli reddere pervigili curâ præcipimus. Servitores itaque Eccleſiæ victum & amictum ſecundùm auctoritatem tantum habeant, & nihil amplius habere præſumant, niſi Magiſtri ſponte charitativè dederint.

De Militibus defunctis, qui ſunt ad terminum.

5. SUnt namque Milites in Domo Dei, Templique Salomonis ad terminum miſericorditer nobiſcum degentes, unde ineffabili miſeratione vos rogamus, deprecamur, & ad ultimum obnixè jubemus, ut ſi interim tremenda Majeſtas ad ultimum diem aliquem perduxerit, divino amore, ac fraterna pietate ſeptem dies ſuſtentationis, pro anima ejus, quidam Pauper habeat.

Ut nullus Frater remanens oblationem faciat.

6. DEcrevimus, ut ſuperiùs dictum eſt, quòd nullus Fratrum remanentium aliam oblationem agere præſumat: ſed die, noctúque mundo corde, in ſua Profeſſione maneat, ut ſapientiſſimo Prophetarum in hoc ſe æquipollere valeat: Calicem ſalutaris accipiam, & in morte mea, mortem Domini imitabor: quia ſicut Chriſtus pro me animam poſuit, ita & ego pro Fratribus animam ponere ſum paratus. Ecce competentem oblationem: Ecce hoſtiam viventem, Deóque placentem.

De immoderata ſtatione.

7. QUod autem auribus noſtris veriſſimus teſtis inſonuit, videlicet immoderata ſtatione, & ſine menſura ſtando divinum officium vos audire: ita fieri non præcipimus, imò vituperamus; ſed finito Pſalmo, & *Venite, exultemus Domino* cum Invitatorio & Hymno, omnes ſedere tam fortes quàm debiles, propter ſcandalum evitandum nos jubemus. Vobis verò reſidentibus, unoquoque Pſalmo finito, in recitatione *Gloria Patri*, de ſedibus veſtris ad Altaria ſupplicando, ob reverentiam ſanctæ Trinitatis ibi nominatæ ſurgere & debilibus inclinare demonſtramus. Sic etiam in recitatione Evangelii & ad *Te Deum laudamus* & per totas Laudes, donec finito *Benedicamus Domino*, ſtare adſcribimus & eandem Regulam in Matutinis ſanctæ Mariæ teneri jubemus.

De refectione Conventus.

8. IN uno quidem Palatio, ſed melius dicitur Refectorio, communiter vos cibum accipere credimus, ibi quando aliquid neceſſarium fuerit, pro ſignorum ignorantia, leniter, ac privatum quærere oportet. Si omni tempore, quæ nobis neceſſaria ſunt, quærenda ſunt, cum omni humilitate & ſubjectione reverentiæ potiùs ad menſam cum Apoſtolis dicat: Panem tuum cum ſilentio manduca: Et Pſalmiſta vos animare debet dicens: *Poſui ori meo cuſtodiam*, id eſt, apud me deliberavi, ut non delinquerem lingua, id eſt cuſtodiam os meum, ne malè loquerer.

De Lectione.

9. IN prandio & cœna ſemper ſit ſancta Lectio recitata. Si Dominum diligimus, ſalutifera ejus verba, atque præcepta intentiſſima aure deſiderare debemus. Lector autem Lectionum vobis indicat ſilentium.

De carnis refectione.

10. IN hebdomada namque, niſi Natalis dies Domini vel Paſcha, vel Feſtum ſanctæ Mariæ, aut omnium Sanctorum evenerit, vobis ter refectio carnis ſufficiat, quia aſſueta carnis comeſtio, intelligitur oneroſa corruptio corporum. Si verò in die Martis tale jejunium evenerit, ut eſus carnium retrahatur, in craſtino abundanter vobis impendatur. Die autem Dominico omnibus Militibus remanentibus, nec non Capellanis duo fercula in honorem ſanctæ Reſurrectionis bonum & idoneum indubitanter videtur. Alii autem videlicet Armigeri & Clientes uno contenti, cum gratiarum actione permaneant.

Qualiter manducare Milites debeant.

11. DUos & duos manducare generaliter oportet, ut ſolerter unus de altero provideat, ne aſperitas vitæ, vel furtiva abſtinentia in omni prandio intermiſceatur. Hoc autem juſtè judicamus, ut unusquisque Miles, aut Frater æqualem, & æquipollentem vini menſuram per ſe ſolus habeat.

Ut aliis diebus duo aut tria leguminum fercula ſufficiant.

12. ALiis nam diebus, videlicet ſecunda & quarta Feria, nec non & Sabbato duo aut tria leguminum vel aliorum ciborum fercula, aut, ut ita dicam, cocta pulmentaria omnibus ſufficere credimus; & ita teneri jubemus, ut, fortè qui ex uno non potuerit edere, ex alio reficiatur.

Quo cibo ſextâ Feriâ reficere oportet.

13. SExtâ autem Feriâ cibum Quadrageſimalem, ob reverentiam Paſſionis omni Congregationi, remota Infirmorum imbecillitate, ſemel ſufficere à Feſto omnium Sanctorum usque ad Paſcha, niſi Natalis dies Domini, vel Feſtum ſanctæ Mariæ aut Apoſtolorum evenerit, collaudamus. Alio verò tempore, niſi generale jejunium evenerit, bis reficiantur.

Poſt refectionem ſemper gratias referant.

14. POſt prandium verò & cœnam ſemper in Eccleſia, ſi prope eſt, vel ſi ita non eſt, in eodem loco, ſummo Procuratori noſtro, qui eſt Chriſtus, gratias, ut decet, cum humiliato corde referre inenodabiliter præcipimus. Famulis aut Pauperibus fragmenta, panibus tamen integris reſervatis, diſtribuere fraterna charitate debent, & jubentur.

Ut decimus panis ſemper Eleemoſynario detur.

15. LIcèt paupertatis præmium, quod eſt Regnum Cœlorum, Pauperibus procul dubio debeatur; vobis tamen, quos Chriſtiana fides de illis indubitanter fatetur, decimum totius panis quotidie Eleemoſynario veſtro dare jubemus.

Ut Collatio ſit in arbitrio Magiſtri.

16. CUm verò ſol Orientalem Regionem deſerit & ad Ibernam deſcendit, audito ſigno, ùt eſt ejusdem Regionis conſuetudo omnes ad Completas oportet incedere vos, ac priùs generalem Collationem ſumere peroptamus. Hanc autem Collationem in diſpoſitione & arbitrio Magiſtri ponimus, ut quando voluerit de aqua, & quando jubebit, miſericorditer ex vino temperato competenter recipiatur. Verùm hoc non ad nimiam ſatietatem oportet, & luxu fieri, ſed parciùs, quia apoſtatare etiam ſapientes videmus.

Ut finitis Completis ſilentium teneatur.

17. FInitis itaque Completis ad ſtratum ire oportet. Fratribus igitur à Completoriis exeuntibus nulla ſit denuò licentia loqui in publico, niſi neceſſitate cogente; Armigero autem ſuo, quæ dicturus eſt, leniter dicat. Eſt verò forſitan, ut in tali intervallo vobis de Completoriis exeuntibus maxima neceſſitate cogente, de militari negotio, ut de ſtatu Domus noſtræ, quia dies ad hoc vobis ſufficere non creditur, cum quadam Fratrum parte ipſum Magiſtrum, vel illum, cui domus dominium poſt Magiſtrum eſt debitum, oporteat loqui. Hoc autem fieri jubemus; & ideò, quia ſcriptum eſt: *In multiloquio non effugies peccatum.* Et alibi: *Mors & vita in manibus linguæ.* In illo colloquio ſcurrilitates, & verba otioſa, ac riſum moventia omninò prohibemus, & vobis ad lectulum euntibus Dominicam Orationem, ſi aliquis quid ſtultum eſt locutus, cum humilitate & puritatis devotione dicere jubemus.

Ut

Ut fatigati ad Matutinas non ſurgant.

18. Fatigatos, nempe Milites non ita, ut vobis eſt manifeſtum, ſurgere ad Matutinas collaudamus, ſed aſſenſu Magiſtri vel illius, cui creditum fuerit à Magiſtro, eos quieſcere & tredecim orationes conſtitutas ſic cantare, ut mens ipſorum voci concordet juxta illud Prophetæ: *Pſallite Domino ſapienter.* Et illud: *In conſpectu Angelorum pſallam tibi*: vos unanimes collaudamus. Hoc autem in arbitrio Magiſtri ſemper conſiſtere debet.

Ut communitas victûs inter Fratres ſervetur.

19. Legitur in divina pagina: Dividebatur ſingulis, prout cuique opus erat. Ideò non dicimus, ut ſit perſonarum acceptio, ſed infirmitatum debet eſſe conſideratio. Ubi autem, qui minùs indiget, agat Deo gratias, & non contriſtetur. Qui verò humiliter pro infirmitate, non extollatur pro miſericordia, & ita omnia membra erunt in pace. Hoc autem prohibemus, ut nulli immoderatam abſtinentiam amplecti liceat, ſed communem vitam inſtanter teneant.

De qualitate & modo Veſtimenti.

20. Veſtimenta autem unius coloris ſemper eſſe jubemus, verbi gratiâ, alba vel nigra, vel ut ita dicam, burella. Omnibus autem Militibus profeſſis in hyeme, & in æſtate, ſi fieri poteſt, alba veſtimenta concedimus; ut qui tenebroſam vitam poſtpoſuerint, per liquidam & albam ſuo Conditori ſe reconciliari agnoſcant. Quid albedo, niſi integra caſtitas? Caſtitas, ſecuritas mentis, ſanitas corporis eſt. Niſi enim unuſquiſque Miles caſtus perſeveraverit ad perpetuam requiem venire, & Deum videre non poterit; teſtante Apoſtolo Paulo: *Panem ſectamini cum omnibus & caſtimoniam, ſine qua nemo videbit Dominum.* Sed quia hujuſmodi indumentum arrogantiæ, ac ſuperfluitatis æſtimatione carere debet, talia habere omnibus jubemus, ut ſolus leniter per ſe veſtire, exuere & calceare ac diſcalceare valeat. Procurator hujus Miniſterii pervigili cura hoc vitare præſumat, ne nimis longa, aut nimis curta, ſed menſurata ipſis utentibus, ſecundùm uniuſcujuſque quantitatem ſuis Fratribus tribuat. Accipientes itaque nova, vetera ſemper reddant in præſenti, reponenda in camera vel ubi Frater, cujus eſt Miniſterium, decreverit, propter Armigeros & Clientes & quandoque pro Pauperibus.

Quod Famuli veſtimenta alba, hoc eſt, pallia non habeant.

21. Hoc nempe, quod erat in Domo Dei, ac ſuorum Militum Templi, ſine diſcretione ac conſilio communis Capituli, obnixè contradicimus & funditùs, quaſi quoddam vitium peculiare amputare præcipimus. Habebant enim olim Famuli & Armigeri alba veſtimenta, unde veniebant damna importabilia: Surrexerunt namque in ultramontanis partibus quidam Pſeudo-Fratres & conjugati & alii dicentes ſe eſſe de Templo, cùm ſint de Mundo. Hi nempe tantas contumelias, totque damna Militari Ordini acquiſierunt, & Clientes remanentes plurima ſcandala oriri inde ſuperbiendo fecerunt. Habeant igitur aſſiduè nigra, ſed ſi talia non poſſunt invenire, habeant, qualia inveniri poſſunt in illa Provincia, qua degunt, aut quod viliùs unius coloris comparari poteſt, videlicet burella.

Quod Milites remanentes tantùm alba habeant.

22. Nulli ergo conceſſum eſt candidas chlamydes deferre, aut alba pallia habere, niſi nominatis Militibus Chriſti.

Ut pellibus agnorum utantur.

23. Decrevimus communi conſilio, ut nullus Frater remanens pelles perenniter aut pelliciam vel aliquid tale, quod ad uſum corporis pertineat, etiámque Coopertorium niſi agnorum vel arietum habeat.

Ut vetuſta Armigeris dividantur.

24. Procurator vel Dator pannorum omni obſervantia veteres ſemper Armigeris, & Clientibus, & quandoque Pauperibus fideliter, æqualiterque erogare intendat.

Cupiens optima, deteriora habeat.

25. Si quis Frater remanens ex debito, aut ex motu ſuperbiæ pulchra, vel optima habere voluerit, ex tali præſumptione procul dubio viliſſima merebitur.

Ut quantitas & qualitas veſtimentorum ſervetur.

26. Quantitatem ſecundùm corporum magnitudinem, largitatémque veſtimentorum obſervare oportet, Dator pannorum ſit in hoc curioſus.

Ut Dator pannorum imprimis æqualitatem ſervet.

27. LOngitudinem, ut ſuperius dictum eſt, cum æquali menſura, ne vel ſuſurronum vel comminatorum aliquid oculus notare præſumat, Procurator fraterno intuitu conſideret, & in omnibus ſupra dictis, Dei retributionem humiliter cogitet.

De ſuperfluitate capillorum.

28. OMnes Fratres, remanentes principaliter, ita tonſos habere capillos oportet, ut regulariter ante & retro, & ordinate conſiderare poſſint, & in barba & in grennionibus eadem Regula indeclinabiliter obſervetur, ne ſuperfluitas, aut facetiæ vitium denotetur.

De roſtris & laqueis.

29. DE roſtris & laqueis manifeſtum eſt eſſe gentilicium. Et cùm abominabile hoc omnibus agnoſcatur, prohibemus, & contradicimus, ut aliquis ea non habeat, imò prorſus careat. Aliis autem ad tempus famulantibus, roſtra & laquea, & capillorum ſuperfluitatem, & veſtium immoderatam longitudinem habere non permittimus, ſed omninò contradicimus. Servientibus enim ſummo Conditori, munditia interius, exteriúsque valde neceſſaria, eo ipſo atteſtante qui ait: *Eſtote mundi, quia ego mundus ſum.*

De numero equorum & Armigerorum.

30. UNicuique Veſtrorum Militum tres equos licet habere, quia Domus Dei, Templique Salomonis eximia paupertas amplius non permittit impræſentiarum augere, niſi cum Magiſtri licentia.

Nullus Armigerum gratis ſervientem feriat.

31. SOlùm autem Armigerum ſingulis Militibus eâdem cauſâ concedimus; ſed ſi gratis & charitativè ille Armiger cuiquam Militi fuerit, non licet ei eum verberare, nec etiam quilibet culpâ percutere.

Qualiter ad tempus remanentes recipiantur.

32. OMnibus Militibus ſervire JESU Chriſto animi puritate in eadem domo ad terminum cupientibus, equos in tali negotio quotidiano idoneos, & arma, & quidquid ei neceſſarium fuerit, emere fideliter jubemus. Deinde verò ex utraque parte æqualitate ſervata, bonum & utile appretiari equos judicavimus. Habeatur itaque pretium in ſcripto, ne tradatur oblivioni, & quidquid Militi, vel ejus equis vel Armigero erit neceſſarium, adjunctis & ferris equorum ſecundùm facultatem domus, ex eadem domo fraterna charitate impendatur. Si verò interim equos ſuos Miles aliquo eventu in hoc ſervitio amiſerit, Magiſter, prout facultas domus hoc exigit, alios adminiſtrabit. Adveniente autem termino repatriandi, medietatem pretii ipſe Miles divino amore concedat, alteram ex communi Fratrum, ſi ei placet, recipiat.

Quòd nullus juxta propriam voluntatem incedat.

33. COnvenit his nempe Militibus, qui nihil ſibi Chriſto charius exiſtimant, propter ſervitium, ſecundùm quod profeſſi ſunt, & propter gloriam ſummæ beatitudinis vel metum gehennæ, ut obedientiam indeſinenter Magiſtro teneant. Tenenda eſt itaque ùt mox, ubi aliquid imperatum à Magiſtro fuerit, vel ab illo, cui Magiſter mandatum dederit, ſine mora, ac ſi divinitus imperetur, moram pati neſciant in faciendo. De talibus enim ipſa Veritas dicit: *Obaudivit auris obedivit mihi.*

Si licet ire per Villam ſine juſſu Magiſtri.

34. ERgo hoſpitales Milites propriam voluntatem relinquentes, & alios ad terminum ſervientes, deprecamur & firmiter eis jubemus, ut ſine Magiſtri licentia, vel cui creditum hoc fuerit, in Villam ire non præſumant, præterquam noctu ad ſepulchrum & ad ſtationes, quæ intra muros ſanctæ Civitatis continentur.

Si licet eum ambulare ſolum.

35. HI verò ita ambulantes non ſine cuſtode, id eſt Milite, aut Fratre remanente, nec in die, nec in nocte iter inchoare audeant. In exercitu namque poſtquam hoſpitati fuerint, nullus Miles, vel Armiger aut Famulus per atria aliorum Militum, cauſâ videndi, vel cum aliquo loquendi ſine juſſu, ut dictum eſt ſuperiùs, incedat. Itaque conſilio affirmamus, ut in tali domo ordinata à Deo, quòd nullus ſecundùm proprietatem militet, aut quieſcat, ſed ſecundùm Magiſtri imperium totus ſe incumbat, ut illam Domini ſententiam imitari valeat, quâ dicit: *Non veni facere voluntatem meam, ſed ejus, qui me miſit.*

Ut nullus nominatim, quod ei neceſſarium erit, quærat.

36. HAnc propriè conſuetudinem inter cætera adſcribere jubemus, & cum

cum omni conſideratione, ob quærendi vitium, teneri præcepimus. Nullus igitur Frater remanens aſſignanter & nominatim equum aut equitaturam vel arma quærere debet. Quomodo ergo? ſi verò ejus infirmitas, aut equorum ſuorum gravitas, talis eſſe agnoſcitur, ut ſic incedere ſit damnum, veniat Magiſtro, vel cui eſt debitum Miniſterium poſt Magiſtrum, & cauſam vera fide & pura ei demonſtret: Inde namque in diſpoſitione Magiſtri, vel poſt eum Procuratoris res ſe habeat.

De frenis & calcaribus.

37. NOlumus, ut omninò aurum, vel argentum, quæ ſunt divitiæ peculiares, in frenis & pectoralibus, nec calcaribus, vel in ſtrenuis unquam appareant, nec alicui Fratri remanenti emere liceat. Si verò charitativè talia vetera inſtrumenta data fuerint, aurum vel argentum taliter coloretur, ne ſplendidus color vel decor cæteris arrogantia videatur. Si nova data fuerint, Magiſter de talibus, quod voluerit, faciat.

Tegimen in haſtis & clypeis non habeatur.

38. TEgimen in clypeis & haſtis, & furellis in lanceis non habeatur, quia hoc non proficuum, imò damnum nobis omnibus intelligitur.

De licentia Magiſtri.

39. LIcet Magiſtro cuiquam dare equos vel arma, vel quamlibet rem cuilibet dare.

De Mala & ſacco.

40. SAcculus & mala cum firmatura non conceduntur: ſic exponentur, ne habeant abſque Magiſtri licentia, vel cui creduntur domus poſt eum negotia, in hoc præſenti Capitulo Procuratores & per diverſas Provincias degentes non continentur, nec ipſe Magiſter intelligitur.

De legatione litterarum.

41. NUllatenus cuiquam Fratrum liceat à Parentibus ſuis, neque à quoquam hominum, nec ſibi invicem accipere vel dare litteras ſine juſſu Magiſtri, vel Procuratoris. Poſtquam licentiam Frater habuerit, in præſentia Magiſtri, ſi ei placet, legantur. Si verò, & à Parentibus ei quidquam directum fuerit, non præſumat ſuſcipere illud, niſi prius indicatum fuerit Magiſtro. In hoc autem Capitulo Magiſter & domus Procuratores non continentur.

De fabulatione propriarum culparum.

42. CUm omne verbum otioſum generare agnoſcatur peccatum, quid ipſi jactantes de propriis culpis ante diſtrictum Judicem dicturi ſunt? Oſtendit certè Propheta: *Si à bonis eloquiis propter taciturnitatem debet interdum taceri*; quanto magis à malis verbis propter pœnam peccati debet ceſſari? Vitamus igitur & audacter contradicimus, ne aliquis Frater remanens, ut meliùs dicam, ſtultitias, quas in ſæculo, in militari negotio, tam enormiter egit, & carnis delectationes miſerrimarũ mulierum cum Fratre ſuo vel alio aliquo, vel de alio commemorare audeat: Etſi fortè referentem aliquem talia audierit, obmuteſcere faciat, vel quantociùs poterit, cito pede obedientiæ inde diſcedat, & olei venditori aurem cordis non præbeat.

De quæſtu & acceptione.

43. VErum enim verò, ſi aliqua res ſine quæſtu cuilibet Fratri gratis data fuerit, deferat Magiſtro vel Dapifero: Si verò aliter ſuus amicus vel Parens dare, niſi ad opus ſuum, noluerit, hoc prorſus non accipiat, donec licentiam à Magiſtro ſuo habeat. At cui res data fuerit, non pigeat illi, ſi illi datur: imo pro certò ſciat, quia ſi inde iraſcitur, contra Deum agit. In hac autem prædicta Regula Miniſtratores non continentur, quibus ſpecialiter hoc Miniſterium debetur, & conceditur de mala & ſacco.

De manducariis equorum.

44. UTilis res eſt cunctis, hoc præceptum à nobis conſtitutum, ut indeclinabiliter amodo teneatur. Nullus autem Frater facere præſumat manducaria linea vel lanea, idcircò principaliter facta, nec habeat ulla, excepto profinello.

Ut cambiare, vel quærere nullus audeat.

45. NUnc aliquid reſtat, ut nullus præſumat cambiare ſua Frater cum Fratre ſine licentia Magiſtri, & aliquid quærere, niſi Frater Fratri, etſi res parva, vilis, non magna.

Ut nullus avem cum ave capiat, nec cum capiente incedat.

46. QUod nullus avem cum ave accipere audeat, nos communiter judicamus: non convenit enim Religioni, ſic cum mundanis delectationibus inhærere, ſed Domini præcepta libenter audire, orationibus frequenter incumbere, mala ſua cum lacrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri. Cum homi-

homine quidem talia operante, cum accipitre vel alia ave nullus Frater remanens, hac principali cauſa ire præſumat.

Ut nullus feram arcu vel baliſta percutiat.

47. CUm omni Religione ire deceat ſimpliciter & ſine riſu, humiliter & non multa verba, ſed rationabilia loqui, & non ſic clamoſa in voce: Specialiter injungimus, & præcipimus omni Fratri Profeſſione in boſco cum arcu, aut baliſta jaculari audeat, nec cum illo, qui hoc fecerit, ideò pergat, niſi gratiâ eum cuſtodiendi à perfido Gentili: nec cum cane ſit auſus clamare aut garrulare, nec equum ſuum cupiditate accipiendi feram, pungat.

Ut Leo ſemper feriatur.

48. NAm eſt certum, quod vobis ſpecialiter creditum eſt, & debitum, pro Fratribus veſtris animas ponere, atque incredulos, qui ſemper Virginis Filio minitantur, de terra delere. De Leone enim hoc legimus, quia ipſe circuit, quærens, quem devoret, & manus ejus contra omnes, omniúmque manus contra eum.

De omni re ſuper vos quæſita, judicium audite.

49. NOvimus quidem perſecutores S. Eccleſiæ innumerabiles eſſe, & hos, qui contentionem non amant, inceſſanter, crudeliúſque inquietare feſtinant. In hac igitur Concilii ſententia ſerena conſideratione pendeat, ut ſi aliquis in partibus Orientalis Religionis, in quocumque alio loco ſuper vos rem aliquam quæſierit, vobis per fideles, ut veri amatores Judices audire judicium præcipimus, & quod juſtum fuerit, indeclinabiliter vobis facere præcipimus.

Ut hæc Regula in omnibus teneatur.

50. HÆc eadem Regula in omnibus rebus vobis immeritò ablatis, perenniter jubemus, ut teneatur.

Quòd licet omnibus Militibus profeſſis terram & homines habere.

51. DIvinâ, ùt credimus, providentiâ à vobis in ſanctis locis ſumpſit exordium hoc genus novum Religionis, ut videlicet Religionis militiam admiſceretis, & ſic Religio per militiam armata procedat, hoſtem ſine culpa feriat. Jure igitur judicamus, cùm Milites Templi dicamini, vos ipſos, ob inſigne meritum & ſpeciale probitatis, domum, terram & homines habere, & agricolas poſſidere, & juſtè eos regere, & inſtitutum debitum vobis ſpecialiter debetur impendi.

Ut de malè habentibus cura pervigil habeatur.

52. MAlè habentibus Fratribus ſuper omnia adhibenda eſt cura pervigil, ut quaſi Chriſto eis ſerviatur, ut illud Evangelicum: *Infirmus fui, & viſitaſtis me*, memoriter teneatur: hi etenim diligenter ac patienter portandi ſunt, quia de talibus ſuperna retributio indubitanter acquiritur.

Ut infirmis neceſſaria ſemper dentur.

53. PRocuratoribus verò Infirmantium omni obſervantia atque pervigili cura præcipimus, ut quæcumque ſuſtentationi diverſarum infirmitatum ſunt neceſſaria, fideliter, ac diligenter juxta Domus facultatem eis adminiſtrent v. g. carnem, & volatilia, & cætera, donec ſanitati reſtituantur.

Ut alter alterum ad iram non provocet.

54. PRæcavendum nempè non modicum eſt, ne aliquis aliquem commovere ad iram præſumat, quia propinquitatis & divinæ fraternitatis, tam Pauperes quàm Potentes ſummâ clementiâ æqualiter adſtringit.

Quomodo Fratres conjugati habeantur.

55. FRatres autem conjugatos hoc modo habere vobis permittimus, ut ſi Fraternitatis veſtræ Beneficium & participationem petunt, uterque ſuæ ſubſtantiæ portionem & quidquid amplius acquiſierint, unitati communis Capituli poſt mortem concedant, & interim honeſtam vitam exerceant, & bonum agere Fratribus ſtudeant, ſed veſte candida, & chlamyde albâ non incedant. Si verò maritus antè obierit, partem ſuam Fratribus relinquat, & Conjux de altera vitæ ſuſtentamentum habeat: hoc enim injuſtum conſideramus, ut cum Fratribus Deo caſtitatem promittentibus, Fratres hujuſmodi in una, eademque domo maneant.

Ut ampliùs Sorores non habeantur.

56. SOrores quidem ampliùs periculoſum eſt coadunare, quia antiquus hoſtis fœmineo conſortio complures expulit ex recto tramite Paradiſi. Itaque Fratres chariſſimi, ut integritatis flos inter vos ſemper appareat, hac conſuetudine amodo uti non liceat.

Ut Fratres Templi cum Excommunicatis non participent.

57. HOc, Fratres, valdè cavendum eſt, atque timendum eſt, ne aliquis ex Chriſti Militibus homini excommunicato

cato nominatim, ac publicè aliquo modo ſe jungere, ac ſuas accipere præſumat, ne anathema maranatha ſimiliter fiat. Si verò interdictus tantùm fuerit, cum eo participationem habere, rem ſuam charitativè accipere non immeritò licebit.

Qualiter Milites ſeculares recipiantur.

58. SI quis Miles ex maſſa perditionis vel alter ſecularis ſæculo volens renunciare, veſtram communionem & vitam velit eligere, non ei ſtatim aſſentiantur, ſed juxta illud Pauli: *Probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt*, & ſic ei ingreſſus concedatur. Legatur igitur Regula in ejus præſentia: & ſi ipſe præceptis expoſitæ Regulæ diligenter obtemperaverit, tunc ſi Magiſtro & Fratribus ejus recipere placuerit, convocatis Fratribus deſiderium & petitionem ſuam cunctis animi puritate patefaciat: Deinde verò terminus probationis in conſideratione & providentia Magiſtri, ſecundùm honeſtatem vitæ petentis omninò pendeat.

Ut omnes Fratres ad ſecretum conſilium non vocentur.

59. NOn ſemper omnes Fratres ad conſilium convocare jubemus, ſed quos idoneos & conſilio providos Magiſter cognoverit. Cùm autem de majoribus tractare voluerit, ut eſt, dare communem terram, vel de ipſo Ordine diſceptare, aut Fratrem recipere, tunc omnem Congregationem, ſi Magiſtro placet, convocare eſt competens: auditóque communis Capituli conſilio, quod melius & utilius Magiſter conſideraverit, illud agatur.

Quod cum ſilentio orare debeant.

60. ORare Fratres prout animi & corporis affectus poſtulaverit ſtando vel ſedendo, tamen ſumma cum reverentia, ſimpliciter & non clamosè, ut unus alium non perturbet, communi conſilio jubemus.

Ut fidem ſervientium accipiant.

61. AGnovimus nempe complures ex diverſis Provinciis, tam Clientes quàm Armigeros pro animarum ſalute, animo ferventi ad terminum cupientes in Domo noſtra mancipari, utile eſt autem, ut fidem eorum accipiatis, ne fortè veteranus hoſtis in Dei ſervitio aliquid furtivè, vel indecenter eis intimet, vel à bono propoſito repentè exterminet.

Ut Pueri quamdiu ſunt parvi, non accipiantur inter Fratres Templi.

62. QUamvis Regula ſanctorum Patrum pueros in Congregatione permittat habere; nos de talibus non collaudamus vos unquam onerare. Qui verò filium ſuum vel propinquum in Militari Religione perenniter dare voluerit, usque ad annos, quibus viriliter armata manu poſſit inimicos Chriſti de Terra ſancta delere, eum nutriat: dehinc ſecundùm Regulam in medio Fratrum Pater vel Parentes eum ſtatuant, & ſuam petitionem cunctis patefaciant. Melius eſt enim in pueritia non vovere, quàm, poſteaquam vir factus fuerit, enormiter retrahere.

Ut ſenes ſemper venerentur.

63. SEnes autem pia conſideratione ſecundùm virium imbecillitatem ſupportare, ac diligenter honorare oportet: & nullatenus in his, quæ corporis ſunt neceſſaria, diſtrictè teneantur, ſalva tamen auctoritate Regulæ.

De Fratribus, qui per diverſas Provincias proficiſcuntur.

64. FRatres verò, qui per diverſas Provincias diriguntur, Regulam, in quantum vires expetunt, ſervare in cibo & potu & cæteris ſtudeant, & irreprehenſibiliter vivant, ut ab his, qui foris ſunt, bonum teſtimonium habeant, Religionis propoſitum nec verbo, nec actu polluant, ſed maximè omnibus, quibus ſe conjunxerint, ſapientiæ, & bonorum operum exemplum & condimentum præbeant. Apud quem hoſpitari decreverint, famâ optimâ ſit decoratus, & ſi fieri poteſt, Domus hoſpitis in illa nocte non careat lumine, ne tenebroſus hoſtis occiſionem, quod abſit, inferat. Ubi autem Milites non excommunicatos congregare audierint, illuc pergere, non conſiderantes tam temporalem utilitatem, quàm æternam animarum illorum ſalutem, dicimus. Illis autem Fratribus in ultramarinis partibus ſpe ſubvectionis ita directis, hac conventione eos, qui Militari Ordini ſe jungere perenniter voluerint, recipere collaudamus, ut in præſentia Epiſcopi illius Provinciæ uterque conveniant, & voluntatem petentis Præſul audiat: audita itaque petitione, mittat eum Frater ad Magiſtrum, & ad Fratres, qui ſunt in Templo, quod eſt in Jeruſalem, & ſi vita ejus eſt honeſta, talique conſortio digna, miſericorditer ſuſcipiatur, ſi Magiſtro & Fratribus bonum videtur. Si verò interim obierit, pro labore & fatigatione, quaſi uni ex Fratribus totum beneficium, & fraternitas Pauperum & Commilitonum Chriſti ei impendatur.

Ut victus æqualiter omnibus diſtribuatur.

65. ILlud quoque congruè & rationabiliter manu tenendum cenſemus, ut omnibus Fratribus remanentibus victus ſecun-

ſecundùm loci facultatem æqualiter tribuat. Non enim eſt utilis perſonarum acceptio, ſed infirmitatum neceſſaria eſt conſideratio.

Ut Milites Templi decimas habeant.

66. CRedimus namque relictis affluentibus divitiis vos ſpontaneæ paupertati eſſe ſubjectos, unde decimas vobis communi vita viventibus juſtè habere hoc modo demonſtravimus: Si Epiſcopus Eccleſiæ, cui decima jure debetur, vobis charitativè eam dare voluerit, aſſenſu communis Capituli de illis decimis, quas tunc Eccleſia poſſidere videtur, vobis tribuere debet. Si autem Laicus quilibet adhuc illam vel ex patrimonio ſuo damnabiliter amplectitur, & ſe ipſum in hoc valde redarguens, vobis eandem reliquerit, ad nutum ejus, qui præeſt tantùm, ſine conſenſu Capituli id agere poteſt.

De levibus & gravibus culpis.

67. SI aliquis Frater loquendo, vel militando, aut aliter aliquid leve deliquerit, ipſe ultro delictum ſuum ſatisfaciendo Magiſtro oſtendat. De levibus ſi conſuetudinem non habeat, levem pœnitentiam habeat. Si verò eo tacente per aliquem alium culpa cognita fuerit, majori & evidentiori ſubjaceat diſciplinæ, & emendationi. Si autem grave erit delictum, retrahatur à familiaritate Fratrum, nec cum illis ſimul in eadem menſa edat, ſed ſolus refectionem ſumat, diſpenſationi & judicio Magiſtri totum incumbat, ut ſalvus in judicii die permaneat.

Qua culpa Frater amplius non recipiatur.

68. ANte omnia providendum eſt, ne quis Frater potens vel impotens, fortis, aut debilis, volens ſe exaltare, & paulatim ſuperbire, ac culpam ſuam defendere, indiſciplinatus maneat: Sed ſi emendare noluerit, ei diſtrictior correctio accedat. Quod ſi piis admonitionibus, & fuſis pro eo orationibus emendare noluerit, ſed in ſuperbia magis ac magis erexerit, tunc ſecundùm Apoſtolum de pio eradicetur grege: *Auferte malum ex vobis.* Neceſſe eſt, ut à Societate Fratrum fidelium ovis moribunda removeatur. Cæterùm Magiſter, qui baculum, & virgam manu tenere debet, baculum videlicet, quo aliorum virium imbecillitates ſuſtentet, virgam quoque, qua vitia delinquentium zelo rectitudinis feriat: Conſilio Patriarchæ & ſpirituali conſideratione id agere ſtudeat, ne ùt ait beatus Maximus, aut ſolutior lenitas cohibentiam peccantis, aut immoderata ſeveritas à lapſu non revocet delinquentem.

Ut à Paſchali ſolennitate uſque ad Feſtum Sanctorum unam camiſiam lineam tantùm ſumere habeat.

69. INterea, quo nimium ardorem Orientalis regionis miſericorditer conſideramus, ut à Paſchali feſtivitate uſque ad omnium Sanctorum ſolennitatem, unicuique una camiſia linea tantùm, non ex debito, ſed ſola gratia detur, illi dico, qui ea uti voluerit: alio autem tempore, generaliter omnes camiſias lineas habeant.

Quot, & quales panni in lecto ſint neceſſarii.

70. SIngulorum quidem non aliter, per ſingula lecta dormientium dormire, niſi permaxima cauſa vel neceſſitas evenerit communi conſilio collaudamus. Lectualia vel lectiſternia moderata diſpenſatione Magiſtri unusquisque habeat: Credimus enim potius ſaccum, culcitram, & coopertorium unicuique ſufficere. Qui verò ex his uno carebit, carpitam habeat, & in omni tempore tegmine lineo, id eſt, veluſo frui benè licebit. Veſtiti autem camiſiis dormiant, & femoralibus ſemper dormiant, dormientibus itaque Fratribus, jugiter uſque manè nunquā deſit lucerna.

De vitanda murmuratione.

71. ÆMulationes invidas, livorem, murmur, ſuſurrationes, detractiones divina admonitione vitare & quaſi quandam peſtem fugere vobis præcipimus. Studeat itaque unusquisque vigilante animo, ne Fratrem ſuum clam culpet, aut reprehendat; ſed illud Apoſtoli ſtudioſè ſecum animadvertat: *Ne ſis criminator, ne ſuſurro in populo:* Cum autem Fratrem liquido aliquid peccaſſe agnoverit, pacificè & fraterna pietate juxta Domini præceptum inter ſe & ipſum ſolum corripiat. Et ſi eum non audierit, alium Fratrem adhibeat; ſed ſi utrumque contempſerit, in Conventu publicè objurgetur coram omnibus. Magnæ enim cæcitatis ſunt, qui aliis detrahunt: & nimiæ infelicitatis ſunt, qui ſe à livore minimè cuſtodiunt, unde in antiquam verſuti hoſtis nequitiam demerguntur.

Ut omnium Mulierum fugiantur oſcula.

72. PEriculoſum eſſe credimus in omni Religione vultum mulierum nimis attendere, & ideò nec Viduam, nec Virginem, nec Matrem, nec Sororem, nec Amitam, nec ullam aliam fœminam aliquis Frater oſculari præſumat. Fugiat ergo fœminea oſcula Chriſti Militia, per quæ ſolent homines ſæpe periclitari, ut pura conſcientia & ſecura vita, in conſpectu Domini perenniter valeat converſari. Amen.

ADDI-

ADDITAMENTUM XIX.

REGULA MILITUM HOSPITALIS SANCTI JOANNIS HIEROSOLYMITANI, *SIVE* INSTITUTUM EQUITUM DE MALTA.

OBSERVATIO CRITICA.

T*Emplariis Militibus meritò adjunguntur celeberrimi* Hoſpitalarii Hieroſolymitani, *qui nunc* Melitenſes Equites *ab Inſula* Melita *ſive* Malta *denominantur; quorum quidem exordium ætate* Templarios *ſuperat, quamvis eorum laudabiliſſimum Inſtitutum longè poſt hos Milites approbatum fuerit. Non enim, ante Eugenii III. Papæ tempora, qui Anno MCXLV. Cathedram S. Petri aſcenderat, hunc Religioſum Militum Ordinem confirmatum præſumunt aſſerere ejus primarii encomiaſtes, nec ante Bonifacium VIII qui ab An. MCCXCIV. ad An. MCCCIII. Papatum tenuit, aliquis ſummus Pontifex Inſtitutum approbavit, cujus quidem authentica Bulla etiamnum adeſt, in qua ſanè Papa meminit, ordinem ab Anteceſſoribus approbatum, ſed nullum determinatum hujus approbationis Auctorem nominat: cùm tamen* Templarii *ſub Honorio II. Papa jam inter Religioſos Ordines numerati fuerint. Si verò primævam utriusque Ordinis originem contemplemur, tunc & hi illos præcedunt, quia longè ante primam Occidentalium Chriſtianorum expeditionem Jeroſolymitanam, jam ad ſuſcipiendos Peregrinos ſacrum Chriſti ſepulchrum viſitantes, aliquod publicum hoſpitium deputatum fuit, in quo ſpecialem ægrotorum curam habuerunt quidam viri pietate & morum integritate conſpicui, quod poſtea in inſigne ægrotantium Hoſpitale converti meruerit. Hujus piiſſimi Operis Auctores erant quidam mercatores Itali ex Civitate* Alalfi *vulgo* Amalfi *ob inventionem magnetis nautici celeberrima, qui cum Saracenis negotia tractantes, aliquando ſacra Paleſtinæ loca etſi ab Infidelibus profanata viſitabant, ac tandem ab Ægypti Calypho, licentiam erigendi tale Hoſpitale obtinuerunt, in gratiam quidem Peregrinantium Chriſtianorum. Et quidem vetus hujus Ordinis Militaris Chronicon in Monaſtico Anglicano relatum Tom. 2. aſſerit, quendam nomine* Gerardum *extitiſſe* Gardianum Hoſpitalis Pauperum in Jeruſalem, *quando Anno MXCIX. hæc ſancta Civitas ab Occidentalibus Chriſtianis occupata fuit. Nec ambigere licet, quin florente Chriſtiana Religione, etiam in dies creſcere cœperit & hoc* Hoſpitale, *jam largitione Principum & piorum eleemoſynis magnopere ditatum, quod ad curam Peregrinantium frequenter advenientium gerendam, neceſſe fuerit etiam plures aggregare Viros tractandis præcipue ægrotis aptiſſimos, qui proinde* Hoſpitalarii *nominati ſunt.*

Ab his ergo parvis initiis adeò multiplicari cœperunt, ut in unam Societatem coaleſcentes, ſibi Superiorem eligere ſtatuerunt, quem Magiſtrum nuncupabant, & ita ex Hoſpitalariis *facti ſunt* Equites Militares, *quorum primaria Domus Deo dedicata in honorem* S. Joannis Baptiſtæ *erat, & ſic ſub tutela ſanctiſſimi Præcurſoris*

Domini, novum Ordinem Militarem aggreſſi ſunt, pro Chriſtiani Nominis defenſione tria ſolennia vota religioſa emittentes, quibus & quartum addiderunt, ſe ſe adſtringentes, ad gerendam ægrotorum peregrinorum diligentem curam, ſemper memores primævi Inſtituti.

Quamdiu ergo Chriſtiani Palæſtinam in ſua poteſtate tenuerunt, tamdiu Equites Hoſpitalarii, ad protegendos & ſuſcipiendos peregrinos ſacrum Sepulchrum viſitantes ordinati, in immenſum creverunt, opimis bonis hinc inde ditati, & ob arctam diſciplinæ obſervantiam ſummis laudibus celebrati, ſed capta ſacra Civitate per Saladinum Anno MCLXXXVII. in Phœniciam ſeceſſerunt, ubi Arcem Margat occupantes, contra infideles, varia bella fortiter inierunt; poſtea in Civitatem Ptolomaidem migrantes, per aliquod tempus ibidem ſedem fixerunt, qua in poteſtatem Turcorum redacta, alibi locum habitationis quærere coacti ſunt. Poſtquam igitur cum celeberrimo Duce Joanne de Luzignan apud Cyprum parvo tempore permanſerant, tandem Rhodum Inſulam immenſo ſolis Coloſſo celebrem, An. MCCCVIII. invaſerunt, quam ultra ducentos annos frementibus Turcis magnanimitate incredibili retinuerunt; ab ipſa Inſula Rhodenſes Equites, nuncupati. Denique anno MDXXII. Rhodo expulſi per Solymannum potentiſſimum Turcorum Imperatorem, in Italiam seceſſerunt, ab Adriano VI. Papa Civitate Viterbio donati, ubi tamen paucis annis degebant: nam anno MDXXX. ab Imperatore Carolo V. vocati ad occupandam Melitæ ſive Maltæ Inſulam, deinceps ibidem fixam ſedem fecerunt, ſtrenuamque operam adverſus Infideles Siciliam & Italiam infeſtantes impendunt.

Unde ab hac Inſula Melitenſes Equites communiter nominantur, ſicuti & à ſuo tutelari Divo S. Joanne Baptiſta nuncupantur Joannitæ, inter quos nullus recipitur, niſi legitimo thoro natus ac generis Nobilitate clarus, cujus teſtimonium publicum exhibere debet, proſapiam generoſam per quatuor integras generationes, ex utriusque Parentis parte probans. Nec ſane magnanimi hi Equites uni loco ſunt aſtricti, ſed ſolùm Melita ſive Malta, quemadmodum olim Rhodum, eſt ſedes primaria totius Ordinis, ubi ſupremus Magiſter, tanquam Princeps abſolutus Aulam ſuam magnificam tenet. Nam per Europam effuſi, ubique opima bona poſſident, præſertim poſtquam ſuppreſſi ſunt Milites Templarii. Hinc totus Ordo in octo Claſſes, quaſi in diverſas linguas ſive nationes diſtribuebatur & cuilibet nationi ſuum competebat honorarium officium, ſic in Galliis Primarius Prior Provinciæ appellatur Magnus Ordinis Commendator, ſicut & Arverniæ Prior nominatur Magnus Marſchallus, atque Prior Inſulæ Franciæ dicitur Magnus Hoſpitalarius; ſic etiam Italiæ Prior exiſtit totius Ordinis Thalaſſiarcha vulgò Admirallus, prout & apud Hiſpanos, Arragoniæ Prior, Magnus Ordinis Conſervator nuncupatur, atque Prior Caſtiliæ ſubiit officium Magni Cancellarii, & demum Germaniæ Prior, qui Princeps Imperii eſt, Magnus Ordinis Baillivus, ſive Nomarcha appellatur. Denique Angliæ Prior nuncupabatur Magnus Turcopolierius, ſive Magnus Equitum Ductor, cui quidem & reliqui Ordinis Equites per hodiernam Scotiam ſubjecti erant, quorum immediatus Superior apud Torpichen in Lodiana Occidentali reſidebat, à quo & denominationem ſumpſit, communiter appellatus Dominus S. Joannis, ſive Lord of Sr. John de Torpichen. Poſtquam autem Magna Britannia ab orthodoxa fide defecit, ſic & hujus ſacri Ordinis opima bona cum omnium aliorum Religioſorum Virorum reditibus in profanos uſus abierunt.

Nec quidem mirari debemus, hunc ſacrum Ordinem adeo ubique multiplicatum, ſi arctam diſciplinam ab ejusdem inquilinis obſervatam inſpiciamus, qui etſi perpetuis contra fideles bellis implicati, attamen in modum Religioſiſſimorum hominum, vitam piiſſimam duxerunt, prout ſequens eorum Regula declarat. Quamvis enim communiter hi Equites Militares dicantur ſequi Regulam S. Auguſtini, hoc unum certum eſt, eosdem jam ab exordio, particularia ſtatuta habuiſſe, ſecundùm quæ omnes vitæ ſuæ actiones ſunt ordinatæ. Hæc ſtatuta in modum Regulæ, condidit ſecundus Ordinis Magiſter, Raymundus de Puy, qui & Raymundus de Podio nuncupatur, ex nobili in Delphinatu Familia oriundus, ac eorundem confirmationem obtinuiſſe dicitur ab Eugenio III. Papa, prout ſupra notavimus. Hanc igitur Regulam cum Bulla Bonifacii VIII. Papæ eandem confirmante ex Monaſtico Anglicano Tom. 2. deſumptam hic exhibemus, quam quidem poſtea tanquam nimis ſeveram mitigavit ſummus Pontifex Romanus Pius II. juxta cujus ordinationem, Magnanimi illi Equites vitam inſtituere ſolent, eximiis aliorum ſummorum Pontificum privilegiis munitis, à quorum nutu in rebus Eccleſiaſticis dependent veri Apoſtolicæ ſedis filii, & antiquum Ordinis habitum nigri coloris retinentes, ſupra quem geſtare ſolent, Crucem auream octo cuſpidibus in albedinem encauſtatam, ad denotandas octo Beatitudines. Verum, priusquam ipſam Regulam primævam adducamus, conſultum

exiſti-

exiſtimavimus proferre ſequentem ſeriem ſupremorum Magiſtrorum, cum illa exhibent hiſtoriam Ordinis ab ipſis incunabilis ultra medium ſæculi decimi quarti deductam quam Dugdalius ex M. SS. Codice bibliothecæ Cottonianæ exſcripſit, & citato Monaſtico inſeruit, cum aliis monumentis ad rem noſtram non pertinentibus, & ideo lubenter omiſſis.

CRONICA MAGISTRORUM DEFUNCTORUM.

1. PRimus Magiſter fuit *Gerardus*, qui fuit Gardianus Hoſpitalis pauperum in Jeruſalem. Hic fuit repertus ibidem quando *Godefridus de Boilona* & peregrini Chriſtiani ceperunt eandem.

2. Poſtea fuit *Raymundus de Podio*, qui ptimus Frater extitit Hoſpitalis. Hic ordinavir & condidit Regulam & Statuta, & illa confirmari fecit per Dominum Papam *Eugenium*; quæ perdita fuerunt in Jeruſalem.

3. Poſtea fuit Magiſter *Augier de Ballen*. Hic multa religioſitate fluxit & pariter probitate.

4. Poſtea fuit Magiſter *Arnaudus de Camps*. Hic utique fuit magnanimus Vir, & ampliavit Religionem tam Fratribus quàm poſſeſſionibus & fecit bona pertamenta &c.

5. Poſtea fuit Magiſter *Gilbertus Aſſailli*. Hic fuit antiquns valde & brevi tempore quo vixit, multa bona Religioni procuravit, & Dominis infirmis ſervivit multa benigne.

6. Poſtea fuit Magiſter *Caſtus*. Hic multæ humilitatis & magnæ benignitatis ac miſericordiæ virtutibus fluxit: & propter ejus probitatem & bonam famam, grandia bona fuerunt per univerſum orbem collata noſtræ Religioni.

7. Poſtea fuit Magiſter *Jobertus*. Hic bona ſtatuta condidit ad ſervitium Dei & Eccleſiæ & ad commodum infirmorum Dominorum.

8. Poſtea fuit Magiſter *Gaufridus de Dinſono*, qui *Cracum* & *Margatum* cœpit. Hic fuit vir multæ diſcretionis, & ſtrenuus in armis, bonus Religioſus & valde magnanimus, dilexirque plurimum Fratres ſuos & Dominos infirmos.

9. Poſtea fuit Magiſter *Hermengandus Daps*, hic per hoſtes fidei multum extitit perſecutus, ſuo etiam tempore Chriſtiani perdiderunt Jeruſalem, ſed ipſe poſtea parum vixit.

10. Poſtea fuit Magiſter *Rogerius de Molins*, qui per Papam Lucium Regulam confirmari procuravit & bona ſtatuta edidit.

11. Poſtea fuit Magiſter *Garnerius de Neapoli*. Hic multam animoſitatem exercuit in factis armorum, contra fidei inimicos; eleemoſynas domus viriliter defenſavit & gubernavit etiam ſuos Fratres honoranter.

12. Poſtea fuit Magiſter *Alphonſus de Portugalia*, cujus tempore coofirmatæ fuerunt bonæ conſuetudines per Magiſtrum *Rogerium*, editæ in *Margato*. Hic fecit bona ſtatuta, & accidir, quod aliquid Conventui ſuo præcepit, & quia Conventus non paruit ſibi, Magiſterium reſignavir & Bullam projecit; qua per Proceres capta, ipſi in Magiſtrum alium aſſumpſerunt. Deinde ipſe in *Portugaliam* pergens, per gentem ſuam in itinere potionatus, ſpiritum exhalavit. (&c.)

13. Poſtea fuit Magiſter *Gaufridus Rat*. Hic fuit valde probus, & reſignatio Magiſtri Alphonſi multum diſplicibilis fuit ei; ipſum enim habebar multum charum propter ejus magnam probitatem. Tempore cujus multa bona in Regno Franciæ collata noſtræ domui extiterunt.

14. Poſtea fuit Magiſter *Garinus de Monteacuto*. Hic fuit vir fortis & ſtrenuus in Perſonâ; & protector optimus bonorum Religionis, qui brevi tempore vixit.

15. Poſtea fuit Magiſter *Bertrandus de Gexi*. Hic invenit multa probitatis & bona Religionis & virtutis adauxit. In *Syria* domum multis bonis ditavit, & Dominis infirmis vehementer obſequia debita præſtabat.

16. Poſtea fuit Magiſter *Gerinus*. Hic fuit valdè parcus, & omnem vanæ Gloriæ pompam à ſe abjecit & magnum theſaurum coacervavit, quia habebat cum hoſtibus ſuis pacem.

17. Poſtea fuit Magiſter *Bertrandus de Cons*. Hic ſua probitate & providentia plurimas Saracenorum terras redegit ad Religionis ditionem, & per ejus magnum theſaurum Hoſpitale ſuſceplr plurima incrementa privilegiorum libertatis conceſſum Fratribus miliribus, ipſosque in Religione multis honoribus ſublimavit, & eis plusquam alius Magiſter dominium ſupra cæteros Fratres dedit.

18. Poſtea fuit Magiſter *Petrus de Villa Brida*. Hic multa probitate & ſimplicitate polluit virtuoſa; ſervavitque optime

Regulam. Tres domos & plura alia bona extitit operatus.

19. Poſtea fuit Magiſter *de Caſtello novo Guillielmus*. Hic multa probitate fluxit, & potiebatur pariter magnanimitate virili. Tempore cujus Templum ſuſcepit reſiduum Hoſpitale, quod poſtea ipſe emit à Magiſtro Templi, qui ſuus Frater erat, pretio unius equi. (&c.)

20. Poſtea fuit Magiſter *Hugo Ryvell*. Hic fuit illuminatus multa diſcretiva virtute; reduxitque domum ad ſtatum bonum, alii enim Magiſtri ſui Prædeceſſores nihil reformaverunt, niſi quod manu tenuerant Uſagia bona domus: ipſe verò nedum ordinavit de novo, immò aliorum ſtatuta extitit recordatus: ediditque inſuper bona & utilia ſtatuta.

21. Poſtea fuit Magiſter *Nicolaus de Lorgne*. Tempore cujus fuerunt cum *alba Cruce Arma rubea* ordinata, ac quod fratres nigros *Mantellos* portarent, fuitque etiam ordinata Bulla Conventus & inſuper plurima bona ſtatuta domus.

22. Poſtea fuit Magiſter *Odde*: Tempore cujus noſtræ Religionis ſtatus propter ejus inconveniens portamentum plurimum fuit depreſſus; unde contigit, quod Papa ſe intromiſit de noſtra Religione, quod nunquam fuerat viſum; Papa enim nullius alterius Magiſtri temporibus ſe intromiſerat de eadem & dicto Magiſtro comminatorias literas deſtinavit, quibus ipſe parere irreverenter ſprevit. Quamobrem ipſe repellatus ſuum repellum proſequendo in itinere expiravit. Nihilominus tamen plurima bona edidit ſtatuta.

23. Poſtea fuit Magiſter *Guillielmus de Villareto*. Hic reſidebat in ultra marinis partibus, Prior *ſancti Egidii*: unde accidit, quod Conventus ſibi ſcripſit nonnullos defectus Prædeceſſorum ejus, & quod propterea in principio in regimine ſuo & Religionis providentiæ ſtudium adhiberet: quod & ipſe facere non omiſit; nam ipſe multa probitate fulcitus Religionem ſuam bonis ſtatutis, & conſuetudinibus laude dignis reparavit & illuſtravit.

24. Poſtea fuit Magiſter *Fulco de Villareto*. Hic fuit multa ſtrenuitate potitus & eum propter magnanimitatem ſuam Fratres ſui Conventus ipſum odio habentes, tandem apud *Rodanum* quadam nocte in ſuo lecto ipſum interfeciſſent, niſi quidam ejus Camerarius eum eripuiſſet, & ipſe ad *Buducum* caſtrum Inſulæ *Rodi* perrexiſſet. Sed in eodem caſtro per Conventum obſeſſus, alius aſſumptus extitit in Magiſtrum. Deinde verò poſt breve temporis ſpatium Papa *Joannes XXII.* Comparituris coram ſe in *Avinone*, mandavit pro ambobus Magiſtris. Auditis itaque precibus, & intellectis juribus utriusque, depoſito Magiſtro per Conventum electo, reſtituit Fratrem *Fulconem* faſtigio Magiſtratus. Poſt hæc autem eodem anno per Papam cum Cardinalibus, de conſilio Procerum Religionis, Fratre *Fulcone* iterato depoſito; electus extitit alius in Magiſtrum. Hic Frater *Fulco* plurima bona egit, ipſe enim traxit Conventum de *Cipro* & cœpit Inſulas *Rodi*, *Lingoni* & alias plures circumjacentes; tenuitque multa caſtra in *Turcia* quæ ſua ſtrenuitate acquiſierat ab inimicis fidei. Reduxit inſuper tempore ſuo bona *Templi* ad *Hoſpitale*; & multa pariter bona & utilia edidit ſtatuta. Obiit Frater ſimplex & egenus in Caſtro terræ motus, & fuit ſepultus apud *Montem Peſſolanum* in Eccleſia *Templi*.

25. Poſtea fuit Magiſter *Mauritius de Paygnaco*. Hic fuit ille quem Conventus elegit, quando depoſitus extitit Frater *Fulco*, qui pauca in ſuo tempore exercuit Magiſtratus.

26. Poſtea fuit Magiſter *Elionus de Villa nova*. Hic fuit per Papam creatus cum conſilio Procerum domus. Fuit etiam multa probitate & magna virtute dotatus & plurima bona in Religione ſua tempore ſuo fecit. Exornavit enim illam, ſua diſcretionis induſtria à multis Sarcinis debitorum; proſperavit etiam nimium ſtatum ſuum amplius quàm fuerat unquam viſum. Non recolit memoria hominum, nec reperitur in ſcriptis, quod tam quieta tamque omnibus bonis plena eſſet Religio, prout ipſe illam reliquit tempore mortis ſuæ. Suo quoque tempore fuit iterum capta Inſula *Lingoni* & Civitas *Smirniarum*; ediditque bona utilia ſtatuta, & diu vixit.

27. Poſtea fuit Magiſter *Deodatus de Goſono*. Hic fuit in Conventu magnus præceptor, & reperit domum in ſtatu felici. Solvitque Religionem, tam in capitibus, quàm in membris per univerſum orbem à cunctis nexibus debitorum. Suo tempore fuit *Molo* conſtratum & clauſum verſus marinam burgus *Rodi*.

28. Poſtea fuit Magiſter *Petrus Cornelian*.

CONFIR-

CONFIRMATIO SUPER REGULA RAYMUNDI DE PUY PER PAPAM BONIFACIUM.

BOnifacius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Magiſtro & Fratribus Hoſpitalis ſancti Joannis Jeruſalem ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Culminis Apoſtolici ſolio ſuperna clementia præſidentes, dum ſolerter attendimus, quod vos mundanis contemptis illecebris, quæ cùm blandiuntur, illudunt, divinis obſequiis ſalubriter adhæſiſtis, vos & veſtra totaliter pro illis exponere non verentes: dum etiam conſideramus attentiùs, quod vos ſummæ dilectionis affectum, magnæque reverentiæ zelum erga nos & Romanam Eccleſiam, matrem veſtram, geſſiſtis hactenùs, & gerere non ceſſatis, dignum duximus & rationi congruum arbitramur, ut vos & Hoſpitale veſtrum favoribus proſequentes uberiùs petitiones veſtras, quantum cum Deo poſſumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Exhibita ſiquidem nobis veſtra petitio continebat, quod olim, in captione civitatis Anconenſis, Apoſtolicas litteras, Regulæ veſtræ ſeriem continentes, cum aliis rebus non modicis amiſiſtis, - - - - ſuppliciter petebatis à nobis, ut, cùm vos nonnullas litteras cujuſdam Fratribus Raymundi, tunc dicti Hoſpitalis Cuſtodis (qui prædictam Regulam condidit) ejus plumbeo ſigillo ſignatas, in quibus Regula ipſa continetur expreſsè, prout aſſeritis, habeatis; vobis præfatam Regulam, ad majoris cautelæ præſidium ſub Bulla noſtra concedere dignarentur: Nos igitur ad veſtrum & prædicti Hoſpitalis ſtatum proſperum & tranquillum, paternis ſtudiis intendentes veſtris devotis ſupplicationibus inclinati, prædictam Regulam, prout in prædictis litteris Fratri Raymundi contineri conſpicitur, quibuſdam verbis de mandato noſtro abmotis & correctis in ea præſentibus fecimus annotari, eámque nihilominus, ex certa ſcientia confirmamus, & innovamus de gratia ſpeciali, &c. (Tenor autem ipſarum litterarum ſubſequitur de verbo in verbum, &c.) Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ammonitionis, innovationis, & confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Data Laterani VII. Ydus Aprilis, Pontificatus noſtri anno VI.

1. *De illo, quod intrantes in Religionem Jeroſolymorum debent promittere & obſervare.*

EGo Raymundus, Dei gratiâ, ſervus pauperum JEſu Chriſti, & Cuſtos Hoſpitalis Jeroſolymitani, conſilio totius Capituli, & Clericorum, & Laicorum Fratrum, ſtatui hæc præcepta, & ſtatuta in domo Hoſpitalis Jeroſolymitani. In primis jubeo, quòd omnes Fratres ad ſervitium venientes pauperum, tria, quæ promittunt Deo, teneant cum Dei auxilio, ſcilicet, caſtitatem, & obedientiam, hoc eſt, quòd quodcunque præcipitur eis à Magiſtris ſuis, & ſine proprio vivere, quia hoc Deus ab eis in ultimo examine requiret.

2. *Quod debent petere & habere Fratres.*

ET volumus, quòd Fratres non quærant amplius, ex debito, niſi panem & aquam, atque veſtitum, quæ eis promittuntur. Et veſtitus ſit humilis, quia Domini Noſtri Pauperes, quorum ſervos nos eſſe fatemur, nudi & ſordidi incedunt, & non convenit ſervo, ut ſit ſuperbus, & Dominus ejus humilis.

3. *Quomodo Clerici ſerviant Altari.*

COnſtitutum eſt etiam in Eccleſia, honeſtus ſit eorum inceſſus, & converſatio idonea; ſcilicet ut Clerici ad Altare cum albis veſtibus deſerviant; Presbytero Diaconus, vel Subdiaconus, & ſi neceſſitas fuerit, alius Clericus hoc idem exerceat officium, & lumen in Eccleſia die noctéque ſit.

4. *De Viſitatione Infirmorum & Communione.*

AD Infirmorum viſitationem Presbyterum albis veſtibus incedat, religiosè portans Corpus Domini; & Diaconus procedat vel Subdiaconus, vel alius Clericus ferens laternam cum candela accenſa, & ſpongiam cum aqua benedicta.

5. *Qualiter Fratres debent ire extra.*

ITerum, cùm irent Fratres per Civitates & Caſtella, non eant ſoli, ſed duo vel tres: Nec cum quibus voluerint, ſed cum quibus Magiſter juſſerit, ire debebunt; ſed cùm venerint, quo vo-

 lue-

fuerint, ſimul ſtent in inceſſu, in habitu. In omnibus motibus eorum nihil fiat, quod cujuſquam offendat aſpectum; ſed quod ſuam deceat ſanctitatem. Quando etiam fuerint in Domo vel in Eccleſia, aut ubicunque fuerint, fœminæ invicem ſuam pudicitiam cuſtodiant.

6. *Quòd fœminæ non ſerviant Fratribus.*

NEc fœminæ capita eorum lavent aut pedes; aut lectum eorum faciant. Deus qui habitat in Cœlis, iſto modo cuſtodiet eos, &c. Finis primæ partis.

7. *Qualiter ſe habeant Fratres petendo eleemoſynas.*

ET in ſanctorum Pauperum quærendo eleemoſynas, Religioſæ perſonæ Fratrum de Clericis & de Laicis incedant. Et cum hoſpitium quæſierint, ad Eccleſiam, vel aliquam honeſtam perſonam veniant, ex charitate ab ea victum petant, & nihil aliud emant. Si verò non inveniant, qui tribuat eis menſuratè, niſi unum ſolum cibum, benè unde vivere poſſint, emant.

8. *De eleemoſynis acquiſitis: Et quod Frater non recipiat de quæſtu, neque terram, neque pignora.*

EX inquiſitione eleemoſynarum nec terram, nec pignus accipiant, ſed ſuo Magiſtro per ſcriptum reddant: Ac etiam Magiſter, cum ſuo ſcripto, Pauperibus ad Hoſpitale transmittat.

9. *De illo, quod debet retinere Magiſter de omnibus obedientiis.*

ET de omnibus obedientiis tertiam partè de pane, & de vino, & de omni nutrimento etiam Magiſter ſuſcipiat, & ſi ſupererit, hoc quod amplius fuerit, ad eleemoſynas convertat, & Jeroſolymitanis cum ſcripto ſuo Pauperibus mittat.

10. *De Collecta recipienda, & lumine nocturno.*

ET non eant ad prædicationem aliqui Fratrum, de ullis obedientiis, ad Collectas, niſi ſolùm illi, quos Capitulum & Magiſter Eccleſiæ miſerit.

11. *De ferculo, quod debent habere Fratres.*

ET ipſi Fratres, qui exierint ad Collectas colligendas, in quacunque obedientia venerint, recipiantur; & accipiant talem victum, qualem Fratres inter ſe diſpenſaverint, & aliam vexationem ibi non faciant. Lumen ſecum portent. Et in quacunque domo Hoſpitali fuerint, ante ſe lumen ardere faciant.

12. *De veſtitu Fratrum.*

DEinde pannos Religioni noſtræ non congruos, nec pelles ſylveſtres omnino portent, ſed eos prohibemus, ne amodo induant Fratres.

13. *De Commeſtione Fratrum.*

ET non commedant Fratres niſi bis in die, & quarta Feria & die Sabbati, & Septuageſima usque in Paſcha carnes non commedant, præter eos, qui ſunt infirmi & imbecilles.

14. *Quomodo dormiant Fratres.*

ET nunquam nudi jaceant Fratres, ſed veſtiti camiſiis laneis vel lineis, aut aliis quibuslibet veſtimentis.

15. *De Fratre, qui cadit in fornicationem.*

ET aliquis (quod utinam nunquam eveniat) peccatis exigentibus, ceciderit in lapſus carnis, ſi occultè peccaverit, occultè pœniteat, & injungatur ſibi pœnitentia congrua. Si verò publicatus & apprehenſus per certos fuerit, in eadem villa, in qua facinus perpetraverit, Dominica die poſt Miſſas, quando populus ab Eccleſia egreſſus fuerit, videntibus cunctis nudetur, & à Magiſtro ſuo vel aliis Fratribus, quibus Magiſter præceperit, corrigiis vel virgis duriſſimè flagelletur & verberetur; ac de omni noſtra Societate expellatur. Poſtea ſi Deus cor ejus illuſtraverit & ad Domum Pauperum reverſus fuerit, atque ſe reum & peccatorem atque legis Dei transgreſſorem profeſſus fuerit, & emendationem promiſerit, recipiatur.

16. *Frater expulſus ſic recipiatur.*

PRimò pœnitentia digna ſibi imponatur, & per annum integrum in loco extraneo teneatur. Si in hoc ſpatio viderint Fratres ſatisfactionem ſuam, poſtea faciant, quod melius ſibi videbitur.

17. *De Fratre, qui habet quæſtionem cum alio Fratre.*

SI Frater altercatus fuerit cum aliquo Fratre, & clamorem Procurator Domûs habuerit, talis ſit pœnitentia; ſeptem diebus commedet in terra, jejunet quartâ & ſextâ Feriâ in pane & aqua; commedat in terra ſine menſa & manutergio.

18. *De*

18. *De Fratre, qui verberat alium Fratrem.*

SI quis Fratrum alium percuſſerit, ſit in XL.

19. *De Fratre, qui receſſit de Magiſtro cui commiſſus fuerit in Juſtitia vel domo ſua.*

ET ſi aliquis Fratrum receſſerit à Domo vel à Magiſtro, cui commiſſus fuerit XL. diebus manducet in terris, jejunet quarta & ſexta Feria in pane & aqua, & per totum tempus permaneat in loco extraneo, quantum foris exſtitit, niſi tam prolixum fuerit tempus, ut Capitulo conveniat, moderari.

20. *De ſilentio & non bibere poſt* Completorium.

AD menſam, ſicut dicit Apoſtolus, *unusquisque panem ſuum cum ſilentio manducet*, quod in Fratribus noſtris volumus obſervari ſub pœna XL. & quod Fratres ſub pœna antedicta non bibant poſt *Completorium* & ſilentium teneant in lectis.

21. *De Fratre, qui non benè ſe gerit.*

SI aliquis Fratrum non benè ſe agens, à Magiſtro ſuo vel aliis Fratribus, bis atque ter correptus & ammonitus fuerit, & Diabolo inſtigante, ſe emendare & obedire noluerit, nobis mittatur pedeſter, cum charta continente ſuum delictum, tamen procuratio tara ei detur, ut ad nos pervenire poſſit, eúmque corrigere.

22. *Quod nullus percutiat Famulos.*

NUllus ſuper ſervientes ſibi commiſſos pro aliquo facinore percutiat, ſed Magiſter Domus & factam coram omnibus vindictam accipiat; tamen Juſtitia domûs omnino teneatur.

23. *De illo, qui revelat proprium.*

SI aliquis Fratrum de proprio dimiſſus, in morte ſua proprietatem habuerit & Magiſtro ſuo celaverit; ac poſtea ſuper eum inventa fuerit, ipſa pecunia ad collum ejus ligetur & ab aliquo Fratre duriſſimè, aliis Fratribus domus præſentibus, verberetur, & XL. diebus pœniteat jejunans quarta & ſexta Feria in pane & aqua.

24. *De Fratribus defunctis & eorum tredenario.*

QUoniam etiam valde neceſſarium eſt omnibus nobis fieri ſtatutum, præcipimus, præcipiendo mandamus, carnis omnibus Fratribus viam univerſæ ut de ingredientibus, in omnibus obedientiis quibuscunque obierint, triginta diebus Miſſa pro ejus anima cantetur. In prima Miſſa unusquisque Fratrum, qui aderit, candelam cum nummo offerat, qui videlicet nummi, quanticunque fuerint, Pauperibus erogentur. Et Presbyter, qui Miſſas cantaverit, ſi non eſt de domo, procurationem in obedientia his diebus habeat; & peracto officio Magiſter ſibi charitatem faciat, & omnia indumenta Fratris defuncti Pauperibus dentur. Fratres verò Sacerdotes, qui Miſſas cantaverint, pro ejus anima orationes fundant ad Dominum JEſum Chriſtum, & Clericorum unusquisque cantet Pſalterium, Laicorum verò centum quinquaginta *Pater noſter*, &c.

25. *De judicio Fratrum de rebus, injuriis & peccatis.*

DE omnibus peccatis, rebus, & clamoribus in Capitulo judicent, & diſcernant rectum judicium. Et hæc omnia, ut ſupra diximus ex parte Dei omnipotentis, beatæ Virginis Mariæ & ſancti Joannis Baptiſtæ & Pauperum, præcipimus, & ex imperio imponimus, ut cum ſummo ſtudio ita per omnia teneantur.

Hic incipit tertia pars.

26. *De receptione Infirmorum.*

ET in ea obedientia, ubi Magiſter & Capitulum Hoſpitalis conceſſerint, cùm venerit ibi infirmus, itaque recipiatur; primò peccata ſua Presbytero confeſſus religioſè communicetur, & poſtea ad lectum deportetur, & ibi, tanquam Dominus ſecundùm poſſe domus, omni die antequam Fratres eant pranſum, charitativè reficiatur.

27. *De Fratre, qui dat bona Hoſpitalitatis, causâ regnandi, ſæculari perſonæ, & de Proceſſione.*

OMnibus Dominicis diebus Epiſtola & Evangelium in eadem Domo cantetur & cum Proceſſione, aqua benedicta aſpergatur. Item ſi qui Fratrum, qui obedientias & diverſas terras tenent, ad aliquam ſæcularem perſonam venientes rebellando, pecuniam Pauperum dederint, ut eos per ſuam vim contra Magiſtrum ſuum regnare faciant, ab univerſitate Fratrum projiciantur.

28. *De*

28. *De duobus vel tribus Fratribus ſimul commorantibus, & de ſalubri reprehenſione unius ad alium.*

ET ſi duo vel amplius Fratres inſimol fueriot, & unus eorum nequiter ſe malè vivendo haboerit, alrer Fratrum non eum diffamare debet, neque populo neque Priori; ſed primò per ſeipſum caſtiget eum & reprehendar gratioſè: Et ſi ſe ooluerit caſtigare, adhibeat ſecum duos Fratres vel tres ad eum caſtigandom. Et ſi emendaverit inde, gaudere debet: ſi autem emendare noluerir, tunc culpam ſuam ſcribens mittar Magiſtro; & ſecundùm quod Magiſter & Capitulum juſſerir, de eo fiat.

29. *Quod unus Frater non accuſet alium.*

ITem quod nullus Fratrem ſuom accuſet, oiſi benè poſſit probare: ſi autem fecerit, ipſe Frater non eſt.

30. *De Impoſitione Crucis ante pectus vel ſuper babitum.*

ITem omnes Fratres omnium obedientiarum, qui ounc & inaorea offerunt ſe Deo & ſancto Hoſpitali Jeroſolymitano Crucem ad honorem Dei & ejusdem ſanctæ Crucis, in cappis & mantellis ſecum deferant ante pectus, ut Deus per ipſum vexillum, fidem, & operationem, & obedientiam nos cuſtodiat à Diaboli poteſtate ſimul cum omnibus Benefactoribus noſtris Chriſtianis, Amen.

Nulli ergo omnino hominum liceat, &c. Sicut ante per Confirmationem per Papam Bonifacium, in principio iſtius ſtatuti, Pootificatus ſui anno ſexto, VII. Idus Aprilis, &c.

Modus recipiendi Fratres ad Ordinem.

CUm aliquis Hoſpitalitatis effici voluit, ipſe venire debet dieDominico ante Capitulum, & requirere à Magiſtro, aut ab alio, qui tenebir Capitulum, Societatem domus. Poſtea verò Magiſter, aut ille qui tenebit Capitulum, quærere debet à Fratribus, ſi reciperetur ille. Et ſi Major pars in concordia fuerit, recipiatur. Et quando recipietur; ille, qui eum in Fratrem recipiet, ſibi dicere debet: Bone Amice, vos quæritis Societatem Domus, & cauſam haberis? nam mulri nobiles homines agunt preces magnas, & grandi gaudio exultant, quando ipſi aliquem ex eorum Infantibus, aut ex eorum amicis poſſint ponere io hac Religione, & ſi vos voluntatis exiſtitis ſtandi in tam decora, tamque honorabili Socierate, & in tam ſancta Religione, ut eſt hujusmodi Hoſpiralis, cauſam habetis. Verumtamen, quamquam vos videaris vos bene iodutos, & cum magnis equitaturis & vos cunctis deliciis frui, eſtis decepti: Nam quando vos dormire volueritis, oportebit vos vigilare; & quando volueritis vigilare, dormire vos oportebit; & quando vos commedere volueriris, oportebit vos jejunare; & quando volueritis jejunare, vos commedere oportebir. Mandabimini etiam huc & illuc ad plateam, quæ non placebit vobis, & illuc vos ire oportebit: Oportebit denique omnimodam veſtram voluntatem pro alio relinquere, & plura dura alia tolerare. Vultis vos hujusmodi omnes res facere, atque pati? Et tunc ipſe debet dicere: *Ita ſi Deo placet.*

Poſtea etiam ſibi debet dicere: Plura nos vellemus à vobis ſcire, ſi vos unquam voviſtis ſeu promiſiſtis aliam intrare Religionem. Et etiam ſcire à vobis volumus, ſi vos habetis ſœminam aliquam in ſponſam, ſeu promiſiſtis vel juraſtis alicui fœminæ ipſam ſuſcipere in uxorem. Scire enim debetis, quod ſi vos haberetis fœminam, & cras vel die alia, ipſa requirere vos venit; & habitus auferri deberet à vobis & redire fœminæ veſtræ. Per conſimilem modum à vobis volumus ſcire, ſi vos eſtis obooxii debitis aliquibus, proprer quæ Religio poſſit aggravari. Nam ſi manè venirent aliqui, qui vos grandia debita poſtularent, & probarent vos ſibi fore in aliquo debitorem, privaremini habitu & redderemini pariter illis. Similiter quoque à vobis volomus ſcire, ſi vos eſtis ſervus Domini alicujus. Unicuique rerum hujusmodi ipſe debet reſpondere, quod *Non.* Poſt hæc autem debet portari Miſſale, & ſupra ipſum ille debet ponere manus ſuas & ſibi debet dici: Vos promittitis & vovetis Deo & Dominæ noſtræ, ac meo Domino ſancto Joanni Baptiſtæ ſub obedientia cujuscunque Superioris, quem vobis Deus dabit vivere atque mori. Voveris inſuper, & promittitis caſtè vivere osque ad mortem, & vivere etiam ſine proprio. Nos etiam facimus aliquam promiſſionem, quam oulli alii faciuot Religioſi. Nos namque promittimus eſſe ſervi Slavi Dominorum Infirmorum. Et pro unaquaque rerum hujusmodi ipſe debet reſpondere: *Ita, ſi Deo placeat.* Poſtea verò ſibi debet dicere, ille qui eum recipiet. Et nos promittimus vobis panem

nem & aquam, & humiles veſtes, vos enim non poteſtis rem aliam poſtulare; & vos facimus participes, animáſque Parentum veſtrorum in omnibus bonis factis in Religione noſtra à primæva ſui inſtitutione, & quæ fiunt ac fient usque ad diem Judicii in eadem, in quibus Dominus noſter vobis dignetur concedere partem talem, qualem nos ſperamus habere. Poſt hæc verò ille, qui debet effici Frater, accipere debet librum & illum ferre ad Monaſterium ac eum imponere ſuper Altare. Deinde libro ipſo accepto, eum reportare & venire debet coram illo, qui eum debet facere Fratrem, & ille debet ipſum librum ab eo recipere, & ſibi dare mantellum, & pariter ei dicere: *Ecce ſignum Crucis, quod portabitis in hoc mantello, in commemorationem illius, qui pro ſalvatione noſtra ſubiit in patibulo Crucis mortem, ut Deus propter Crucem, & propter obedientiam, quam vos feciſtis, vos protegat & defendat nunc & ſemper à diabolica poteſtate, Amen.*

Modus recipiendi Confratres.

CUm autem aliquis vir probus requirit eſſe Confrater Hoſpitalis, Magiſter aut Præceptor ſeu ille qui eum debet recipere in Confratrem, debet facere Fratres congregari. Quibus accerſitis in unum, ille qui Confrater eſſe cupit, debet venire ad præſentiam eorundem, & ille qui debet recipere in Confratrem, debet pro Miſſali mandare, & ille poſitis manibus ſupra librum, ſibi promittere debet, quod inantea pro poſſe domum Hoſpitalis & Fratres in omnibus diliget, & à cunctis Malefactoribus illos toto poſſe defendet, & bona domus ejusdem ſervabit; & ſi nequibit illa defendere & ſervare, id Fratribus domus pandet; ac quod ſi aliquam Religionem ingredi voluerit, intrabit Religionem Hoſpitalis. Et ſi nullam Religionem in vita voluerit intrare, ſolebat promittere, quod in fine relinquet, ut ſepeliatur in Cæmeterio Hoſpitalis: Verùm quia Decretale hoc prohibet, ſub pœna excommunicationis igitur ſuæ diſcretioni relinquatur. Niſi fortè portare vellet habitum cum ſigno *Fau* ut in Cilicia aſſueſcunt; nec non quod in ſuæ Confraternitatis recognitione, in Feſto ſancti Joannis Baptiſtæ rem aliquam dabit domui annuatim. Cum autem hæc promiſerit, Confrater ille, qui eum recipere debet, dicet ſibi. Ob promiſſionem, quam vos feciſtis Deo & Dominæ noſtræ, ac Domino meo ſancto Joanni Baptiſtæ, & Dominis noſtris Infirmis, nos recipimus vos & animas Parentum veſtrorum participes in Miſſis, Matutinis, Veſperis, & in omnibus aliis piis bonis, quæ facta ſunt in noſtra Domo, à die quâ fuit primitus inſtituta, & quotidie fiunt, ac fient in eadem per univerſum orbem usque ad diem judicii. Et Dominus noſter dignetur vobis partem talem conferre, qualem unusquisque noſtrum ſperat habere. Quibus dictis, fine facto, ipſe debet ſibi pacem præbere, & conſimiliter omnes Fratres, qui erunt ibi præſentes. Deinde verò nomen ejus in libro Confratrum redigatur in ſcriptis & id, quod dare promiſerit annuatim in recognitionem ſuæ Fraternitatis.

ADDITAMENTUM XX.

STATUTA ORDINIS FRATRUM MILITUM DE AUREO VELLERE.

Ex Apographo Manuſcripto Canoniæ Pollinganæ.

OBSERVATIO CRITICA.

I*Nter Ordines Militum nulli Regulæ Religioſæ aſtrictos, celeberrimus eſt* Ordo Fratrum Militum de Aureo Vellere; *cujus quidem primæva Statuta adhuc inedita ex MS. celeberrimæ* Canoniæ Pollinganæ *hic præſentamus. Quæ quidem, etiamſi nec Monaſtica, nec Canonica appellari poſſint, utpote, quæ nullis votis religioſis Milites adſtringunt; attamen, cum & illa ordinata ſint pro defenſione Orthodoxæ & Catholicæ Eccleſiæ, &, ad incrementum virtutum Chriſtianarum procurandum, maximè conducant; ſic & locum merentur inter* Additamenta ad hunc Regularum Codicem jam auctum & amplificatum *ordinata.*

Hujus Ordinis ſeu potius Confraternitatis Militaris Auctor & Inſtitutor, erat Philippus Dux Burgundiæ, *cognomentò* Bonus, *Princeps quidem Magnanimus & Bellicoſus, ideoque Ordinis Equeſtris ac Militaris Fautor eximius; prout ipſemet in Proœmio ad Statuta ſequentia teſtatur. Hic igitur Princeps potentiſſimus ſeptendecim Provincias Belgii, cum utraque Burgundia, ſub ſua poteſtate habens, anno MCDXXIX. & die X. Januarii, dum* Brugis *ſolennes nuptias cum* Iſabella *Filia Joannis I. Regis Portugaliæ celebraret, inſtituit* Ordinem & Fraternitatem Militarem, ſive amicabilem Societatem triginta Militum nobilitate & armis, ſine reprehenſione, perſpicuorum, *quibus & ſeipſum tanquam ſupremum Ordinis Magiſtrum conjunxit. Inſignia quoque ſua cum torqui ſive Collari aureo* Stat. III. *deſcripta, cuilibet Militi geſtanda gratis donavit; præcipiens, ut omnes Milites, in primariis Solennitatibus, veſtiti effigie* Velleris Aurei *cum hac inſcriptione* pretium non vile laboris, *pendente ad finem præſcripti Collaris. Hæc omnia clarius innoteſcent ex jam citato Statuto III. ubi reperies imaginem Inſignium ad torquem aureum pendentium, quemadmodum talis effigies in citato MS. Pollingano inventa fuit. Et quamvis circa ſupradicta conſentiant Hiſtorici, attamen, inter ſe variant Auctores circa intentionem Inſtitutoris huic Ordini Militari nomen* Aurei Velleris *imponentis; dum nonnulli exiſtimant Ipſum ſibi propoſuiſſe exemplum Fabulæ de* Jaſone *Aureum Vellus apud Colchidem ſervatum rapiente; alii dein putant voluiſſe repræſentare* Vellus *illud* Gedeoni *miraculosè monſtratum ab ipſo Deo, ad declarandam ejusdem vocationem in Iſraelitarum Judicem. prout* Lib. Judic. cap. 6. *refertur; denique, non deſunt alii aſſerentes Ordinis Auctorem, in mente exagitaſſe Hiſtoriam* Jacobi Patriarchæ *eligentis oves vellera geſtantes varicoloria,* Gen. cap. 30. *Et quidem, Gulielmus Epiſcopus Fornacenſis Ordinis Cancellarius ad* Carolum *Burgundiæ Ducem cognomento* Audacem, *ſcribens de hoc Equeſtri Ordine integrum Tractatum aſſerit:* Magnanimum Inſtitutorem *ſibi propoſuiſſe, tam*

ſymbolum Velleris Jaſonis, *quam* Jacobi Patriarchæ; *per primum voluiſſe deſignare* Magnanimitatem & animi fortitudinem *nobilibus Militibus neceſſariam, per alterum autem inſinuaſſe animæ* æquitatem *&* juſtitiam, *quibus virtutibus mentem exornare debent omnes Chriſtiani. Utcumque autem Philippus Dux Burgundiæ, in inſtituendo hoc Magnifico Ordine Militari, traxerit nominis objectum, hoc unum certum eſt, quod piam & ſanctam intentionem habuerit, cum Ordo ille Illuſtriſſimus directus ſit, ad majorem Dei cultum promovendum, & Catholicæ Eccleſiæ incrementum procurandum, prout ex ipſa Inſtitutoris Præfatione inſtruimur. Nec ambigere licet, quin mente exagitaverit* Vellus Gedeonis, *cùm gloriſſimam Deiparam Virginem in ſpecialem nobiliſſimæ Societatis Patronam conſtituerit, cujus intemeratæ Virginitatis figura extitit* Vellus Gedeonis, *prout ſæpius canit Eccleſia. At in ſanctum Ordinis Tutelarem, elegit etiam* S. Andream Apoſtolum, *in cujus Feſto apud* Inſulas *celebravit primum Capitulum Generale, anno MCDXXX. & ſequenti anno condidit ſequentia Statuta, quæ tamen poſtea variationi ſubjecta, ſæpius in aliam formam commutata ſunt.*

Nec ſane Philippus Dux Burgundiæ, primus erat, qui S. Andream Apoſtolum *in Ordinis Militaris Patronum conſtituerat; jam dudum enim juxta Boetium, Leslæum, & Buchananum, eximios Scotorum gentis Hiſtoricos, Achajus Scotorum & Hungus Pictorum Regis Sæculo octavo florentes, ſanctiſſimum Apoſtolum in utriusque gentis Patronum elegerunt, ejúsque ſacris ſub Auſpiciis, celeberrimum* Cardui Ordinem Militarem *inſtituerunt, cujus Inclyti Ordinis Illuſtriſſimi Equites, pro ſolennibus Inſignibus, ſolebant portare effigiem S. Apoſtoli à catena Carduis aureis compacta pendentem ad ipſum pectus; ad dextrum etiam latus depictum geſtant imaginem Crucis ejusdem Sancti vermicolatam; cum hac Epigraphe:* Nemo me impune laceſſet: *ubi ad Carduorum ſpinas alluditur. Sic quidem Veteres Scotiæ Reges, tanquam ſupremi Ordinis Magiſtri depingi ſolebant, prout Imago Jacobi V. Scotiæ Regis CVI. in Aula Regia Londinenſi apud* Withall *teſtatur, à cujus morte, graſſante hæreſi Calviniana, nobiliora veteris Religiois monumenta perierunt; donec anno MDCLXXXVII.*

Piiſſimus Magnæ Brittaniæ Rex Jacobus II. *hujus antiquiſſimi Ordinis Militaris memoriam quodammodo revocare voluit, & omiſſis religioſioribus cæremoniis, Inſignia Ordinis* Cardui ſive S. Andreæ *contulit ſequentibus Ducibus Marchionibus, & Comitibus, & ſolenniter in Regia Capella de* Windſor, *eosdem Equites dicti Ordinis creavit, quorum nomina hæc ſunt:* Dux de Gordon, Dux de Perth ſupremus Scotiæ Cancellarius. Dux de Melfort à Secretis Regis, Marchio de Seaforth, Comes Moraviæ, Comes de Arran, *Comes de Dunbarton.*

Sed ad Aurei Velleris *Illuſtriſſimum Ordinem revertamur, qui quidem mortuo primo Inſtitutore varias mutationes ſubivit; nam,* Carolus Audax *ejusdem Filius & ultimus Burgundiæ Dux in Capitulo Generali Ordinis anno MCDLXXII.* Valencianæ *celebrato, annualia Capitula Equitibus oneroſa, quia in Feſto S. Andreæ celebrari ſolita, abrogavit; & in triennalia ad diem XII. Maji celebranda inſtituit; habitumque Equitum pretioſiorem ordinavit; præcipiens, ut Ordinis Cancellarius, Theſaurarius, aliíque Officiales, Mantella quidem ſerica, aliaque Ordinis inſignia geſtarent, ſed ab Equitum Mantellis diſtincta, nullísque margaritis, aut pretioſis lapidibus ornata. Quo autem circa annum MCDLXXVII. in bello Helvetico apud Nanzium interempto, Ducatus Burgundiæ cum omnibus aliis ampliſſimis Provinciis ad* Mariam *Filiam devolutus eſt, quæ accipiens in maritum* Maximilianum I. Imperatorem, *& ipſe ſupremus Ordinis Magiſter declaratur; cujus quidem Filius Philippus I. Hiſpaniarum Rex, anno MD.* Bruxellis *Capitulum Ordinis celebravit, atque inter alias mutationes, declaravit Equites liberos à ſolutione quadraginta aureorum, quam ſummam olim quilibet Eques in prima ſua ad Ordinem receptione, Theſaurario ſolvere debebat, juxta Statutum LXII.*

Hoc igitur modo ſuprema hujus Ordinis jurisdictio ad potentiſſimos Hiſpaniarum Reges pervenit, & Carolus V. Imperator, *tanquam Hiſpan. Rex* Gandavi *Capitulum Generale ann. MDXVI. celebravit, Equitumque numerum auxit, ſanciens, ut deinceps ſemper ſint quinquaginta Equites, præter ſupremum Ordinis Magiſtrum, aliáque Statuta à primis diverſa ordinavit. Poſtquam autem Imperator ille, anno MDLV. ſponte Imperio & Regno ſe abdicaverat, Filio ſuo* Philippo II. *Regnum Hiſpaniæ, ampliſſimáſque Belgii Provincias in hæreditatem reliquit, eundem conſtituens ſupremum Ordinis Magiſtrum; licèt Ferdinandum I. Fratrem jam Romanorum Regem declaratum, procuraverit proclamari in Imperatorem, & Regem Hungariæ ac Bohemiæ, necnon Archi-Ducem Auſtriæ. Philippus igitur II.*

ſupremus Ordinis Magiſter anno MDLIX. Gandavi *Capitulum Generale celebravit, ubi, inter alia ſalutaria Statuta ſancivit, ut nullus hæreticus, vel hæreſi ſuſpectus, in Illuſtriſſimum Equitem ſuſciperetur, cum Ordo ille inſtitutus fuerit ad propagandam fidem orthodoxam & Catholicam Romanam. Mandavit quoque, ut deinceps Equitum creatio non dependeat à Sociorum electione, ſed ut ſolus ſupremus Magiſter Equites creare debeat, quot & quales ipſe voluerit; in quem finem à ſummo Pontifice* Gregorio XIII. *Bullam procuravit, quam anno MDXCVI. confirmavit* Clemens VIII. *Papa.*

Celeberrimus olim erat Ordo Aurei Velleris, *cujus Illuſtriſſima Inſignia portare non erubeſcebant Imperatores & primarii Europæ Reges; quem etiam confirmabant ab exordio ſummi Pontifices Romani. Sic* Eugenius IV. Papa *Sereniſſimo Inſtitutori Bullam confirmatoriam conceſſit anno MCDXXXIII. quam poſtea ratam habuit* Leo X. *anno MDXVI. varia Privilegia Equitibus concedens, præſertim Ordinis Cancellario. Qui quidem ex primæva inſtitutione exiſtere debuit Prælatus Eccleſiaſticus in dignitate conſtitutus, cùm Auctoritate Pontificia poteſtatem acceperit abſolvendi Equites ab omnibus caſibus reſervatis, & annuatim concedendi plenarias Indulgentias, præſertim in Articulo mortis. Idem quoque ſummus Pontifex Equitibus conceſſit licentiam commedendi lacticinia tempore Quadrageſimali, & ut poſſint audire Miſſam diebus Dominicis & Feſtivis in ſuis privatis Capellis.*

Quod autem attinet ſequentia Statuta, certum eſt, illa primitus Galliæ conſcripta fuiſſe & Ubaldus de Rouere *in Ordinem Equitum ſuſcipiendus à Philippo II. Rege primus fuit, qui in odium Gallorum Statutis illis Gallicè ſcriptis ſubſcribere renuit, quæ proin in linguam Latinam tranſlata ſunt, per* Philippum Nigri *Eccleſiæ de Harlebek Præpoſitum, & Ordinis Cancellarium, ſed tempore incerto. Agnoſcere tamen debemus hujus Illuſtriſſimi Ordinis Statuta modo in primariis Europæ linguis ubique promulgata eſſe, quamvis Idiomate Latino conſcripta rarò compareant. Et quidem ineunte hoc Sæculo XVIII. Monarchia Hiſpania inter Sereniſſimas Familias Auſtriacam, & Borbonicam diviſa, ſic, non ſolùm Reges Hiſpaniæ, ſed & Auguſtiſſimus Germaniæ Imperator, tanquam ſupremi Ordinis Magiſtri, Illuſtriſſimos* Aurei Velleris *Equites creare ſolent.*

TABULA STATUTORUM.

SEquitur tabula ordinatè diſtinguens ſingula Capitula, & Articulos præſentis Libri, Ordinationum, ſive Statutorum inclyti Ordinis Velleris Aurei, per Illuſtr. Potentiſſimúmque Principem, & Dominum Philippum Dei Gratia Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgi Ducem: ac Flandriæ, Artheſiæ, Burgundiæ Palatinum, Hannoviæ, Hollandiæ, Zeelandiæ & Namurci Comitem &c. nobiliſſimè inſtituti, & fundati.

I. *IN primis, ſiquidem Capitulo primo, ſive Articulo declaratur numerus, & conditiones Militum in hoc Ordine inſtituendorum, & aſſumendorum.*

II. *Quod nullus in alio exiſtens Ordine poteſt iſtum Ordinem Velleris aurei recipere, niſi priorem dimittat. Exceptis Imperatore, Regibus, & Ducibus.*

III. *Quod Milites Ordinis aurei Velleris debent portare Torquem, ſive Collare aureum circa collum cum Vellere appendente patenter ſuper Tunicis ſuis, & ſub pœna: exceptis certis caſibus hìc expreſſis.*

IV. *De Charitate, amicitia, & benevolentia, quibus Domini Milites Fratres hujus Ordinis Dominum Supremum dicti Ordinis: ipſe verò Supremus eos è converſo, ac ipſi ſeſe mutuò diligere, ac perſequi debeant.*

V. *De Servitio, & Auxilio promittendo per duos Milites Fratres Domino Supremo, ac Succeſſoribus ſuis contra violentos invaſores ſuos, ac Primatum, ac Subditorum ſuorum: aut in empriſcis armorum pro defenſione fidei Catholicæ, vel pro manutenendis dignitate, ac libertate S. Matris Eccleſiæ, ſanctæque Apoſtolicæ Sedis.*

VI. *Quod Supremus non aggredietur, aut inchoabit Guerram, vel alia inſignia, ſive prægnantia negotia, ſine ſcitu Dominorum Militum Fratrum hujus Ordinis: ſalvis Empriſeis ſubitaneis, & ſecretis.*

VII. *Quod ſimiliter Milites Fratres, ſubditi Domini Supremi non ſe in Guerram ponent, nec viagium remotum, ſive longinquum aggredientur abſque ſcitu, & licentia D. Supremi. Et qualiter Milites Fratres non ſubditi Supremo ſe gubernare debent in hoc caſu.*

VIII. *De proviſione in caſum diſſenſionis, aut diſcordiarum, ſi contingerent inter Milites Fratres Ejudem Ordinis.*

IX. *Qua-*

IX. *Qualiter Milites Fratres reſiſtere, ac providere debent contra illos, qui injuriam facti alicui Militum Fratrum inferre vellent.*

X. *De proviſione in caſum, quo aliquis non ſubditus Supremi damnum inferret Militi Fratri iſtius Ordinis.*

XI. *Quomodo, & in quibus caſibus Milites Fratres Supremo non ſubditi ſervire poſſint Principi ſuo naturali.*

XII. *Quod Miles hujus Ordinis Frater, peregrinando, vel in Guerris exteris ſerviendo, Socium ſuum ejuſdem Ordinis Fratrem captivum detinere non poteſt.*

XIII. *Quod Miles Frater Ordinis Velleris aurei permanebit in Ordine ipſo, quàm diu vixerit, niſi reus fuerit per aliquem caſuum ſubſequentium, videlicet.*

XIV. *Si quis Miles Frater hujus Ordinis inciderit in hæreſin, vel errorem manifeſtum contra fidem Catholicam.*

XV. *Si Miles Frater de traditione deprehenſus, & convictus fuerit.*

XVI. *Si aliquis Miles Frater à dicta ad bellum indicta receſſerit, vel fugerit, ubi vexilla fuiſſent devoluta, ſive duplicata, & proceſſum fuiſſet ad pugnam.*

XVII. *De loco, & Ordine Dominorum Militum Fratrum hujus Ordinis, in eundo, ſedendo, Capitulando, vel ſcribendo &c. ne contendat de majoritate, nobilitate, vel dignitate.*

XVIII. *Reſcriptio, ac inſtitutio XXIV. priorum Militum Fratrum, & reſervatio poteſtatis aſſumendi alios pro complemento numeri triginta Militum requiſitorum per electionem in ſequentibus capitulis faciendam.*

XIX. *Inſtitutio quatuor Officiariorum, qui Ordini deſerviant juxta certas ordinationes, & inſtructiones eis porrigendas.*

XX. *De fundatione divini cultus in Capella Ducis Burgundiæ apud Divionem: ac de fundatione Eleemoſynæ pro victu, ac ſuſtentatione duodecim Militum pauperum, & ædificiorum ad hoc neceſſariorum.*

XXI. *De Scutis, & armis D. Supremi, ac Dominorum Militum, ſuper ſtallis in Choro dictæ Capellæ Ducum Divione affigendis.*

XXII. *Quod Conventio, & Capitulum generale Ordinis, quæ in Feſto beati Andreæ Apoſtoli tempore hyemali cum incommoditate Fratrum annuè ſervabantur, ammodò ſecunda die Maji de triennio in triennium celebrentur cum reſervatione poteſtatis anticipandi tempus ſub modo, & conditionibus ibi annotatis.*

XXIII. *Quod D. Supremus, ac Domini Milites Fratres legitimè occupati, non valentes perſonaliter comparere in Conventionibus, & Capitulis generalibus Ordinis, per Procuratores recipi, & excuſari poſſint, ſub modo, & conditionibus hìc declaratis.*

XXIV. *Qualiter, & quando pro conventione generali Domini Milites Ordinis coram D. Supremo ſe præſentare debent, & generaliter ipſe Supremus eos recipiat.*

XXV. *De habitu, modo, & ordine inceſſûs Dominorum, Supremi, & Militum Fratrum, atque Officiatorum dicti Ordinis, eundo verſus Eccleſiam pro primis Veſperis Solennitatis, ſeu Feſti ejuſdem Ordinis audiendis, atque in reditu ipſorum verſùs Palatium Domini Supremi, Veſperis finitis.*

XXVI. *Qualiter in die Solennitatis Ordinis ipſi Domini, Supremus, & Milites Fratres, atque Officiarii ad ſummam Miſſam ire debent, ac de oblatione ibi facienda, per ipſos Dominos, Supremum & Milites Fratres. Et qualiter D. Supremus in prandio eos honorabiliter recipere habet.*

XXVII. *Qualiter poſt prandium ordinatè in nigro habitu omnes ad Eccleſiam ire debent, auditum vigilias, & ſervitium defunctorum: & in mane ſubſequenti Miſſam de Requiem: ac de oblationibus, & aliis ceremoniis illius Miſſæ.*

XXVIII. *Qualiter tertia die dicti Feſti Ordinis omnes pro libitu ſuo veſtiti ire debent ad præfatam Eccleſiam, audituri Miſſam de B. V.*

XXIX. *Quod in craſtino dictæ Solennitatis Domini, Supremus, ac Milites Fratres, ſi eis placuerit, poterunt incipere Capitulum ſuum, ad tractandum de negotiis Ordinis, in loco per Superiorem ad hoc deputato. Sed quod electiones, & correctiones fiant in Capitulo Eccleſiæ, ſi tamen locus ad hoc aptus ibi fuerit, & quod induantur mantellis, & capuciis Ordinis in Capitulo.*

XXX. *Quod in Capitulo per Dominum Supremum, vel ejus mandato præcipiatur omnibus Dominis, Militibus Fratribus, & Officiariis tenere ſecreta Conſilia ipſius Capituli.*

XXXI. *De exhortatione facienda per Cancellarium in Capitulo Ordinis ad correctionem vitiorum, & emendationem morum, ac virtutum illorum de Ordine, ac de ordine, & modo procedendi in materia correctionis.*

XXXII. *De ordine, ac modo procedendi ad ſcrutinium, & inquiſitionem vitæ, ac morum, vitiorum, & virtutum Militis, ſedis inferioris à Capitulo ſegregati, in proceſſu correctionis.*

XXXIII. *De modo corripiendi, & exhortandi Dominos, Milites Fratres, de vitiis aliquibus per ſcrutinium inquiſitionis notatos, extra Capitula, privationis ad vitæ, ac morum honeſtatem, & de pœnarum indictione.*

XXXIV. *Quod ſimiliter procedatur in ſcrutinio, & inquiſitione facienda reſpectu Militis alterius ſedis ſubſequentis: & conſequenter deinceps uſque ad D. Supremum incluſive.*

XXXV. *De congratulatoria commendatione ex ſcrutinio Militis Fratres in vita, & moribus approbati, & de modo exhortandi eum ad perſeverationem, & conatum uberiorem.*

XXXVI. *De modo procedendi contra Militem Fratrem de crimine requirente privationem ex ſcrutinio notatum in Capitulo, aut ſi extra Capitulum tale crimen innotuerit.*

XXXVII. *De modo procedendi ad privationem, ſeu depoſitionem Militis Fratris de crimine illam exigente convicti: Et de interdicto ſibi faciendo, ne Collare Ordinis amplius portet, ſed illud reſtituat, ſi præſens ſit, ac de modo ſcribendi Militi ſic privato abſenti.*

XXXVIII. *De modo procedendi contra Militem ab Ordine privatum, recuſantem reddere, aut remittere Collare Ordinis.*

XXXIX. *De tempore, ac modo remittendi, ſeu reſtituendi Collare Ordinis poſt deceſſum Militis Fratris in Ordine defuncti.*

XL. *Si Collare per Guerram, vel aliàs à Milite Fratre deperditum fuerit, cujus expenſis Miles ille novum recuperabit.*

XLI. *Quod vacante loco Militis in Ordine per deceſſum, vel aliàs alius Miles idoneus, & qualificatus in locum defuncti eligatur. Et quod Dominus Supremus in electione, & aliis deliberationibus negotiorum Ordinis, duplicem vocem habeat.*

XLII. *De modo convocandi Milites, procedendi ad electionem novi Militis in locum defuncti. Et qualiter Milites impediti ad Capitulum venire non valentes, per ſchedulas clauſas ſub ſigillis ſuis nomina, & cognomina Militum eligendorum, in quos vota ſua conferre voluerint, mittere debent.*

XLIII. *De modo procedendi ad electionem novi Militis, in locum alicujus Militis in Capitulo privati, ſive depoſiti.*

XLIV. *Quod electio novorum Militum fieri debet in loco, & tempore Capituli Ordinarii Ordinis, & non aliàs.*

XLV. *Quod ante electionem plures nominantur Milites ſuper quorum idoneitate ſcrutinium fiat.*

XLVI. *De exhortatione Cancellarii, & juramento Militum pro electione ritè facienda.*

XLVII. *Qualiter primus Miles primæ Sedis, & alii Milites conſequenter dictum juramentum ſucceſſivè, ac ordinatè in manibus Domini Supremi facere debent.*

XLVIII. *Qualiter per ordinationem D. Supremi Miles prima ſedis primò, & conſequenter alii Milites ordinatè deinceps, ac ſucceſſivè ſchedulas electionis ſuæ in pelvi ponere debent. Similiter autem ipſe Supremus ſchedulam ſuam, ac ſchedulas Militum abſentium, quas receperit, clauſas pelvi prædicta imponet.*

XLIX. *Qualiter per Cancellarium Ordinis facta publicatione diſtincta Perſonarum electarum, & numeri votorum eas eligentium, D. Supremns eum plnralitate votorum Electum pronuntiabit. Ec ſi contingeret duos eligi cum æqualitate votorum, qualiter ipſe D. Supremus alteri Electorum tertinm votum addere, & illum Electum pronuntiare poteſt, vel caſſatis prioribus electionibns æqualibns, novam electionem indicere, & per novas ſchedulas celebrare, ac de vigore ſchedularum Militum abſentium.*

L. *De modo inregiſtrandi per Scribam electionem factam. Et qualiter ipſa Militi electo ſignificari debet.*

LI. *Si Miles electus fuerit Magnus Princeps, vel Dominns, aut peregrinus in remotis conſtitutus, qualiter electio ſibi ſignificari, & Collare Ordinis mitti poterit, ſub conditionibus, & modis ibi declaratis.*

LII. *De Cæremoniis, ſervandis per Militem electum in ſua præſentatione, poſt acceptionem electionis ſuæ, & per D. Snpremum in ejus receptione: & primum membrum formæ juramenti Militis Fratris ad Ordinem electi, & recipiendi, videlicet ſuper defenſione Domini, & jurium Supremi.*

LIII. *Secundum membrum ſuper manutenentia Ordinis in ſtatu, & honore.*

LIV. *Quod in caſu privationis, ſeu depoſitionis Collare Ordinis remittat.*

LV. *Quod alias pœnas, & punitiones ſibi per Ordinem impoſitas patienter feret, & implebit.*

LVI. *Quod comparebit in Capitulis, & Congregationibus Ordinis, vel ſecundum Statuta ipſins ibi mittet.*

LVII. *Quod viribus ſervabit, & adimplebit Statuta Ordinis.*

LVIII. *Qualiter Miles recipiendus jurare tenetur.*

LIX. *De modo, verbis, & cæremoniis, quibus Milee ad Ordinem recipitur, & Collare ſibi circa collum ponitur, & qualiter Miles reſpondere tenetur.*

LX. *Si Miles electus ſe excuſaverit ab acceptatione electionis, & Collaris Ordinis, qualiter ad novam electionem procedatur.*

LXI. *Quod Milites primò nominati, & ad Ordinem aſſumpti intrabunt in forma præſcripta.*

LXII. *Quod quilibet Miles Frater in ſua receptione ad Ordinem iſtum ſolvat Theſaurario Ordinis 40. Scuta ad opus veſtium, & ornamentorum pro divino cultu in Collegio fundationis ejnsdem.*

LXIII. *De pecuniis, quas quilibet Miles hujus Ordinis Frater cognito deceſſu alicujus Militis Fratris ejusdem Theſautrario ſolvere tenetur, tam pro Miſſis celebrandis, quàm pro Eleemoſyna pauperibus eroganda ad conſolationem animæ defuncti.*

LXIV. *De penſione, quam D. Supremus, ac ſinguli Domini Milites hujus Ordinis Fratres annuè dabunt Regi armorum ipſius Ordinis.*

LXV. *Qualiter poſt deceſſum Supremi hujus Ordinis Filium minorem, vel Filiam legitimam innuptam poſt ſe relinquentis, Domini Milites Fratres unum ex eis præſidendum cauſa ipſius Ordinis conducendum eligere debent, & tali electo obedire.*

LXVI. *De ſubmiſſione voluntaria Militum, ſeu Fratrum hujus Ordinis in hanc Societatem, & quod cognitio, & curia ejus in caſibus Ordinem ipſum concernentibus ſuprema ſit, à qua non licet appellare.*

LXVII.

LXVII. *In Concluſione autem Litterarum, Ordinationum hujuſmodi, præfatus Dominus Dux Philippus Fundator, & Supremus hujus Ordinis vallat, ac firmat omnia præmiſſa ſtrictis promiſſionibus pro ſe, & pro ſuis heredibus, ac Succeſſoribus Burgundiæ Ducibus futuris Supremis ejuſdem, declarationem, atque interpretationem obſcuritatum, ac difficultatum, ſi quæ emerſerint, ſibi, ac Succeſſoribus ſuis Burgundiæ Ducibus reſervat, cum jure addendi, corrigendi immutandi, ac declarandi, habitis deſuper deliberationibus, & conſilio Dominorum Fratrum, ac Sociorum ipſius Ordinis. Exceptis tamen certis Articulis hic deſignatis, quos firmos, & immutabiles declarat. Et quorum vidimus Litterarum ſuarum tenorem ſub ſuo, vel Ordinis prædicti ſigillo, aut ſub alio authentico ſigillo, ſive ſub ſigno manuali Scribæ Ordinis confecto, fides plenaria tanquam Originalibus adhibeatur.*

Finis Tabulæ.


STATUTA
ORDINIS AUREI VELLERIS.

PHilippus Dei Gratia Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgi, Comes Flandriæ, Artheſiæ, Burgundiæ: Palatinus Hannoviæ, Hollandiæ, Zeelandiæ, & Namurci: Marchio ſacri Imperii, ac Dominus Frigiæ, Salinarum, & Mechliniæ &c. Notum facimus univerſis tam præſentibus, quàm futuris, quod pro ingentiſſimo, ac perfecto zelo, quo nobilem Statum, & Ordinem Militarem proſequimur, cujus honorem, & augmentum ſummopere cupimus, & affectamus, quatenus per eum fides vera Catholica, ſtatus ſanctæ Matris Eccleſiæ, ac Reipub. tranquillitas, atque proſperitas deſenſæ ſint, manu-teneantur, & conſerventur, quantum melius fieri poterit. Nos ad gloriam, & laudem omnipotentis Domini Dei Creatoris, ac Redemptoris Noſtri: Ob Reverentiam glorioſæ Virginis Genitricis ſuæ, & ad honorem S. Andreæ Apoſtoli ejus, & Martyris glorioſi, ac etiam ad exaltatiorem fidei, & Eccleſiæ ſanctæ: ad excitationem virtutum, & murum ingenuorum, decima die Menſis Januarii, anno milleſimo quadringenteſimo viceſimo nono, quæ fuit dies Solenniſationis Matrimonii Noſtri cum Clariſſima, dilectiſſimáque Conthorali Noſtra Iſabella, in Oppido Noſtro Brugis accepimus, creavimus, & ordinavimus: ac per præſentes accipimus, creamus, & ordinamus Ordinem, & Fraternitatem Militarem, ſive amicabilem Societatem certi numeri Militum, quem volumus vocari ORDINEM VELLERIS AUREI, ſub forma, conditionibus, modo, & articulis, qui ſequuntur.

I. PRimò ordinamus, quod Ordo prædictus habebit triginta unum Milites, Nobiles Nomine, & armis, ſine reprehenſione. Quorum Militum Nobilium pro tempore noſtro unus erimus, & ipſius Ordinis Caput, ac Supremus: & poſt nos Succeſſores Noſtri Duces Burgundiæ.

II. Item quod dicti Milites Fratres dicti Ordinis, in ingreſſu illius relinquere debebunt, & dimittent omnem alium Ordinem, ſi aliquem acceperint, aut Principis, vel Societatis: exceptis Imperatoribus, Regibus, ac Ducibus, qui cum Ordine iſto portare poterunt Ordinem ſuum: dum tamen ipſius Ordinis ſui caput fuerint; & quod ſit de beneplacito, & conſenſu Noſtro, aut Succeſſorum Noſtrorum Supremorum, ac Fratrum Ordinis hujuſmodi decreto in Capitulo eorum, & non aliàs. Similiter etiam Nos, & Succeſſores Noſtri Supremi præſentis Ordinis in caſu ſimili poterimus, ſi Nobis placuerit, portare Ordinem Imperatorum, Regum, & Ducum ſupradictorum cum Noſtro, in demonſtrationem amoris mutui, ſinceri, & fraterni: & pro bono, quod inde evenire poterit.

III. Item pro notitia habenda prædicti Ordinis, ac Militum ejuſdem, qui pro tempore ſuerint, Nos ſemel donabimus cuilibet Militum ipſius Ordinis unum Collare aureum factum cum Inſigniis Noſtris, videlicet per Petras ad inſtar inſtrumentorum ferreorum vocatorum in vulgari Gallico *Fuſſil* tangentium Petras igniferas, unde procedant ſcintillæ ardentes: & in fine illius Collaris pendente effigie Velleris Aurei.



Quod quidem Collare pertinere debebit, ac ſemper remanebit Ordini prædicto:

Et

Et Nos, ac prædicti Succeſſores Noſtri Supremi, & quilibet Militum ipſius Ordinis tenebuntur illud portare quotidie circa collum, & patenter, ſub pœna faciendi celebrari unam Miſſam, & donare Presbytero celebranti quatuor ſolidos, & eleemoſynam pauperum quatuor ſolidos, quod dicti Milites facere tenebuntur in conſcientia pro qualibet die, qua defecerint in portando: excepto in armis, ubi ſufficit portare Vellus aureum ſine Collari, qui ſic facere voluerit. Etiam ſi Collare indigeret reparationem, propter hoc poni poterit ad manus Auri-Fabri, & donec reparatum fuerit, non tenebitur Miles ad prædictam emendam non portationis illius. Similiter etiam, ſi propter aliquod viagium longinquum, vel alium caſum illud dimitti oportuerit, & ſic ipſi ceſſaverint portare per aliquod tempus tam propter infirmitatem, quàm pro ſecuritate perſonarum ſuarum. Quandoquidem Collare non poterit pretioſis decorari gemmis, nec aliàs, neque Milites prædicti vendere illud, impignorare, vel alienare poterunt, pro quacunque neceſſitate, vel cauſa, nec modo quocunque.

IV. Item quod pro bona amicitia fovenda in Ordine prædicto omnes Milites ipſius Ordinis, ac etiam ad invicem: & nos è converſo bonum, & ſincerum amorem habebimus erga eos. Promittent etiam præfati Milites velle procurare, ac promovere pro poſſe ipſorum honorem, & utilitatem, ac evitare dedecus, & damnum omnium in ipſo Ordine conſtitutorum. Et quod ſi intelligunt, aliquid dici, quod vergat in magnam læſionem honoris alicujus de dicto Ordine, ipſi tenebuntur illum excuſare meliori modo, quo poterunt. Et ſi ita loquens vellet perſeverare publice in verbis ſuis diffamatoriis, eo caſu Milites hoc audientes tenebuntur illi dicere in effectu: Nos per juramentum Ordini Velleris Aurei præſtitum tenemur revelare omnibus Militibus ipſius Ordinis, ſi quidquam dictum fuerit contra honorem ipſorum. Et propterea conſidereris, & cogitetis, an velitis perſeverare in his ſermonibus: caſu enim, quo perſeveraret, tenebuntur ipſi Milites hoc notificare Militi, de quo prolata fuerint hujusmodi verba inhoneſta.

V. Item promittant Domini dicti Milites, quod ſi aliquis attentaret Nos gravare, vel via facti damnum inferre Nobis, aut Succeſſoribus Noſtris primis, ac Supremis præfati Ordinis, ſeu patriis terris, Dominiis, vaſallis, aut ſubditis Noſtris; aut Nos, vel ipſi Succeſſores Noſtri Supremi faceremus exercitum pro defenſione fidei ſanctæ Chriſtianæ, vel pro tuendis, manutenendis, & reintegrandis dignitate, ſtatu, ac libertate ſanctæ Noſtræ Matris Eccleſiæ, ſanctæque Apoſtolicæ Sedis Romanæ, eo caſu Milites dicti Ordinis potentes in eorum perſonis tenebuntur ſervire Nobis perſonaliter. Impotentes verò facere Nobis ſervire mediantibus ſtipendiis rationabilibus, niſi tamen legitimam excuſationem, & apparens impedimentum habuerint, quo caſu ſe poterunt excuſare.

VI. Item pro ingenti amore, ac confidentia Fratrum Noſtrorum, atque Militum prædicti Ordinis Nos pro Nobis, & Succeſſoribus Noſtris Supremis ejusdem decernimus, quod Nos, nec ipſi faciemus aliquas Guerras, vel alia magna, & gravia negotia, quin primo hoc notificaverimus majori parti dictorum Fratrum Militum, ut habeamus ſuper hoc deliberationem eorum, & bonum conſilium, dempto in negotiis ſecretis, & feſtivis: Unde declaratio pluribus facta præjudicium, ac damnum ipſis negotiis afferre poſſet.

VII. Item ſimiliter Milites prædicti Ordinis, qui tamen Noſtri ſunt vaſalli, ac ſubditi, aut Dominorum, quorum gubernationem habemus, non ſe ponent in aliquibus Guerris, nec viagiis longinquis, quin prius hoc notificent Nobis, aut Succeſſoribus Noſtris primis Ordinis ſupradicti, & ſine Noſtris voluntate ac licentia: Per hoc tamen non intendimus, quod Milites ejusdem Ordinis ſubditi Noſtri, aut prædictorum Succeſſorum Supremorum impediantur, vel reſtringantur, quin reſpectu terrarum, & poſſeſſionum, propter alteri aſtringuntur, poſſint inire Guerram, & ſervire, ſicut facere potuiſſent ante inſtitutionem prædicti Ordinis Noſtri, & illo non obſtante. At etiam dicti Milites non ſubditi Nobis, aut Succeſſori Noſtro Supremo dicti Ordinis poterunt ſervire in armis, & facere viagia pro libitu ipſorum, dum tamen hoc Nobis prius ſignificent, ſi commodè potuerint, ſine præjudicio ſuæ intentionis, aut viagiorum ſuorum.

VIII. Item ſi contingeret, quod inter aliquos Milites Ordinis diſſenſio, vel contentio ſuſcitaretur, cauſa duntaxat perſonarum, unde veriſimiliter via facti, & inconveniens apparens ſequi poſſet, Supremus illo cognito, dictis contendentibus inhibet procedere ad viam facti: injungendo eis, quod de materia ſe ſubmittant decreto, & ordinationi ſuæ, atque Ordinis. Et quod perſonaliter, aut ſi non potuerint, per Procuratores compareant in proximis Capitulo, & Congrega-

gregatione Militum ipſius Ordinis ad dicendum, quæ voluerint, in alterutrum. Qui quidem Supremus, ac Milites ejuſdem Ordinis partibus auditis, eas de diſſenſionibus ſuis appunctuabunt, quam citius commode fieri potuerit. Ad quod partes ipſæ tenebuntur obtemperare ac obedire. Salvis in omnibus jure, & authoritate Noſtræ juſtitiæ, ac Dominorum, & Succeſſorum Noſtrorum.

IX. Item ſi aliquis temeritate ſua injuriam Fratri facere præſumeret alicui Militum Ordinis, omnes alii præſentes, aut illi, qui hoc facere poterunt, in hoc providere, ac obviare tenebuntur.

X. Item & ſi aliquis non ſubditus Supremi dicti Ordinis, nec Dominiorum, quæ in gubernatione habet, injuriam faceret cuiquam Militum ejusdem Ordinis, ſubdito ipſius Supremi, aut Dominiorum, quæ in gubernatione ſua habeat, & qui Miles offenſus per viam juſtitiæ reparationem habere non poſſet; & quod dictus Miles ſe gravatum aſſerens vellet de quæſtione ſe ſubmittere dicto, & Ordinationi Supremi Ordinis, & offendens pro parte ſua hoc facere recuſaret, eo caſu Supremus, & Milites Ordinis prædicti tenebuntur facere dicto Fratri ſuo eorum pro jure ipſius conſervando, omnem aſſiſtentiam poſſibilem. Et quantum ad Milites extraneos offenſos, & non ſubditos Supremi Ordinis, qui ſe vellent ſubmittere, pertinet, ſed hoc offendens hoc recuſaret, illo caſu, dicti Supremus, & Milites eis talem aſſiſtentiam facient, quam commodè poterunt.

XI. Item, & quia in Ordine prædicto poſſent eſſe Milites Supremi, & fortè contingeret, quod ipſe Supremus haberet Guerram cum Domino naturali alicujus dictorum Militum non ſubditorum, aut cum patria, de qua nati eſſent: Nos pro Nobis, & dictis Succeſſoribus Noſtris Supremis prædicti Ordinis declaramus, quod prædicto caſu Milites non ſubditi ſupra dicti poterunt ſervare honorem ſuum, & defendere naturalem Dominum ſuum, ejúsque patriam, de quibus nati fuerint: nec per hoc maculam ſui honoris incurrent, neque Ordinem prædictum offendent. Sed ſi Dominus ipſorum prædictus vellet facere Guerram eidem Ordinis Supremo, aut patriis & ſubditis ſuis, ipſa attenta Fraternitate, atque aſtrictione Ordinis ſe primo de ſibi ſerviendo excuſare deberent. Nihilominus ſi Dominus ipſorum non vellet eorum excuſationem recipere, ſed ad ſervitium hujusmodi compellere, ſervire ſibi poterunt ſine nota honoris ſui, eo tamen caſu, quo Dominus eorum perſonaliter ibi adeſſet, & non alias, & prius per Litteras eorum ſigillatas hoc ſufficienter eidem Ordinis Supremo ſignificare tenebuntur.

XII. Item & ſi aliquis Militum Ordinis proficiſcatur in viagium, aut intret ſervitium armorum Domini extraneis ſibi prius declarare debebit. Quod ſi aliquis Fratrum, ac Sociorum ſuorum Ordinis ejusdem caperetur in bello, aut Guerra, quod faceret fideliter poſſe ſuum, ad ſalvandum vitam Socio ſuo; & ſi caperetur manu ſua, ipſe quietaret ſibi fidem ſuam, & liberè eum expediret pro viribus ſuis: niſi tamen prædictus Miles captivus eſſet caput Guerræ, & ſi Dominus ille extraneus non vellet ſic conſentire, ex tunc ipſe Miles Ordinis cum honore non poſſet pro eo arma capere, ſed dimittere deberet ſervitium illius.

XIII. Item quod Milites dicti Ordinis in ipſo Ordine ſemper permanebunt, quamdiu vixerint, niſi committerent caſum reprehenſibilem, propter quem ab Ordine privari debuerint. Quos caſus declaramus eſſe tales, qui ſequuntur.

XIV. Primò, ſi aliquis Dominorum Militum deprehenſus, & convictus eſſet, quod abſit, de hæreſi, vel errore contra fidem chriſtianam, vel propter hoc ſuſtinuerit aliquam pœnam, aut punitionem publicam.

XV. Item ſi comprehenſus, & convictus eſſet de proditione.

XVI. Item ſi recederet, aut fugeret de dicta aſſignatá pro pugna, vel bello ſit cum Domino ſuo, aut cum alio, ubi vexilla fuiſſent aperta, vel palam poſita; & quod proceſſum fuiſſet usque ad pugnandum. Pro quibus tribus caſibus ſupra declaratis, ne Ordo, & Societas ejus per hoc diffametur, ſed mundus, honeſtus, & decoratus, ùt decet, permaneat, ordinamus, quòd Miles, qui de his deprehenſus, & convictus fuerit, vel de duobus, aut uno caſuum hujusmodi judicio Supremi, & Sociorum dicti Ordinis, vel majoris partis ejusdem deponatur, privetur, aut deiiciatur. Ab eòdem ipſo tamen prius audito in defenſionibus ſuis ſuper caſu, ſi ſe defendere, vel excuſare voluerit. Et idem ſi eſſet contumax, eo deſuper debitè vocato, & expectato: aut ſi committeret aliquem alium caſum vilem, enormem, & reprehenſibilem, Supremus, ac Milites Ordinis procederent contra eum, ut prædictum eſt, & per alium modum, ab eodem ipſo privari, nec deiici poſſet. Si tamen contingeret, quod Supremus gravamen, injuriam, vel violentiam alicui Militum dicti Ordinis inferret, unde poſtquam Miles ipſe ſufficienter requiſiſſet, ac ſummaſſet dictum Supremum, & Mili-

Milites ejuſdem Ordinis, de ratione, ac juſtitia ſibi miniſtrante, & eas debitè expectaſſet, nec obtinere poſſet, & per deliberationem Fratrum, ac Militum deſuper congregatorum, aut majoris partis ipſorum declaratio ipſius injuriæ, ac denegationis juſtitiæ facta eſſet, dicto caſu, & non prius Miles prædictus ſic offenſus poſſet reddere Collare, & recedere ab Ordine ſine nota, aut gravamine favoris, & petere gratioſè licentiam. Similiter etiam pro aliis cauſis licitis, & rationabilibus juxta deliberationem, & decretum Militum Ordinis.

XVII. Item ad tollendum omnes difficultates contingibiles concernentes honores, ſtatus, & gradus, ipſorum Militum Ordinis, præſertim quia bonus, & ſincerus amor, atque fraterna Societas ad talia reſpicere non debet, Nos volumus, & ordinamus, quod tam in eundo, ſedendo in Eccleſia, in Capitulo, & in Menſa, nominando, loquendo, & ſcribendo, quàm in omnibus aliis rebus tangentibus prædictum Ordinem, & amicabilem Societatem, Fratres, ac Socii habeant, ac teneant locum, & Ordinem ſecundùm tempus receptionis Ordinis Militiæ. Et ſi aliqui fuerint, qui eodem die Milites facti fuiſſent, ordinamus, quod Senior ætate primum locum habeat in præmiſſis, & alii conſequenter. Et quantum ad illos, qui per electionem Supremi ac Militū futuri ſunt in Ordine, ordinamus, quod locum habebunt ſecundùm tempus receptionis ſuæ in Ordine ipſo: & ſi plures eſſent ejusdem diei, habebunt locum ſecundùm ætates ſuas, ùt prædictum eſt. Exceptis Imperatoribus, Regibus, ac Ducibus, qui pro Excellentia dignitatum ſuarum locum recipient in hoc Ordine ſecundùm tempus acceptionis Ordinis Militiæ. Sed pro aliis non habebitur reſpectus ad nobilitatem ſanguinis, magnitudinem Dominiorum, Officiorum, Statuum, divitiarum, aut Potentiarum quorumcunque.

XVIII. Item quod in creatione, ac inchoatione dicti Ordinis Noſtri pro ſenſibus, probitate, ſtrenuitate, virtutibus, & bonis moribus Militum ſubſcriptorum, & pro fiducia, quam habemus de fidelitate, ac perſeverantia ipſorum in honorabilibus factis, & bonis operibus. Nos ipſos ſecundùm eorum antiquitatem in ſtatu Militiæ non attendentes, ùt ſupra dictum eſt, ad nobilitatem ſanguinis, magnitudinem Dominiorum, Statuum, divitiarum, ac potentiarum, nominavimus, & per præſentes nominamus, videlicet Chariſſimos Noſtros, & fideles, Dominum Guiliemum de Vienna, Dominum S. Georgii, & de S. Cruce conſanguineum Noſtrum. Dominum Regnerum pot. Dominum de la Brugne, & de Rupe, & de Noubay. Dominum Joannem, Dominum de Ponbaix, & de Harzelles. Dominum Rolandum Dunekerke, Dominum de Hamſrode, & de Hermſtrunt. Dominum Antonium de Verageis Comitem de Dampinartim, Dominum de Champiire, & de Rargney Conſanguineum Noſtrum. Dominum David de Brimen, Dominum de Zingney. Dominum Hugonem de Lannoy Dominum de Xantes. Dominum Joannem de Commes. D. Antonium de Thoulouſoo, Dominum de Tranes, & de la Baſtre Mareſchalcum Burgundiæ. D. Petrum Luxemburgo, Comitem S. Pauli de Converſan, & de Brienne Dominum Angiæ Conſanguineum Noſtrum. D. Joannem de Trenellia, Dominum Jonuellæ, etiam Conſanguineum Noſtrum. D. Guilbertum de Lannoy, Dominum de Willernal, & de Tronchiennes. D. Joannem de Luxemburgo Comitem de Zigney, Dominum de Beauceuoix, & de Bohaing Conſanguineum Noſtrum. D. Joannem de Villers Dominum Lilleadam. D. Antonium de Cnoy, & de Renty Conſanguineum Noſtrum. D. Florinum Dominum de Brimeu. D. Robertum Dominum de Mamiſnes. D. Jacobum de Brimeu. D. Balduinum de Lannoy dictum de Besgne Dominum de Moiembaix. D. Petrum de Beffroumont, Dominum de Charny. D. Philippum Dominum de Ternant. D. Joannem de Chnoy, Dominum Tourſurmarne Conſanguineum Noſtrum. Et D. Joannem Dominum de Ceegny. Reliquos autem pro complemento dicti numeri triginta Militum ipſi Ordini, ſive Supremo reſervamus ponendos, in eodem Ordine, in proximo Capitulo, vel alio ſubſequenti ad electionem Noſtram ac Fratrum, & Sociorum ipſius Ordinis.

XIX. Item quod in præſenti Ordine ordinavimus, & ordinamus quatuor Officiarios, videlicet Cancellarium, Theſaurarium, Scribam, & Regem armorum, qui vocabitur Thoiſondor. Qui Officiarii ſervient in dicto Ordine modo declarato in certo Libro, & articulis, quem eis in ſcriptis dari fecimus pro inſtructione, ac informatione circa dictum Ordinem requiſitis: & facient juramentum quilibet ipſorum facere omne debitum in ſervitio ſuo, ſicut decebit, & ſecretum ſervandi, quidquid dicetur, & appunctuabitur in Ordine prædicto, quod celari debebitur.

XX. Item & quod in favorem præſentis Ordinis faciemus, ſi Deo placuerit in Oppido Noſtro Divionenſi Noſtri Ducatus Burgundiæ, certas fundationes

divini

dlvini cultus in Eccleſia Capellæ Noſtræ Ducum Burgundiæ in dicto loco Divionenſi, & alias fundariones pro victu, & ſuſtentatione pauperum Militum, atque ædificia ad hoc requiſita, & neceſſaria, quemadmodum declaratur in aliis Litteris deſuper factis.

XXI. Item quod in Choro dictæ Eccleſiæ Divionenſis contra murum ſupra ſtallum, & locum Supremi Ordinis ponetur, & affigetur ſcutum armorum ſuorum cum galea decorata: & conſimiliter fiet de aliis Militibus dicti Ordinis ſuper ſtallis, & loco eorum in dicto Choro ejuſdem Eccleſiæ.

XXII. Item quamvis jam pridem fuiſſet ordinatum ſolenniſare Feſtum, & Capitulum præſentis Ordinis annis ſingulis ipſo die S. Andreæ Apoſtoli; nihilominus conſiderata brevitate dierum hyemalium, & quàm durum eſſet Militibus antiquis, & aliis de longinquis patriis frequenter ibi venire in tam duro tempore. Nos habita ex poſt deliberatione ſuper hac materia, ordinavimus Feſtum, Conventionem generalem, & amicabilem Societatem Supremi, omniúmque Militum, ac Fratrum dicti Ordinis prædictam celebrari, ac ſervari de triennio in triennium ſecunda die Menſis Maji in loco tali, quem Supremus ipſe perantea notificabit dictis Fratribus tempore competenti, ac rationabili, juxta locorum diſtantias. Verùm reſervamus Nobis poteſtatem tenendi dictum Feſtum, & illud anticipandi, atque ad brevius tempus ponendi, ſi viderimus caſum, qui hoc requirat, ad intervallum tamen unius anni, habita ratione à præcedenti Capitulo, & non minus.

XXIII. Item & quatenus Capitulum, Conventio, Congregatio, & Feſtum Ordinis interteneantur modo ſuprà dicto, & non relinquantur, vel impediantur neceſſitatibus caſuum, qui contingere poſſent, volumus, & ordinamus, quod ſi infirmitate, captivitate, periculo Guerrarum, diſcrimine viarum, aut per alias quaſcunque rationabiles, & admiſſibiles cauſas Supremus, vel aliquis Militum Ordinis impediretur poſſe perſonaliter comparere in dicto Capitulo, Feſto, & Congregatione. Eo caſu ille, qui haberet tale impedimentum, reneretur pro ſe mittere procuratorium ſufficiens, in quo unus, vel plures Milites Ordinis nominentur: videlicet Deputatus Supremi ad præſidendum, & Milites ad aſſiſtendum, & comparendum pro ipſo Milite conſtituente, in ejuſdem Capitulo, Conventione, & Congregatione, & ad dicendum excuſationem, & occupationem ſuam, & ad tenendum locum ſuum, faciendum oblationes ſuas, & Solennitates, audiendum, quod pro eo, vel contra eum dicetur, & fiet, recipiendum correctiones, & pœnas, quatenus de omnibus ſibi rationem faciat, & generaliter quilibet ad tantum faciendum loco conſtituentis, & qui eum commiſerit, aut deſtinaverit, quantum ipſemet conſtituens facere poſſet, ac deberet, ſi præſens intereſſet: & in omnibus fiet per illos de Ordine prædicto erga dictum Commiſſum, ſicut fieret circa conſtituentem, qui perſonaliter comparere debuerat.

XXIV. Item quod prima die Maji omnes Milites Ordinis convenientes ad locum Congregationis ſe præſentabunt Supremo dicti Ordinis in domo ſua, ante horam Veſperarum: ipſe autem amicabiliter, ac honeſtè eos recipiet, ùt decebit.

XXV. Item quod prædicta prima die Menſis Maji Supremus, ac Milites Ordinis ſimul recedent de domo dicti Supremi, aut ſui Deputati, veſtiti uniformiter togis, ſive mantellis de ſcarlata rubea, inferius circumquaque, & in fiſſuris, ſive oris decenter fibulatis, largo ſemine ad modum fuſilium Silicum, Scintillarum, ac Vellerum. Ipſis quidem mantellis foderatis vario minuto, & longis usque ad terram. Er habebunt Supremus, & dicti Milites Caputia de ſcarlata rubea cum longo panno pendente fine inciſione. Quæ quidem Mantella, & Caputia Supremus, & unusquisque Militum fieri faciant propriis eorum ſumptibus, & expenſis, & in eo ſtatu accedent dictam Eccleſiam ordinatè bini & bini ante Supremum, vel Deputatum ſuum. Et ante dictos Milites incedanr Officiarii ſuprà dicti. Ipſe verò Supremus ſolus, & ultimus incedet: ipſisque perventis ad Eccleſiam ponent, & collocabunt ſe, unusquisque in ſtallo ſuo ad audiendum Divina, & Officiarii in locis eis ordinatis. Quibus officiis auditis ad Domum Supremi ordine, quo ſuprà, Officiariis præcedentibus, ùt prædicitur, Militibus autem ſequentibus, & poſt eos Supremus prædictus revertentur.

XXVI. Item die prædictæ Solennitatis de mane Supremus, Milites Ordinis veſtiti, ac iu ordine prædicto, & Officiarii ibunt ad dictam Eccleſiam audituri Magnam Miſſam, quæ ſolenniter celebrabitur ob reverentiam S. Andreæ. In Offertorio ejus Miſſæ per Supremum, & unumquemque dictorum Militum præſentium, & Procuratores abſentium offeratur Becia auri juxta devotionem offerentis, & ſervitio completo revertentur modo ſupra dicto ad domum Supremi, qui Milites in prandio recipiet, & in menſa

menſa ſua feſtivabit eos honeſtè, aut recipi, & feſtivari faciet per Deputatum ſuum.

XXVII. Item eadem die dictus Supremus, ac Milites ordine prænotato recedent à domo Supremi ejusdem veſtiti longis Mantellis nigris, & habebunt Caputia nigra cum longo panno pendente. Et ſic præcedent ad Eccleſiam audituri Vigilias, & Officium pro defunctis. In Craſtino autem ibunt ad Eccleſiam in ordine, ac ſtatu prætactis, audituri Miſſam, & Officium defunctorum. In cujus Miſſæ Offertorio Supremus, & quilibet Militum præſentium, nec non Procuratores abſentium offerent ſinguli unam candelam ceream, ornatam armis illius, pro quo fiet oblatio. In Offertorio autem prædictæ Miſſæ Hiſtoriographus, ſeu Scriba dicti Ordinis leget in Rotulo nomina, & cognomina, atque titulos Supremi, & aliorum Militum Ordinis defunctorum, pro quorum animabus, cæterorumque Fidelium defunctorum, dictam Miſſam celebrans in fine ipſius Offertorii ex habundanti dicet pſalmum De profundis, & unam Collectam pro defunctis.

XXVIII. Item quod die ſequenti Supremus, ac Milites Ordinis, veſtiti tamen pro libitu ipſorum, ibunt ad Eccleſiam audituri Miſſam Magnam, quæ ſolenniter celebrabitur de Officio Noſtræ Dominæ.

XXIX. Item in Craſtino dictæ Solennitatis poterunt Supremus, ac Milites Ordinis, ſi bonum videatur, inchoare Capitulum ſuum, ad tractandum de negotiis Ordinis in loco tali, quem Supremus ad hoc ordinaverit. Sed quantum ad electiones, & correctiones Militum ejusdem Ordinis, illæ fient in Capitulis Eccleſiæ, ubi Divina celebrata fuerint. Si locus Capitularis ad hoc aptus fuerit, alioquin in tali loco, qui magis placuerit dicto Supremo. In quo quidem loco ubi fient electiones, & correctiones prædictæ, Supremus, Milites, ac Officiarii Ordinis habebunt Mantellas ſuas, & Caputia de ſcarlata rubea ſuprà dicta.

XXX. Item in dicto Capitulo, quod per Supremum, aut ſuum Deputatum, vel per dictum Cancellarium authoritate atque ordinatione ipſius Supremi recipietur, ac injungetur omnibus Militibus præſentibus, ac Procuratoribus abſentium, nec non Officiariis Ordinis, ut teneant ſecretum illud, quod in conſiliis dicti Capituli dicetur, fiet, tractabitur, & concludetur. Et præſertim circa correctiones factas ſuper Militibus Ordinis, ſine quacunque revelatione facienda, quibuscunque præterquam Procuratoribus abſentium, qui illis, à quibus fuerunt conſtituti, referre poterunt, id, quod ipſos conſtituentes concernet duntaxat.

XXXI. Item & ut præſens Ordo, & amicabilis Societas manuteneatur in bonis terminis, & Milites, ac Fratres, & ſuppoſita dicti Ordinis ſtudeant virtuosè vivere in bonis moribus, cum incremento honoris, & bonæ Famæ, in exemplum cæterorum omnium Militum, & Nobilium, per quæ Officium Ordinis militaris, ac nobilitatis melius decoretur, & magis ſit cordi in dicto Capitulo, inter cætera generaliter declarabitur per Cancellarium Ordinis prædicti. Id quod videbitur bonum, utile, & accomodum ad correctionem vitiorum, meliorationem, & emendationem vitæ, ac virtutum illorum de Ordine prædicto. Et hoc facto per eundem Cancellarium nomine præfati Ordinis injungetur ultimo in ſede dictorum Fratrum, ac Sociorum juxta prioritatem, & ordinationem ſupra dictam, quod exeat de dicto Capitulo, & foris expectet, donec revocetur ad reintrandum.

XXXII. Item quod dicto Milite ſic ſeparato à dicto Capitulo Supremus, aut ſuus Deputatus, vel prædictus Cancellarius jure ipſius Supremi, & Ordinis interrogabit per juramentum ſolenne ab omnibus Militibus, ac Supremo Ordinis, & à quolibet ipſorum particulariter incipiendo à ſede inferiori, & procedendo continuò usque ad Supremum, ut dicant, ſi ipſi audierint, viderint, cognoverint, ſciverint, vel à perſona fide digna dici audierint, quòd Frater eorum, ac Socius prædictus, & ùt prædicitur, ſeparatus à dicto Capitulo fecerit, dixerit, aut commiſerit rem, quæ ſit contra honorem, famam, ſtatum, ac decorem Militiæ, præſertim ſi quis fecerit contra Statuta, Capitula, & Ordinationes præſentis Ordinis, & amicabilis Societatis, ex quo Ordo ipſe vituperari, vel diffamari aliqualiter poſſit.

XXXIII. Item ſi inveniretur per relationem Fratrum, ac Militum Ordinis, aut ſufficientis partis ejusdem, quod Frater ille, ac Socius, de quo fit examinatio, commiſerit aliquod vitium, aut offenderit, vel fortè fecerit contra honorem, decentiam, & ſtatum militiæ, ac nobilitatis, præſertim contra Capitula, & Ordinationes præſentis Ordinis. In aliis caſibus, quàm in his, qui requirunt privationem per Supremum, vel Deputatum ejus, àut per Cancellarium prædictum, id quod fuerit inventum, ſibi exponetur, & reprehendetur, monendo eum charitativè, quòd ſe corrigat, & emendet, & taliter vivat, quod omnes notæ, & ſermo-

ſermones diffamatorii, vel malè ſonantes de Perſona tam nobilis ſtatus ceſſare debeant. Et quod deinceps Socii Ordinis accipiant de ipſo meliorem relationem, & opinionem. Et quantum ad pœnas Supremus, ac Milites Ordini appunctuabunt, ſicut eis videbitur expedire juxta exigentiam caſus. Cui appunctuamento obediet dictus Miles, contra quem dictæ pœnæ promulgabuntur, & tenebitur eas pati, & adimplere.

XXXIV. Item & poſtca ſimiliter procedetur ad examinationem alterius Militis proximæ ſedis. Et ſic conſequenter de Procuratoribus aſcendendo usque ad Caput, & Supremum Ordinis. Super quo propter rationes ſuperius allegatas, & pro manutenendis amore, ac Fraternitate, pro ſervandaque æqualitate in hac parte, maximè quia de Majoribus rationabiliter procedere melius debet exemplum. Volumus, quod exitus & examen de ipſo fiant, ſicut de aliis, nec non correctio, pœna, & punitio juxta deliberationem dictorum Militum ipſius Ordinis, ſi caſus acciderit.

XXXV. Item & ſi Miles ſeparatus de Capitulo per relationem, ac teſtimonium aliorum Fratrum, & Sociorum ſuorum reputaretur bonæ famæ, honorabilis ac virtuoſæ vitæ, ſtudeos alris factis militiæ, atque nobilitatis inhærere, ex tunc per D. Cancellarium authoritate, atque deliberatione Supremi, & Militum Ordinis dicto Militi dicetur, & exponetur per modum congratulationis, & ad animandum eum, ad ſemper benè agendum: quod dictus Supremus, Fratres, ac Socii ſui Ordinis prædicti valde lætentur, & exultent de magna ac bona fama, quam de ipſo audiverint, & de meritis perſonæ ſuæ: exhortando, atque monendo ipſum, ut perſeveret in bono, & in melius facere conetur, quatenus merita, & laus ſua augeantur: & quod bono exemplo ſuo cæteris occaſionem præbeat bona opera faciendi. Et ſimiliter dicetur aliis Fratribus Ordinis, qui examinatione Sociorum ſuorum boni, ac virtuoſi reputabuntur.

XXXVI. Item & quod ſi in dicto Capitulo innotuerit Ordinis Supremo, quod aliquis Fratrum, & Militum commiſiſſet caſum, aut crimen, pro quo privari deberet juxta Statuta præſentis Ordinationis, ſi dictus Miles præſens fuerit, Supremus caſum ſuum in terminis poni faciet, ac ipſo audito in ſuis defenſionibus, ſi aliqua dicere, ac probare voluerit ad excuſationem, & abſolutionem ſuam, ſuper eo jus ſibi fiet per Supremum, & Milites Ordinis prædicti, vel per majorem partem ipſorum. Et ſi res ipſa veniret ad notitiam dicti Supremi extra tempus Capituli, ipſe per Litteras ſuas clauſas, vel patentes ſigillatas ſigillô Ordinis, quas mittet per Regem armorum Thoiſondor, aut per aliam perſonam notabilem notificabit Militi diffamato, ac notato de caſu, quod veniat ad proximum Capitulum ad procedendum ibi in materia ſua, ex qua accuſatur, & redarguitur, prout juris fuerit, & ad faciendum, quæ ratio dictabit. Et ſi tempus dicti futuri Capituli eſſet breve, pro diſtantia loci habitationis dicti Militis diffamati, ſignificatio fiet ad Capitulum Ordinis ſubſequens, intimando ſibi, quod ſive veniat, aut non, procedetur contra eum, ſicut decebit.

XXXVII. Item & ſi reperiatur, quod dictus Miles commiſerit aliquem caſum reprehenſibilem, & dignum privatione Ordinis, is Miles per Supremum, ac Milites, & Fratres Ordinis, aut per majorem partem ipſorum deponetur, privabitur, ac repelletur, ut prædictum eſt. Et ne Ordo ipſe ſcandalizetur, aut vituperetur culpa ſua, & perſona ipſius interdicetur, ac prohibebitur, ne unquam deinceps portare præſumat Collare, ſive torquem dicti Ordinis, nec aliud illi ſimile, Injungendo ei, ac præcipiendo ſub juramentis, quæ præſtitit in ingreſſu ipſius Ordinis, quod dictum Collare in manibus Supremi, vel Theſaurarii Ordinis reddat. Et ſi dictus Miles præſens non fuerit, ad hoc ſibi litteræ patentes mittentur ſub ſigillo Ordinis, continentes privationem, ſententiam, condemnationem, defenſionem, interdictum, inhibitionem, præcepta, & alia ſupra dicta.

XXXVIII. Item ſi dictus Miles ſic ſummatus refutaret reſtituere, aut remittere dictum Collare Ordinis, Supremus in quantum idem Miles ejusdem ſubditus fuerit, procedet per viam juſtitiæ compellendo eum ad præmiſſa. Et ſi non eſſet ſubditus Supremi, ipſe in negotio procedet, ſicut decebit, deliberatione, & conſilio Militum Ordinis præhabitis.

XXXIX. Item ordinamus, quod quando aliquis Militum Ordinis deceſſerit, hæredes ſui, vel cauſam habentes tenebuntur remittere intra tres menſes poſt obitum ejus Collare defuncti Theſaurario dicti Ordinis, & mediantibus litteris ſuæ receptionis dicti Collaris, ipſi hæredes, & cauſam habentes liberi, ac quieti erunt de dicto Collari, & non aliàs.

XL. Item & ſi contingeret, quod aliquis dictorum Militum perderet Collare ſuum per Guerram, & factum honeſtum, vel quod in perſecutione alicujus facti honeſti ipſe captivaretur, per quod

dictum Collare amiſſum fuerit, Supremus Ordinis teneretur eo caſu dare aliud Collare ſuis expenſis dicto Militi. Sed ſi Miles aliàs perderet Collare ſuum, ille Miles teneretur propriis ſuis expenſis aliud ſimile ſibi procurare, illudque habere, ac portare infra quatuor menſes ſubſequentes, aut quàm citius hoc fieri commodè poſſet.

XLI. Item quod dum vacaverit locus aliquis in Ordine per obitum alicujus Militis ejusdem, vel aliàs ad reintegrandum numerum, providebitur de aliquo alio conditionum præſcriptarum per electionem, & pluralitatem vocum Supremi, ac Militum Ordinis. In qua quidem electione, & in cæteris aliis opinionibus, ac deliberationibus concernentibus negotia Ordinis vox Supremi locum habebit, ac computabitur pro duabus, & non amplius, præterquam in caſu inferius declarato.

XLII. Item & procedetur ad dictam electionem in modum, qui ſequitur, videlicet quod poſt deceſſum alicujus Militum Ordinis, dictus Officiarius Thoiſondor Rex armorum tenebitur hoc ſtatim notificare Supremo, qui per Litteras ſuas illud ſignificabit omnibus Militibus Ordinis, requirendo eos, ac mandando, quod ad proximum Capitulum exinde futurum, ſi tempus competens fuerit, & ſi nimis breve foret, ad aliud Capitulum proximè ſubſequens ipſi compareant perſonaliter deliberati, ac parati nominare, atque procedere ad electionem unius novi Fratris, & Socii Ordinis in locum defuncti. Et ſi occupationem, vel impedimentum rationabile habuerint, per quod perſonaliter tunc comparere nequeant, quod quilibet ipſorum mittat in dicto Capitulo Procuratorem ſuum, aut alium ſecurum Supremo in ſcriptis per ſchedulam ſuam fideliter clauſam, & ſigillatam ſigillo ſuo, nomen Militis, quem voluerit ad dictum Ordinem nominare.

XLIII. Item & ſi locus vacaverit per privationem, cum illa fieret in Capitulo, & per Supremum, ac Milites Ordinis, ſicut prædictum eſt, ipſe Supremus dicet, aut dici faciet Militibus, ac Fratribus ejusdem Ordinis præſentibus, nec non Procuratoribus abſentium, quod poſt dictam privationem ipſi conſiderent nominare, atque procedere ad electionem in locum privati ut ſupra.

XLIV. Item quod dicta electio fiet in tempore, & loco pro Capitulo ordinato, & non aliàs. Et priusquam ad eam procedatur, legetur per Hiſtoriographum, ſeu Scribam Ordinis illud, quod per relationem Regis armorum Thoiſondor in ſcriptis redactum fuerit, de magnis geſtis Militis defuncti ad ipſius laudem, & commeodationem.

XLV. Item ante electionem dabitur ſchedula per Supremum, & Milites ibi præſentes, & per Procuratores abſentium, in qua nominabunt tot Milites, quot eis placuerit. Et interrogatio fiet per Cancellarium à ſingulis Militibus ibidem præſentibus, ſi rem aliquam ſciant, per quam hujusmodi nominati admiſſibiles eſſe non deberent ad electionem.

XLVI. Item & poſt hæc generalia præmiſſa, Supremo, ac Militibus dicti Ordinis exiſteotibus in ſedibus ſuis in dicto Capitulo dicetur per Cancellarium id, quod ſequitur. Domini mei, vos eſtis ſic congregati ad eligendum novum Fratrem, ac Socium: ſed ut ſanctè ac juſtè procedatur, habetis facere juramenta, quæ ſequuntur. Vos juratis in maoibus Domini Supremi, vel ſui Deputati per fidem, & juramentum Corporum veſtrorum, & obligationem, atque obſtrictionem, quas habetis ad Ordinem, quod vos procedetis unusquisque pro ſe legaliter ac juſtè ad prædictam electionem: & propterea quilibet nominabit ſecundùm judicium ſuum unum notabilem Militem conditionum præſcriptarum bonum, atque utilem pro Supremo, & ſucceſſoribus ſuis Supremis dicti Ordinis, patriis ac Dominiis ipſorum: & pro conſervatione honoris, ac commodi ipſius Ordinis, nec pro conſanguinitate, amore, odio, comodo, favore, vel alia affectione dimittetis juſtè eligere pro poſſe veſtro illum, qui dignior vobis videbitur aſſociari, & adſcribi ad hooorabilem Ordinem iſtum, & amicabilem Societatem.

XLVII. Item & quod poſtea in continenti ſurget Miles primæ ſedis, & reverenter veniet versùs Supremum, in cujus manibus ipſe faciet juramentum tale, ut prædictum eſt, ac eo reverſo ad ſedem ſuam faciet ſimiliter ſequeos immediatus, & ſic alii conſequenter per ordinem.

XLVIII. Item deinde interrogabit Supremus, aut Deputatus ſuus à Milite primæ ſedis, per juramentum, quod feciſtis, quis eſt Miles, qui magis dignus vobis videtur aſſociari, ac recipi ad Ordinem iſtum. Ex tunc ſurget ille Miles, & in diſco aureo, vel argenteo ad hæc ordinato coram Supremo, vel Deputato ſuo ponet reverenter unam ſchedulam, in qua ſchedula ſcriptum erit nomen Militis, quem nominare voluerit, & ita facient omnes alii conſequenter. Et conſimiliter Supremus ibi imponet ſchedulam ſuam, & alias ſchedulas, quas receperit à Militibus omnes clauſas, & ſigillatas.

XLIX.

XLIX. Item & hoc facto Cancellarius accipiet omnes prædictas ſchedulas, & alta voce leget eas, & pooentur in ſcriptis nomina io illis contenta, de quibus coliatio fiet in ſimul ad ſciendum, quis habebit plura vota. Quo facto Cancellarius pronuntiabit numerum votorum, quæ quilibet illorum habebit. Dehinc Supremus accipiet pluralitatem votorum, & dicet nominando illum, qui plura habuerit. Talis habet plura vota, unde electus eſt in Fratrem noſtrum, & Socium Ordinis. Et ſi difficultas eſſet ex eo, quod duo nominati haberent æqualem numerum votorum, eo caſu, & non in aliis negotiis Ordinis Supremus ad accelerandam electionem poterit ultra duo vota ſua adhuc dare tertium votum ilii ex duobus nominatis, prout melius ſibi videtur. Sed ſi Supremus non ita vellet facere, revocabitur electio, & dabit unusquisque novas ſchedulas caſſando primam electionem. Nihilominus ſchedulæ abſentium manebunt in vigore, quia non ſatis tempeſtivè novæ eorum ſchedulæ haberi poſſent.

L. Item quod electione facta, ipſa per Scribam Ordinis Inregiſtrabitur in Regiſtro ad hoc deſtinato, cum ea die, qua facta fuerit. Et poſt hæc ſi Miles electus non fuerit in loco, Supremus per Regem armorum Thoiſondor, vel alium, notabilem ſignificabit dicto Militi dictam electionem de ſe factam, requirendo ipſum, quod gratanter eam recipere velit, & acceptare amicabilem vocationem ſuam ad Ordinem prædictum, & copiam ordinatiooum ſibi cum dictis Litteris in ſcriptis mittet, quatenus ſuper his deliberet, & ſignificaodo nihilominus, quod ſi dictam electionem acceptaverit, ſibique placuerit aſſociari Ordini prædicto, veniat ad Supremum ipſius die ſibi intimanda ad præſtandum juramento, recipiendum Collare Ordinis, & omnia alia ad hoc pertinentia faciendum. Et quod ſuam intentionem ſuper his declarare velit Latori Litterarum, indeque certificare Supremum, & litteras ſuas ſibi per eundem Latorem deſtinare.

LI. Item & ſi dictus Miles electus Magnus Dominus eſſet, unde magnas occupationes, gerendáque negotia haberet, aut habitaret, vel peregrinus eſſet in loco longinquo, unde dubium foret de perſonali comparitiooe ſua apud Supremum, ipſe Supremus, ſi ſibi expedire videatur, dari facere poſſet Latori Litterarum ſuarum uoum Collare ipſius Ordinis. At poſtquam Miles ipſe electus acceptaverit electionem, & aſſociari Ordini prædicto, & non aliàs præſentandum dicto Militi Collare hujusmodi per conditionem, quòd de dictis acceptatione, & receptione Collaris ipſe dabit Litteras ſuas Latori prædicto, qui eas Supremo reddere tenebitur, ac per eas prómittet venire ad proximum Capitulum, ſi commodè poſſit; ſin autem non, ad aliud tamen ſubſequens, vel apud Supremum ad jurandum puncta Ordinis, quamprimum commodè potuerit, & generaliter omnia facere, ad quæ tenebitur.

LII. Item quod dictus Miles electus, & qui acceptaverit electionem ſuam, dum erit apud Supremum cauſa faciendi jurameota prædicta, & recipiendi Collare Ordinis, ſe præſentabit dicto Supremo, ac ſibi dicet juxta modum ſuum loquendi. Ego vidi per Litteras veſtras, qualiter ex veſtra gratia, & honoratiſſimorum Fratrum, ac Sociorum honorabilis Ordinis Velleris Aurei fui electus ad dictum Ordinem, & amicabilem Societatem, uode me teneo quàm maxime decoratum, ac reverenter, & gratiſſimè illum accepi, & acceptavi, Vobisque optimo corde inde regratior. Veni ergò ad Vos, ut Inde Vobis regratiar, & ſum paratus obedire, ac facere circa dictum Ordinem omne id, quod facere teneor. Ad quæ reſpondebitur per Supremum aſſociatum potiori numero Militum Ordinis, quo fieri poterit. Domine, Nos, ac Noſtri Fratres, & Socii Ordinis, qui multa bona de vobis referri audivimus ſperantes, quod in his perſeverabitis, & accreſcetis ad exaltationem, & honorem militaris Ordinis, & ad meritum, laudem, & recommendationem veſtras vos eligimus fore, ſi Deo placuerit, Fratrem ac Socium ejusdem Ordinis, & amicabilis Societatis: quapropter babetis facere juramenta, quæ ſequuntur: videlicet quod de fideli poſſe veſtro Nos juvabitis tueri, ſuſtinere, ac defendere authoritates, Dominia, Nobilitates, ac jura Supremi Ordinis, quamdiu vixeritis, ac ſitis In Ordine prædicto.

LIII. Item quod de toto poſſe veſtro operam dabitis, ac laborabitis ad manutenendum dictum Ordinem in ſtatu, & honore, & conabimini ipſum augmentare; Non permittendo deficere, vel diminuere, In quantum poſſitis providere.

LIV. Item ſi acciderit, quod Deus avertat, quod in vobis defectus aliquis reperiretur, propter quem juxta Conſtitutiones Ordinis præſentis ipſo privatus, ac deſtitutus eſſetis, ac ſummatus, & requiſitus reddere Collare, vos eo caſu Illud remittetis ſanum, & integrum apud Supremum, vel Theſaurarium Ordinis infra tres menſes poſt ſummationem hujusmodi. Et quod nunquam poſt dictam ſummationem portabitis dictum Collare,

nec

nec aliud ſimile, neque occaſione hujuſcemodi habebitis, nec tenebitis rancorem, odium, aut malevolentiam erga dictum Supremum, nec Fratres Milites, aut Officiarios ipſius Ordinis, nec aliquem ipſorum.

LV. Item quod omnes alias pœnas, punitiones, aut correctiones, quæ pro aliis minoribus caſibus vobis per dictum Ordinem injungentur, vos eas portabitis patienter, & adimplebitis, non habendo propter hæc, vel tenendo rancorem, odium, aut malevolentiam erga Supremum, Fratres, & Milites, neque Officiarios ipſius Ordinis, nec aliquem ipſorum.

LVI. Item quod vos venietis, & comparebitis in Capitulo, & Congregationibus Ordinis, aut ibi mittetis ſecundùm Statuta, & Ordinationes ipſius, nec non Supremo, ac ſuis Succeſſoribus, vel Deputatis obedietis in omnibus rationabilibus concernentibus, ac reſpicientibus debitum, & agenda ipſius Ordinis.

LVII. Item quod de veſtro fideli poſſe tenebitis, & adimplebitis omnia Statuta, ordinationes, articulos, & puncta Ordinis, quæ ſcripta vidiſtis, & legi audiſtis, ipſaque promittitis, ac juratis in genere, ac ſi particulariter, & ſuper quolibet puncto ſpeciale feciſſetis juramentum.

LVIII. Item quod dictus Miles iſta ſic promittet, & jurabit in manibus Supremi, ſuis ſuper fide, ac juramento, & ſuper honore ſuo tactis ſacris Cruce & Evangeliis.

LIX. Item hoc facto dictus Miles electus reverenter ſe ponet ante Supremum. Qui Supremus recipiet Collare Ordinis, & eidem Militi illud circa collum ponet dicendo, vel dici faciendo verba ſimilia. ✠ Domine, Ordo vos recipit ad ſuam amicabilem Societatem, & in ſignum illius vobis præſento hoc Collare, det Deus, quòd diu portare illud poſſitis ad laudem ſuam, ſervitium, & exaltationem Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, incrementum, & honorem Ordinis, veſtrorúmque meritorum, & bonæ famæ. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Ad quod dictus Miles reſpondebit, Amen. Deus in his det mihi gratiam. Poſtea verò Miles primæ ſedis ibidem præſens ducet Militem ſic de novo receptum ad Supremum, ad ſedem ſuam: & ipſe Supremus eum oſculabitur in ſignum Amoris perpetui. Deinde ipſum etiam per Ordinem oſculabuntur omnes alii Milites ibidem præſentes.

LX. Item ſi dictus Miles electus ſe excuſaret de acceptando electionem, Supremus ex tunc hoc ſignificabit Sociis Ordinis aviſando eos, requirendo, ac mandando, quòd parati ſint procedere ad electionem unius alterius Militis in tempore, ac modo decentibus.

LXI. Item & quod juramento in forma ſuperius ſcripta, & contenta facient etiam Milites per Nos ſupra memorati, & vocati in Fratres, ac Socios dicti Ordinis, & quilibet ipſorum.

LXII. Item quod quilibet Miles dicti Ordinis in ſua receptione ſolvet Theſaurario ipſius Ordinis quadraginta ſcuta auri de LXXII. in Marca, vel valorem ipſorum, convertenda in veſtimentis jocalibus, & ornamentis pro ſervitio divino in Collegio dicti Ordinis. Attamen ſi quiſpiam vellet loco illorum dare jocalia, veſtimenta, vel ornamenta usque ad valorem dictæ ſummæ, facere hoc poterit, & illo medio liberabitur ab eadem ſumma.

LXIII. Item quando aliquis Miles Ordinis deceſſerit, quilibet Fratrum ejusdem Ordinis, quamprimum deceſſus hujusmodi ad cognitionem ejus pervenerit, tenebitur dare, vel mittere Theſaurario dicti Ordinis pecuniam ad faciendum celebrari quindecim Miſſas, & quindecim Solidos in Eleemoſinam propter Dei honorem, & amorem, & pro anima cujuslibet Militis defuncti. Dictus verò Theſaurarius tenebitur iſta applicare, ut prædictum eſt, & in loco fundationis ſupradictæ.

LXIV. Item quòd Supremus dicti Ordinis dabit ſingulis annis in penſionem Regi armorum dicti Ordinis centum ſcuta auri de LXXII. in Marca: & quilibet Miles dabit ſibi duo ſcuta ſolvenda ſemper in Capitulo Ordinario.

LXV. Item ſi contingeret, quod poſt deceſſum Supremi Ordinis Succeſſor ejus in Ordine eſſet Minorennis, & hinc minimè potens ducere facta Ordinis, volumus, & ordinamus, quod in hoc caſu Fratres, ac Socii Ordinis faciant in ſimul unam Conventionem,&Congregationem, & per opiniones, & majorem, ac ſaniorem numerum vocum eligant unum ex eis ad præſidendum, & conducendum negotia ipſius Ordinis in locum Succeſſoris Minoris expenſis ejusdem Minoris, donec ipſe in ætate conveniente conſtitutus, ac Miles fuerit. Et ſi poſt obitum Supremi remaneret filia hæres ipſius, non maritata, volumus, & ordinamus, quod ſimiliter eligatur unus Fratrum Ordinis ad conducendum facta ipſius Ordinis, donec dicta filia hæres fuerit maritata Militi exiſtenti in ætate amplectendi, & conducendi onus, & facta Supremi Ordinis prædicti: & de hoc præſtabit jura-

juramentum. Cui ſic electo volumus, & ordinamus dicto tempore pendente obediri in negotiis ipſius Ordinis tanquam Supremo.

LXVI. Item & ex quo præſens Ordo, ut prædictum eſt, una Fraternitas exſtitit, ac Societas amicabilis, in quam Fratres, ac Milites ipſius ſpontaneè ac voluntariè ſe ſubmittunt, ac promittunt, & jurant eam ſervare, ac liberè intertenere ſine infractione, nec contraire. Volumus, ordinamus, ſtatuimus, ac decernimus dictum Ordinem habere cognitionem, & Curiam ſupremam in caſibus concernentibus, ac reſpicientibus dictum Ordinem, & Fratres, & Socios ejusdem. Et quod omnes ſummationes, pœnæ, correctiones, punitiones, privationes, appunctuamenta, ſive judicia, arreſta, & res caſſata, ac facta per dictum Ordinem, in caſibus illum tangenribus, ac Milites Fratres ejusdem ſint executoriales, & valide tanquam de Curia ſuprema absque eo, quod pro illis impediendis per appellationem, querelam, ſupplicationem, nec aliàs quomodolibet trahi poſſit, vel debeat, aut ſortiri ad quemcunque Dominum, Principem, Judicem, Curiam, Societatem, nec alium qualemcunque, ſed quemadmodum per Ordinem judicatum eſt, ratum, & irrevocabile maneat, nec quod Supremus & Fratres dicti Ordinis propterea teneantur ibi reſpondere. Attenta voluntaria, & libera ſubmiſſione, ſolenniter juratis, ut prædictum eſt.

LXVII. Quæ omnia puncta, conditiones, articulos, & alia ſupra dicta, & quodlibet ipſorum, quæ ordinavimus, ac ſtatuimus; ac ordinamus & ſtatuimus, ùt prædictum eſt, Nos pro nobis & noſtris hæredibus ac Succeſſoribus Ducibus Burgundiæ primis, ac Supremis præſentis Noſtri Ordinis, & amicabilis Societatis Velleris Aurei promittimus tenere, obſervare, ac adimplere pro poſſe noſtro integrè inviolabiliter, atque in perpetuum. Et ſi in rebus præſcriptis aut aliqua earum obſcuritas, dubium, vel difficultas contingeret, Nos determinationem, interpretationem, ac declarationem illorum reſervamus, ac retinemus Nobis, ac Succeſſoribus Noſtris Burgundiæ Ducibus Supremis dicti Ordinis, atque his addendi, ea corrigendi, immutandi, & declarandi, præhabitis conſilio, ac deliberatione Fratrum, ac Sociorum Noſtrorum ejusdem Ordinis: Exceptis primo Articulo faciente mentionem de numero, & conditionibus Militum Ordinis. Secundo, quo cavetur, quod Fratres, ac Milites Ordinis non debent eo recepto eſſe de alio quocunque Ordine, niſi per conditiones in dicto Capitulo declaratas. Quarto Articulo de amicitia, quam Supremus & Milites mutuò inter ſe habere debent, ac ſervare honorem alterutrius: Quinto de ſervitio, quod Milites Ordinis facere debent Supremo: Octavo, quomodo Supremus procedere debet ad pacificandum queſtiones, ſi aliquæ inſurgerent inter Milites Ordinis occaſione perſonarum ſuarum: Nono, ac decimo Articulis de aſſiſtentia, quam Supremus, ac Milites facere debent Fratribus ſuis ac Sociis ejusdem: Undecimo, in quo caſu Milites Ordinis non ſubditi Supremo poterunt contra eum ſervire alteri, ſine detrimento honoris ſui: Duodecimo, qualem curialitatem Milites Ordinis facere debent ſuis Fratribus, ac Sociis, ſi caperentur in Guerra, vel bello, in quo eſſent: Decimo quarto, 15. & 16. Articulis concernentibus caſus, propter quos fieret privatio Ordinis, & alios, propter quos Milites poſſent recedere ab Ordine: Decimo ſeptimo continente modum, & ordinem, qui teneri debebit in eundo, ſedendo, ſcribendo, loquendo, & aliis factis, ac rebus reſpicientibus ſituationem in ordine ſupra dicto: Quadrageſimo primo faciente mentionem de electione fiendæ, quando locus alicujus Militis Ordinis vacabit; in qua Supremus habebit duas voces. Quinquageſimo ſecundo de modo receptionis Militis electi; & eodem Articulo, ac 53. 54. 55. 56. 57. & 58. de juramentis, quæ facient Milites Ordinis. Quos quidem Articulos ſupra exceptos, ac deſignatos, & quælibet ipſorum juxta formam, & tenorem eorundem volumus manere firmos, ac integros absque immutatione per Nos, nec per Succeſſores Noſtros fienda quacunque. Volumus etiam, quod vidimus præſentium facto ſub ſigillo Noſtro, ſigillo dicti Ordinis, vel alio authentico, aut ſub ſigno Manuali Scribæ ipſius Ordinis plena fides adhibeatur, tanquam Originali. Et quatenus ſit res firma, ac ſtabilis in perpetuum, fecimus præſentibus apponi ſigillum Noſtrum. Datum in Villa Noſtra Inſuleum die 27. Menſis Novembris anno Domini milleſimo quadringenteſimo triceſimo primo.

FINIS.

ADDITAMENTUM XXI.

REGULÆ ORDINIS SEMPRINGENSIS SIVE GILBERTINORUM CANONICORUM.

OBSERVATIO CRITICA.

Etiamſi ſacer Ordo, partim Monaſticus, partim Canonicus, haud amplius exiſtat; cum extra Britanniæ Inſulam vix propagatus fuerit; attamen ejuſdem ſalutaria Statuta ſecundùm Regulas S. Benedicti & S. Auguſtini condita, in hoc Regularum Codice locum merentur. Hujus enim Ordinis Auctor erat Gilbertus de Simpringham, nobilis Normannus, ſed in Anglia natus, Patre Joſcelino, Domino de Simpringham & Tyrington apud Lincolnienſes, qui, cum Gulielmo Conqueſtore in Angliam veniens duxit in uxorem nobilem virginem natione Anglam; ex quo legitimo thoro prodit Gilbertus, à paterna hæreditate cognominatus de Simpringham.

Hic ergò à Parentibus piè & liberaliter educatus, & in Gallias ad ſtudia altiora proſequenda miſſus, in patriam revertitur, atque ab Epiſcopo Lincolnienſi ordinatus Presbyter, totum ſe actibus pietatis & in proximum charitatis dedit: paternam hæreditatem pauperibus diſtribuens. Cùm autem videret plures honeſtas Virgines paupertate afflictas, nec ſervilibus operibus aſſuetas, illarum miſertus, novum Sanctimonialium Ordinem aggreſſus eſt, atque anno MCXLI. apud Simpringham Monaſterium condidit, pro ſeptem ſacris Virginibus, quas ſeparatis cellis incluſas eſſe voluit, extra Clauſuram conſtituens ſufficientem pediſſequarum famulatum ad exhibenda victûs & veſtitûs neceſſaria; quæ ſummo cum ſilentio Sanctimonialibus per cujuslibet Cellæ feneſtram porrigere debuerunt famulæ ad hoc officium deputatæ.

Dum igitur ſacræ illæ Virgines Simpringenſes, quamvis muris Monaſterii incluſæ, ubique pietatis radios ſpargerent, ad cæleſtem illarum vivendi modum amplectendum, & aliæ nobiles Virgines confluere cœperunt; quod plura Monaſteria condere S. Gilbertus coactus ſit; quibus Regulam S. Benedicti obſervandam præſcripſit. Verùm piiſſimus Inſtitutor, ſuis viribus haud confidens, curam & directionem tantorum Monaſteriorum in ſe ſuſcipere detrectavit, atque Ciſtercium accedens, in Capitulo generali Ordinis coram ſummo Pontifice Eugenio III. Piiſſimis illis Patribus arctiſſimæ diſciplinæ Benedictinæ cultoribus liberaliter obtulit curam & directionem noviter inſtituti Ordinis. Sed repulſam paſſus, in patriam revertitur, accepta ab Eugenio Papa Ordinis approbatione, ac tandem Monaſteriorum regimen Canonicis Regularibus tradidit, qui, tunc in Britannia, eximia pietatis & doctrinæ laude florebant.

Hinc, in eodem Ordine, etiam in eodem Monaſterio, duplex Regula obſervabatur; nam Canonici vivebant juxta Regulam S. Auguſtini, dum Sanctimoniales

diſci-

diſciplinam Monaſticam, juxta præſcripta Regulæ S. Benedicti, ſtrictiſſimè obſervabant. Monaſteria autem ita erecta fuerunt, quod nullum commercium utriuſque ſexus intervenire potuerit, utpote Canonico diſtincto Clauſtro viventes, nullum acceſſum ad ſacras Virgines Clauſtro longius ſeparato incluſas acquirere potuerunt, niſi ad adminiſtranda Eccleſiæ Sacramenta vocati, etiamſi Baſilica ſive Templum utriſque fuerit commune, ſuperiorem chorum frequentantes ſacræ Virgines, inferiorem autem Canonici. Hæc omnia ex ſequentibus Regulis clariùs patebunt, quæ non ſolùm ab Eugenio III. Papa approbatæ ſunt, ſed eaſdem poſtea ratas habuerunt ſummi Pontifices Romani, Adrianus IV. & Alexander III. imò Innocentius III. qui anno MCCII. S. Gilbertum jam an. MCLXXXIX. in cælum translatum, ſolenni pompa Sanctorum Faſtis adſcripſit.

Interea, à mortalibus abrepto S. Gilberto, ſacer Ordo, cum magna pietatis fama floruit, ſub regimine unius Magiſtri Generalis apud Simpringham fixam ſedem habentis, ubi etiam annalia Capitula Ordinis à Superioribus Monaſteriorum celebrabantur, in quibus quidem Sanctimoniales primaria vota obtinuerunt, imò illarum Sorores Laicæ ad votandum admittebantur, quod Fratribus Laicis Canonicorum permiſſum non fuit. In Monaſtico Anglicano, tom. 2. Vita S. Gilberti reperitur, ſimul & totius Ordinis Statuta, ex quo dicta deſumpſimus, quæ proin debitam fidem merentur, cum Dugdalius aſſerat ſe in illis deſcribendis uſum fuiſſe optimæ notæ Codicibus manuſcriptis. Diximus ſuperiùs, hunc Ordinem vix extra Britanniam propagatum fuiſſe, nam nullibi apud exteras nationes, de Guilbertinorum Cænobiis aliquod monumentum reperimus. Inter terminos ergo hujus Inſulæ comprehendebatur; atque in hodierna Scotia ſolummodo unum Monaſterium obtinuit apud Dalmulin, à Waltero III. ſupremo Regni Seneſcallo erectum, de quo fuſius in Monaſtico Scoticano, tom. 2. ſed latius ſe ſpargere cæpit per Angliæ Regnum, nam, tempore Henrici VIII. quando omnium Ordinum Religioſorum Monaſteria ſuppreſſa ſunt, hujus ſacri Ordinis XXII. eximia Cænobia idem fatum ſubiêrunt.

REGULÆ

Beati Gilberti & Succeſſorum ejus, per Capitula generalia inſtitutæ, & de exordio & ordinatione, inſtitutione Ordinis Canonicorum, Sanctimonialium, Fratrum & Sororum Laicarum Ordinis de Sempingham & de electione Magiſtri & autoritate ejus.

De initio Monialium, & Sororum & Fratrum, & victu & labore eorum.

I. AD honorem Dei omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus ſancti, cupiens ego Gilbertus de Sempingham, quod nos docet divina pagina, & orthodoxorum Patrum hortantur monita alios inſtruere, ut declinarent à malo & ea facerent, quæ Deo fuerint placita; caventes tortuoſi ſerpentis inſidias, qui bonorum operibus inſidiatur, ut diſſipentur & pereant; habui in poſſeſſione libera duas Eccleſias & quam plurima de jure Patrimonii mei, quæ divino mancipare cultui ſummo deſiderio curavi, & paupertatem pro Deo eligentium ſuſtentationi: Sed, cum non invenirem viros, qui pro voto meo diſtrictæ vitæ vellent pro Dei amore colla ſubmittere, inveni Virgines, quæ ſæpius inſtructæ à nobis, poſtpoſitis ſecularibus curis divino famulatui, ſine impedimento, optarent intendere. Quia igitur virginitas grata eſt Deo, quas habebam divino amore ſuccenſas, ædificatis Domibus & Clauſtro earum, per Dominum *Alexandrum Lincolnienſem* Epiſcopum ſeptem incluſimus, nuſquam poſtea, juxta propoſitum quod tunc habebam, egreſſuras; Nam plures illis viventibus ſuperaddere non arbitrabar. Quia verò periculoſum erat ſeculares mulierculas huc illucque curſitantes, quæ poſſent internunciæ fieri, potius mali quam boni, religioſis miniſtrare; conſilio Abbatis primi Rievallis, per me tranſeuntis, & propoſitum meum laudantis, mercenarias meas multa devotione flagitantes licere ſibi in habitu regulari, in paupere victu, & veſtitu, miniſtrare incluſis Chriſti: Miniſterio illarum vellatas deputavi, proponens eis legem qua viverent, dicens. Oportet vos Deo vovere caſtitatem, humilitatem, charitatem, obedientiam in bono, & perſeverantiam: abrenuntiare mundo, & omni proprietati, propriæ etiam voluntati: & cætera quæ conve-

miunt Religioni. Ad cibum verò & potum libram panis, & duo pulmenta & potum aquæ & nihil amplius ipſis conſtitui. Panem etiam dixi eis vilem & ruſticanum. Veſtimenta abjecta, & lectiſternia ſimiliter. Vigilias & labores multos, & quietem rariſſimam. Similiter, cum non haberem niſi ſeculares, qui præeſſent ſubſtantiæ domus meæ & agriculturæ: ſi mill modo & ordine per omnia in labore mi lto & victu pauperrimo, ut prædixi, de Laicis Sororibus; aſſumpſi mihi mercennarios, dans eis habitum Religionis, qualem habent Fratres Ciſtercienſes.

De exordio Canonicorum, & proviſione quatuor Procuratorum.

II. PRocedente verò tempore multis præclaris divitibus approbantibus vitam & converſationem Sanctimonialium, quas Deo incluſeram; dederunt mihi loca ad ædificandum eis manſiones, quisque in ſuo proprio. Cum ergo multiplicatæ in ſancto propoſito proficerent, nec eſſent mihi Religioſi literati, ad earum cuſtodiam & Laicarum regimini neceſſarii, Capitulumque Ciſtercienſe præſente Papa Eugenio, viro magni conſilii & ſanctitatis, adiſſem, ut Domos noſtras & ancillas Chriſti, Fratresque noſtros eorum regimini manciparem: omnino repulſam ſuſtinui: qua neceſſitate cogente aſſociavi mihi Clericos ad regimen & cuſtodiam earum & eorum, qui laboribus exterioribus ſe dederant, ut in vigiliis & jejuniis vitam ſecundùm Regulam S. Auguſtini tenerent, & remoti à Sanctimonialibus nullum acceſſum ad eas haberent, niſi ad illas, quæ morti proximæ, Unctione & Viatico indigerent. Sed & hoc fieri non permittitur: niſi in locis ad hoc opus cautius proviſis, pluribus ex utraque parte præſentibus. Nam Miſſarum ſolemnia celebrantur, pariete interpoſito, ne videant vel videantur mares à fœminis. Oratorium verò Canonicorum & Domus & Clauſtrum eorum longius à Curte, & Clauſura Sanctimonialium disjunguntur, & excluduntur, quemadmodum & Converſorum.

Victus etiam omnium & veſtitus cuſtodiæ Sanctimonialium, quemadmodum argentum, ſi eis fortè datum, vel de propria ſubſtantia adquiſitum fuerit, & cætera hujusmodi, quæ licite poſſunt earum ſollertiæ committi, decrevimus in perpetuum obſervari. Ad cuſtodiam verò univerſæ ſubſtantiæ, quæ virorum cuſtodiæ jure debetur, & eorum quæ vendenda vel emenda ſunt, quatuor viris diſcretis committi decrevimus; videlicet Priori & Cellerario & duobus illiteratis, quibus omnibus aſſenſus Præpoſitarum & aliarum, quæ eis aſſociatæ fuerint, diſcrete convenit adhiberi. Nec illis contradicentibus ſuper præmiſſis, quisquam ſibi poteſtatem uſurpet. Iis ita diſpoſitis, diffinitum eſt in communi Capitulo, ſi quis, quod abſit, inter Fratres Laicos & Canonicos & Moniales, vel inter Canonicos & Moniales, vel inter Moniales & Fratres Laicos diſcordias malitioſe ſeminaverit, ut diſſidium fiat, annuatim in communi Capitulo corpus ejus Sathanæ in interitu carnis tradatur, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini, niſi per miſericordiam Dei reſipiſcat & congrua ſatisfactione pœniteat.

De nuncio miſſo Domino Papæ.

III. DE victu verò & veſtitu Canonicorum, Monialium, Fratrum & Sororum, & ſingulis Inſtitutionibus noſtris, ſcripto innotuimus bonæ memoriæ Papæ Eugenio. Qui omnibus diligenter perlectis remiſit nobis Scriptum, ſine reprehenſionis nota, privilegio & auctoritate ſua corroborans, quidquid de iis, quæ ad cultum Religionis pertinent, fuerat à nobis inſtitutum vel de cætero à nobis & Succeſſoribus noſtris rationabiliter inſtituendum. Idem poſtmodum factum eſt à ſummis Pontificibus Adriano, Alexandro.

In quocunque loco contigerit Magiſtrum Ordinis de Sempingham migrare de ſæculo, deferatur corpus ejus apud Sempingham, & nuncietur obitus ejus feſtinanter omnibus Ordinis per Priorem Domus, in qua moritur; Convocenturque apud Sempingham, per mandatum Prioris Domus ejusdem, omnes Priores Ordinis, quolibet Priore Domus Conventualis ſecum ducente tantum unum Canonicum maturiorem Domus ſuæ, vel duos, & Circator Ordinis, & Pater confeſſionis, & duæ Prioriſſæ de qualibet Domo, cum matura Moniali, & Sorore Laica ad ipſarum miniſterium deputanda, & Scrutatrices de caretâ. Quibus ibidem congregatis, Prior de Sempingham corpus Magiſtri defuncti, cum debita ſolemnitate tradat ſepulturæ. Quo facto, ſtatim procedatur ad electionem alterius Magiſtri præficiendi, ſub forma ſubſcripta: In cujus electione, non tantum quæratur profunditas ſcientiæ Litterarum, vel generis nobilitas, quantum cultus Religionis & morum diſciplina, diſcretionisque ſubtilitas: Quia ſi non

fit

ſit affabilis & inſtitutionum Ordinis diligens executor & virtutum amator, non eſt admittendus, ſed omnino reprobandus. Similiter quicumque prece vel pretio, arte vel ſtudio Magiſterii Prælationem arripere contenderit, reprobetur.

Forma verò eligendi Magiſtrum talis eſt: Primo per Univerſitatem eligendi ſunt quatuor viri Deum timentes & Ordinem zelantes, qui inſpectis ſacroſanctis jurabunt, quod aſſument ad ſe IX. viros; ſcilicet quinque Priores & quatuor Clauſtrales, ſcilicet alios Canonicos, quos vita commendat honeſta & fama integra; videlicet de maturioribus & ſecundùm ſuam conſcientiam de melioribus ad Capitulum conſiſtentibus: & cùm iſtos IX. elegerint & eorum nomina ſcripto commendaverint, recitabunt quatuor Electores nomina novem Virorum, quos elegerint coram Univerſitatate, ut ſi major pars & ſanior Univerſitatis quemquam velit recuſare, cauſam aſſignando recuſationis, à numero Electorum excipiatur, & alius loco refutati per prædictos quatuor eligatur, & iterum nomina IX. Electorum coram Univerſitate publicentur; & totiens, donec in eos à parte ſaniore conſentiatur. Et cum io eos ſic fuerit conſenſum, intrabunt omnes Priores & Clauſtrales in Capitulum Monialium, & exponetur illis forma talis eligendi Magiſtrum, ut præbeant aſſenſum. Et poſtea jurabunt omnes iſti tredecim, quod quem magis æſtimaverint idoneum ad regimen Ordinis ſuſcipiendum; ſive de ipſis tredecim, ſive de aliis ad idem Capitulum conſtitutis, poſtpoſitis amicitia, & odio & familiaritate, & omni gratia & reſpectu, & quodcumque humanum judicium pervertere poſſit, io Patrem eligent & Rectorem. Præſtito ergo Sacramento, poſtea recedent ii XIII. per ſe ſeorſum, ſuper tam arduo negotio tractaturi; & reliquus Conventus Canonicorum Miſſam de ſancto Spiritu cum magna ſolemnitate & devotione, dum alii tractant de Magiſtro ſubſtituendo, celebrabit; Fratribus, Monialibus & Sororibus interim in oratione perſiſtentibus. Poſt Miſſam decantatam & negotium expeditum omnes in Capitulum Monialium redibunt, & iterum compromittent omnes ſe ratam habituros electionem; & ſic manifeſtetur ab aliquo tredecim Electorum, qui fuerit io Magiſtrum electus; qui dicet. Ecce hunc in timore Domini vobis elegimus Magiſtrum. Tuoc initiato altiſſima voce *Te Deum laudamus*, ducatur ad Altare, & inde in Capitulum Monialium, coram quo ſtatim legantur in audientia omnium diſtinctè & aperte ad intelligendum Statuta Ordinis perſonam Magiſtri contingentia, modum vitæ ejus, & formam regiminis Ordinis continentia. Quibus perlectis & ab ipſo intellectis juret inſpectis Sacroſanctis, quod libertates Ordinis & Iuſtituta jam lecta; necnon & alias rationabiles Inſtitutiones uſitatas & approbatas, prò poſſe ſuo diligenter ſervabit; & ſibi ſubditos ad earundem obſervationem, ſecundùm ritum Religionis, Monitis, & exemplis, & per cenſuram diſciplinæ regularis, cum neceſſe fuerit, efficaciter informabit. Quibus per Ordinem rite conſummatis, ſtatim fiat ei ab omnibus more ſolito obedientia.

De equitatura & Sociis Magiſtri, & ejus & aliorum Prælatorum Ordinis ſubſtitutione & depoſitione.

IV. SUmmus Prior Ordinis de Sempingham, qui curam omnium gerit, non cum pluribus quàm ſex equis, qui bigam ſi voluerit habere, licebit, ita tamen quod numerus prædictus equorum non excedatur, ſibi deputatis aſſidue proficiſcatur. Qui non bigam proprie ſibi aſſignatam, vel famulum aſſidue equitantem, ſed duos ſummarios & duos honeſtos Canonicos, Comites ſui itineris habeat, usque ad annuum Capitulum, ubique mutentur, ſi magis neceſſarii reperiuntur communi conſilio Majorum Ordinis, & Fratrem Laicum ſibi utilem & neceſſarium ad ſerviendum promptum, non ſamulum aſſidue equitantem. Perutile etiam fore conſtat, ut duos fideliſſimos Prior omoium collaterales habeat, ne pro graviori pondere quaſi Moyſi ipſius brachia deficiant; & quaſi Amalech malignus prævaleat injuſtorum certamine. Unus quorum, cum viderit neceſſarium, poterit mitti in ſcrutinium. Quem ſi fortè aliquando miſerit ſummus Prior de una Domorum noſtrarum tranſiturus ad aliam, fideliſſimum Canonicum de illâ Domo ſecum ducat, quem Prior Domus noverit caſtitatis & Ordinis amatorem. Ingreſſurus verò Clauſuram vel Domos Sanctimonialium, ipſum ſecum ducat cum illo, quem continuum Socium itineris duxerit, ad Religionis cuſtodiam & ad bona Ordinis melioranda. Qui juſſu ipſius ad propriam Domum revertatur peracto negotio, quod itineris ſui fuit cauſa. Dum autem fuerit in via, aures habeat ad audiendum, oculos ad videndum, os ad loquendum, archam cordis quæ fideliter cuſtodiat ſecreta, quæ cognoverit usque ad tempus congruum. Quod ſi fortè ioter Sorores aliquid emerſerit, quod ſoli Priori notum fieri oporteat,

 mares

mares longius diſcedant, ne audiant, ſed videant & à Conventu videantur ad ſedes proprias celerius reverſuri, completo ſermone ſecreto. Si fortè in aliqua Domo non invenerit itineri ſuo congruum, illum ſecum ducat comitem, quouſque alium idoneum inveniat; vel illum, quem in ſcrutinium miſerit, reſumat. Dum verò duos ſibi deputatos ſecum habuerit, aliquem alium ſumere non oportebit.

Hoc quoque magnopere conſiderandum eſt, ut ipſe Prior omnium, quidquid agendum eſt conſilio ſapientum, Fratrum literatorum, qui ei aſſignati fuerint, diſpenſet & ordinet; & illis neſcientibus nihil, quod eis celari velit vel ſtudeat, de rebus Monaſterii quavis occaſione eroget vel facere præſumat, ne extirpator Eccleſiarum non Pater judicetur. Quod ſi huic Inſtitutioni obviare attentaverit, vel, quod Deus avertat, ſuper incontinentia aut alio criminis eventu ſuſpicione manifeſta denotatus fuerit, vel bonorum Ordinis dilapidator extiterit, aut in perpetuam corporis invalitudinem deciderit; ſeu ſenio impotens corpore vel ſenſu effectus fuerit, ita quod Officium ſuum per Ordinem equitando, ut decet, complere non poſſit, trina ammonitione præmiſſa, infra annum, per quatuor Priores Ordinis vel alios diſcretos Canonicos Ordinis diſciplinam & rigorem, ſecundùm Deum zelantes, ad proximum generale Capitulum apud Sempingham, ſi gratis cedere renuerit; ab Officio miniſterii ſui per Univerſitatem Ordinis ibidem præſentem deponatur, & alius idoneus loco ipſius in continenti, per eandem Univerſitatem electione Canonica ſubſtituatur; proviſa illi ſic depoſito competenti & honeſta ſuſtentatione in aliquo Domorum Ordinis, cum debito unius Canonici vel duorum, & unius pueri miniſterio, ſecundùm adminiſtrationis ſuæ merita. Juſtum eſt enim & neceſſarium, ut ſi hic, cui cura totius Ordinis, ſimul & Religionis principaliter committitur, formam humilitatis in poteſtatem dominationis verterit, & Ordinis Obſervantiæ contemptor effectus, parentibus ſuis indiſcrete munificus extiterit, voti ſui & Profeſſionis oblitus, poteſtate ſua careat, & alius ſubſtituatur, qui ad ea, quæ Dei ſunt & cultui Religionis neceſſaria fructuosè pro viribus & diligenter intendat. Hoc idem ſervetur de Circatoribus & Domorum Procuratoribus, in utroque ſexu. Ipſi namque Priori omnium incumbit neceſſitas omnium ſaluti & Ordinis rigori diligentiam impendere, errata corrigere, bonos ad meliora incitare: Priores Domorum deponendos vel ſubſtituendos ad generalia Capitula cum conſilio deponere, vel ſubſtituere, alios univerſos ſicut diffinitum eſt in Scriptis Canonicorum, Capitulo IX. cum viderit neceſſarium & utile, de loco ad locum transmittere & mutare, prout viderit expedire, ad profectum Domorum in exterioribus ſeu ad bonum pacis vel diſcordiæ finem, & prout delictum exigit correctione digna caſtigare. Nec quis audeat adverſum eum ſuperbia vel invidia inflatus inſurgere, vel qualibet maligna machinatione eum fatigare. Incorrigibiles & inobedientes correctionem ejus in contemptu habentes, bonorum conſilio traditos Sathanæ, quouſque pœniteant, deputare.

Nec aliquis Prior vel alicujus Conventus, ſeu Domus noſtræ Profeſſionis Procurator, rem aliquam ad Domum aliquam noſtri Ordinis ſpectanten, ſine ſpeciali ipſius auctoritate, vel juſſione, coram quibuſcumque Judicibus, agendo, vel defendendo deducat. Verumtamen ſi fortè acciderit aliquid, quod ad profectum Ordinis & Religionis, vel Domorum, vel quod abſit in contrarium, Domibus vel Ordini eſſe creditur, in iis non exequendis, & quibus cauſa rei committitur terminanda, unde neceſſarium habeant, providendum eſt. Hoc enim univerſis Domibus Profeſſionis de Sempingham incumbit & non aliunde. Ita tamen, ut & Domus, quæ paupertate gravantur, & quibus minor eſt poſſeſſio, non opprimantur graviori pondere, ſed ſicut decet Sanctos in charitate teneant, quod ſcriptum eſt. *Alter alterius onera portate*; & ſic charitas fulgeat & Religio proficiat & omnia moderentur pio moderamine. Quibuſcumque verò diſcretis Prior omnium hujus expenſæ moderationem injunxerit, in vi obedientiæ omnes aſſenſum præbeant. Si verò, quod abſit, aliquis eorum, qui ſubſtantiæ Domorum præſunt, in prædictis expenſis reddendis non obedierint, poteſtate ſua priventur, & in altera Domo, prout juſtum fuerit, digna caſtigatione corripiantur.

De

De poteſtate Magiſtri in ſuſcipiendis ad Ordinem, & libris mittendis, & Confeſſionibus audiendis.

V. Suſceptionem Canonicorum, & omnium, ad Magiſtrum pertinere decernimus: Ita quidem quod Canonicos & Fratres Laicos, conſultis Prioribus & Conventibus Canonicorum; Moniales verò & Sorores, conſultis Prioribus & Cellerariis, Præpoſitis & Conventibus Monialium ſuſcipiet: Sed & Inſtitutionem noſtram, de numero ſuſcipiendarum, in ſingulis Domibus Ordinis, ubique per omnia firmiter obſervet. Nec aliquis recipiatur ab aliquo, ut veſtiatur à Domo, niſi per Priorem omnium: Receptus nullam habeat proprietatem.

Nec mittantur libri, qui de jure Sanctimonialium ſunt, de uno locorum noſtrorum ad alium, niſi per Priorem omnium vel per Circatores, vel per Priorem Canonicorum, ſi Prior omnium vel Circatores viderint expedire, & hoc aſſenſu Monialium. Majores etiam culpæ & minores omnium nuper à ſæculo ad converſionem venientium, Magiſtro in prima converſione ſunt denudandæ, vel cui ipſe hoc opus injunxerit. Et quicumque poſtpoſuerit, ex negligentia vel contemptu illi confiteri usque ad egreſſum vitæ, ſervitium quod debetur Fratribus vel Sororibus, non fiet pro eo ſicut pro Fratre vel Sorore; nec in Martyrologio ſcribatur. Rationabili tamen impedimento excuſari poterit non confitentis transgreſſio. Alioquin ſicut extraneo fiat ei ſepultura & ſervitium. Priores Ordinis noſtri, de licentia Magiſtri, generalem habeant auctoritatem omnium Canonicorum, & Fratrum Domorum ſuarum, quorumcumque delictorum Confeſſiones audiendi, & pœnitentias eisdem injungendi. Summus verò Scrutator eandem, & eodem modo auctoritatem habeat Priorum & omnium Canonicorum & Fratrum totius Ordinis Confeſſiones audiendi & pœnitentias injungendi. Sacerdos autem confeſſionis omnium generaliter, tam virorum quàm mulierum, Confeſſiones audiat & pœnitentias injungat; primæ Confeſſiones omnium excipiuntur, & alia manifeſta, quæ ob ſui gravitatem vel enormitatem, vires aliorum excedunt, & à Magiſtro ſunt examinanda & terminanda. Pro mortis vero periculo ſingulis ſubveniatur.

De rebus non emendis ſine Magiſtro & Chartis ſigillandis, & ſine ejus præſentia non ſigillandis & ſigillis habendis.

VI. Terræ vel nemora, vel aliquid aliud quod trium marcarum excedat pretium, ſine aſſenſu Prioris omnium non emantur, niſi fortè eo abſente Circatores & cæteri perutile fore viderint & neceſſarium, & non facere culpa ſit. Nihil ponderis vel virtutis decernimus habere, aliquod Scriptum vel Chirographum, ſignatum quolibet ſigillo Domorum noſtrarum, niſi fuerit ſignatum ſigillo Prioris omnium. Qui verò contra hoc ire præſumpſerit, neſciente Priore omnium, niſi fortè manifeſta neceſſitas coegerit, & communi conſilio utriusque ſexus ad tempus hoc factum fuerit, videlicet usque ad præſentiam Prioris omnium, furti Judicio puniatur, & in ultimo gradu pœniteat, nunquam ad ſuperiorem aſcenſurus. Similiter qui ſe fecerit tributarium vel firmarium cuilibet legi noſtræ vel Religioni adverſario. Nullæ Chartæ ſigillentur in Domibus noſtris ſigillo Capituli, niſi in Capitulo præſente Conventu: Inſuper de conſilio generalis Capituli firmiter inhibetur, ne unquam Charta aliqua robur vel virtutem perpetuitatis habitura, ſigillo Capituli alicujus Domus, in abſentia Magiſtri, ſignetur. Attamē ſi ipſe in remotis partibus fuerit, & damnum alicui Domui propter ejus tunc abſentiam in hujusmodi imminuerit, negotium illi ſub celeritate, ſignificetur, & ſic de aſſenſu ipſius fiat, quod faciendum eſt. Omnes autem Chartæ, quæ dantur de Domibus noſtris, ſcribantur duplices in modum Chirographorum, & altera pars remaneat penes Domum ſigillata ſigillo accipientis. Præter ſigilla Capitulorum, Magiſtri Ordinis, Priores, ſummi Scrutatores, Sacerdos confeſſionis, Subpriores, Cellerarii ſigilla habeant, & nulli alii.

De reverentia Magiſtri & mandatis ejus, & ſummorum Scrutatorum & & Scrutatricum faciendis; & obedientia & reverentia Prioribus debita.

VII. Tranſeunte Priore omnium inclinetur ei, ut Ordo exigit. Qui verò ſcriptis vel mandatis Prioris omnium inobedientes fuerint, & cauſam ei feſtine indicare tardaverint, quaſi excommunicati habeantur, quousque ab eo abſolvantur. Hoc idem ſtatuimus de his, qui in contemptu ſummos Scrutatores, vel Scrutatrices habuerint; vel rationabilibus mandatis eorum non obtemperaverint,

rint, vel neceſſitatibus eorum ſubvenire contempſerint. Hæc eadem obedientia debetur ſingulis Prioribus Domorum, ſicut Prior omnium viderit expedire. Et eo abſente ſeparetur inobediens à menſa, vel etiam ab Oratorio, ſi major fuerit culpa. Incorrigibilis autem de Ordine dejiciatur. Caveant etiam Fratres, ne graviori vindictæ ſubjaceant, ſi in agendis Cellerario obtemperare contempſerint.

De Procuratoribus Domorum magnis & parvis, intus & extra per Magiſtrum conſtituendis.

VIII. PRior, Subprior, Cellerarius, Procurator, Grangiarius, Abbatiæ major Bercarius, Cuſtodes operum & ovium Monialium, per Priorem omnium in ſingulis Domibus ponentur, & cum oportuerit, deponentur. Subcellarius Fratrum Lincolniæ, & Cuſtos Infirmariæ ſimiliter. Cæteri verò Obedientiarii omnes, inter Canonicos & Fratres per Priores Domorum conſtituentur, & cum oportuerit, deponentur. Item in ſingulis Domibus Monialium tres Præpoſitæ, & Subpræpoſita, & Celleraria, & Scrutatrices Clauſtri, & Cuſtos laboris Sororum, per Magiſtrum ſtatuentur, & cùm oportuerit, deponentur. Cæteræ verò Obedientiariæ per Præpoſitas Domorum ſtatuentur, & cùm ratio dictaverit, deponentur. Auctoritas tamen & poteſtas Prioris omnium ſuper omnem poteſtatem Priorum & Præpoſitarum eſt, ut omnes Obedientiarios magnos & parvos, prout viderit expedire, diſcretè diſponat, ſi oportuerit.

De pecunia Symoniacè non exigenda pro ſuſceptione alicujus.

IX. SAcrarum Canonum Staturis obtemperantes, deteſtabilem execramus Symoniæ hæreſim, ſub anathemate prohibentes, ne ab aliquo viro, ſeu muliere inter nos ſuſcipiendo, pro ingreſſu Monaſterii aliquid exigatur; ſed ſi quid fuerit ſponte oblatum, ſuſcipere licebit, omni illicita pactione, ſive exactione excluſa: In aliis quoque rebus & negotiis ſpiritualibus, idem Symoniæ vitium inhibemus, & eum, quicumque fuerit aggreſſus, parti Symonis primi, hujus ſceleris Auctoris, cum ſua pecunia in perditione deputatum denuntiamus.

Incipiunt Capitula de ſummis Scrutatoribus.

De ſummis Scrutatoribus conſtituendis & eorum Auctoritate.

I. SI his, qui Prior eſt omnium, aliqua occupatione, vel neceſſitate detinetur, ne poſſit viſitationi ſingularum Domorum, tam frequenter, prout oportet, intendere, licet ei duos probatæ Religionis & diſcretionis Canonicos & Fratrem unum Laicum diſcretum eligere, conſilio Majorum Ordinis, qui vices ejus ſuppleant in his tantum, quæ ipſe dictaverit. Non licet eis aliquem vel aliquam in Novitium ſuſcipere, vel benedicere, aut deponere, nec Domos vel Curtem Sanctimonialium ingredi, niſi cum fidelibus teſtibus, neceſſitate cogente, nec Domorum pecuniam, in auro & argento ad deferendum, quoquam vel dividendum ſibi aſſumere. Unus quoque, cui Prior omnium injunxerit & ratio dictaverit, principaliter poteſtatem loquendi habebit de iis, quæ ad cultum Religionis & Ordinis cauſarumque & rerum diſponendarum pertinere videntur; & in his omnibus Fratrum conviatorum utatur conſilio & auxilio. Poterit tamen, qui voluerit, alteri Canonico confiteri. Eandem licentiam & poteſtatem alter habebit, ſi fortè ſolus licenter jerit, cum Fratre Laico vel alio literato. Si Prior Domus aliqua cauſa defuerit, in Capitulo & ubique vices Prioris tenebit. Præſente Priore Domus in Eccleſia, & in omnibus locis converſionis ſuæ, locum tenebunt, niſi dignitas Sacerdotii eos ad ſuperiorem gradum promoverit. In unaquaque Domo ad minus per unam hebdomadam moram faciant, vel amplius, niſi cauſa neceſſaria impedierit; & ſciant tam de Grangiis, quàm de Abbatia, quomodo Religio proficiat & ſubſtantia Domus creſcat.

De eiſdem, & Scrutatricibus & eorum & earum mutatione.

II. CUpientes igitur unitati Domorum noſtrarum, & ſtabilitati Religionis Ordinis noſtri ſalubriter providere, ſtatuentes præcipimus, in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti, quatenus unus vel duo Canonici Deum timentes, & Ordinis & Inſti-

inſtitutionum noſtrarum amatores, & Frater Laicus ad obſequium prædictorum Canonicorum & ſolatium, eligatur per Priorem omnium & Majorum Ordinis, ac diſcretorum conſilio, qui circumeant omnes Domos noſtri Ordinis, & corrigenda corrigant, neſcientes inſtruant, ad ſanctiora & utiliora aſpirantibus vires admoniſtrent: Et quod vites eorum exceſſerit vel corrigere non poterint, ad generale referant Capitulum, ut ibidem inſolertia delinquentium digna caſtigatione emendetur. Similiter in fœmineo ſexu tres fideliſſimæ, duæ literatæ & tertia illiterata, ad famulatum duarum illarum & ſolatium. Viri ſæpius per annum ſingulas Domos viſitabunt. Sorores verò ſemel per annum, quia vehiculo traheodæ ſunt, vel bis eundo, ſcilicet & redeundo, & non amplius, niſi manifeſta neceſſitas & ratio hoc fieri faciat. Quod ſi neceſſitas, vel utilitas, vel profectus Religionis & pacis poſtulaverit, poteſt transmutatio fieri ſuper his Circatoribus, & ad alios, prout Prioris omnium & ejus conſilii ratio dictaverit, & onus laboris & ſollicitudinis eorum, aliis Deum timentibus, imponi poterit. Similiter & de Circatoribus. Singulæ duarum Circatricum ſingulis hebdomadibus ad invicem præponantur. Ipſi verò Scrutatores utriusque Sexus ab omni munere manus excutiant, ut liberè, quæ corrigenda ſunt, corrigere queant.

De veſtibus Circatorum & Circatricum & Capellanorum & Magiſtri certis locis recipiendis.

III. ASſignentur ſingulis Circatoribus & ſingulis Circatricibus noſtris & Capellanis, Magiſtris & Sacerdoti confeſſionis ſingulæ Domus Religionis noſtræ, unde veſtes & calceamenta, cùm opus habuerint, accipiant ibidem, relinquentes vetera, quæ deponunt pro novis. Nec quisquam pro ſe loquatur, ſed alter alterius neceſſitatem indicet ſubveniendi poteſtatem habentibus: Quod ſi numerus Domorum numerum præfatorum veſtiendorum præceſſerit, digno moderamine in charitate ratio dictet, ne una Domus plus alterâ gravetur.

De pitantia Circatorum, & aliorum Ordinis ſupervenientium.

IV. CUm Circatores ad aliquam Domorum noſtrarum venerint, ſi Conventus Domus pitantiam non habuerit, tamen dabitur Circatoribus; ſi verò habuerint; ſufficiat eis, quod ſatis eſt Conventui. Hoc idem teneatur de omnibus ſupervenientibus noſtri Ordinis, exceptis Prioribus & Præpoſitis aliarum Domorum, ſi caſu ſupervenerint. Summis etiam Scrutatricibus, quæ ſemel vel bis ſingulis annis ſingulas Domos viſitaverint, ſi quid ſuperadditur, quod Religioni conveniat, ſuſtinemus.

De itinere ſummi Circatoris, & Sacerdotis confeſſionis.

V. SUmmus Scrutator Canonicorum, & Sacerdos confeſſionis, ſimul eant per Domos, ſi convenienter fieri poſſit; & dum Confeſſor moratur in Cœnobio, Scrutator per Grangias eat cum Canonico vel Fratre, quem Prior Domus ei aſſignaverit, & interim exſpectabit eum Confeſſor; & in receſſu ſuo de una Domo ad alteram, habebit equum ad pannos ſuos portandos, usque ad primam Domum, & ſtatim remittetur.

De ſummis Circatricibus, & qui & quot cum illis in itinere ire, & quomodo ſe ad invicem habere; & unde neceſſaria itineri accipere debent.

VI. CUm omnium Domorum Circatrices, de una Domo ad alteram fuerint profecturæ, Priores & Cellerarii, Procuratores & Grangiarii, vel quicumque præſunt Domibus noſtris diligenter provideant, ut ad minus duo viri; videlicet Canonicus & Frater honeſti & fideliſſimi de noſtro conſortio eant cum Monialibus, quæ ſcrutinium faciunt in anno per ſingulas Domos noſtras, usque ad locum determinatum celerius reverſuri. Qui fideliter in itinere eis ſerviant, in his quæ regulariter oportet & decet. Qui autem neglexerit & aliter quàm oportet, & ſtatutum eſt, fecerit, & earum mandatis juſtis in neceſſariis inobediens extiterit, tanquam transgreſſor Ordinis & Profeſſionis ſuæ, in ultimo gradu pœnitebit quadraginta diebus, bis unaquaque hebdomada in pane & aqua. Hoc autem dicimus ad profectum Ordinis & pacis. Dum verò ipſæ in procinctu itineris fuerint prædictis Canonico & Fratri, cum ipſis loqui interdicimus, præcipuè in occulto, niſi manifeſta neceſſitas poſtulaverit; videlicet propter immi-

imminens mortis periculum, vel damnum incendii vel furti, vel aliam juſtam neceſſitatem & hujusmodi, quæ caſu contingere poſſunt. Cum autem neceſſario oportuerit, una earum poteſt loqui de neceſſariis, quaſi ad tertiam perſonam, aliis audientibus, dum fuerint in via. Similiter unus de Fratribus, cum conviatore, de neceſſariis loquatur paucis verbis, ſed raro. Cùm verò tempus venerit tranſeundi de una Domo ad aliam, ſine murmure & dilatione, quæ neceſſaria fuerint ſummis Speculatricibus, in itinere ordinentur à Prioribus Domus vel Cellerariis, Grangiariis, vel Procuratoribus. Similiter & cæteris, ſi fortè de una locorum ad alterum ordinata conſideratione tranſitum habere contigerit. Virorum Religioſorum hoſpitium omnino caveatur à noſtris Monialibus, propter linguas malignantium, niſi ibi fuerit habitatio fœminarum, noſtris Grangiis exceptis, ad quas declinare licet, cùm juſta cauſa poſtulaverit. Omnino inter Fratres & Sorores vel Moniales in via confabulationes interdicimus; nec ullus ſermo fiat ad Moniales, qui non audiatur ſimul à Canonico & Fratre. Aliter facientibus communicatio corporis Chriſti interdicatur, quousque Priori omnium manifeſtetur.

De Scrutatricibus Clauſtri & veniis Clauſtralium ſumendis.

VII. PRior omnium & ſummæ Speculatrices, in ſingulis Domibus Monialium, tres vel quot ſufficere poſſint Sorores eligant probatæ Religionis & diſcretionis, ut earum conſilio & ſollicitudine errata Domus corrigi valeant, & quæ bona ſunt meliorari, Prioris omnium præſidio & Speculatricum adminiculo. Ipſæ verò, cui Prior omnium juſſerit, confiteantur & venias ſumant vel cui Speculatrices præviderint, ne, quod abſit, Præpoſitæ poteſtas libertatem earum in rebus corrigendis opprimat. Silentium tamen tenebunt, & Ordinis rigorem per omnia, ut vita earum exemplum bene vivendi ſit cæteris. Præpoſitæ etiam in omnibus debitam reverentiam & obedientiam exhibeant. Bis vel ter in anno Priori omnium, ſi fortè affuerit, vel quibus ipſe juſſerit, ad ſermonis feneſtram errata Domus manifeſtabunt; & teporem Ordinis & Præpoſitæ, vel aliarum negligentiam. Quod ſi earum correptio parvipenditur, transgreſſio gravius emendetur.

De libris per Scrutatores & Speculatrices intromittendis, & extra recipiendis.

VIII. PEr Speculatrices mittantur libri neceſſarii foras, cùm quæſierint Canonici Domus. Similiter per Speculatores mittentur Sororibus, cùm opus habuerint, & hoc per Fratrem feneſtræ; ſed hoc rarò, videlicet cùm manifeſta neceſſitas poſtulaverit, præſente tamen ſummo Speculatore; Eo abſente, per Scrutatorem anni illius qui de Domo illa non fuerit.

De annuis Scrutatoribus & Scrutatricibus providendis, & de itinere Scrutatorum ad Capitulum.

IX. SIngulis annis mittantur Scrutatores utriusque ſexus, literati & illiterati, ad ſingulas Domos noſtràs, quorum vita & mores teſtimonium bonum perhibeant Religioni Domus ſuæ; ne ſit confuſio his, de quibus exierunt, tam Prælatis quàm ſubditis. Qui aliter fecerit in area Refectorii comedat ſine mapula & menſa VI. Feria in pane & aqua: de alia verò Domo non de ea, ad quam veniunt, erunt Scrutinium facientes in Domo ſua, de qua exeunt. In virtute etiam ſanctæ Obedientiæ ſub voto & Profeſſione Deo facta præcipimus, ut Canonici ſingulis annis ad ſcrutinium mittendi, & à ſcrutinio reverſuri pannos ſuos in præſentia Priorum ſuorum vel alicujus diſcreti per eos ad hoc aſſignati, involvant & conſuant. Quod ſi in abſentia Priorum vel eorum aſſignatorum factum fuerit, panni turpiter coram eisdem Prioribus diffuantur; & ſi quid ibidem inordinatè involutum fuerit repertum, Scrutatores eo careant, & culpam inobedientiæ verbere gravi & jejunio luant; ut cæteri timorem habeant, & ſibi caveant. Eadem, & eodem modo Fratres Scrutatores in præſentia Grangiariorum Abbatiæ faciant. Quod ſi contempſerint, gravius puniantur. Similiter fiat de Canonicis, & Fratribus de loco ad locum mittendis: Moniales verò & Sorores ad ſcrutinium annuum mittendæ, vel à ſcrutinio reverſuræ, in præſentia duarum Præpoſitarum, & unius Speculatricis Clauſtri, pannos ſuos involvant & conſuant, nihil omnino inter eos involventes vel conſuentes, præter illa ſolummodo, quæ ad ordinatum habitum Monialium & Sororum regulariter pertinere

nere dignoſcuntur. Quod Statutum quæcumque literata vel illiterata contempſerit, & pannos ſuos in abſentia prædictarum involverit, vel conſuerit, & res quantulaſcumque ad habitum ſuum regulariter non ſpectantes incluſerit comperta, reeellis illis turpiter ſpoliatur, in ultimo gradu pœnitens à corpore Chriſti, per ſeptem annos privata, niſi pro mortis periculo ad aliam Domum mittatur, diſciplina regulari & jejunio caſtiganda adDomum unde exiit nunquam reverſura. Caveant verò Præpoſitæ, ne ſi contra prohibitionem promiſſam alicui literatæ vel illiteratæ, licentiam dederiot rem aliquam vel librum ſuſtolleodi à poteſtate ſua indecenter depoſitæ, ultioni graviori ſubjaceant. Si autem Magiſter Ordinis ſarcinulas Scrutatorum & Scrutatricum ſuper præmiſſis ſuſpectas habuerit, carrectas herneſiorum ad aliquem locum idoneum, extra Curtem Monialium diverti, & ſingulas Sarcinulas per ſummum Scrutatorem & Sacerdotem confeſſionis vel ſuos Capellanos diligenter faciat perſcrutari; ut ſi quid contempta prohibitione fuerit attentatum, digna caſtigatione valeat emendari. Canonici & Fratres annuum Scrutinium facturi & à Scrutinio redditurі, cum Prioribus vel Cellerariis Domorum eant & redeant, non cum Monialibus, neque cum ductoribus Monialium. Idem inter Moniales & Sorores ſuo modo firmiter obſervetur.

De eiſdem.

X. CUm mittuntur Scrutinium facientes de ſua Domo ad alium, pannos & cætera neceſſaria de propria Dumo ſumant & ſecum ferant. De illa tamen Domo, ad quam tranſeunt, ſument victui neceſſaria, & acus & fila, & unde emendentur ſciſcuræ panoorum & calceamentorii, & ſufficiant eis in aliena Domo, quæ ſufficerent in ſua. Quicumque mittuntur de una Domo ad aliam, ut ibi maneant, ſimiliter fiat.

De eiſdem & eis neceſſariis providendis & per quos debent provideri. Et itinere eorum per annum prohibito.

XI. SI Prior & Cellerarius Procurator & Grangiarius non providerint Scrutatoribus ſuis, quæ ſufficiant eis per annum in veſtitu & calceamentis, cum venerint ad Capitulum de ſuo veſtitu & calceamentis eis ibidem aſſignetur ad plenum, ne pro inopia occaſionem habeant remeandi vel vagandi ante annuum Capitulum. Quod ſi ſecum non adduxerint Scrutatores de ſua Domo, ſingulis diebus, ſumpta venia in Capitulo, potu careant, quo inebriari poſſint, contenti uno pulmento, niſi ratione dictante, occaſio conveniens in aliquo mitigaverit transgreſſionis pœnam. Hoc idem ſervetur in fœmineo ſexu. Caveant, qui præſunt Domibus noſtris, ne occaſione aliqua diſtorta, aliquem vel aliquam mittant ad Scrutinium, contra quod de Scrutatoribus ſcriptum eſt. Qui verò regulariter eligitur ad Scrutinium, ſi refutaverit, ab Ordine & Communione & pitantia privetur, uſque ad condignam ſatisfactionem. In omnibus his poteſtas & Juſtitia ſummis attribuitur Circatoribus, abſente Priore omnium. Licet etiam literatis Scrutinium facientibus per omnes officinas Fratrum, ſicut ipſi Priori Domus, occulta & manifeſta ſagaci inquiſitione ſcrutari, ſi ipſos Scrutatores diſcretos & moribus maturos fore conſtiterit: Laicis verò per omnia in ſuo Ordine. Similiter & Scrutatricibus per officinas Monialium & Sororum in una conclavi ordinate morantium. Prohibemus autem, ne Scrutatores annui quoquam eant equo vel navi niſi per licentiam Magiſtri, vel ſummorum Scrutatorum, niſi fortè Priores Domorum eos ſecum duxeriot.

De malitioſè Scrutantibus, & delicta celantibus, & crimen aliis imponentibus.

XII. FRatres & Sorores, qui Scrutinium faciunt, caveant ſibi, ne aliquid malitioſè componant adverſus aliquem vel aliquam mentientes. Quicumque hoc fecerint, convicti, ſceleris nefandiſſimi vindictæ ſubjaceant. Sed potius Sorores ex parte ſua pateſaciant Priori omnium delictum & delicti probationem in præſentia diſcretarum Sororum. Similiter Fratres, coram diſcretis viris, quorum conſilio tractetur culpa & culpæ pœna. Quicumque verò Scrutinium faciens celaverit delictum, vel Ordinis transgreſſionem aut teporem, & hoc revelatum fuerit & probatum, convictus gravi pœna puniatur, videlicet quaſi excommunicatus XL. diebus ſedebit in area Refectorii ad reficiendum vel potandum. Et in omni loco per totum annum gradum tenebit ultimum. Si verò literatus fuerit, nullum in Eccleſia complebit officium. Similiter nec Laicus in ordine ſuo, niſi

manifeſta ratio vel neceſſitas culpam utriusque aliter puniri poſtulaverit. Si quis autem aliquid, quod regulariter emendatum fuerit, ex malevolentia publicaverit vel clamaverit, vel falſo Priori vel Conventui crimen adinvenerit, graviſſimæ vindictæ anathematis ſubjaceat.

De Scrutatoribus ad Domum ſuam reverſuris.

XIII. OMnes Scrutinium facientes, finito generali Capitulo, ad Domum unde exierunt, redeant, niſi manifeſta infirmitas ad tempus impedierit, vel Prior omnium aliud magis expedire viderit. Qui verò contra hoc murmuraverit, & alibi aliqua arte remanere tentaverit, in ultimo loco hujusmodi pœnitere conveniat, donec contrito corde & humiliato de tanta transgreſſione ſe pœnitere indicaverit. Si verò alterius inſtinctu tantam transgreſſionem incurrerit, ſimili vel graviori pœna culpam luere convenit, cujus inſtinctu hoc factum fuiſſe conſtiterit.

De punitione perſequentium Ordinis amatores.

XIV. CAveant omnes noſtri, ne ullo modo odio perſequi præſumant, vel calumniis, aut querelis, aut accuſationibus injuſtis perturbare Fratrem fidelem, qui reprehenderit vel reſtiterit his, qui operantur contraria Religioni & Inſtitutionibus noſtris; vel quia Priori omnium Fratribusque Scrutinium facientibus transgreſſiones indicaverit, ut corrigantur. Hoc autem facientes contra ſe teſtimonium perhibent Religioni ſe adverſari, & ad ſiniſtram declinare. Quod ſi hujusmodi culpa Priores Domorum maculaverit, in inferiori gradu eos pœnitere decernimus, ubi & prout Prior omnium diſcretorum conſilio viderit expedire. Si verò in ſubditos culpa redundat, in ultimo gradu ſub gravi pœna pœniteant, ut cæteri caveant ſibi.

Incipiunt Capitula de quatuor Procuratoribus Domorum.

De quatuor Procuratoribus in ſingulis Domibus conſtituendis, & concordia inter eos ſervanda.

I. IN ſingulis Domibus noſtris IV. viri, Deum timentes, Ordinis & Religionis noſtræ amatores, diſcreti & pacifici; videlicet Prior & Cellerarius, Procurator, & Grangiarius, vel alius diſcretior, ad quorum curam & diſpenſationem univerſa ſubſtantia, quæ ad viros pertinet, eis ordinanda & diſtribuenda præcipuè committitur. Nec quisquam aliquid de ſubſtantia Domus eroget, ſine eorum aſſenſu, vel contra eorum aſſenſum, vel mandatum; nec poteſtatem ſibi aſſumat. Ipſi verò quæque neceſſaria ſunt Monialibus, ſine murmure vel dilatione providere; & adminiſtrare ſatagant. Quod ſi fortè neceſſitate cogente communi conſilio Fratrum, Cellerarius vel Procurator profecturus ſit ad aliquid magni pretii vendendum vel emendum, vel aliquid hujusmodi, aſſignetur cuilibet eorum per Priorem Domus fideliſſimus Frater, qui ad feneſtram Sororum, ipſo præſente, pecuniam recipiat, receptam ferat ad ejus imperium, cum quo ierit, ubi juſtum fuerit, diſtribuat. Redeuntibus illis, quod reponendum eſt, ad feneſtram Sororum, per Priorem Domus reponat. Nec inde diſcedat quousque depoſitum in earum cuſtodiam veniat, in quarum cuſtodia pecunia ſervatur. Quod ſi fortè Cellerarius & Procurator, ratione dictante ſimul ierint, Frater Laicus pecuniam, ſi expedit, ferre poterit. Et quidquid de pecunia Domus venditum vel emendum fuerit, Præpoſitæ & cæteris Majoribus Domus manifeſtum fiat. In omnibus quæ agenda vel diſponenda ſunt, prædicti quatuor concordes eſſe laborent, prout Ordo & ratio & Religio dictaverit. Et ſi tres eorum in aliquo conſentiunt, quartus eis adquieſcat, vel reſervetur actio præſentiæ Circatorum aut Prioris omnium, ſi aliorum conſilio Fratrum utiliter non poterit fieri; ſi quis verò eorum omnem poteſtatem eis creditam ſibi arripuerit, Confratrum contempto conſilio, aut caſtigatus deſiſtat, aut removeatur, & alius loco ejus ſubſtituatur Prioris omnium conſilio.

De

De Priore & ejus itinere & equitatura & officio & dignitate.

II. NUllius Domûs Prior in negotiis ſuæ Domus, quoquam longius iturus, ſine Canonico vel Fratre Laico vel Seculari fideli proficiſcatur; niſi inmoderata paupertas aliter eum facere compellat. Cauſam verò ſui itineris, Subpriori Domus & cæteris Procuratoribus manifeſtet. Nec aliquis Prior binariam equitaturam, niſi evidenti cauſâ cogente, excedat: Sed Priores longius ituri vel Cellerarii juſſu eorum equum habeant, ad pannos ſuos & alia neceſſaria in itinere ferenda, excluſo omni pompoſo apparatu. Omnibus autem noſtri Ordinis Profeſſis famuli equitantes generaliter interdicantur, & etiam Magiſtro. Quæ verò agenda vel diſponenda, tractanda, vendenda, vel emenda ſunt, Prioris ſanioris conſilio fiant; & omnes ei debitum honorem & reverentiam exhibeant, & in bonis obedientiam. Nec ipſe ſine conſilio Prioris omnium & Fratrum aliquid agat, quod eis velit vel ſtudeat celari, & præcipuè tribus ſibi aſſociatis. Similiter nec quisquam ſubſtantiam Domus, aliqua arte erogare ſtudeat, ut eum lateat, vel alicujus operis vel itineris poteſtatem ſibi arripiat, ſine ejus aſſenſu utili & diſcreto. Ipſe Prior principalium Feſtorum Miſſas & præſentium Defunctorum exequias compleat. Quod ſi defuerit, Præceptor provideat; qui abſentis vices ſuppleat, niſi Prior omnium præſens extiterit, ad cujus dignitatem iſta pertinere dignoſcuntur. Præſente Magiſtro, nulli Priori liceat dare licentiam alicui Canonico, vel Fratri quoquam eundi, niſi in negotiis Domus, nec alicui mulieri Seculari intrandi ad Moniales. Prior verò, vel vices ejus agens det habitum ſi exierint. Et cum ſcriptum ſit, qui benè miniſtrant, gradum ſibi bonum adquirit, Priores noſtri, qui aliquamdiu in officio ſui Prioratus fructuosè pro viribus & ordinatè miniſtraverint, ſi ſenio confecti vel corporis impotentia coacti beneficium remiſſionis à ſuo Prioratu obtinuerint, ab illa, cui benè præfuerunt, Domo, dum poterant; effecti debiles non amoveantur; Sed potius majori munere miſericordiæ & honoratiore ſuſtentationis ſubſidio debite venerentur; providentes ne contemptus vel inquietudo, inobedientia & irreverentia erga ſibi ſubſtitutos tantam gratiam demereatur. Una Miſſa ſpecialiter dicatur pro Priore in Conventu ſingulis annis in Anniverſario Prioris in Prioratu ſuo defuncti, in Domo cujus fuerit Prior. Quacumque verò hora Prior obierit poſt ſignum ad Matutinas, habeat plenariè vigiliam ſuam tota nocte ſequenti.

De loquela Prioris & Cellerarii, & de Subpriore & Subcellerario.

III. DUobus principaliter loquendi poteſtas conceditur inter noſtros; videlicet Priori & Cellerario, in exterioribus Domorum negotiis. De interioribus verò quemadmodum alibi diſtinctum eſt in diverſis Capitulis, teneatur. Quod ſi Prior quoquam abierit, Subprior vel alius, quem ipſe aſſignaverit, ſi Subprior abeſt, vices ejus ſuppleat, in his quæ ipſe dictaverit, & ratio permiſerit. Subprior verò, Priore abſente, vel in Infirmitorio exiſtente nullum noſtrorum Canonicum aut Fratrem, in ſæculum eundi, vel alicubi equitandi, niſi pro Domus negotio licentiabit, Capitulum tamen tenebit. Infirmos Canonicos & Fratres viſitabit, Canonicis & Fratribus, infra Abbatiam licentias ordinatas loquendi dabit & minuendi. Venias ſumet, & de venialibus Confeſſiones audiet. Delicta quotidiana, ſine quibus in Religione non vivitur, emendabit; & cætera Religioni decentia, prout Ordo permiſerit & ratio poſtulaverit, habito diſcretorum conſilio diſponet. Priore abſente, pro negotio Domus pedes vel eques, ubi neceſſe fuerit, ire poterit. Priore infirmante, mulieribus ad Moniales intrandi, maſculis cum Monialibus alicubi loquendi, Canonicis aut Fratribus extra portam quoquam egrediendi, ſine aſſenſu Prioris, licentiam dare non præſumat. Priore in Conventu exiſtente, nullius confeſſionem audiat, periculo mortis excepto, niſi ab eo juſſus vel permiſſus. Quod ſi hujusmodi Inſtitutionis contemptor inventus fuerit, corripiatur ſemel & ſecundo; & niſi ordinatè emendaverit, ab officio deponatur. Caveant etiam Priores, ne ſi poteſtatem Subpriorum ſuorum inordinatè arctaverint, vel ſi Canonicis ſuis aut Fratribus eundi ad Grangias ſolummodo commedendi aut bibendi cauſa licentiam dederint, ſimilem inobedientiæ pœnam incurrant. Secum verò ad Grangias ordinate ducere Canonicos & Fratres pro loco & tempore Prioribus non prohibemus. Subcellerarius verò & Grangiarius, & qui variis ſunt Officiis deputati, locis & temporibus, de quibus & cum quibus Ordo permiſerit, Prioris aſſenſu loqui poterunt; videlicet de pertinentiis ad officia ſibi credita.

De ingreſſu Prioris & Cellerarii in Capitulum Monialium.

IV. PRiores vel Subpriores Prioribus abſentibus, vel vices eorum agentes, abſentibus utriſque aſſociatis ſibi duobus Canonicis, ætate moribusque maturis, & uno Fratre Laico maturo & honeſto, perſonas authenticas & alios ex bonis ſibi collatis aliquid incluſis Chriſti & Sponſis charitative daturos; necnon & eos, qui ex devotione petierint participes Orationum & Beneficiorum noſtræ Religionis fieri, ſive Religioſos ſive Seculares in Capitulum Monialium reverenter introducant, & ordinatè reducant. Completo etiam ſermone qui ad introductos pertinet, cum egredientibus egrediantur, noſtri nihil loquentes vel ſignificantes cum Sanctimonialibus. Nec de noſtris aliqua eo tempore ſtando loquatur cum aliquo in Capitulo, ſi rationabiliter vitari poterit.

De parentibus Prælatorum in Domibus, quibus præſunt, non ſuſcipiendis.

V. SI fortè aliquos de conſanguineis Priorum vel Majorum aliorum utriusque ſexus noſtri Ordinis, in Congregatione noſtra ſuſcipi contigerit, in illa Domo, cui præſunt, non ſuſcipiantur, nec remaneant niſi ratione dictante neceſſitas poſtulaverit. Nec tamen ſine conſilio Circatores, & juſſu Prioris omnium hoc fieri permittatur. Verumtamen pro inſtanti neceſſitate, morti proximos parentes, ad horam ſuſcipi ſuſtinemus, & permanere quousque de infirmitate convaleſcant.

De poteſtate Procuratorum, & etiam Monialium Scrutinium faciendi in Grangiis noſtris, ubi venerint. Et de virgulto & melle.

VI. PRior vel Cellerarius, Procurator vel Grangiarius veniens ad quamlibet Grangiarum ſuarum, poteſtatem habet, & debitum eſt illi per ſingulas Domos, cum omni diligentia perſcrutari, & videre omnia, quæ ibi habentur victui neceſſaria, in manifeſto poſita, vel in abditis locis abſcondita, & quæ juſtè debentur & quæ injuſtè habentur ad Monaſterium Sanctimonialium tranſmittere. Hoc idem debetur noſtris Sanctimonialibus, caſu vel rationabiliter illuc venientibus. Hoc enim eis debetur, & firmiter teneatur. Univerſa etiam ſubſtantia Domus, Præpoſitis & cæteris Majoribus, quæ ſub ea fuerint, curam Domus gerentibus, manifeſta fiat ab his, qui exteriotem curam babuerint. Nec quisquam audeat contra earum aſſenſum aliquid erogare. Quod ſi aliquis contra hoc murmuraverit, tanquã infidelis, ab eodem loco temoveatur & digna caſtigatione culpam luat, ut de cætero caveat. Virgultum verò, ſi fecerit fructum, prout prædicti Procuratores ptoviderint, aliqua pars fructuum fratribus ibidem manentibus remaneat, & reliqua mittatur Sanctimonialibus. Similiter fiat de melle, ſi fortè ibi apes habentur. Nec fructus de Virgulto colligere, vel de Alveolis favos mellis extrahere, niſi aliquis Procuratorum affuerit, vel aliquis ab eis ad hoc opus tranſmiſſus.

De computatione ſingulis menſibus facienda, & coram ſummo Scrutatore; Et qui intereſſe babent Computationibus. Et de expenſis Grangiarum ſciendis.

VII. PRædicti Procuratores, vel qui vices eorum illis abſentibus tenuerint, uno Scrutatore literato præſente, ad minus ſingulis menſibus conferant de ſumptibus Domus, & ſcripto Sororibus notificent, & usque ad annuum Capitulum propriæ Domus, intus & extra, reſerventur ſcripta. Similiter & ſummis Scrutatoribus ſupervenientibus bis vel ter in anno manifeſtentur. Contemnentes per menſem unaquaque hebdomada duobus diebus in pane & aqua pœniteant. Infortunium tamen grave reos poterit excuſare. Cuſtodes etiam Eccleſiarum & firmam recipientes & Magiſter bercariorum & Sutorum, & Fratres molendarii intereſſe debent Computationi, & Computationem reddere coram ſummis Scrutatoribus. Priores verò & Cellerarii omnem diligentiam adhibeant ſcire expenſas, quas Grangiis per annum impendunt; & quantum commodi inde percipiunt, ut anno finito conferri queant, quia in annuis Capitulis ſingularum Domorum, computari debet in publico, quid ſingulæ Grangiæ in expenſis perceperint in anno præterito, & quid commodi Abbatiæ fecerint.

De

De cura Procuratorum, ut ſciant numerum ovium, & animalium; & de lana ſine communi conſilio non vendenda.

VIII. PRior & Cellerarius, Procurator, & Grangiarius curam ovium & animalium habeant, & numerum eorum ſciant; & ſine aſſenſu Prioris Domus, nullus inde vendere aliquid præſumat, niſi manifeſta neceſſitas compellat, plurimorum & Majorum conſilio. Quod ſi Cuſtos pecudom aliquid amiſerit, in præſentia eorum pœniteat. Quod ſi celaverit, vel in contemptum duxerit eis certum numerum, vel quod amiſſum eſt, confiteri, ſuſpectus habeatur, & furti pœna puniatur. Grangiarii etiam, quemadmodum & Opiliones curam habeant & diligentiam adhibeant, per omnia, in iis quæ ad ſuſtentationem ovium pertinere noſcuntur; & conſcii ſint per dicam de his, qoas vendi contigerit, vel in alios uſus expendi. Prohibemus inſuper omnibus modis, ne aliquis præſumat, per ſe vendere lanam Domorum noſtrarum, ſine communi conſilio quatuor Procuratorum Domus.

De proviſione cerviſiæ per Procuratores; & eorum negligentiæ punitione.

IX. AD vitanda ſcandala & malorum opprobria perutile eſt cor apponere. Ea propter ſi fortè Moniales cerviſiam non habentes neceſſitate ad potum aquæ declinaverint; Juſtū eſt, ut Majores Domus, qui copiæ comunicant, comunicent & inopiæ; ut vera Fraternitas fulgeat in Domo Domini, & eorum obturentur labia, qui parati ſunt maledicere, & bonorum operibus obviare. Inde eſt, quod in vi obedientiæ ſtatuentes præcipimus, quod quotienſcumque Moniales, ex negligentia vel iocuria Procoratorum, aquam potaverint, Prior & Cellerarios, Procurator, & Grangiarius ſocientur eis in potu, ubicumque fuerint, niſi fortè mare transfretaverint, vel Ordinis majoris ſcandali occaſio impedierit. Cùm potatur, ſobrie, caute fiat, videlicet quando neceſſitas poſtulat, ne quid amplius. Communis ſterilitas terræ ſuam excuſationem habet, & culpam Procuratorum delet.

De itinere Cellerarii & Subcellerarii & de Denariis recipiendis, & in Itinere ferendis.

X. CEllerarius profecturus alicubi, cauſam ſui itineris notificet Priori. Subcellerarius nusquam eat abſente Cellerario; nec Cellerarius, eo abſente, ſine juſſo Prioris. Priore abſènte, qui præeſt Majorum Domus utatur conſilio. Abſente verò Cellerario, & Procuratore, & Subcellerario, niſi Priore jubente, non dentur Denarii foras, ab aliqua; nec cuiquam eorum ſoli. Quòd ſi neceſſitate cogente ſine damno non poſſit omitti, qoin oporteat dati, aliorum trium Fratrum ſeu Literatorum ſeu Illiteratorum, qui ad hoc aſſignati fuerint, teſtimonio dentur, & abſeotibus, cùm redierint, ratio dati notificetur. Et ipſi redeuntes ſimiliter notificent ipſis & Priori, quidquid emerint vel vendiderint, vel quolibet modo ab eis vel per eos expenſum fuerit: Nec cuiquam eorum liceat longius vel equo vel navi vel etiam pedes ſine aſſenſu Prioris & Majorum Domus ire. Contra hoc agentes ab officio ſibi credito removeantur, ſi ſine damno majori fieri poſſit. Cellerarios tamen noſtros latores Deoariorum eſſe prohibemus, niſi fortè ratione vel neceſſitate cogente aliquis hoc faciat, Prioris ſui mandato, vel Conventus ſui communi conſilio Canonico, vel Fratre comite. Tamen ſi quoquam ierit, expenſas ad neceſſarios uſus in via licitè ferre poterit.

De Mercenariis conducendis & parentibus non retinendis, & de pectentibus.

XI. NOmina Mercenariorum & mercedum quantitas diligenter annotetur à Cellerario, infra primum menſem, quo fuerint conducti; tam Domi, quàm per ſingulas Grangias. Quod ſi ſteterit per Cellerarium VIII. diebus comedat in area Refectorii. Si per Graogiarium XV. diebus eodem modo pœnitear. Mercedes non diſtribuantur niſi in præſentia Prioris per manum Cellerarii; nec aliis quàm ipſis clientibus & in Cœnobio. Poterunt tamen Clientes in Grangiis valde remotis ibidé accipere per Cellerariū: caveat quoque Cellerarius, & omnes Ordinis noſtri, ne aliquis conducatur Mercenarius in Domo, ubi de noſtris propinquos habuerit, niſi per Priorem omnium vel per ſummos Scrutatores neceſſitate aut uti-

litate

litate cogente, vel ratione dictante. Si fortè neceſſitate cogente conducantur Mercenarii ad pectendum lanas, quæ gravioris laboris eſſe noſcuntur, & vires Sororum ad hoc opus defecerint, apponatur fidelis Frater ad cuſtodiam laboris Mercenariorum, ne qua fraus prævaleat, ut omnino Seculares mulieres excludantur ab ingreſſu ad Moniales vel Sorores laborandi cauſa.

De Subcellerario, & Fratre feneſtræ, & Hoſpitii ei ſubjectis; & ejuſdem officio. Et de blado per dicam recipiendo.

XII. CEllerarius ſolatium habeat alium Canonicum manſuetum & providum, qui vices ejus ſuppleat in cibis & potibus ſuſcipiendis, & diſtribuendis; & cæteris rebus quæ ad familiarem curam Domus pertinere noſcuntur. Qui nusquam longius iturus eſt, niſi ad Grangias caſu pro veniis Fratrum accipiendis, ſi Prior ad manum alium diſcretum non habuerit. Qui ſollicitos faciat Fratres de caſeis & ovis, & cæteris, quæ neceſſaria ſunt Sanctimonialibus & Fratribus hoſpitibus. Habebit etiam duos Fratrea, moribus maturos, diſcretos, pacificos, ſermone blandos, caſtos de quibus nulla ſit mali opinio. Unus quorum Subcellerario ſubjectus feneſtræ Sororum præponatur, qui fideliſſimus & diſcretus in omnibus, quæ mandantur Sororibus, vel ab eis mandata fuerint inveniatur. Ipſe etiam in his, quæ ad officium ſibi creditum pertioent, prout Ordo permiſerir, & ratio dictaverit, hoſpitali Fratri ſolatium præſtabit, cùm opus habuerit, & licenter poterit. Alter verò hoſpitio præerit, qui ſermone tacito à Subcellerario, vel à Fratre feneſtræ quærere poterit, quod ſigno neſcierit, in loco termioato, & à feneſtra ſemoto. Negligentes in pane & aqua pœniteant, ut corrigantur. Quidquid autem ferri vel calibis adquiritur ſub cuſtodia Cellerarii & Subcellerarii in Cellario eotum, vel in alio loco apto ſervetur, ut per Priorem, vel per Cellerarium vel ejus ſolatium, cùm ipſe defuerit, ad quæque neceſſaria diſcretè dividatur. Subcellerarius autem portet claves Cellarii io minutione, ſi opportunè & ſine gravamine poterit: Si autem propter infirmitatem non poterit, alius aſſignetur per Priorem Domus, qui ipſo dictante ſuppleat vices ejus. Si ipſe vel alius Canonicus per Priorem, vices ejus ſupplens, panem Mercenariorum debita hora de piſtrino non dederit, ad Grangias, vel ad hoſpitia, vel ad portam, vel quibuscumque dari oporter, jejunet eo die in pane & aqua vel ſequenti. Panis verò regularis dabitur per manus Sanctimonialium. Eandem pœnitentiam faciat Frater, ſi panem alicui de piſtrino, Subcellerario abſente, tribuerit. Subcellerarius verò ſolus clavem habeat de pane. Ipſe quoque vel alius Canonicus, à Priore aſſignatus, cum Fratre fideli recipiat annonam, quæ venit de Grangiis; & ipſe Scripto & Fratet in dica memoriter teneat quantitatem, ut ſciant inde ratiooem reddere.

De cuſtodia Hoſpitii, & de Commeſtione noſtrorum in eo. Et de carne non danda Hoſpitibus.

XIII. AD majorem Hoſpitum venerationem conſtituantur duo ad cuſtodiam Hoſpitii; Unus Caoonicus, videlicet Subcellerarius, ſi ſine detrimento fieri poſſit, vel alius diſcretus & providus, ſi ipſe convenienter non potuerir: & unus Frater Laicus, qui ſciant, quomodo tractandi ſunt Hoſpites. Neuter eorum præſumat ſibi aliquid retinere de iis, quæ ad Hoſpites pertinent; nec ſtudeant occultare aliquid neſciente Priore & Cellerario, unde graventur Moniales & alienentur ab his, quæ eis jure debentur. In Hoſpitio Domorum noſtrarum omnibus noſtris cibum & potum ſumere prohibemus, exceptis iis quibus poteſtas regularitet attribuitur, cum Hoſpitibus magnæ auctoritatis commedere vel bibere; videlicet Archiepiſcopis & Epiſcopis. His verò licet obedire, & ſemel vel bis, ſi juſſerint, potum guſtare. Nec ſit noſtris conſuetudo carnes Hoſpitibus dare exceptis Archidiaconis & Epiſcopis & ægrotantibus. Et ſi hujusmodi poteſtas advenerit, cui carnes oporteat dari, à ſuis non à noſtris præparari debent. Intra Monaſteria namque noſtra nullus veſcatur carne, aut ſanguine, niſi præpotens & omnino infirmi, & artifices conducti. Similiter nec intra Curtes Grangiarum, niſi propter easdem cauſas & propter Mercenarios.

De

De pellibus Conventui providendis, & de punitione negligentium.

XIV. Cellerarius & Procurator, cum multa ſollicitudine curent & provideant, ut Fratres Pelliparii, congruo tempore, circa Nativitatem ſancti Joannis Baptiſtæ vel citius habeant, unde pelliceæ & penoæ Sanctimonialibus & Sororibus Canonicis & Fratribus fiant de optimis agninis pellibus. Negligentes verò pellibus vel pelliceis careant hyemali tempore; vel per ſingulas hebdomadas à Feſto omnium Sanctorum usque ad Cathedram ſancti Petri, binæ diſciplinæ ſubjaceant, & uno pulmento binis diebus careant.

De rebus Monaſterii, ſine conſilio Procuratorum non erogandis; & de expenſis in Grangiis faciendis.

XV. Omnino ſub anathemate omnibus interdicimus, ne quislibet vendat, vel eroget, vel diſtribuat ſeu accomodet pecuniam Domorum Sanctimonialium, ſeu quadrupedia vel annonam, & hujusmodi, ſine voluntate & aſſenſu Prioris & Cellerarii; nec quis illorum inconſultis aliis Procuratoribus Domus. Verumtamē quia caſu ſæpius multa intercurrunt infortunia in Domibus & in Grangiis noſtris majora & minora correctione digna, ſi Grangiarium aliquid facere vel dare oportuerit pro emendatione Domorum vel ſepium, murorum vel foſſarum, vel pro aliquo profectu Domus, conſilio Fratrum ſecum morantium, vel fidelium Mercenariorum, ſi ſolus fuerit, hoc faciat, Priori & Cellerario factum & cauſam facti quam citius oſtenſurus. Quod ſi fecerit, ab anathemate ſe liberabit. Caveat etiam ſuper omnia, ut nunquam aliquam partem bladi vendat, vel det ſine ſpeciali præcepto Prioris vel Cellerarii, ne pœnam furti incurrat.

De pueris Procuratorum, & aliis pueris propriis, vel rebus non habendis. Et de pecunia ad feneſtram recipienda, & intromittenda, & in itinere ferenda, & de expenſis intus & extra notificandis.

XVI. Nullus noſtrorum, præter Procuratores Domorum, habeat proprios pueros, viatores, vel equos, vel ſellas, vel hujusmodi; ſed quos Priores ſui eis ad tempus aſſignaverint, alicubi profecturis: Nec etiam Bercarii, vel Sutores, vel Magiſtri operum, nec ſtabularii, niſi per Priores. Et cùm omnes Proprietarii in generali Capitulo ſint excommunicati, prohibemus omni modo, ne aliquis Clauſtralis habeat phaleras, ſcilicet Sellas, frenos, & calcaria, & cappas, & hujusmodi alia ad equitandum. Hujus mandati transgreſſores pœniteant in jejunio multiplicato & verbere; vel de poteſtate deponantur, ſi Obedientiarii fuerint. Quod ſi aliquis Procuratorum, communi conſilio, profecturus ſit, ad aliquid magni precii comparandum vel vendendum, unus de Fratribus ad hoc electus, pecuniam ad feneſtram ſuſcipiat præſente Priore vel Cellerario, vel ejus ſolatio. Suſceptamque ferat, & ad juſſum illius, cum quo ierit, diſtribuat. Nam Prælatos Domus, latores Denariorum non eſſe decernimus, niſi ratio vel neceſſitas poſtulaverit; ſed de tribus, qui ad hoc electi fuerint alternatim unum ſive literatum ſive illiteratum, vel alium diſcretum. Cum verò pecunia ad Sorores intromittitur, vel ab eis emittitur, aliquis Frater à Priore electus diſcretus niſi alia cauſa magis neceſſaria impedierit, intereſſe debet, ut ſciat omnem pecuniæ expenſam. Tres verò Fratres, quibus injunctum eſt intromittere ad Sorores quidquid auri vel argenti earum cuſtodiæ decretum eſt committi, inde dicam habeant; & medietas ejus cuſtodiæ Sororum deputabitur, quas Præpoſita & Cellerariæ viderint cautiores & magis fideles. Cum verò Fratres aliquid intromiſerint, vel Sorores emiſerint, in dicis eorum, & eorum memoriæ commendetur; Similiter & in rotulo Cellerarii, vel illius qui ad hoc aſſignatus fuerit, ſi fortè ipſe defuerit, & prædictarum Sororum memoriæ ſcripto commendetur; ut cùm de pecunia diſcuſſio facta fuerit in præſentia Circatorum & diſcretorum Fratrum uniuscujusque Domus, rotuli & dicæ utcunque conſonent, & concordent vel non manifeſtum fiat.

Incipiunt Capitula de Canonicis & Novitiis, & eorum ætate; & Laicis Canonicis.

De Inſtitutione Canonicorum, & numero eorum in Domibus Monialium; & de officio Eccleſiaſtico, cantu, ſilentio, labore eorundem.

I. IN unaquaque Domo Sanctimonialium ſeptem Canonici ad minus, ſi poſſeſſio Domus permiſerit, vel plures; videlicet ſecundùm loci illius facultates; ita tamen, ut in nulla Domo eorum numerus tridenarius excedatur, niſi abundantiores facultates ſuperaddantur, quæ ſufficiant ad opus Canonicorum, ne Sanctimoniales graventur. In Monaſterio officium Clerici in Miſſis & horis teneant. Organum tamen & decentum, fauſetum & pi peth, omnino in divino officio omnibus noſtris utriusque ſexus prohibemus. Excedentes in craſtino ſtatim in Capitulo vapulent. Et qui audierit, & inde non clamaverit, ſimiliter puniatur. Secundùm arbitrium Prioris Domus & Cantoris æqualiter ordinentur Fratres in utroque Choro, ſine murmure; ita videlicet, ut de Canonicis à Priore æqua diviſione facta, Præcentor partem, quam ſibi elegerit, retineat. Qui verò murmuraverit, in ultimo gradu pœniteat in pane & aqua bis in hebdomada, usque ad adventum Prioris omnium, niſi Circatores, ratione dictante, maculam culpæ aliter ſalubrius delendam decreverint. In Clauſtro, in Choro, in Capitulo, in Auditorio, in Refectorio, in Dormitorio, in - - - - ſilentium, & easdem Ordinum leges, quas Sanctimoniales ſervabunt in his, quæ Ordo Canonicorum ſecundùm Regulam ſancti Auguſtini permiſerit. Operentur, quæ neceſſaria ſunt in Clauſtro, in horto, in virgulto & intra Curtem, ubi non videantur à Monialibus; nec audiantur, nec à ſecularibus, ſi congrue vitari poteſt, inquietentur. Super omnia cavendum eſt, ne videantur vel audiantur à Monialibus niſi in Miſſis & in cæteris, quæ non oportet omitti; Et ne ſponte eas videant vel audiant, niſi oportuna occaſio vel neceſſitas hoc fieri faciat. Nullus verò puerorum doceatur literas intra Monaſterium, vel in locis Monaſterii, niſi ſit Novitius, vel receptus in probatione Novitii; quibus tempore lectionis diſcretè licet. Et notandum, quia nullum niſi poſt quintum decimum ætatis ſuæ annum, in probatione nobis ponere licet: Nec infra viceſimum annorum ſpatium in Canonicum ſuſcipere. Novitius ſuſceptus in Capitulo, ante Feſtum ſancti Michaëlis, compleat numerum Pſalteriorum, ſicut & cæteri. In unaquaque Domorum noſtrarum licet duos Laicos magnæ auctoritatis, inter Canonicos ſuſcipi, vel plures. Suſcepti, in Eccleſia ultimum locum tenebunt, niſi aliquem pro culpa ſua in ultimo loco ſatisfacere ad tempus contingat: Si verò quis illorum Laicorum cautus, providus & diſcretus in Religione profecerit, hic tales vices Cellerarii, ſi abſens fuerit, vel horis Canonicis interfuerit, ſupplere poterit in his quæ Cellerarius ipſe dictaverit. Poterit etiam, ſi Prior omnium perutile judicaverit, tonſura Clericatus ſuſcepta, Cellerarius fieri.

De rebus Secularium venientium ad Converſionem erogandis, ante habitus ſuſceptionem. Et de ſuſceptorum cuſtodia & termino Profeſſionis, & Profeſſione. Et novitiorum & aliorum Canonicorum communione.

II. CUm aliquis veniens ad Converſionem noſtri Ordinis, recipiendus eſt in Capitulo, antequam recipiatur, donationem faciat de rebus ſuis nihil recepturus de omnibus, quæ Deo vel Religioni dederit, aut Secularibus reliquerit, ſi quod abſit, tentatus receſſerit. Receptus verò ſub voto de ſe ad Altare oblationem faciat, ut ſibimet abeundi omnem occaſionem auferat. Nec quisquam recipiatur, niſi prius ei hoc fuerit aperte demonſtratum. Hoc idem in ſuſceptione Laicorum Fratrum ſervetur: ſuſceptis Canonicis ſtatim aſſignetur aliquis vir ordinatus, & Ordinem Zelans, qui ipſos diligenter inſtruat officium Eccleſiaſticum, & Ordinis inſtituta doceat. De Dei timore & dilectione ſollicitos reddat, errantes corripiat & corrigat. Majores ætate verbis, minores verò verbis & verberibus, cum oportuerit, juſti moderaminis hinc inde tenens temperiem. Canonici verò, ante habitus ſuſceptionem, coram Monialibus non ſuſcipiantur; ſed poſtmodum ad petitionem Prioris & Conventus Canonicorum, cum aliquamdiu inter eos fuerint converſati. Qui prius habitum ſuſceperit Prior ſit. Novitii ad nullum officium Eccleſiaſticum ſcribantur; nec menſæ Lectores ſint, nec ſervitores. Lectiones in Eccleſia non legant; Reſponſoria non incipiant,

nec

nec verſum cantent, ſed reſponſoriola & verſiculos dicant. Lectiones Matutinales de beata Maria legant, & lectiones pro defunctis in directo & noo ſolemniter. Legant etiam aliquando ad Collationem & in Capitulo; ſed oon aſſidue. Ad Miſſas Conventuales, ut privatas, ut Servitores miniſtrent, ſimiliter ad menſas ſurgentes, cùm neceſſe fuerit. Ad laborem continue, donec ſervitium ſuum reddiderint, & ſcierint, noo exeanr. Sacerdotes, dum Novitii fuerint, Miſſam non celebrent. Pſalterium cum Canticis & Ymnarium ſufficienter ſcientes, cum Antiphonarium & Gradale cordenus reddiderint. Si citra triginta annos ad Converſionem venerint, more debito ptofiteantur. Si triginta annos ætatis vel amplius habentes ad Converſionem venerint, ad omnia præmiſſa non cogantur, niſi habilioris & ſubtilioris Ingenii fuerint, ita ut præmiſſa ſine magna difficultate complere poſſint, ſed de conſilio Magiſtri cum eis diſpenſetut. Regula beati Auguſtini & Inſtitutiones Ordinis, Novitiis ante Profeſſionem ioſpiciendæ, & bis, vel ter, vel ſæpius perlegendæ committantur. Et ſi qua ſibi in illis obſcura fueriot, vel minus Intellectæ, ab aliquo ſciente ipſis plenius exponantur, ut ſciant & intelligant, ad quæ obſervanda ex voto Profeſſionis ſuæ teneaotur. Conventus Canonicorum tempore Profeſſionis Canonici Capis utatur lineis. Canonicus tuoc Profeſſus, ad eandem menſam communicet. Magiſtri Novitiorum, pro exceſſibus diſcipulotum In Capitulo corripientur, noo Novitii, niſi fortè ioobedientes fuerint aut rebelles. Poſt Profeſſionem ſub Cuſtodia ſuorum erunt Magiſtrorum XL. diebus vel paulo plus. Interim in Capitulo non clament nec clamentur, ſed Cuſtos eorum, niſi in Capitulo deliquerint vel culpas ſuas audientes veniam ſumere neglexerint. Venias tamen gratis ſumere poſſunt culpas ſuas confitentes, vel miſericordiam peteotes. Profeſſi, qoi ad ſactos Ordioes fuerint promovendi, per Magiſtrum promoveantut. Promoti io Sacerdotium, ad juſſum Priorum ſuorum celebrent. Nec fiat in novarum Miſſarum celebratione oneroſum convivium, vel inutilis convocatio Secularium; ſed in hujusmodi voluntati pareant Ptiorum ſuorum. Omnes Canonici, qul Sacerdotes non fuerint, omni die Dominica habent communicari, vel alio die in hebdomada. Similiter quotiens ſacris veſtibus induti, duplicibus Feſtis vel principalibus Altari miniſtraveriot, exceptis Miſſis mortuorum. Canonici verò valetudinarii Profeſſi, tam Sacerdotes, quàm inferioris Ordinis, ſemel in ſeptimana habent communicari; & omnes generaliter quotiens infirmitatis gravitas compulerit. Novitii quoque Canonicorum poſt confeſſionem Magiſtro factam octies in anno, qnando ſcilicet Fratres communicant, & inſuper quotiens infirmitate cogente opus fuerit, communicabunt. Qui ſe propria voluntate ſobtraxerit de corpore Chriſti, nullus ei communicet, niſi hoc emendaverit. Illis diebus quibus communicandi ſunt, poſſunt ad privatas Miſſas communicari Miniſtri.

De veſtibus Canonicorum & earum ſimplicitate & ſuperfluitate vitanda, & diſtributione.

III. CAnonici hoc modo veſtiantur Tunicas tres habeant & unam pelliceam, de adultis agnis, & pallium album ante, ad latitudinem quatuor digitorum conſutum, & pelles viloſas ad cooperiendum vel ioduendum, ſi pallia forata non fuerint, & caputium agninis pellibus foratum, & duo paria caligarum, & pedulum, & Sotulares diurnos & nocturnales. Habeant & capam lioeam, in his tantum quæ ad divinum officiom ſpectant. Nec recipiatur quis in Canonicum, niſi cum cæteris pannis ſuis capam habeat lineam ptopria proviſiooe, vel alicujus charitativa collatione. Capis enim lineis omnes Canonici Profeſſi in divinis utuntur officiis. Canonici, videlicet per ſe manentes, omnibus feſtivis diebus ad *primas Veſperas* & ad *Matutinas*, ad *Primam* & *Miſſam matutinalem* ad *Tertiam* & *altam Miſſam*, & ad *ſecundas Veſperas* prædictis capis utuntur. Sed in Domibus Monialium ad *primas Veſperas* & ad *Matutinas*, ad *altam Miſſam* & ad *ſecundas Veſperas* tantum eisdem Feſtis ipſis capis utuntur. Nam & In Clauſtro, & in Refectorio, & omni tempore lectionis utentur palliis prædictis. In tempore laboris Scapularia habeant alba, quemadmodum pallium eorum. Lectiſternia, ſicut Monachi Ciſtercienſis Ordiois. Cùm ſcriptum ſit, qui mollibus veſtiuntur, In domibus Regum ſunt, Monaſterium iſta non decent. Ponamus igitur veſtes delicatas, ita ut nullus noſtrorum pannis ſubtilioris fili aut coloris pretioſi, vel hujusmodl, neque novis neque veteribus ullo modo ntantur. Sed veſtitus ſimplex ſit, & penitus qualis Regula beati Auguſtinl deſcribit. Caveant etiam tam Priotes quàm Cellerarii, & cæteti qul præſunt Domibus noſtris, ne ſuperfluitate vel varietate veſtium, vel calceamentorum, aut etiam ciborum

ſuorum conturbent Fratres ſuos infirmos; ne murmur indè vel diſcordia excitetur, quia piorum bonitas abjectiore habitu & victu dignoſcitur & poteſtas roboratur: Similiter & omnium Prælatorum. Statutis quidem temporibus diſtribuantur panni Canonicis & Fratribus, videlicet Fratribus Laicis ſuo tempore & Canonicis determinato ſibi tempore: & de eodem panno & non ſubtiliori fiant veſtimenta omnium, niſi aliqua manifeſta neceſſitas infirmitatis vel ratio impedierit; Nullus verò veſtimentum novum à Monialibus ad feneſtram vel alibi recipiat, niſi prius vetus reddiderit vetuſtate conſumptum & inutile factum. Et aliquis aſſignetur per Priorem Domus, qui vetera recipiat, & nova tribuat Fratribus, præſente Priore & Cellerario & Grangiario & Procuratore, vel duobus ex illis, ſi fortè alii defuerint, & veteres Sororibus tradantur. Canonicis, præſente Priore vel ejus ſolatio. Quod ſi aliquid vetuſtum juſſu Prioris vel Præpoſitæ datum fuerit, vel intus retentum, intus & extra memoriæ commendentur.

De lana ad opus noſtrorum non ſtudioſè miſcenda, & tonſis pannis probibitis, & Coopertoriis conceſſis.

IV. CAveant in Domibus noſtris, ne lanæ diverſi coloris ad opus noſtrorum ſtudioſè miſceantur. Ad opus verò magnorum virorum, qui ſunt potentes in ſæculo, ſi Prior omnium juſſerit, ſtudioſè miſceantur. Qui aliter fecerint, in communi Capitulo degradentur, vel tertio vapulent ibidem. Tonſi panni in Domibus noſtris ad noſtrorum opus non fiant. Si verò noſtris fuerint dati, vel communi Domus ſubſtantia empti, ipſis utantur; non tamen ſine aſſenſu Prioris omnium vel Scrutatorum vel Scrutatricum. Similiter Coopertoria licet honeſto panno, non nimis pretioſo cooperiri. Si verò dantur Coopertoria; Canonici & Moniales eis utantur, niſi, quod abſit, ſuperbia inde inoleſcat. Pannis tamen datis vel pretio comparatis nemo de noſtris utatur, niſi Prior omnium & Major Domus, ordinata conſideratione viderint licere. Ad Lectiſternia tamen licet Fratribus noſtris viles tonſos pannos emere, vel ad eorum opus parare.

De veſtibus non refutandis, nec excambiandis, & pellibus & pelliceis.

V. SI quis verò de noſtris veſtem refutaverit, vel pro deſormitate coloris, vel quia nimis curta vel minus ampla fuerit, per totum annum ipſum ea carere decernimus; nec detur ei priusquam ad audientiam Prioris omnium vel communis Capituli veniat, nec tunc ſine correptione gravioris culpæ. Nec aliquis excambire præſumat pannos vel ſotulares, vel hujusmodi. Licet tamen Priori cum aliquo, qui de Domo ſua fuerit, commutare, & deteriorem ſibi reſervare. Pelles & pelliceæ omnium, antequam dividantur, in cuſtodia Sororum veniant, ne Privilegium contemnentes furti Judicio puniantur, & gladio anathematis à Domino Papa feriantur, & quæ magis eis neceſſariæ fuerint, ſibi retineant. Pelles quidem & pelliceæ ad minus ſeptem annis vel octo habeantur, ſi de adultis agnis fuerint & convenienter fieri poſſit. Et ſi diutius durare poterint, nemo eas mutare præſumat, cùm non dentur ad cultum, ſed ad neceſſitatem.

De amiſſione veſtium.

VI. SI quis noſtrorum indumentum quodlibet vel veſtem, ſua incuria vel negligentia perdiderit, eodem panno per totum annum carebit; excepto quod Canonicus pro pallio vel capa linea, tunica vel pellicea carebit; Frater pro caputio pedulibus, & tertio in Capitulo vapulabit, ſi cultellum, per unum menſem carebit. Quicunque verò pannos ſuos ex negligentia in Curtem nocte reliquerint, trinæ diſciplinæ ſubjaceant. Monialis pro cuculla vel Scapulari perdita; Soror pro pallio vel caputio, tunica vel pellicea careat.

De uniformitate Sotularium, ab omnibus habenda; & de punitione negligentium.

VII. PRiores & Cellerarii ad equitandum ſingulos Sotulares habeant ultra genua paululum pertingentes, non altiores, ad modum crepitarum ante conſutos; ſed non duplici margine. Sint etiam duo paria vel tria ejuſdem modi in Dormitorio à Dortorario equitaturis tradenda, & à redeuntibus eidem reddenda. Omniũ autem Canonicorum regulares Sotulares, tam diurni, quàm nocturni, rubei corei ſint, & moderatæ altitudinis. Quisquis Sotularibus nocturnalibus, vel ad equitandum

factis

factis in alia forma, quàm quæ per Capitulum ſtatuta eſt, formatis fuerit uſus, vel culcitra, aut pannos pictos, qui vocaotur Schalune, loco Lectiſternii habuerit, quàm citius ea deponat. Poſt auditum verò Statutum Capituli, qualiber vi. Feria jejunet io pane & aqua, donec ea depoſuerit. Summus verò Prior in his & hujusmodi, prout ratio dictaverit, poterit diſpenſare. Hoc quidem ſcriptum de Sotularibus, non obſervantes, ultimi ſint in Ordine usque ad adventum Magiſtri.

De pannis abluendis.

VIII. NEmo de noſtris arripiat ſibi poteſtatem abluendi pannos ſuos, vel licentiam qnærere; ſed eorum providentiæ hæc cura dimittatur, quibus hæc obedientia à Prælatis attribuitur, & à Sororibus chatitative abluantur, & emendentur, ut in XVIII. Capitulo ablutionis pannorum Monialium continetur. Pedules tamen, & capitum ligamenta, & cætera minuta excipiuntur, in tempore Lectionis; in tempore laboris non.

De Canonicis ad nova loca mittendis; & aliis de locis ad loca removendis, & Itinere eorum.

IX. DUodecim Canonici, cum Priore tertiodecimo, ad Cœnobia transmittantur, nec tamen illic deſtioentur, donec locus ille libris Domibus & neceſſariis aptetur. Libris duntaxat Miſſali, Regula, libro uſuum, Pſalterio, Ymnario, Collectaneo, Antiphonario, Gradali. Domibus quoque Oratorio, Refectorio, Dormitorio, cella Hoſpitum, & Portarii neceſſariis & temporalibus: Ut honeſtè vivere & Regulam ibidem ſtatim valeant obſervare. Si verò aliquis mittendus eſt Canonicus ad alium locum ibidem manſurus, quæque neceſſaria in veſtitu & calceamentis ei provideantur à Priore & Cellerario Domus unde exiit, prout convenit. Cum etiam quis Canonicorum de una Domo ad aliam eſt removendus, diſcretè & cum conſilio diſcretorum Ordinis, diſciplinam zelantium removeatur, ut ſic ſaltem de ſuis exceſſibus corrigatur; vel meritis ſuis exigentibus alicujus dignitatis officio præficiatur. Gravamini quoque ſingulorum, & tædio Magiſter per remotionem, cum neceſſe fuerit, vel alio modo ut expedire viderit, remedium conſolationis & quietis affectu paterno, ſtudioſè providere procuret, uniuscujusque contradictione remota. Caveant etiam Priores & Cellerarii, & cæteri, ne eorum incuria, fama Ordinis alicubi maculetur, vel ſcandalum iocurrat; quia Væ ſoli ſcriptum eſt; unde ex generalis proviſione Capituli ſtatutum eſt, ut cum removendo mittatur alius diſcretus Canonicus, qui oſtendat Priori Domus, ad quam venerit, quod ordinatè ſit veſtitus. Pelles ejus & pellicea tales ſint, ut per biennium ei poſſint ſufficere. Supervenientes Canonici ad Domos noſtras, ſi poſt primum diem Capitulo & horis regularibus non interfuerint, noo inde recedant, niſi ſumpta venia pro tali exceſſu in Capitulo. Chirotecarum & mitannuarum omnis ſuperfluitas & otioſa vanitas ab omnibus ooſtris communiter caveatur. Licet tamen iſtis, ut in itinere & labore noſtris concedatur; in Clauſtro & Capitulo & Dormitorio & Infirmitorio otioſis penitus prohibentur. Cætera de itinere Canonicorum & termino redeundi quærantur infra in ſcriptis de Fratribus.

De raſura Canonicorum.

X. CAnonici radentur Vigilia Natalis Domini, & ad Feſtum ſancti Hilarii, & ad Purificationem beatæ Mariæ, & Kalendas Martii, & Kalendas Aprilis; vel medio tempore inter Kalendas Martii, & Kalendas Aprilis: vel medio tempore inter Kalendas Martii & Paſcha, ſi prolixitas temporis illius quinque ſeptimanas compleverit. Et ad Paſcha item medio tempore inter Paſcha, & Pentecoſten, & ad Pentecoſten, & Kalendas Junii, vel medio tempore inter Pentecoſten & Feſtum Apoſtolorum, ſi prolixitas temporis quinque ſeptimanas compleverit; & Vigilia Apoſtolorum, & ad Feſtum S. Jacobi, & Vigilia Aſſumptionis ſanctæ Mariæ, & ad Nativitatem ejusdem, & ad Feſtum ſancti Michaëlis; & ad Translationem beati Gilberti; & Vigiliæ omnium Sanctorum, & Vigilia ſancti Andreæ.

De Canonicis in ſingulis officinis, Fratribus aſſociandis; & de Fratribus factorum Canonicorum conſciis.

XI. IN omnibus officinis tam Sutorum quàm Pelliparriorum & aliorum Artificum, aliquis diſcretus Canonicus fideliter aſſignetur his qui præſunt Artificiis, ut diſcretè diſtribuantur, quæ diſtribuenda ſunt, & ſcripto memoriæ commendentur, ut Priori & Cellerario nota fiant in ſingulis Domibus noſtri Ordinis. Qui contra hoc egerit, pro fure habeatur, & furti pœna puniatur. Literatos enim conſcios Factorum Laicorum eſſe ſtatuimus, in omnibus officinis & operibus eorum, tam in Grangiis, quàm in Abbatia. Similiter aliquem de Laicis conſcium eſſe volumus in his, quæ aguntur à Clericis, & expenduntur ex ſubſtantia Domus.

De officio Eccleſiaſtico Canonicorum, & eorum Capitulo & Regula legenda, & expoſitione ejuſdem. Et de revelantibus ſecreta Capituli, & de Confeſſione privata.

XII. A Kalendis Novembris usque ad Paſcha, privatis diebus ad Vigilias, & ad cæteras horas diei proſternat ſe Conventus ad Orationem & *Gloria Patri*, & *Filio*, & *Spiritui ſancto*, ſcilicet ſuper formas, & ad *Kyrie eleiſon*, & ad preces poſt horas, exceptis Feſtis Sanctorum & Feſtivis Octavis, & diebus IX. Lectionum, & trium Lectionum. In iſtis enim diebus incurvabunt ſe inclinando ad prædictas Orationes ſine proſtratione. Dictis verò Matutinis, ſtatim Conventus de Choro exeat, & ordinatè in Dormitorium eat. Ibique qui voluerit, ad intervalla quietius oret, vel accenſo lumine à Sacriſta legat in loco congruo à Priore proviſo; ſcilicet à Feſto omnium Sanctorum usque ad Cathedram ſancti Petri, Feriis tantùm. Nec ſedeant in angulis legentes, ſed in uno loco ſimul. Qui taliter habeant caputia in capitibus, ut poſſint agnoſci, ſi dormiant an non. Et ſic exeant de Choro, ut primus exeuntium dicat ultimum *Amen* in Choro. Apparente autem die, pulſet ſignum Sacriſta ad *Primam*, nec illud dimittat quousque Prior faciat ſonitum ad Orationem faciendam. Hoc eodem modo pulſatur ad *Tertiam*, ab Idibus Septembris usque ad Paſcha, quando laboramus & jejunamus. Modus iſte in Domibus Canonicorum per ſe manentium ſervetur. In Domibus verò Monialium, ſignum earum ſequantur Canonici horas diei & noctis, locis debitis & horis perſolventes. Facta oratione ſuper formas, aut miſericordias, ſi tale tempus fuerit, ſignantes ſe inclinent, & ſimiliter faciant ad omnes horas poſt factam orationem. Dùm autem Sacerdos finierit Deus in adjutorium, ad *Gloria Patri* incumbant ſuper formas, aut incurventur, ſi tempus dictaverit; & ſimiliter ad omnes horas diei faciant.

Dicta itaque *Prima*, cantetur Miſſa, & poſt Miſſam dicant Sacerdotes Miſſas privatas ante *Tertiam*, vel poſt, ſi tempus ante non ſuffecerit, petita licentia. Poſt, ut tempus dictaverit, pulſato ſigno ad *Tertiam* Canonici intrantes Eccleſiam aſpergant ſe aqua benedicta, & dimiſſo ſigno fiat Oratio ſicut ad Vigilias. Cantata *Tertia* eant in Capitulum. Hoc eodem modo fiat diebus Feſtis, quibus laboramus toto ſpatio temporis præſcripti. A Paſcha verò usque ad Idus Septembris privatis diebus tenetur Capitulum poſt *Primam*, & celebratur Miſſa Conventualis poſt *Tertiam*; & inter *Primam* & *Tertiam* vadit Conventus in laborem. Feſtivis autem diebus, tam in hyeme, quàm æſtate, poſt *Miſſam matutinalem*, pulſetur ſignum ad convocandum Conventum in Capitulum; nec dimittat illud, donec data ſit benedictio. Diebus quas Canonici & Moniales tantùm feriant, pulſetur campana, more feriali. Omnes verò audito ſigno conveniant in Capitulum, inclinantes ante ſedes ſuas; & cùm ſederint, humilient ſe mutuò. Veniente autem Priore, vel quolibet alio, qui Capitulum tenere debet, aſſurgant ei omnes inclinantes tantùm Priori tranſeunti; eodem reſidente reſideant. Sed ille, qui juxta Priorem ſeſſurus eſt, humiliet ſe profundo de loco ſuo verſus illum; nec tamen ſuper genua vel Articulos, & ſic reſideat; & ita faciat in omnibus locis, qui juxta eum ſedere voluerit, excepto in Eccleſia; non enim ibi ſibi ſupplicant, neque ad menſas, ſed nec nocturno tempore.

Lector verò veniens ante analogium, aperiat librum & inclinet ſe ad benedictionem. Poſt primam lectionem non dicat. *Tu autem Domine.* Sed poſtquam perdixerit, & *aliorum plurimorum* ſurgant, & vertant ſe ad Orientem dicentes verſum, qui in Collectaneo habetur, id eſt, *Pretioſa in conſpectu Domini*, Sacerdote Hebdomadario incipiente. Qui cùm dixerint *Gloria Patri*, proſternantur ſuper

ſuper ſedes Superiores; aut incurventur ſupet genua ſecundùm tempus, dicentes *Kyrie eleiſon*. Illi tamen qui ſedent juxta ingreſſum, hinc & inde proſternant ſe verſus Orientem ad terram. Incurvi verò ſint, ſicut illi qui in ſede ſunt. Cæreri autem incurventut ex adverſo. Et quando Sacerdos dixerit: *Et ne nos inducas*, erigantur, donec Sacerdos dicat *dirigere & ſanctiſicare*, tunc incurventut. Quæ incurvatio æqualiter fiat omni tempore. Lector quoque ita ſe incurvet, vel proſternat ante analngium, ſicut illi, qui ſunt juxta ingreſſum Capituli. Dicto autem, *qui fecit cœlum*, &c. reſideant; ita tamen ut prius aſſideat, qui tenet Capitulum, qui cùm reſederint, non humilient ſe ad invicem, ſicut prius. Poſtquã autem omnes reſederint, incipiat Lectnt Lectionem de Regula. Feria ſecunda legatur in Capitulo, *Ante omnia*, Feria tertia, *Qui aliud*, Feria quarta, *Rurſus*: etiam Feria quinta, *in Oratorio*: Feria ſexta, *Qui infirmi ſunt*. Sabbato, *Sane*, nsque *Non ſit notabilis*. Quod reſtat legatur Sabbato ad prandium. Qua finita dicat, *tu autem Domine*, & accipiens tabnlam legat breve, ſi ipſo die legendum fuerit.

Quod ſi Subprior Capitulum tenet, & qui legit Prior ipſius fuerit, ſi eum pronuntiaverit, Fratrem eum nominet; & ſic etiam ſeipſum nnminet. Et dum breve recitatur, qui nomen ſuum intellexerit, inclinet. Cui hebdomada aliqua adſcripta fuerit, ſi intelliget ſe illam propter quamlibet incommoditatem nnn poſſe complere, poteſt miſericordiam inde in præſenti Capitulo quærere; nam extra non debet. Quod tamen ſi pro gravi neceſſitate fieri contigerit, in ſequenti Capitulo veniam petat, & neceſſitatem intimet: Lecta itaque tabula, pronuntietur commemoratio Defunctorum noſtri Ordinis, deinde dicat qui tenet Capitulum: *Requieſcant in pace*. Et dicto *Amen*, inclinet Lectot & offerat librum Priori, ſi Feſtum fuerit, qni illum accipiat & exponat vel alii deferendum innuat, cui Lectot oſtendat, ſententiam, quam exponere debet; & ſic eat in locum ſuum; ubi cùm advenerit non inclinet ante ſedem; ſed poſtquam reſederit, humiliet ſe, ſicut alii fecerunt, quando primn conſederunt. Qnod ſi à ſiniſtra parte ad dextram; vel à dextra ad ſiniſtram transſiturus eſt, cùm venerit ante analogium, humiliet ſe ad Orientem; & tunc tranſeat ad locum ſuum. Et dicto *Benedicite* ab illo qui Capitulum tenet, exponatur ſententia. Quotidie enim poteſt exponi aliqua pars Regulæ. Quod ſi aliquis advenerit, antequam *Benedicite* dicatur. humiliet ſe ante ſedem ſuam; & cùm reſederit, inclinet, ſicut faceret, ſi primæ confeſſioni intereſſet. Si autem poſt occurrerit, dum aſſidens inclinaverit, dicat *Benedicite*, ſubmiſſa voce, ita nt illi poſſint reſpondere *Dominus*, qui circa eum ſedent. Expoſita verò ſententia, nemn loqui præſumat, neque veniam petat, donec ille, qui Capitulum tenet, dicat, loquamur de Ordine noſtro.

Denique ſi aliquod breve pro defuncto legendum fuerit, legatur à Cantore, ſi ante non fuerit lectum. Quo pronunciato, dicat Prinr, *Requieſcant in pace*, & dicto ab omnibus *Amen*, inſtituat qnod ei viſum fuerit pro anima ejus. Poſtea verò petat veniam, qui ſe reum in aliquo noverit. Deinde fiant clamationes, ſi faciendæ ſunt. Qui autem clamaverit, non quærat circuitiones in clamatione ſua, ſed aperte dicat, ille fecit hoc. Sed qui clamatus fuerit, mox ut audierit nomen ſuum, non reſpondens in ſede ſua, petat veniam. Tenenti Capitulum, eumque interroganti quid dicis, reſpondeat proſtratus mea culpa. Et ad juſſum illius erectus, ſi teus fuerit, humiliter culpam ſuam confiteatur, & de reliqno emendationem promittat. Si autem culpabilem ſe non intelligit, qui eum clamaverit, ipſam clamationem non repetat, niſi interrogatus; alius tamen; ſi noverit, qund culpabilis ſit, poteſt illud dicere. Et ſciendum eſt, quod qui clamatus fuerit, non faciet clamorem ipſa die ſuper eum, qui eum clamaverit; Quando antem aliquis ſurgit in judicium clamatus ab alio, quotiens clamabitur ipſn Judicio, totiens ſatisfaciat veniam repetendo. Qui dum in terra jacuerit; nemo loquatur, & poſtquam erectus fuerit, dicatur de eo in ipſo Judicin, quod dicendum eſt, ne compellatur ſurgere, poſtquam reſederit, niſi rationabilis cauſa in ipſo Capitulo contra eum poſtea ſuccreverit. Si quis ſponte ſua in judicin venerit, ſub una venia confiteatur omnes negligentias, qnas confeſſurus eſt. Quod ſi alius eum clamando ſurgere compulerit, illo clamnre pertractato, ſi clamatus aliud de ſeipſo dicere volnerit, iterum petat veniam. Porro ſi plures inſimul fuerint in Judicio, qui priot fuerit, ſtet in medio, & ptius loqnatur; & cùm locutus fuerit, ſtatim jndicetur, & de Judicio dimittatur, niſi fortè prior eum ibi manere fecerit, vel quemlibet ex ipſis cæteris dimiſſis, ut majus Judicium ſuſtineat, ſi majnrem quam cæteri culpam habeat. Similiter cæteri judicentur ſingnlariter, & ſingulariter dimittantut, niſi eandem culpam omnes habuerint, ut ſimul dimittantur.

tantur. Dimiſſi verò de Judicio per poſtantes redeant ad ſedes ſuas.

Nemo etiam amplius quàm à tribus clametur, niſi fortè ab eo qui Capitulum tenet; & niſi etiam in ipſo Capitulo poſtea aliquid deliquerit, vel inordinatè locutus fuerit. Nec pro uno clamante quis plus quam unam veniam petat, licèt plures culpas ſuper eum loquatur, niſi rurſus, ſicut receptum eſt in eodem Capitulo, aliquid exceſſerit. Cùm aliquis clamatur in Capitulo, hoc ſolùm reſpondeat mea culpa, emendare volo, vel hujusmodi. Si verò ſe neſcierit reum, dicat non recordor, nihil amplius locuturus niſi à Priore rogatus. Qui verò clamantus vel non clamatus in Capitulo injurioſè vel malitioſè locutus fuerit, bis in hebdomada in pane & aqua pæniteat; vel bis in Capitulo vapulet. Similiter puniatur, qui egreſſus de Capitulo, vel Auditorio murmuraverit, vel ſignificaverit de aliquo. Cum aliquis murmuraverit, quando alius in Capitulo clamatus fuerit, judicetur quaſi conſcius alicujus privati ſceleris. Nemo præſumat loqui in ipſo Capitulo, niſi clamando alium, aut clamatus ab alio; vel quando quis aliquid perdiderit, præter tenentem Capitulum, & quosdam de ſenioribus quibus conſenſerit, niſi fortè juſſus vel interrogatus, aut aliquid de Ordine quæſiturus. Quod ſi fortè aliquis juſſus ſalutationem Domini Papæ Capitulo præſentaverit; aſſurgendo Conventus inclinet profundè. Ad ſalutationem Regis, Epiſcopi, Abbatis & aliarum quarumlibet ſublimium perſonarum, ſedendo profunde inclinentur. Similiter inclinent, quando Prior indicit eis facere aliquam communem Orationem. Similiter inclinent, quos voluerit promovere vel degradare; vel in gradum ſuum reſtituere, ſeu quos decreverit ligare per pœnitentiam vel abſolvere. Et ſimiliter omnes quibus aliquid juſſerit facere.

Nullus faciat clamationem ſuper aliquem ex ſola ſuſpicione, niſi de hoc quod audierit vel viderit. Quando clamatio facta fuerit de aliquo, ſi in ipſo Judicio verberandus fuerit, caveat ille, qui Capitulum tenet, ne ab eo verberetur, qui eum clamavit. Qui verberandus eſt, poſtquam exui juſſus fuerit, mox aſſideat in ipſo loco in quo ſtat; & exuens veſtimentum, evertat pallium ultra Caput ſuum, ſi Canonicus, vel capam, ſi Frater Laicus fuerit. Per caputium verò tunicæ exeant brachia & totum corpus denudans usque ad cingulum; & ſic conſiſtens, inclinato Capite, nihil dicat, niſi tantum mea culpa, ego emendabo, quod crebrius repetat. Sed neque alius interim loquatur, niſi fortè aliquis de Prioribus pro eo humilter intercedat. Qui autem eum verberat, non ceſſet à verbere usque ad juſſionem Prioris. Qui dum quieverit, adjuvet illum Frater alius ad induendum. Qui indutus eſt & erectus, non ſe moveat, donec Prior dicat vade ſeſſum; & tunc inclinans eat in locum ſuum. Hoc quoque ſciendum eſt, quod ille qui inferioris gradus eſt, non debet verberare ſuperiorem; Id eſt Diaconus Sacerdotem, ſed æqualis æqualem, vel ſuperior inferiorem. Hoc etiam caveatur, ne aliqnis extra Capitulum loquatur alicui vel ſignificet de culpis ſeu de ſecretis cauſis, quæ in Capitulo pertractantur. Quicuque revelaverit ſecreta Capituli noſtri, unde ſcandalum oriatur, excommunicetur; & ſi deprehenſus fuerit, extra Capitulum ſit, & ubique in ultimo gradu ſedeat; & ab officio Eccleſiaſtico ſuſpendatur, usque ad adventum Magiſtri.

Quod ſi Epiſcopus vel Abbas Canonicorum Regularium ſeu Monachorum, vel etiam Rex aliquando intraverit Capitulum; aſſurgentes ei omnes inclinent, cum ante eos tranſierit. Quod ſi Societatem quæſierit, aſſurgentibus omnibus dicatur Pſalmus. *Ecce quàm bonum; Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. Salvum fac ſervum. Mittezi. Eſto ei Deus. Nihil proficiat. Domine exaudi. Deus vobiſcum. Oremus. Deus qui per diverſitatem Gentium,* &c. & ſic concedatur ei Fraternitas, manibus libro appoſitis. Et reſponſo *Amen.* Similiter ab eo quærat Prior partem beneficii ſui. Qui poſtquam demoratus fuerit, quantum tenenti Capitulum placuerit, deducat eum ad hoſpitium Prior, vel cui juſſerit ipſe, antequam Conventus egrediatur, niſi usque in finem Capituli eum retinere voluerit. Quod ſi Clericus vel Monachus vel etiam Laicus fuerit, ſedendo conceſſa ei Societate ab aliquo Fratre deducatur. Si quis enim, ex quo ingreſſi ſunt Capitulum, inde exierit, niſi juſſus vel permiſſus; aut ſanguinem de naribus fluens, vel etiam vomens, ſive pro tabula ad legendum afferenda, ſatisfacere debet. Sed nec licentiam exeundi quis quærat, niſi obedientialis fuerit aut neceſſitas naturæ compulerit, vel cui Prior ante indixerit, aut qui in via dirigendus fuerit. Iſti namque cùm neceſſe habuerint, ſolent pro officio ſuo ſigno exeundi licentiam quærere.

Tractatis igitur quæ tractanda ſunt, ſurgentes omnes vertant ſe ad Orientem, & ſic qui tenet Capitulum dicat *Adjutorium*

rium noſtrum in nomine Dei. Et reſponſo ab omnibus: *Qui fecit cœlum &c.* Inclinent ad Orientem; & exeant omnes niſi aliquis remoretur cauſa confeſſionis vel infirmitatis. Quamdiu tamen aliquis confitetur, nullus ibi remaneat, niſi qui ſimili occupatur opere. Nam tempore lectionis non niſi tantùm ante prandium & etiam in intervallo poſt *Primam* poſſunt ibi confiteri. Poſtquam verò reſederint, dicat Prior *Benedicite*, & reſponſo *Dominus*, ſubſequatur Prior *Deus ſit vobiſcum.* Et reſponſo *Amen*, confiteatur breviter culpas pro quibus veniam petiit. Quibus dictis, ſtatim ſubſequatur de his & de omnibus aliis meis peccatis me reum eſſe confiteor, & veniam deprecor. Tunc Prior, facta ſuper eum abſolutione, dicens; *Indulgeat tibi Deus*, injungat ei pœnitentiam. Deinde poteſt eum confortare, vel monere; vel increpare, prout viderit expedire, ſi voluerit, breviter tamen. Si quis cauſa confeſſionis aliquem, poſt ſignum Miſſæ detinuerit, vel de Miſſa evocaverit, in Capitulo eum ducat, & ſtando breviter confiteatur.

De ſilentio in Domo Capituli ſervando, & Suffragiis mortuorum ibidem agendis.

XIII. IN Domo Capituli teneatur ſilentium, ſicut in Dormitorio, excepta hora qua tenetur Capitulum. In quotidianis Capitulis lectis Anniverſariis dicatur Pſalmus, ſcilicet, *De profundis*, cùm *Kyrie eleiſon*, *Pater noſter*, Collecta. *Abſolve Domine*, & *fidelium Deus*, pro his quorum Anniverſarium legitur. Si verò præſens obitus ibi fuerit recitatus, dicatur Reſponſorium: *Subvenite. Kyrie eleiſon, Pater noſter. De profundis.* Collecta, *Tibi Domine commendamus. Abſolve. Fidelium Deus.*

De Clauſtro Canonicorum, & Geſtu eorundem in Clauſtro habendo. Et de petente librum, & vultu iracundo, & ſignis iracundis prohibitis.

XIV. EGreſſi verò de Capitulo ſedeant ad lectionem in Clauſtro, exceptis procurantibus officia, quibus legere non vacat. Qui tamen, poſtquam expleverint, redeant ad lectionem. Tempus verò lectionis non amittat Conventus, niſi meſſionis tempore, vel manifeſta neceſſitas hoc fieri compellat. Ad orationem verò poſſunt Profeſſi ire ad Eccleſiam Canonicorum; non ſolùm tunc, ſed omni tempore lectionis, præter intervalla nocturna. Et cum opus Dei in Eccleſia celebratur, ita caputia habeant in Capitibus, ſi neceſſitas compulerit, ut cujuslibet facies apertè pateat intuenti; nec ibi legant præter illos, qui Pſalterium neſciunt; & qui ad præſens opus prævidere, legere, aut cantare aliquid neceſſe habuerint. Qui verò in Clauſtro ſederint, religioſè ſe habeant, ſinguli in ſingulis libris legentes, exceptis illis qui in Antiphonariis, Ymnariis, Gradalibus cantaverint; & illis qui lectiones ſuas præviderint, quos auſcultet Cantor, vel quilibet Frater ad hoc idoneus ab ipſo præmonitus. In quocumque latere Clauſtri ſederint, Collaterales ſedeant, nec fronte oppoſita, ſed tergo unius alterius vultui verſo; niſi fortè in eodem libro, lecturi ſint, vel inſpecturi. Neque inquietent ſe ad invicem in quæſtionibus faciendis, niſi de productis & correptis accentibus, & de dictione quam legere ignorant, & de principiis lectionum ad menſam, & ad Collationem, & ad Vigilias, cùm neceſſe fuerit, quæ breviſſimè fiant. Si quis caputium habuerit in capite, dum legerit, taliter habeat ut poſſit perpendi, ſi dormiat. Quod ſi aliquis neceſſe habuerit divertere alicubi; librum ſuum in armariolo ponat: aut ſi in ſede ſua eum dimittere voluerit, faciat ſignum Fratri juxta ſe ſedenti, aut illum cuſtodiat; quod ſignum etiam poſt *Veſperas* licet facere. Porrò ſi aliquis ab aliquo librum, in quo legit, vel cantat, accipere voluerit, neceſſe habens in eo videre, tradat ei alium, & & ille cui alium tradiderit, in pace ei dimittat: quem ſi ei accommodare noluerit, ille qui petit, in pace ferat, donec ſuper eo in Capitulo inde proclamationem faciat. Caveatur etiam ab omnibus, ne quis iracundo vultu, vel torvo aſpectu, in Clauſtro vel extra, alteri ſignificet.

Quicunque verò in hoc vitioſus repertus fuerit, corripiatur ſemel & ſecundò, & niſi ſufficienter emendaverit, ter in Capitulo vapulet, & tribus diebus in area Refectorii comedat, ut confundatur, & pœniteat. Ita ſe habeant, dum ſedent. Dum verò ambulant, humiliter incedant & diſcooperto capite ſupplicantes invicem obviando. Quod ſi Priori obviaverint; divertant ſe in partem ſupplicantes ei. Quæ ſupplicatio ubique fiat extra Dormitorium, quotiens illi vel ſibi obviaverint. In labore tamen, cùm ſibi invicem obviant, nec mutuò ſibi

ſibi ſupplicant, nec *Benedicite* dicant. Et notandum, quod nulli ſupervenientium in Clauſtro inclinatur, niſi ſicuti ad invicem; niſi illi tantùm, qui ſedem Prioris tenet, & proprio Priori. Caveant omnes ſignificare in Clauſtro, ſicut in Dormitorio, niſi neceſſitas aliqua hoc poſtulet fieri. Quod ſi aliquis vitioſus in ſignis otioſis & hujuſmodi deprehenditur, in Capitulo culpa puniatur, ut deleatur. Nemo per caputium alium capiat, nec quis vocet aliquem à longe per vocem vel per ſonum. Et notandum, quod omni tempore lectionis poſſunt eſſe in nocturnalibus. Si quis aliquo modo alium ſcandalizaverit, dicatur Priori, & tunc ſi Prior juſſerit, vocato illo, tamdiu ante pedes ejus proſtratus jaceat, quousque ille placatus erigat eum.

De conſtructione Eccleſiarum, & Regulis & libris conformiter habendis, & ſculpturis & picturis ſuperfluis evitandis.

XV. QUia Anteceſſores noſtri & Patres de Eccleſia de Sempingham exierunt, quæ in honorem Dei & beatæ Mariæ & ſancti Andreæ Apoſtoli, & aliorum Sanctorum eſt dedicata, unde & nos exorti ſumus, idcirco decernimus, ut omnes Eccleſiæ noſtræ ac Succeſſorum noſtrorum, in memoria ejusdem cœli & terræ Reginæ, ſanctæ Mariæ, & aliorum Sanctorum fundentur, atque dedicentur, niſi aliqua neceſſitas aliter fieri compellat. Et ut in omnibus Abbatiis Ordinis noſtri unitas indiſſolubilis perpetuo perſeveret; ſtabilitum eſt, ut ab omnibus Regula ſancti Auguſtini, & beati Benedicti uno modo intelligatur, uno modo teneatur: Dehinc ut iidem libri, quantum dumtaxat ad Divinum officium pertinet, idem victus, idem veſtitus, iidem denique per omnia mores inveniantur. Miſſale, Epiſtolare, Textus, Collectarium, Gradale, Antiphonarium, Regula, Ymnarium, Pſalterium, Lectionarium, Kalendarium ubique uniformiter habeatur.

De ſculpturis ſuperfluis in Eccleſiis non faciendis.

SCulpturæ, vel picturæ ſuperfluæ in Eccleſiis noſtris, ſeu in officinis aliquibus Monaſterii, ne fiant, interdicimus; quia, dum talibus intenditur, utilitas bonæ meditationis, vel diſciplina religioſæ gravitatis ſæpe negligitur. Cruces tamen pictas, quæ ſunt ligneæ, habemus.

De ſuperpelliceis, & ſtollis, & calice. Et faciente fallaciam in officio divino.

XVI. MInistris Altaris fiant ſuperpellicea cum caputiis, quæ caput & colli nuda protegant, cùm Sacerdotalibus veſtimentis induendi fuerint. Et propter inopportunitates, etiam Caputia vel Scapularia habeant circa collum ſub ſuperpelliceis. Sacerdotes verò in Miſſis ſtollam habeant, in modum Crucis in pectore. Et nullus noſtrorum præſumat privatas Miſſas cantare ad Altare, quod in cuſtodia Sororum fuerit. Quod ſi fortè neceſſitas compulerit; præcipiente Priore, duobus aliis præſentibus cantet. Completo officio ſimul omnes diſcedant. Si verò calix aureus, vel argenteus fuerit in Eccleſia, completo officio in præſentia Sacerdotis Miſſam celebrantis, vel communicantis, ponatur in vaſculo, & in Sororum cuſtodia relinquatur. Calix verò Canonicorum in Oratorio eorum à Priore fideli Sacriſtæ eorum committatur. Qui autem fallaciam faciunt in divino officio, tuſſi vel ſigno vel verbo moneantur, ut repetito verſu corrigant verbum, in quo erraverunt. Qui verò ex indignatione, vel contumacia, vel negligentia repetere noluerint, in Capitulo vapulabunt.

De ſermone verbi Dei Monialibus faciendo.

XVII. IN Feſtis celebribus fiat ſermo verbi Dei ad Conventum in Eccleſia Monialium, Panno appenſo inter mares & fœminas. In Capitulo quoque Monialium nullus ſermonem faciat, niſi veneranda & authentica perſona, cui obedire oporteat; videlicet Legatus, Archiepiſcopus, Epiſcopus, Archidiaconus, Cancellarius, Abbas, vel Prior magnæ auctoritatis; & nullus alius alterius Religionis, in Capitulo Monialium vel extra, niſi de ſpeciali licentia Magiſtri.

De

De Sacerdote infirmante ad Miſſam, & aliis Infirmantibus in Choro & Clauſtro.

XVIII. SI Sacerdoti ad Miſſam de naribus ſanguis fluxerit, afferatur ei aqua in Presbyterium à Servitoribus, ad ſanguinem recipiendum & ad ſe lavandum. Quod ſi Miniſtris contigerit, extra Chorum ſimiliter ſerviatur. Aliàs autem, quotiens hæc vel etiam vomitus contigerit, Frater, cui hoc opus injunctum eſt, ſequatur eum euntem in Clauſtrum, & & ſi nox fuerit, aſſiſtat ei cum lumine, & ſerviat, donec ablutus in Eccleſiam revertatur. Quod ſi *venite exultemus*, vel primus Pſalmus alterius horæ tunc in Eccleſia canitur, ad *Gloriam* revertatur, miniſtrans in Chorum: Qua dicta, citius ad eum redeat. Ille verò ad *Gloriam* ſi non fuerit, & in Conventu hoc ei contigerit, non quidem ad gradum ſatisfaciat, ſed veniens per medium Chorum ante Priorem facto ſigno neceſſitatis ſuæ, in ſtallum ſuum redeat:

De Scriptoribus, & pœna occultè ſcribentium & libris propriis non ſcribendis, nec habendis, & ſigillis prohibitis.

XIX. COntinuè ſcribentibus miſericordia aliqua dormiendi præſtetur, cum opus fuerit; ſimiliter & minuendi, ſi manifeſta neceſſitas poſtulaverit. Si quis ſcripſerit & alteri occultè demonſtraverit, quod Priori & cæteris Majoribus celari voluerit; in Capitulo culpam luat, & diebus ſeptem in area Refectorii comedat, uno contentus pulmento, & VI. Feria in pane & aqua, & de Ordine ſuo degradetur dimidii anni ſpatio, vel regulari diſciplinæ ſubjaceat. Qui verò ſcripturus eſt litteras, ſimpliciter ſcribat, & omnino caveat vanitatem profundi vel pompoſi dictaminis. Quod ſi quis contra agere inventus fuerit, gravius corripiatur. Nullus de noſtris præſumat libros aliquos, vel etiam orationes, vel meditationes ſcribere, vel ſcribi facere, ſine aſſenſu Prioris Domus, vel Scriptores conducere & retinere in Eccleſiis Monialium. Quod ſi aliquis contra hoc facere præſumpſerit, Ordinis vel poteſtatis ſuæ, ſi Officialis fuerit, periculo ſubjaceat; & flagello gravioria culpæ reatum luat, & quod ſcriptum eſt ad voluntatem Prioris Domus, in communes uſus Domus cedat; & ipſe qui ſcripſit vel ſcribere fecit, illo ſcripto in æternum careat. Nemo noſtrorum librum ſibi aſſumere præſumat, quem alter habuerit. Si verò valde ei neceſſarius fuerit, à Priore, vel à Subpriore, vel Præcentore caute petatur, ne Frater offendatur: Libros tamen ad Divinum officium Hebdomadariis ſibi aſſumere licet. Nullus ex noſtris proprium librum habeat; nec de aliqua Domo librum amoveat, ſine licentia Magiſtri. Collectaria, Kalendaria, & Breviaria omnia, magna & parva, ſint in cuſtodia Præcentoris, & omnes libri. Nec aliquis librum vel ſigillum vel Kalendarium ad Zonam deferat, cùm Domi fuerit. Qui hoc ſervare contempſerit, ſeparetur à communione Altaris usque ad adventum Magiſtri.

De Refectoriis Canonicorum. Et eorum feneſtris; & Refectorariis & menſis: & cultellis; & coclearibus.

XX. VOlumus, ut Refectorium Canonicorum & Fratrum ea ratione conſtruantur, ut victualia utrisque à Monialibus & Sororibus miniſtrentur per feneſtras verſatiles: Quarum altitudo vix unius pedis & dimidii fiat, per quos reliquiæ fideliter ad Sorores remittantur; nec alibi dividantur. His feneſtris numquam ſingulariter miniſtrabunr aliquæ, ſed ſæpius alternatim plures. Tempore verò congruo ab his, quæ intus ſunt fideliter referentur & firmentur. Horum Refectoria in tantum dividantur; ut ſi convenienter fieri poſſit, ſpatium ſufficiat Fabricæ magnæ feneſtræ verſatilis; per quam ea, quæ intus mittenda ſunt, emittantur. Quæ cùm facta fuerit, Sanctimonialis aliqua, vel Soror fidelis, poterit miniſtrare Canonicis & Fratribus ad tempus, quamdiu viſum fuerit expedire, vel etiam plures. Hoc etiam firmiter teneatur, ut in Refectoriis Canonicorum & Fratrum, in ea parte feneſtræ verſatilis, quæ iis committitur in cuſtodia, feneſtræ parvulæ fiant; & feris firmiter muniantur. Et quemcumque Prior viderit fidelem & diſcretum & pacificum, tutelam Refectorii illi aſſignet; & claves prædictarum feneſtrarum illius cuſtodiæ committat. Hoc autem dicimus de Refectoriis, in quibus cibaria miniſtrantur maribus à fœminis noſtri Ordinis pro ſilentii cuſtodia. In Domibus Monialium duo maturi Canonici Refectorio præponantur, quorum alter ſine altero, vel alius ſolus nunquam ibidem eſſe præſumat. Er ſi uterque ſimul intereſſe non poterit, aliquis alius alteri eorum aſſignetur.

Refectorium nullus ingrediatur præter horas conſtitutas, exceptis Refectorariis, & menſæ Servitoribus pro officio miniſterii ſui; & illis quos ad ſe adjuvandum Refectorarii caſu vocaverint; & cæteris omnibus petita ordinatè licentia, cùm bibere indiguerint; & ſervitore Eccleſiæ pro ſalicio, vel cùm Prior vel ejus ſolatium aliquos anthenticos viros ad potandum duxerit. Menſæ ſic exaltentur, ut deſubtus pateat acceſſus & receſſus, cùm opus fuerit. Nullus etiam Canonicus in Domo ſua ſedeat ad menſam Prioris; nec ſuperveniens Canonicus accedat, niſi vocatus à Priore. Propter nimietatem frigoris in hyeme, licet ignem accendi in Refectorio. Duæ etiam vaginæ vel tres ſerventur ad opus Canonicorum in Refectorio, ſi quoquam fortè jerint, quas revertentes ponant in locum ſuum cum cultellis. Et non ſint vaginæ delicatè compoſitæ neque cultelli. Coclearia Refectorii & cultellos & ſcyphos Refectorarius per menſas diſcretè diſtribuat. Nec aliquis aliquid de ſuppellectili Refectorii, ipſo inconſulto, efferre præſumat.

De mixto Canonicorum, & mixtum ſumpturis & menſura mixti.

XXI. DEbilitati plurimorum noſtrorum gratia miſericorditer condeſcendentes, Canonicos permittimus mixtare quouſque XXX. annos ætatis compleverint. In majori verò ætate id omnino prohibemus, niſi ordinatè in Capitulo, petita miſericordia alicujus infirmitati à Priore ad tempus condeſcendatur. Nec ſumat mixtum aliquis Sacerdos, niſi prius petita miſericordia in Capitulo, niſi Servitor menſæ fuerit vel Lector. Mixtum ſumentibus panis & cerviſia detur, & nihil amplius, niſi fortè neceſſitate cogente alicui ex miſericordia impendatur ad tempus præcepto Prioris. Adoleſcentiores, quibus diebus jejuniorum mixtum ſumere conceditur ſemper ante *Tertiam* in æſtate, ante *Sextam* in hyeme illud ſumant. In æſtate ſimiliter ante prandium ea hora, qua viderit Prior. Illi quidem, quibus ob minorem ætatem vel miſeriam mixtum ſumere conceditur, ſtatim poſt Capitulum in tempore hyemali mixtum ſumant, ſed menſæ Lector vel Servitor, quando ad mixtum pulſatur, audito ſigno veniant in Refectorium Quod ſi alter defuerit, qui præſens eſt, non eum expectet. Si ambo affuerint, qui inferioris gradus eſt, dicat *Benedicite*; qui majoris, Benedicat. Menſura mixti ſit quarta pars libræ panis, & tertia pars heminæ potus. Sumpto itaque mixto, ſi quid reſiduum fuerit, referant panem, in archa, & potum in vas. Et ſciendum, quod à capite jejunii, uſque ad Paſcha, exceptis Dominicis diebus, & tribus Rogationum, & quàtuor temporum, & Vigilia Domini, & Sanctorum, mixtum non ſumitur, nec pulſatur.

De refectione Canonicorum, & modo ſe habendi ad menſam, & de modo miniſtrandi, & de pitantia, & exitu à prandio, & de Officio mortuorum poſt prandium dicendo.

XXII. ACcedente autem hora refectionis, Prior pulſet ſignum vel cui injunxerit ille. Quod ſi per negligentiam cibus nondum paratus fuerit, non pulſetur, donec paratus ſit, nec abluant manus, ſed interim ſedeant in lectione, dum ſignum pulſetur. Quod & ad omnes refectiones ſimiliter teneatur. Ablutis igitur manibus & deterſis, intrent in Refectorium, & venientes ante ſedes ſuas inclinent ſe verſus principalem menſam. Deinde erigantur, & ſic ſtent, donec Prior venit. Si autem Prior diu demoratus fuerit, quod omnino cavere debet, ſedeat interim, qui voluerit. Cùm ergo Prior advenerit, aſſurgant. Qui Prior inclinet ſe ante ſedem ſuam; antequam pulſet campanam. Quæ tamdiu pulſetur ad utramque refectionem, ut *miſerere mei Deus* totus Pſalmus poſſit dici. Campana dimiſſa dicat Conventus *Benedicite*, & dicto verſu cùm dixerit *Gloria Patri*, incurvetur Chorus contra Chorum, dicens *Gloria Patri*, *Kyrie eleiſon*, & ſub ſilentio *Pater noſter*. Cùm autem Sacerdos dixerit, *Et ne nos*, erigat ſe & ſtans verſus principalem menſam, dicat, *Oremus. Benedic, Domine, dona*, &c. faciens unam Crucem, & ſic compleat totam benedictionem. Qua completa, erigant ſe & Prior vel Subprior; vel cui injunxerit, vel Prior ordine converſionis, cæteris abſentibus, det benedictionem Lectori, & ſic omnes ingrediantur menſas, & incepta lectione, & uno verſu finito diſcooperiant panes, Priore tamen prius hoc faciente. Deinde pulmentum à ſervitoribus per menſas deferatur, hoc ordine primo Magiſtro, ſi præſens fuerit, Priori ipſo abſente, vel Subpriori Priore abſente, vel vices eorum ſuppienti, ipſis abſentibus. Deinde duæ ſcutellæ ponantur in dextra parte primo; & duæ in ſiniſtra, niſi Magiſter præſens fuerit, tunc enim primo

poneu-

Digitized by Google

ponentur ſcutellæ ex parte ejus & ſic duæ hinc & duæ inde usque ad ultimum. Appoſito itaque communi cibo, ſi aliquid alicui de miſericordia ſuperaddendum fuerit, à Servitore deferatur. Hoc idem fiat & minutis.

Exhinc nullus exeat de Refectorio, niſi neceſſitate compulſus, nullus incedat comedendo; Nullus cultellum mapula tergat, niſi prius cum pane terſerit. Si aliquis de uno pulmento non poteſt comedere, de alio comedat; quod ſi de neutro, detur ei aliquid, quod non ſit delicatius. In Domibus verò Monialium ſingulis diebus cùm fuerint dandæ pitantiæ, ſive Canonicis ſive Fratribus, & quæcumque ſunt victui neceſſaria, à Sororibus, quæ miniſtrant feneſtræ, dentur per prædictam feneſtram, ad hoc opus præparatam, juſto pondere & menſura, & ſi quid fortè loquendum fuerit cum Fratre communis feneſtræ, Servitores loquenda breviter loquantur, quæ ſignis indicare neſcierint. Si aliquis autem ex alia Provincia vel de itinere vel ſemel vel bis in anno; vel de alia Domo, vel de aliquo remoto loco venerit, poteſt ei dari pitantia, ſi Conventus pitantiam non habuerit, ſed non exigat. Contra hoc facientes, tribus diebus in pane & aqua pœniteant. Licet ei dare proximo ſedenti ſibi ad dextram & ad ſiniſtram partem ad primam refectionem tantùm. Quotieſcumque pitantia Conventui datur, ſufficiat eis unum pulmentum.

De pitantiis Priorum & Circatorum qui ſuperveniunt, ſicut ſuperius in communi Capitulo ſtatutum eſt, teneatur. Si verò facultas Domus permiſerit, & paupertas non impedierit, licet Conventui aliquam pitantiam dari quotidie. Canonicis quidem propter reverentiam Ordinis, licet quandoque aliquam exhibere miſericordiam, ſi quid in Domo habetur, unde miſericordia exhibeatur. Etſi omnes communiter habere non poſſint, auctoritas etiam perſonæ magni nominis vel Religionis, ſi ſupervenerit, honore digna eſt & veneratione obſequii, prout tempus poſtulaverit, & ordo Religionis permiſerit. Die verò, quâ Canonicis pitantia non datur, licet infirmitoribus, vel ſenio aut languoris debilitate laborantibus, aliquid apponi, ipſis ſolummodo non aliis ad ſolatium vel ad remedium. Qui voluerit ſal accipere, cum cultello accipiat. Qui bibit, duabus manibus teneat ſcyphum. Si quis viderit aliquid deeſſe alicui, quod habere debeat, requirat à Servitore, vel Cellerario. Qui aliquid apponit, & cui apponitur, invicem ſibi inclinent. Cui autem aliquid Prior miſerit, prius inclinet deferenti; deinde aſſurgens humliet ſe versùs Priorem. De cibo communi nemo dividet; quod ſi aliquid quod alicui ſuperadditum fuerit, niſi pro minutione vel pro infirmitate ei datum fuerit, à Cellerario tantùm poteſt dari, juxta ſe ſedenti ad dextram & ad ſiniſtram. Illi verò nulli dare debent. Si autem uni tantùm dederit, ille poteſt dare juxta ſe poſito, ſed ultra non procedat. Si quis de comedentibus vel de Servitoribus offenderit aliquo modo, petat veniam ante gradum. Et facto ſonitu à Priore cum cultello, ſurgat & inclinet & redeat ad locum ſuum.

Remotis ſcultellis colligat Servitor coclearia; prius à dextra parte incipiens à Priore, dehinc à ſiniſtra, incipiens juxta Priorem. Cùm Prior voluerit finiri, Lectori dicat, *Tu autem.* Et reſponſo *Deo gratias*, cooperiant, quod ſupereſt de pane. Inclinato Lectore repulſet Prior campanam, & mox ſurgentes ſtent ante menſas eo ordine, quo ante refectionem ſteterint, dicentes verſum, quem Cantor incipiat, campana dimiſſa. Quo dicto, inclinent, & exeant cantantes, *miſerere mei Deus*, quem incipiat Cantor, illis cum eo cantantibus, qui ſtant in dextro Choro. Secundum verſum dicat ſiniſter Chorus. Et ſic cantent cæteros alternatim, bini & bini euntes, minoribus ſcilicet præeuntibus; & ita tamen, ut Prior vel quilibet Conventum tenens ſolus eos ſequatur in medio utriusque Chori: ſed ſi Prior aliquis ſuperveniens adfuerit, ſimul eant, ſin autem ſolus, ſi duo fuerint, eant ſimul. Itaque intrantibus eis Eccleſiam, qui prius Chorum intraverit, ſi hoc convenienter implere poſſit, pulſet ſignum. Hoc fiat in Domibus, ubi Canonici per ſe converſantur. Ingredientes verò Chorum ordinentur ſicut ad Miſſas, verſis vultibus ad Altare usque ad *Gloria Patri*, & tunc proſternantur ſuper formas; vel ſi tale tempus fuerit, inclinent, & poſt reſideant ſuper miſericordias. Finitis gratiis, ſurgentes inclinent, & ſic dicto officio mortuorum in hyeme, recedant tamen cum reverentia ſic quoque refecti. Ut in Clauſtro lectioni vacent, vel in Dormitorio, ſi tale tempus fuerit, ſomnum meridianum ſumant. Prohibemus modis omnibus, ne Seculares aliqui in Refectoriis noſtris comedant, niſi de licentia Prioris vel Subprioris, ſi Prior defuerit. Nec etiam licentia Priori datur id faciendi, niſi de honeſtis perſonis tantùm, quarum ſervientes alibi comedant.

De infirmantibus ad prandium.

XXIII. SI fortè in Refectorio alicui ex infirmitate vomitus contigerit, vel ſanguis de naribus alicujus effluxerit, vel alia qualibet infirmitas acciderit, Servitor menſæ inde non exeat, ſed Cellerario vel alicui alii, ut eum adjuvet, ſignificet. Ille verò ſi, antequam Conventus exeat ad menſas, redierit, quod comeſſurus erat, comedat; quem nec Conventus expectet, nec ipſe, ſi ſurrexerint, propter hoc comedere deſinat. Quod ſi poſtquam Conventus exierit, revertitur, non Servitores expectet, ſed ſtatim comedat, & dicto verſu, ſub ſilentio diſcedat. Si contigerit, ut aliquem vomentem aut ſanguine fluentè Servitor eorum non viderit; ſignificet ei, quicumque viderit.

De pœna amittentium benedictionem, & menſæ Lectoribus & Servitoribus; & Hebdomadario Defunctorum & refectione Servitorum.

XXIV. SI quis ad initium benedictionis menſæ non occurrerit, orationem faciat ante gradum; & ſequenti die venia ſumpta in Capitulo cauſam confiteatur. Quod ſi ex negligentia ſua contigerit, ipſa die, antequam accedat ad menſam, proſtratus in area Refectorii jaceat; quouſque Prior, ſecundùm quod pœnitentis culpa popoſcerit, aliquo ſigno eum ſatisfeciſſe judicet; ſi tertio perdiderit, ſecundùm Regulam ſancti Benedicti pœniteat, videlicet ultimus reſidens reficiat, ablato ei potu vini vel cerviſiæ, uſque ad dignam ſatisfactionem vel emendationem. Cellerario occupato in aliquo, & aliis ſimili de cauſa occupatis pareatur. Negligentes verò in pane & aqua & verbere pœniteant. Egreſſo Conventu poſt prandium, vel cœnam ad *gratias*, conveniant Servitores menſæ in Refectorio. Qui congregati, dicant verſum mediocri voce. Abſente Priore & Subpriore, qui prior eſt ordine Converſionis, niſi ibi ſit aliquis ſuperioris gradus, det benedictionem menſæ, Lectori dicenti *Jube Deus*, &c. Idem Lector dicat lectionem, ante & poſt refectionem. Quod ſi ipſe Lector ſuperioris gradus fuerit, aliquis alius ab eo petat benedictionem, & dicat utramque lectionem. Si verò nullus Canonicus literatus ibi fuerit, Laicus petat benedictionem, & ipſe Lector dicat benedictionem, & lectionem. De pitantiis ſicut ſupra ordinavimus fiat, excepto eo, quod ſi in illa parte Refectorii nullus præter eum fuerit, licebit ei tranſire in aliam partem, & dare cui voluerit.

Poſt refectionem dicta lectione, verſum dicant ibidem, voce mediocri, adjungentes *miſerere mei Deus*, verſis vultibus ad invicem, nullo tempore ſe ibidem proſternentes. Sicque finitis *gratiis* cum cæteris lectioni vacent, nec pulſentur *Veſpera*, donec & ad neceſſaria ire, & lectiones providere, ſi hora permiſerit, poſſint. In quacumque verò Domo Octonarius numerus Canonicorum defuerit, unus poterit legere & menſæ miniſtrare, niſi fortè junior Canonicus profeſſus, mixtum ſumens adſit, qui miniſtret vel legat, vel utrumque faciat, quotienſcumque neceſſitas hoc poſtulaverit. Cùm autem bis in die comeditur æſtivo tempore, Lector & menſæ Servitores ante prandium Miſſa finita reficiant, ne meridianus eis ſomnus minuatur, & vagandi oportunitas tribuatur, & pitantia Canonicis illa die danda eis non ſubtrahatur. Moniales & Sorores & Fratres ſub eodem mandato tenentur: Cavendum ſummopere eſt, ne hebdomadarius Miſſæ diei, vel Defunctorum, menſæ Lector fiat æſtivo tempore. Hebdomadarius tamen Defunctorum ſummo mane, ſi tempus permiſerit, debitum Miſſæ perſolvere poterit, & ſic miniſtret, ſi neceſſe fuerit.

De emptione vini, & modo vinum potandi.

XXV. VIni potum ad noſtrorum opus, niſi ad Miſſas, vel pro defectu cerviſiæ, à noſtris vel de noſtro emi omnino prohibemus. Quod ſi fortè neceſſitate cogente vini potus non poſſit omitti, non potetur, niſi aqua bene miſceatur, ſi poterit haberi. Sufficiatque in die hemina vini. Cui ſuperapponatur & intermiſceatur de aqua quarta pars heminæ, ne ſitienti minus ſufficiat, vel potantem apoſtatare faciat. Si verò perſona, cui obedire convenit, vini potum porrexerit, ſemel vel bis guſtare modicè ſuſtinemus, ſi declinare convenienter non poteſt Frater fidelis. Qui in area comedent, ſine mappula & menſa comedant; & ſemel in die, niſi aliter injungatur.

De

De diebus in cibo quadrageſimali jejunandis.

XXVI. IN toto Adventu, excepta prima Dominica: In Vigilia Pentecoſtes. In jejuniis Quatuor temporum, in Septembris. In Vigiliis Sanctorum, Joannis Baptiſtæ, Petri & Pauli, Laurentii, Aſſumptionis ſanctæ Mariæ, Matthæi Apoſtoli, Simonis & Judæ, omnium Sanctorum, Andreæ Apoſtoli, quadrageſimali tantùm veſcimur cibo; exceptis infirmis, qui ſi voluerint, album comedere poterunt, in Adventu, & Feria ſecunda, & Feria tertia ante cineres; ſed non carnes, niſi gravis infirmitatis aut debilitatis neceſſitas compulerit. Neceſſitas enim legem non habet.

De Reliquiis Canonicorum, & aliis victualibus à Refectoriis non efferendis: & de licito ingreſſu Subcellerarii in Refectorium Fratrum.

XXVII. RElíquiæ Canonicorum & Fratrum fideliter remittantur cuſtodiæ Monialium per eaſdem feneſtras, per quas victualia miniſtrantur Canonicis & Fratribus in eorum Refectoriis, & nunquam per oſtia. A Subcellerario, vel ab ipſo qui vices ejus tenuerit, cùm ipſe non poterit, numerus comedentium in Refectorio Canonicorum, & à Feneſtrario, vel ab aliquo alio Fratre fideli in Refectorio Fratrum comedentium, nuncietur quotidie Monialibus, quæ miniſtrant victualia Canonicis, & Fratribus, & reliquias recipiunt, nec dent foris cibum vel potum, niſi numerum comedentium præſcierint. Subcellerarius & Frater prædictus liberum ingreſſum habeant in Refectorio prædicto ſine aliquo murmure. Refectorarii verò nihil ſumant de reliquiis Canonicorum, vel Fratrum, nec quidquam portent, vel diſtribuant, ſed reliquiæ omnium remittantur ad Sorores. Præcipimus omnibus modis, ne ullus quidquam eorum, quæ mandi vel potari poſſunt, de Refectoriis noſtris efferat, vel efferri faciat: ſed omnia victualia, per feneſtras verſatiles, ad Sorores remittantur: & ſic ab illis alia afferenda recipiantur. Nec manducetur aliquid, vel bibatur, præter aquam, nec coquatur, quod non Monialibus tradentibus per feneſtram earum tribuatur: Nec aliquis præſumat in Refectoriis noſtris cibos ſumere ſaginatos, videlicet de ſubſtantia carnis minutæ deciſa vel detrita. In Domibus verò Canonicorum per ſe manentium; reſiduum omnium victualium ad Cellerarium reportetur, exceptis reliquiis pulmentorum. Hujus præcepti transgreſſores tribus diebus in pane & aqua in area Refectorii pœniteant.

De probibitione comedendi extra Refectorium; & pœna ebriorum. De eſu carnis probibito, & de metis comedendi.

XXVIII. NOn licet alicui noſtrorum extra Refectorium ſuum comedere; nec etiam Priori omnium, niſi honeſtiores Hoſpites ſupervenerint, quibus honor & reverentia debeatur impendi, vel alia cauſa opportuna compulerit, vel fortè cùm aliquis Majorum tardius de via redierit, vel ante prandium iturus ſit. Nullus tamen ſine juſſu Prioris omnium, vel Prioris Domus, vel Subprioris, ſi Prior defuerit, occaſione peccandi remota. Quilibet verò de noſtris quoquam egredientes eodem die reverſuri, nuſquam ſine licentia comedant vel bibant, niſi ad Grangias noſtras, niſi de cauſa rationabili, ut ſi calor vel labor longioris viæ poſtulaverit, vel Prior juſſerit vel permiſerit. Sed & hoc in vi obedientiæ prohibemus, ne uſquam extra Domos noſtras ſcienter menſuram & dimidiam potus Domorum noſtrarum per diem excedat, ſi potaverit, quo inebriari poterit; quia ad ebrietatem potare omnibus noſtris, ſub pœna graviori, prohibemus. Nefandum enim & execrandum æſtimamus opinionem bonæ Religionis propter gulæ intemperantiam infamare. Ea propter hoc facienti per XL. dies aquæ potus ſufficiat. Aquæ verò potum, vel de quo non inebriari quislibet poteſt, tempore & loco congruo nulli prohibemus. Nullus verò carnes comedere præſumat, nec etiam in Refectorio Religioſorum vel alibi, niſi Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, vel Legato, vel Rege præcipiente. In noſtris tamen Infirmitoriis, infirmi ordinatè carnes comedant. Nec ullus de noſtris comedat infra duas Leucas à Domibus noſtris; nec in villa, ubi Grangiam habuerimus, niſi Fratres ei denegaverint Hoſpitium. Qui autem denegaverit, mittendus eſt pedes veniam petiturus ad Domum illam, ubi moratur, qui repulſam ſuſtinuerat.

De

De Auditorio, & furtivis colloquiis prohibitis: Et de infringentibus ſilentium.

XXIX. ALicui de via tedeunti!, de omnibus quæ audierit, vel viderit, Religioni noſtræ contraria ioqui Interdicimus. Priori verò & Celierario, de his quæ prodeſſe poterunt, loqui non prohibemus. Quod ſi aliquis ougigeruius, quod abſit, inter Fratres fuerit, de his quæ audierit vel viderit, XV. dies in uitimo gradu pœnitebit, bis in hebdomada ln pane & aqna & vapulabit tertio in Capitulo. Et cùm hoſtis antiquus damna ſibi in Capitulo illata in Auditorio proponat reſtitui, rarum iogreſſum ſed neceſſarium noſtris concedimus in Auditorium; videlicet pro venüs ſumendis, cùm ratio permiſerit. Et ſi qua ioquenda ſunt, quæ ſignis indicari nequeunt, vel ſi quid fortè emerſerit, quod conſilio tractari opus ſit. Si qui aliquo opus habuerint, quærant ſigno ad oſtium; & tunc, ſi conceſſum fuerit ingrediantur, ubi non ioquantur plures quàm duo ſimul cum Priote, tempore lectionis, niſi ſottè Prior vel Subpr'or eo abſente, pro aliqua neceſſitate vel ſolatio, piutes ibi convocandos judicaverit. Compieto pro quo ingreſſi ſunt, cito exeant, niſi detineantur. Cum ſummis etiam Scrutatoribus vel aliis maturis, vei ſi quis nobilis ſortè ſupervenerit Secularis vei Reiigioſus noſtræ vel non noſtræ Profeſſionis domeſticus, ut loquatur, ſuſtinemus. Furtiva coiloquia duorum ſine reguiari teſte, & ea frequentare curantes, in omni Coovent u bonorum viles habeantur, & à conſortio fidelium projiciantur. Qui infringit ſiientium maoifeſtè, jejunet in pane & aqua, vei vapulet in Capituio. Qui autem fuerit incorrigibilis, interdicatur ei acceſſus ad Corpus Chriſti. Quod ſi quis vitioſus deprehenſus fuerit de infractione ſilentii poſt trinam correptionem, el In Capitulo factam, ſi ſe non correxerit, jejunet omni VI. Feria in pane & aqua usque ad adventum Magiſtri, & tunc ei manifeſtetur, ut cuipa dignè puniatur.

De Calefactorio, & Collatione, & ſilentio poſt Completorium.

XXX. CAlefactorium nuilus ingrediatut, niſi præcipiente vel permittente Priore, vel ejus ſolatio, cùm ipſe defuerit; excepto Præcentore ad planandam tabuiam, quam non ſcribat tempore iaboris; & ad calefaciendum incauſtum, & Scriptoribus ad ſiccandum pergamenum; & Sacriſta vei quoiibet aiio pro accendendo ſumine in Eccieſia, vel prunis in thuribulo, vel pateiia imponendis; & exceptis iliis qui minuendi ſunt. Puiſante ſigno ad Collationem omnes Canonici, qui infra Curtem Abbatiæ ſunt, in Clauſtro conveniant, niſi ſortè aliqui de itinere venientes tunc temporis teficiant. Quibus congregantibus, Præcentor præparet iibrum Collationi. Finita verò lectione Coliationis, quam legere debet menſæ Lector hebdomadæ præcedentis, vel cui ipſe ſignaverit, non mutet locum ſuum, qui legerit, quousque Prior dicat; *Adjutorium noſtrum.* Si aiiqui Canonici, nulla occupatiooe impediente benedictionem ſua incuria perdiderint, eodem modo ſatisfaciant, quo & Celierarius, ſi omnino Collationi deſuerit; videlicet inchoante hymno *Completorii* ad gradum ibunt: eodem modo ſe habentes, quo illi de Choro ſe habent, quousque hora terminetur, & oratio, quæ ſequitur, niſi hora de ſancta Maria ad ſtaila reos vocet. Coilationi enim & Capitulo omnes omni tempore intereſſe debent, exceptis infirmis in Infirmitorio jacentibus. Qui autem aliqua occaſione defuerit, in ſequenti Capitulo ſatisfaciat. Dicto *Completorio*: nullus ante *Primam* loquatur, niſi pro imminenti periculo mortis, vel incendii, vel furti, vel alicujus ſimilis periculi.

De Dormitorio.

XXXI. DOrmitorium ingrediantur Canonici, quotiens opus habuerint. In quod intrantes ponant caputia ſua in Capitibus ſuis. Intrantes autem Domum neceſſariam, quantum poſſunt, abſcondant vultus ſuos in caputiis ſuis. Si quando vetò ſederint in Scapuiaribus, nihilominus quantùm poterint, ſe ab anteriori parte cooperiant. In Dormitorio non ſedeant, exceptis intervailis, in tempore hyemali ut ſupradictum eſt; & quando ſe caiceant & diſcalceant; vel quando mutant tunicas; & tunc in lectis ſuis vel in ſubpetaneis exuentes, & induentes ſe honeſtè & cautè faciant, ne nudi appareant. Quod non extra Dormitorium, ſed ad lectum ſuum facere ſolent, & qui extra jacent ſimiliter ad lectos ſuós. Hoc etiam provideant, ut ad minus, quàm poterunt, ſine Scapulari ſint; Nam ſine iilo cingere ſe cuiquá non licet. Nullus in lecto aſcendat rectus, ſed de ſponda divertat pedes ſuos in lectū ſuum. Nec jaceant ſuper cotos, præter minutos

&

& infirmos, qui extra Chorum ſunt, quos poſſunt omnes in æſtate in perticis ponere, ſi voluerint. Nullus ibi excutiat indumenta, vel faciat ſigna, niſi fortè cum Priore; ſeu quando quis vocat alium ex parte Prioris.

De Scrutinio Lectorum, & pulvinaribus, & perticis, & ſeris circa Clauſtrum habendis.

XXXII. Lecti ſingulorum à fidelibus, quos Prior ad hoc aſſignaverit, ſcrutentur; & ſi quid occultatum fuerit repertum, patrator tanti criminis pœnam furti facientis, in verbere & jejunio exſolvat. Nam res ſingulorum & quibuscumque veſtimur vel induimur, in manifeſto & in loco munito poni debent, & non occultari. Cùm ergo abluuntur pulvinaria, diſtribuantur communiter à Canonico, ad cujus officium, ex præcepto Prioris, hoc pertinere dignoſcitur; nullius conſiderata perſona, exceptis manifeſta infirmitate oppreſſis, & ſanie vel ſanguine fluentibus. Omnes qui pulvinaria ſibi credita perdiderint, vel aſportaverint, vel negligenter & inordinatè tractaverint, furti Judicio puniantur, vel verbere & jejunio caſtigentur, & per annum careant. Si verò Novitii pulvinaria non ſecum portaverint, vel ſibi à ſuis data non fuerint, ex gratia ſubveniatur non habenti. Hoc idem inter Fratres & Sorores diligenter ſervetur. Non fiant perticæ vel aliquid aliud circa lectos Canonicorum, vel Fratrum, vel Monialium, vel Sororum in Dormitorio, quo minus pateat viſus intuentium per omnes lectos Dormitorii. Firmiter obſerventur oſtia Dormitorii, & omnia oſtia ambitûs Clauſtri nocturnis temporibus ab aliquo, cui Prior injunxerit, & ponantur claves omnium exituum quaque nocte in cuſtodia Prioris vel Subprioris, Priore abſente.

De infirmantibus & Infirmitorio: & cibo infirmorum in Itinere.

XXXIII. Quotiens aliquis exierit de Choro, pro infirmitate, in ſequenti Capitulo veniam petat, inde etiam ſi juſſus fuerit remanere: & dicat cauſam exitus ſui. Ad horas diei, privatis diebus, ſicut cæteri proſternantur in Chorum, redeat ad quamlibet horam noctis, vel diei, qua voluerit, ſive etiam ad Miſſam. Cætera verò per omnia, ſicut minutus, dum extra Chorum eſt, agat, excepto quod mixtum non ſumat, & in Capitulo ſponte veniam petat. Quod ſi aliquis talem ac tam apertam infirmitatem habuerit, ut videri vel intelligi evidenter poſſit, quod nec Conventum tenere, nec in Infirmitorio proficere valeat, ejus infirmitas in Capitulo manifeſtetur; & exhinc ſit in Eccleſia, ubi & quomodo Prior viderit, cantet, legat, & operetur, prout infirmitas ejus permiſerit. Cæterum, qui certam non habet infirmitatem, ſi poſt unum aut duos dies non convaluerit, ingrediatur Infirmitorium.

Infirmarius Infirmorum miniſterio diligenter intendat, neceſſitates eorum Procuratoribus Domorum efficaciter oſtendat, qui ipſis, prout facultas Domus permiſerit, neceſſaria charitate fraterna devotè procurent, aliis providentes, ut ſibi provideri affectant. Priori namque & Subpriori, Cellerario & Subcellerario ſpecialiter incumbit Infirmos viſitare, & conſolari ex parte virorum; illud Evangelicum attendentibus: *Infirmus fui & viſitaſtis me.* Infirmarius converſum aliquem vel famulum ſecularem in ſolatium habeat, ſi neceſſe fuerit, vel gravitas infirmitatis aliquorum hoc exegerit. Corporis Chriſti & ſanguinis communio nulli noſtrorum, viro vel mulieri, pro gravitate morbi alicujus, veluti lepræ, vel epilepſis, denegetur. Verumtamen vomitus frequens caveatur & epileptici, die quo morbo ſuo laboraverint, à cõmunione abſtineant. Et his infirmitatibus laborantibus provideatur calamus argenteus, & calix ſtagneus ad cõmunicandum. Idem inter Moniales & Sorores teneatur. Suſtinemus etiam, ut agentes longius itinera à Domibus noſtris infirmitatis neceſſitate cogente, reficiant, eodem modo ſicut facerent in propriis Infirmitoriis noſtris, ſi infirmarentur. Quod ſi fiat, Magiſtro notificetur, & aliter fieri ſub anathemate prohibemus.

De minuendis & quomodo ſe debent habere in minutione.

XXXIV. Canonici & Sanctimoniales in tempore miſſionis, & in Adventu & in Quadrageſima, & per tres primos dies Natalis Domini, Paſchæ & Pentecoſtes, & quando ſecunda vel tertia die præcipuum Jejunium evenerit: Hebdomadarius verò Miſſæ aut lectionis menſæ non ſe minuant, niſi pro gravi infirmitate miſericordiam in Capitulo petentibus conceſſum fuerit. Reverſus verò de via, eodem die, non ſe minuat, niſi conſilio Prioris. Et ſi fieri convenienter poteſt, his

his minuatur menſibus, Februario, Aprili, Septembri. Quarta verò minutio circa feſtivitatem ſancti Joannis Baptiſtæ fiat. Cùm autem pars Conventus minui debuerit, dicat Prior in Capitulo, illi qui ſedent ad illam, & ad illam menſam minuantur. Caveatur, ne ſecunda vel tertia ſeu etiam quarta die duodecim lectionum veniat dies. Erit tamen in Prioris arbitrio propter hoc non dimittere, quin illi, de quibus judicaverit, minuantur. Obſervet tamen, ut hi minuantur, ſine quibus poſſint vigiliæ competenter celebrari. Si tempus fuerit prandii, inter *Tertiam* & *Sextam*; ſcilicet poſt Evangelium vel ante, ſi neceſſe fuerit. Si dies jejunii, inter *Sextam* & *Nonam*. In utroque enim tempore poſt *Nonam*, ſi neceſſitas exigerit, accenſo igne in Calefactorio, ab eo cui Prior juſſerit, præparent ſe ad minuendum. Interim veniat minutor, juſſu Prioris. Qui minuti fuerint, pergant in Refectorium, ſi voluerint, & ſpatium habuerint.

Exhinc omni tempore lectionis vel laboris poteſt minutus, aut jacere in lecto ſuo, aut ſedere in Capitulo, & in Clauſtro, donec ingrediatur Chorum. Similiter dum extra Chorum fuerit, non legat vel cantet. Clauſtrum non ingrediatur, nec aliud quid faciat aliquis de obedientia ſua, niſi Prior aut Sacriſta vel Cellerarius, vel Magiſter Novitiorum. Si obedientiam habuerit, ſolatium ejuſ vices ſuppleat. Quod ſi cantare aut in Eccleſia, aut extra Eccleſiam legere, vel mandatum pauperum, vel aliud quid facere debent, ſignificet de eo alicui, & ille faciat, quamdiu extra Chorum fuerit. Hebdomadarium tamen *Invitatoris* de officio ſuo nullum ſignum facere oportebit; neque Hebdomadarium Miſſæ de ſuo, niſi de Miſſa tantùm. De cætero minuti, quamdiu extra Chorum fuerint, & quando lectioni vacant, die tertio, tempore laboris non ſignificent, niſi de confeſſione, de Miſſa auſcultanda, vel etiam de bibere. Ad horas ingrediatur minutus Capitulum; ſtatim aſſidens cùm venerit in primo ingreſſu; & poſt orationem ſignificet ſe ſedens. Deinde non proſternat ſe, nec inclinet ad *Gloriam*, nec ſtet niſi ad *Magnificat* & ad *Te Deum* & ad *Evangelium* & ad *Benedictus*. Ad privatas tamen Miſſas, ſi neceſſe fuerit, poteſt rogatus adjuvare, & ad hoc in aliam partem per ante Chorum tranſite.

Ad Miſſas autem communes, quando Conventus deerit, poteſt adjuvare. Poſt horam verò ante alios egrediatur. In Refectorio verò, ſicut cæteri ſe habeant; de cibo ſuo nihil diſtribuat. Nam in hyeme prima die dabitur ei dimidia libra albi panis præter communem, cum una pitantia, in ſecunda & tertia die ad mixtum poſt *Tertiam* dabitur ei, cum una pitantia integra libra albi panis, cum pane communi. Ad ſecundam verò refectionem dabuntur ei pulmenta communia. In quarta autem die, tam hyeme, quàm æſtate, una cum pulmentis detur ei pitantia. In æſtate verò per tres dies dabuntur ei ad prandium pulmenta communia, & libra albi panis, præter communem panem cum una pitantia. Ad cœnam verò, per tres dies qualiſcumque dabitur ei pitantia. Cui panem inſcidere & alia miniſtrare Servitor, vel qui juxta eum ſedet, poteſt, ſi neceſſe fuerit, & hoc tantùm die prima. Ad horas diei divertat in Capitulum, ſi æſtas fuerit; poſt *Nonam* præcedat euntes in Refectorium ad bibere; & intrante Priore, ſtet, donec ille reſideat. Poſt collationem intrante Conventu in Chorum, in loco ſolito divertens ſedeat, & ſignans ſe poſt orationem, egrediatur, ſi voluerit, in Capitulum vel alium locum ad hoc aſſignatum cantare *Completorium*. Quo cantato, & oratione finita ſignans ſe & aſpergens aqua benedicta, revertatur ad lectum, vel ad Oratorium, ſi voluerit. Ante alios tamen ingrediatur Dormitorium.

Pulſato ſigno ad vigilias, ingrediens in Infirmitorium, ſive in Capitulum, vel in ipſo Dormitorio cantet vigilias, prout ordinatum fuerit. In his vigiliis poſſunt breviores quàm in Conventu lectiones fieri, & ſub una benedictione tres lectiones legere. Qui prior Sacerdotum ordine converſionis ibi fuerit, totum officium, ſi complere poteſt, compleat; excepto quod ad miniſterium Prioris attinet. ſi adfuerit. Lectiones tamen alio, ſi adfuerit, qui legere poſſit, injungat. Totum etiam officium, ſi complere non poterit, compleat, cui ipſe innuerit. Abſentibus Sacerdotibus, aliorum gradnum Clerici idem inter ſe obſervent. Et ſciendum, quod officium Defunctorum vel aliud quid cantari hic non permittitur, niſi ſint præcipua Defunctorum officia. Si verò ſolùs ſive in Infirmitorio, ſive in Capitulo fuerit, ſi fieri poteſt, ſolatium quod eum adjuvare ad officium complendum poſſit, provideatur. Quod completo, eat dormitum; nam cæteras horas diei non extra cantare, ſed intus ex integro auſcultare debent. Ad *Primam* minuti revertantur in Eccleſiam. Diebus verò Feſtis, dum ſignum Capituli pulſatur, ingrediantur Capitulum ſicut & cæteri, aliis verò diebus ſimiliter, ubi non petant venjam nec clamentur. Si dies

jejunii

jejunii fuerit, ſecundo & tertio die accipiant poſt *Tertiam* mixtum in Refectorio. Tertia die ingrediuntur in Chorum omnibus diebus ad *Primam*, tam in æſtate quàm in hyeme. Tertia nocte interſint vigiliis, ſive Feria, ſive Feſtum fuerit. Quarto die, ſicut cæteri ad laborem ſe præparent. Quibus tamen Prior, pro minutione ſua, aliquem minorem laborem debet injungere, vel laborem omnino remittere. Idem prout decet & fieri poterit, firmiter inter Fratres, Moniales & Sorores teneatur.

De minutione, & loco, & tempore minutionis.

XXXV. Nullus Canonicus vel Converſus minuat, niſi ad Abbatias noſtri Ordinis; nec ad Grangias, niſi gravis neceſſitas incubuerit. Omnes etiam noſtri Ordinis, qui voluerint, minuantur. Canonici, Laici & Fratres omnes, præter Officiales, die ſancti Stephani, & in craſtino Paſchæ minuant. Moniales verò Laicæ, quæ in Eccleſia officium non complent, & Sorores omnes, præter Officiales, die ſancti Joannis Evangeliſtæ minuant; & Feria tertia poſt diem Paſchæ, & aliis temporibus, nunquam niſi Feſtus dies, in quo non laboratur, intervenerit, in minutione earum; nec Fratres niſi pro infirmitate. Canonici & Moniales quater in anno minuantur, ſi volunt, Fratres & Sorores ter nec pluries niſi ex miſericordia, & gratia, vel infirmitate: infirmi enim ſub hac lege non tenentur. Quot Præpoſita voluerit ſimul minuantur; ſive Sorores, ſive Moniales. Hoc idem teneatur à Prioribus inter Canonicos, & Grangiariis inter Fratres; Nec quis proprio arbitrio minuatur. Quæ minuit, & quæ minuitur, in Scapulari ſint; & poſtea ſumant cucullas Monachæ, mares & Sorores pallium. Minuti Caveant, ne mutuo inordinatè ſignificent, vel loquantur. Minutis enim, quandocumque minuti fuerint, colloquia interdicimus, niſi de licentia Prioris, vel Subprioris, vel vices eorum agentis. Qui minuti fuerint, omnes ſtabunt ad *Deus in adjutorium*, & ad *Evangelium*, niſi minima debilitas ſit impedimento. Quæ verò horam dixerit, ad *Collectam* ſtabit. Minuti vel minutæ, in loco eis ſtatuto perſolvant debitam orationem. Qui verò vel quæ minuit, cuſtodiat ligamenta brachiorum. In æſtate ſi minuti vel minutæ mixtum ſumere neceſſe habuerint, de pane regulari detur eis & cerviſia. Minutis per miſericordiam ab Exaltatione ſanctæ Crucis usque Paſcha cœnam interdicimus, volentes ut mane mixtum ſumant; & poſtea cum Conventu reficiant, vel cum Servitoribus, niſi compellente alicujus manifeſta imbecillitate, Prior aliter fieri, diſcernat. Fratres Laici & Sorores converſæ, ſuo modo & ſuis temporibus minuantur; & in Abbatia ſemper & non extra. Officiales Sorores, ſi minutæ fuerint, poſt tertiam diem minutionis ad officium ſuum redeant, & Fratres ſimiliter. Minuti verò vel minutæ omnes die tertia poſſunt clamare, vel clamari in Capitulo. Ubi minutæ *Completorium* dixerint, ibi orationem faciant poſt *Completorium*, & ad *Matutinas*, niſi Altare privatum habuerint. Et propter juvenculas, tres ad minus interſint horis dicendis. Quæ verò minuta fuerit, in Infirmitorio horas dicat, cùm opus fuerit, & ipſa poterit.

De Proceſſione contra Dominum Papam, Regem, Legatum, Archiepiſcopum, Epiſcopum, & proprium Magiſtrum.

XXXVI. Ad ſuſcipiendum Epiſcopum convocentur omnes in Chorum campana. Tunc ſumat aliquis aquam benedictam nutu Cantoris; quo præcedente, ſequatur Prior; deinde Conventus & Novitii bini & bini, Sacerdotibus præeuntibus, eo ordine quo in Choro ſtant. Cunctisque egreſſis & ſtantibus ordinatim ante foras Monaſterii; Portarius vel alius quislibet ad hoc idoneus, à Priore juſſus, interim obviam eis adducat Epiſcopum. Quo appropinquante, flectant omnes genua ante eum. Quibus erectis, porrigat Prior Epiſcopo ſperſorium oſculans ei manum; Deinde textum ad oſculandum. Quo thurificato, incipiat Cantor vel alius Reſponſorium, *Honor, virtus*, vel *Summæ Trinitati*, vel *Sint lumbi*, vel *Cives Apoſtolorum*. Et incipiente Cantore Reſponſorium revertatur Conventus ad Eccleſiam, quam introeant primùm Novitii; deinde cæteri Laici, Canoninis præeuntibus, ita ut Prior eat poſterior manutenens Epiſcopum. Cum autem venerint in Chorum Epiſcopo incumbente orationi, Prior ſtans juxta eum, cæteris poſt eum ſicut ad Miſſam ordinatis; Percantato verò Reſponſorio dicat Prior verſum: *Salvum fac ſervum tuum Domine. Oremus. Omnipotens Sempiterne Deus, miſerere huic Famulo tuo N. Epiſcopo noſtro, & dirige eum* &c. Poſtea Prior erigens Epiſcopum, & data benedictione oſculetur eum: Poſt quem omnes alii, ſi oſculum eis

eis obtulerit. Deinde ducatur in Capitulum ſermonem facturus, ſi voluerit, vel ad ſuum Hoſpitium, ſi Capitulum intrare noluerit. Sciendum autem, quod ad nullum recipiendum vadit Conventus, niſi ad proprium Epiſcopum & Archiepiſcopum, & Sedis Apoſtolicæ Legatos, & Regem & Dominum Papam & Magiſtrum de novo creatum. Nulli horum omnium niſi Domino Papæ, pluſquam ſemel hæc fit Proceſſio, niſi proprio Epiſcopo, è transmarinis reverſo.

De Scriptis, ut generaliter ſerventur ab omnibus Canonicis, Fratribus, Monialibus, & Sororibus.

XXXVII. Quæcumque ſcripta ſunt Fratribus vel Canonicis, quæ vitæ & Religioni Sanctimonialium vel Sororum prodeſſe cognoſcuntur, fideliter ab eis ſerventur, & è converſo.

Incipiunt Scripta de Fratribus.

De inſtitutione & ordinatione Fratrum; & eorum veſtibus.

I. EO tempore, quo inchoata eſt Monachorum de Sempingham Religio, venerunt Monachi de Ordine Ciſterciæ in equitatu & apparatu humillimo, & abjecto cultu, contenti victu paupere. Cum quibus venerunt Laici ad laborem promptiſſimi, in veſtitu paupere, contenti victu pauperum, olera & legumina computabant divitias, & aquæ potus erat ſatis placidus, Grangiis morantibus; & nihil amplius ex Ordine. Quod audientes plurimi de communi laborioſorum genere nobis ſervientes in victu paupere, optabant Deo vivere apud nos in eorum Ordine. Nos verò eorum deſideriis diſponentes ſatisfacere, ad ſalutem animæ conceſſimus, & inde eſt, quod ſcripſimus. Fratres noſtri Laici in modo victus & veſtitus ſequantur formam Fratrum Ordinis Ciſterciæ, qui morantur in Grangiis, niſi aliqua nova primo rigori Ordinis eorum obviantia ſuccreverint. Si verò contempta Profeſſione & voto, quod ſponte voverunt, declinaverint ad ea, quæ voto & Profeſſioni eorum ſunt contraria, à communione Corporis & Sanguinis Chriſti priventur, quouſque pœnitentes de tanta transgreſſione ſatisfacere curaverint. Præter hæc Laicis Fratribus noſtris hujusmodi gratiam ſuperaddere curavimus. Fratribus noſtris cujuſcunque ætatis, magna & manifeſta infirmitate laborantibus, concedimus pro una tunica pelliceam unam de pellibus arietinis. Pellicea verò illa non fiat ad formam aliarum pellicearum, ſed aperta erit in anteriori parte, & corrigiis conſtringetur circa mediam partem ventris, ſicut ſolet fieri in veſte lactentis pueri, quæ veſtis Anglicè ſolet vocari *Flage*. Et firmiter prohibemus, ne plures, quam quatuor pelles in illa pellicea ponantur, ſi ex tot aliquo modo convenienter fieri poſſit. Singuli verò Fratres noſtri Ordinis tres tunicas albas habeant; & pallium de griſo panno, uſque ad medias tybias pertingens ſoratum de groſſibus pellibus & ſimplicibus, & cappam de griſo panno non omnino ad calcem pedis perringentem; & Capitium ſcapulas, & pectus tantummodo cooperiens. Bubulcis tamen & Quadrigariis, & Paſtoribus ampliorem menſuram providere poterit Prior. Nec curetur vel cauſetur de hujuſmodi colore, dummodo veræ Religioni conveniant, cappæ vel caputia Fratrum fiant. Habeant etiam duo paria caligarum & pedules. Solis verò Fabris conceditur habere camiſias, ſcilicet *Rochet*; nec tamen niſi nigras & rotundas. Quidquid ſuperius dictum eſt in Scriptis de veſtibus Canonicorum, quod inter Fratres poſſit obſervari, firmiter inter eos teneatur.

De Sotularibus Fratrum.

II. DE optima parte corii fiant Sotulares Fratrum fortes; quos habeant per annum integrum, ſi fieri poteſt. Quod ſi fortè ſciſſi & vetuſtate conſumpti inducrint, licet Sutori ſolas novas imponendo renovare; ſicut meliùs viderit expedire. Quod ſi reparari non poterint, conſilio Prioris aliquo modo ſubveniatur non habenti. Sutor & cæteri Fratres diligenter ſtudeant explorare, ſi quis negligenter Sotulares vel veſtes ſuas tractaverit; & negligentem graviter arguant; & pœna mulctetur, ſi clamatus non emendaverit.

De

De ablutione pannorum Fratrum.

III. SI deſunt fullones, abluant Fratres pannos ſuos, cùm juſtum fuerit; vel Janitor ab aliquo pauperum faciat ablui. Panni lavandi non niſi pede laventur. Qnidquid ſuperins ſtatutum eſt, in Scriptis de veſtibus Canonicorum, eodem modo per omnia inter Fratres teneatur.

De ſuſceptione Fratrum, & eorum Capitulo, & Profeſſione, & libris ab eis non babendis, & Novitiis quoquam non mittendis.

IV. FRatres ad Converſionem venientes, à Magiſtro in Capitulo Monialium recipiantur, ante Secularis habitus ſuſceptionem, ſed non minus quàm viginti quatuor annos ætatis habentes admittantur; nec prius Conventui Fratrum jungantur, quàm recipiantur in Capitulo Monialium, quod hac de cauſa qualibet die poteſt congregari, ubi demonſtretur eis, quid facere, quid omittere, quomodo vivere debeant, ſicut in ſuſceptione Canonicorum ſcriptum eſt: Fratres de conſenſu & voluntate Prioris & Conventu Canonicorum ſuſcipiantur, ſuſcepti ſtatim laboribus certis aſſignentur; carucis videlicet, & hujusmodi laborioſis. Deputetur autem Novitiis Magiſter, qui idoneus ſit ad mores inſtruendos, & docendum Ordinem. Omnibns feſtivis diebus & Dominicis, pulſante Sacriſta campanam ad Capitulum, conveniant Fratres in Capitulum Canonicorum, & lectionibus aſſuetis interſint; & Sermoni quem Prior vel alius, qui Capitulum tenuerit; vel cui ipſe ſignaverit ad ædificationem animarum illis faciet; Quo finito & ſubjuncto ab omnibus *Amen*, dicat is, qui Capitulum tenet, loquamur de Ordine noſtro. Ad quod verbum diſcedant Novitii. Quo dicto, ſi recipiendus eſt aliquis Novitius, quod non fit, niſi in præſentia ſummi Prioris; & poſt annum inter Fratres noſtros completum, dicat Frater, cui hoc pertinet; recipiendus eſt Novitius. Tunc ſummus Prior diligenter inquirat de ejus vita & de moralitate: Et ſie ſi fuerit recipiendus juſſu ſummi Prioris adducat eum Frater aliquis. Cui petita venia, aſtanti ante eum, exponat breviter aſperitatem & rigorem Ordinis. Deinde oret pro perſeverantia ejus; & dicto ab omnibus *Amen*, diſcedat Novitius in Capitulum Monialium, Profeſſionem facturus. Ipſo amoto, cæteri Fratres petant venias, clament, diſciplinas ſumant, ſi quæ ſumendæ fuerint: In omnibus quantum decet Laicos, eundem modum & eandem formam obſervantes, quam ſuperius Canonicis in Capitulo exiſtentibus ſcripto commendavimns. Quibus pertractatis, ſubjungat is, qui Capitulum tenet: *Indulgentiam & remiſſionem*, &c. Et ſic recedentes, quieti & orationi vacent; exceptis his qnibus officium aliquod à Priore injunctum neceſſitate cogente, quietem negaverit.

Finito denique Capitulo, ad juſſum Magiſtri veniat Novitius in Capitulum Monialium coram illo, ubi faciat profeſſionem hoc modo. In primis proſtratus petat miſericordiam Dei & ſanctæ Mariæ & Magiſtri & totius Congregationis faciendi profeſſionem, & perſeverandi in Ordine usque ad finem vitæ ſuæ, ubi doceatur ut in prima ſuſceptione; deinde imprecetur ei gratiam Dei & perſeverantiam in bono. Et ſic reſponſo ab omnibus *Amen*, flexis genibus coram Magiſtro, ponat manus ſuas junctas inter manus Magiſtri in libro, & ore proprio renunciet diabolo & omnibns operibus & pompis ejus ſæculo & actibns ejus, propriæ voluntati & omnimodæ proprietati; & promittat humilitatem & caſtitatem, obedientiam, fidelitatem & perſeverantiam & Ordinem Fratrem ſe ſervaturum pro poſſe, usque ad finem vitæ ſuæ, ſecundùm Statuta beati Gilberti & Succeſſorum ejus. Deinde orari faciat Magiſter pro ejus perſeverantia, dicens. *Det tibi Deus meritis & precibus beatæ Mariæ & beati Gilberti & omnium Sanctorum perſeverantiam in bono.* Et reſponſo ab omnibns *Amen*, promittat ei obedientiam in bono. Dehinc ſecundùm morem Ordinis votum de ſe faciat ſnper Altare. Iſte modus ſemper ſervetur in ſuſceptione omnium Canonicornm, Monialium, Fratrum & Sororum. Exhinc in Ordine noſtro non fiet Frater Canonicus. Quodſi ſuadente diabolo, de Ordine exiens Monachi vel Canonici, regnlaris habitum à quolibet acceperit, depoſito habitu in Converſum accipiatur, niſi fortè Ordines acceperit; Quos ſi acceperit deinceps non recipiatur. Nullus enim Converſorum noſtrorum habeat librum; nec diſcat aliquid, niſi tantùm *Pater noſter*, & *Credo in Deum*, & *miſerere mei Deus*; & cætera quæ debere dici ab eis ſtatutum eſt, & hoc non litera ſed cordetenus. Novitius nunquam ad aliquid vendendum vel emendum ſolus mittatur, nec fiat Grangiarius vel alicujus negotii Præpoſitus. In Hoſpitio tamen Hoſpitali Fratri ſolatium eſſe poterit per Priorem, ſi neceſſitas expoſcit.

De vigiliis, & horis Fratrum diei & noctis.

V. TAm ad vigilias, quàm ad horas diei, faciant orationes ſuas ſicut mos eſt. Poſt erectionem autem & ſignaculum, ſi duo aut plures fuerint, dicat Prior illorum, *Deus in adjutorium meum intende.* Et reſpondentibus omnibus, *Domine ad adjuvandum me feſtina*, ad vigilias ſubjungat Prior illorum, *Domine labia mea aperiee*, Cæteris eundem verſum reſpondentibus, quod usque tertio dicat. Deinde dicant ſub ſilentio, *Pater noſter* erecti. Quo dicto, dicat Prior illorum; audientibus omnibus, *Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto.* Qui cùm dixerit, tam ipſe quàm cæteri curventur. Eóque dicto, erigantur omnes dicentes; *ſicut erat* totum, & hoc usque vigies faciant. Poſt viceſimum autem *ſicut erat*, ſubjungant omnes, Priore eorum incipiente *Kyrie eleiſon* ſemel, *Chriſte eleiſon* ſemel, *Kyrie eleiſon* ſemel. Tunc Prior eorum dicat in audientia totum *Pater noſter*; tam ad vigilias, quàm ad omnes horas adjungens, *per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum*, &c. cæterique reſpondeant *Amen.* Deinde adjungat: *Benedicamus Deo*, aliisque reſpondentibus. *Deo gratias.* Ad horas diei poſt *Deus in adjutorium*, incurvis omnibus, dicat Prior eorum, *Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto.* Cæteriſque reſpondentibus, *ſicut erat*, &c. finiant, ſicut ſupra diximus, excepto quod in *Laudibus* & ad *Veſperas*, decies dicent *Pater noſter*, cum *Gloria Patri.* Ad cæteras verò horas, quinquies. Hic ordo pſallendi omni tempore teneatur, niſi quod in Feſtivitatibus XII. Lectionum duplicabnntur ad *Nocturnos* tantùm *Pater noſter*, cum *Gloria Patri*, ut ſint XL.

Quando ſoli, vel in Eccleſia fuerint, hoc totum ſinguli dicent ſub ſilentio. Notandum etiam, quia cùm interſint horis Monachorum, ad eas *glorias* tantùm inclinent, ad quas & Monachæ. Ab idibus Septembris usque ad Cœnam Domini, privatis diebus & Feſtis, quibus laborant, pulſetur campana ſpecialiter ad excitandũ Fratres. Qua pulſata ſurgant, nec ante, niſi permittente Priore vel neceſſitate cogente. Factis orationibus *Vigiliarum* & *Laudum* & etiam *Primæ*, ſi tempus permiſerit, exeant ad labores ſibi injunctos, ſilentium ſervaturi usque ad ſignum *Primæ*, niſi pro inevitabilibus cauſis vel manifeſtis damnis. Alias horas diei ſolvant, ubicumque laboraverint, tam hyeme, quàm æſtate. A Paſcha, usque ad idus Septembris privatis diebus, & feſtivis, quibus laborant, dormiant usque ad *Laudes*; quia meridianas non habent ex inſtitutione, ſed ex gratia, videlicet qui in Abbatia ſunt, à Paſcha usque ad tempus fœni. Qui verò in Grangiis à Feſto ſanctæ Crucis, usque ad eundem terminum. Omnibus feſtivis diebus quibus non laborant tam hyeme quàm æſtate, ſurgant ad *Vigilias* quando & Monàchæ. Idem firmiter inter Sorores obſervetur. Ab idibus antem Septembris usque ad Paſcha, converſi de Abbatia eant ſicut reliquo tempore tantùm Dominicis diebus & Feſtis, quibus non laborant, ad utrumque *Completorium.* Privatis autem diebus & Feſtis, quibus laboramus, operibus ſuis intendant, quamdiu lumine diei operari poſſint. Et tunc aliquis Frater converſus, cui injunctum fuerit, ad fienda opera eorum tabulam pulſet; qua pulſata, ab operibus eorum ſe disjungant, & *Completorium* cantent. Et Fratres qui in Grangiis fuerint, à Kalendis Novembris usque ad Cathedram S. Petri vigilent circa quartam partem noctis; & à Cathedra usque ad Paſcha, & ab idibus Septembris usque ad Kalendas Novembris, ſic ſurgant, ut ante lucem perficiant orationes *Vigiliarum* & *Laudum.* Quibus transactis laborent, quod neceſſe fuerit. A Paſcha usque ad ſupradictas idus, incipiente luce ſurgant ad laborem. Et ſciendum eſt, quod non eſt noſtræ conſuetudinis converſum proſtratum toto corpore jacere in oratione; ſed ſuper genua vel ſtando. Et ab Octavis Pentecoſtes usque ad Natale Domini, & ab Octavis Epiphaniæ usque ad Paſcha, omni ſexta Feria accipiant diſcipiinas; niſi aliqua fuerit Feſtivitas, qua non laborant. Quod ſi aliqua impediatur negligentia, die qua prius expedierit, reſtauretur.

De Feſtis feriandis, & non feriandis.

VI. IN his ſolemnitatibus non laborant Converſi. In die Nativitatis Domini, & quatuor diebus ſequentibus. In Circumciſione Domini. In Epiphania Domini. In Purificatione beatæ Mariæ. In die S. Gilberti. Mathiæ Apoſtoli. In Paraſceve. In die Paſchæ, & ſecunda Feria. In Aſcenſione. In die Pentecoſtes & ſecunda Feria. In ſolemnitatibus ſanctæ Mariæ, Philippi & Jacobi. In Nativitate ſancti Joannis Baptiſtæ. Apoſtolorum Petri & Pauli. Translatione S. Thomæ Martyris; S. Mariæ Magdalenæ. S. Jacobi Apoſtoli. Ad vincula ſancti Petri. Sancti Laurentii. S. Bartholomæi. Decollatione S. Joannis Baptiſtæ. S. Matthæi. In Inventione & Exal-

Exaltatione ſanctæ Crucis. Michaelis. Translatione ſancti Gilberti, Simonis & Judæ, omnium Sanctorum. Martini Epiſcopi, Hugonis Epiſcopi, Andreæ Apoſtoli. In Dedicatione Eccleſiæ, qui in Monaſterio morantur. Et in his tamen ipſi, ſi quid neceſſarium fuerit, faciant quod fuerit imperatum. In quibus autem ſolemnitatibus converſi laborant, & Monachæ feriant, converſi qui in Abbatia ſunt, priorem tantùm Miſſam andire poterunr; & ſic exire ad opera ſuà. Dies Feſti duodecim Lectionum, in quibus Fratres Laici laborant, hi ſunt. S. Silveſtri. Octavarum Epiphaniæ; Feſtum Sanctorum Fabiani & Sebaſtiani. Agnetis Virginis. Vincentii. Sanctæ Agathæ. Cathedræ ſancti Petri; Gregorii Papæ. Ambroſii Epiſcopi. Octavis Aſcenſionis. Commemoratio S. Pauli. Octavis S. Joannis & Apoſtolorum. Inventio S. Stephani. Octavis ſanctæ Mariæ & Auguſtini Epiſcopi. Mauritii cum Sociis ſuis. Dionyſii cum Sociis ſuis. Cæciliæ Virginis. Clementis Papæ, Nicolai Papæ. Luciæ Virginis. Cùm inter Sæculares morantur Fratres, Feſtos dies, qnos univerſaliter venerantur Laici, propter ſcandalum venerentur in publico, & ipſi Fratres noſtri: qui in Abbatia morantur omnibus feſtivis diebus, & quotidie per Quadrageſimam, & quotiens præſentis defuncti corpus fuerit in Eccleſia, Miſſarum interſint celebrationibus, in cappis. Sed in Feriis & Feſtis quibus laborant in Quadrageſima & etiam in Cœna Domini, unam tantùm Miſſam audiant, niſi obedientia aliquibus credita aliud exigat, vel Prior aliter præcipiat; quia iſta præmiſſa non præcipiuntur, ſed permittuntur. In Eccleſia verò, & in itinere, & ubicumque cum Canonicis fuerint, In inclinationibus & erectionibus & cæteris ordinatis Obſervantiis, habeant ſe ſicut Canonici ſe habent. Ad aquam verò benedictam, ſicut permiſerit poſitio uniuſcujuſque Oratorii, ita accedant.

VII. *De communione Fratrum & Novitiorum; & pœna non venientium ad communionem termino debito.*

FRatres qui infra octo dies, poſt diem ſuæ Communionis non venerint, trinæ diſciplinæ in Capitulo ſubjaceant, niſi gravis infirmitas, aut excuſabilis neceſſitas eos impedierit. Valde remoti à Domibus propriis ad propinquiores Domus noſtri Ordinis accedentes hoc Sacramentum percipiant & non ad alias. Similiter & cineres pro quorum negligentia ejusdem temporis ſimiliter puniuntur. Dies Paſchæ excipiatur, ſi volunt. Octies tantùm in anno communicabunt Fratres Laici, niſi Magiſter crebriùs vel rariùs de certa cauſa accedere judicaverit. In Nativitate Domini. In Purificatione. In Aſſumptione. In Nativitate ſanctæ Mariæ. In Cœna Domini. In die ſancto Paſchæ. In die Pentecoſtes. In ſolemnitate omnium Sanctorum. Novitii verò Fratrum & Sororum ter in anno; ſcilicet die Natalis Domini, die Abſolutionis, & die Paſchæ; & quotiens pro Infirmitate opus habuerint. Licet etiam Novitios converſos, prout Prior viderit expedire, dividere per Altaria ad communicandum. Qui verò ſupradictis Feſtis, occupatione vel obedientia impediente communicare non poterit, die qua competenter occurrere poterit, communicabit. Communicent verò Fratres, qui intra ambitum Cœnobii fuerint, ad Miſſam matutinalem, niſi neceſſaria cauſa ab ea abeſſe cogantur; & tunc ad majorem Miſſam hoc faciant. Similiter & qui per negligentiam ſe abſentaverint, ad majorem Miſſam communicent, ita tamen ut pro negligentiâ usque ad *Nonam* jejunent vel centies *Miſerere mei Deus* dicant.

VIII. *De ſilentio Fratrum generaliter ſervando, & Capitulo veſpertino, & colloquio probibito, & officinis non intrandis; & de vehiculis carri.*

IN quibuscumque officinis teneant ſilentium Fratres; nec aliquam officinam ingrediantur ſine licentia. Inſuper in ſuo Dormitorio & Refectorio omnino ſilentium teneant, & præter hæc in omnibus aliis locis, niſi fortè juſſu Prioris de neceſſariis loquantur, vel etiam Ipſius Cellerarii, ſi tamen hæc poteſtas Cellerario data fuerit. Sutores ubique ſilentium teneant, in invicem ad omnes, niſi Prior fortè ejus aliquem locum extra Operatorium determinaverit, ubi inter ſe tantùm loquantur de neceſſariis artis ſuæ breviter; Nec aliter quàm ſtando. Similiter faciant omnes Artifices Monaſterii, Piſtores videlicet, Textores, Pelliſices, & cæteri. Solis tamen Fabris intra officinam ſuam, poteſt locus determinari, ubi de neceſſariis modo prædicto loquantur; quia vix ſine detrimento operis ſui poſſunt in labore ſilentium tenere. Capitulum veſpertinum Fratrum Laicorum, qualibet ſeptimana, per annum, celebri Feſto carente, teneatur

Feria

Feria quarta poſt *Veſperas* in hyeme, poſt cœnam in æſtate, à Priore vel à Subpriore, vel ab alio vices eorum gerente adjunctis ſibi duobus vel uno ad minus Canonico. Ad hoc Capitulum tenendum per aliquem Fratrem à Priore Domus ad hoc aſſignatum, prænuntientur. Qui negligens aut obliviosſus in hoc repertus fuerit, in craſtino in pane & aqua jejunet, vel in proximo Capitulo ſequente vapulet. Tempus fœni colligendi & Auguſti excipitur. Poſt Capitulum veſpertinum Laicorum Fratrum omnino prohibemus fabulationes, vel ſigna fieri inter Fratres, niſi pro inevitabili cauſa, videlicet incendii, furti, vel hujusmodi; ſed mox poſt Capitulum dicto *Completorio*, eant dormitum. Similiter faciant ea die qua Capitulum non tenetur.

Hoſpitales tamen Fratres, & Grangiarii, & bubulci, & ſtabularii ſub hac lege non tenentur, cùm neceſſitas eos excuſaverit. Diebus verò quibus feriatur, ad *Completorium* Sanctimonialium, Fratres Laici intereſſe licentiam habebunt. Similiter qui in Grangiis ſunt, ſilentium teneant in Dormitorio, in Refectorio, in Calefactorio, intra metas ad hoc deputatas. Alibi poſſunt loqui cum Grangiario ſuo de neceſſariis ſuis, & hoc ſtando, & duo tantùm ſimul. Et ſciendum quia ſine caputiis eis loqui non licet. Paſtores tamen & bubulci cum Junioribus ſuis, & Juniores cum ipſis loqui poſſunt in labore ſuo de neceſſariis. Salutantem reſalutent, & viatorem, ſi viam interrogaverit, verbis breviter doceant. Quod ſi de alia re eum alloquatur, reſpondeat ſibi amplius non licere loqui. Hæc etiam cuilibet inquietanti ſe & inſtiganti, ad loquendum reſpondeant. Frater, qui in itinere eſt, teneat ſilentium in omnibus Eccleſiis, & in refectione ſua, & poſt *Completorium*, & habeat ſe in omnibus ſicut mos eſt. In viam directus non cogitur jejunare, niſi eo modo quo Fratres jejunant in Grangiis. Qui veniens ad Monaſterium vel ad Grangiam noſtri Ordinis, teneat per omnia ordinem ſicut Fratres illius loci. Poterit tamen loqui cum Fratre ſtabulario de neceſſariis, ut eſt de ferrandis equis, & quando tribuit eis præbendum & fœnum, & hoc ſtando. Conceditur enim haberi ſtabularium & ipſum loqui cum Fratribus noſtri Ordinis, ſicut cum cæteris hoſpitibus, ubi multitudo hoſpitum exigit. Quod ſi cum Canonico proficiſcitur, habeat ſe, ſecundùm quod ei præceperit. In vi obedientiæ prohibemus, & ſub anathematis interminatione interdicimus, ne Fratres conveniant ad colloquium, vel in Domo vel extra, niſi per Priorem de neceſſariis, eo præſente, vel per eum Cellerario vel Grangiario, ſeu Procuratore. Quicumque verò deprehenſus fuerit hanc inſtitutionem noſtram præterire, toto anno pœniteat, bis in hebdomada in pane & aqua, & ultimum locum teneat in Eccleſia & in Refectorio: ſimiliter internuncius alicujus ſcandali inter Domos, qui deprehendi poterit. Caveat ipſe Prior, ne incidat in eandem culpæ pœnam, ſi fuerit negligens in obſervantia hujus Juſtitiæ & ordinis. Nullus Fratrum præſumat, ſine licentia Prioris, vel Cellerarii, vel Procuratoris ingredi Domos Sutorum, Fabrorum, vel Fullonum, vel hujusmodi, exceptis prænominatis; & Subcellerario & Scrutatore, & qui ad hæc opera deſignantur.

Ingreſſi prædictas officinas, niſi permiſſione Prioris nihil loquantur, ſed ſigno, quæ neceſſaria ſibi fuerint, quærant. Quod ſi quis aliter fecerit, graviter clametur & puniatur verbere & jejunio. Si Fratres alicubi ierint, unus diſcretus provideatur, qui reſpondeat alloquentibus. Nec aliquis loquatur cum aliquo, niſi qui aſſociatus ei fuerit, vel ad quadrigam vel hujusmodi. Aſſociato ſibi loqui poterit, ſi neceſſitas laboris poſtulaverit. Si quis Fratrum noſtrorum quoquam iturus vehiculum carri, vel quadrigæ refutaverit, ut honeſtius caballo inſideat, & equitet; pro culpa inſolentiæ per annum integrum equum vel equam non aſcendat, ſed quoquam iturus ambulet pedes.

De Refectorio, & refectione; & mixto Fratrum, & de jejunio eorum in Grangiis, & de Reliquiis & pitantia eorum.

IX. Refectorium Fratrum, & feneſtra eo modo conſtruatur, & cuſtodiatur, ſicut ſcriptum eſt in ſcripto de Refectorio Canonicorum. Convocatis itaque aliquo ſigno Fratribus ad refectionem, dicant omnes ſimul *Benedicite*, *Kyrie eleiſon*, *Chriſte eleiſon*, *Kyrie eleiſon*. *Pater noſter*. Deinde erectus Grangiarius vel Prior illorum dicat: *Et ne nos*. Aliique reſpondeant, *Sed libera nos*. Tunc Prior illorum faciens ſignum manu dicat, *In nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti*, aliis reſpondentibus *Amen*. Sicque reſideant ad menſas ſecundùm ordinem ſuum, comedant & bibant communiter eis appoſita, niſi alicui extraneo ſupervenienti vel gravi labori inſiſtenti, vel domeſtico à remotis revertenti, vel debili vel infirmanti, aliquando in aliquo ex miſericordia ſubveniatur.

Et

Et notandum, quod non licet eis ſine cappa vel pallio, vel caputiis, nec in ſuis Refectoriis, nec alibi comedere. Si fortè aliquis verſum amiſerit in area Refectorii coram Grangiario, proſtratus ſatisfaciat; & ad ſignum Grangiarii ſurgat. Si verò ter verſum amiſerit, ablata ei potione cerviſiæ ultimus manducet. Et ſi aliquis potum vel pulmentum effuderit, prædicto modo coram ſede Grangiarii ſatisfaciat. Si verò manum ſecuerit, in communi Capitulo veniam petat, & ſimiliter ſi alicubi infortunio quoquo modo ſe læſerit.

Peracta itaque refectione ſurgens Grangiarius, vel Prior illorum, incipiat *Miſerere mei Deus*, dicatque totum verſum, & omnes alii alium: Sicque alternatim dicant alios verſus ſubjungentes *Gloria Patri*; *ſicut erat*, *Kyrie eleiſon*; *Chriſte eleiſon*; *Kyrie eleiſon*: *Pater noſter*. Deinde dicat Prior illorum, *Et ne nos*, alii reſpondeant: *Sed libera nos*, ſubjungente illo *Benedicamus Domino*, cæteri reſpondeant *Deo gratias*. Et ſignantes ſe diſcedant. Servitores verò in Refectorio finient verſum ſuum, & *Pater noſter* dicant. In Grangiis verò poſt cibum incipientes *Miſerere mei Deus*, intrabunt Oratorium. Converſi nolas non habeant in Refectoriis, nec infra Abbatiam. Poſt refectionem eant in Oratorium. Nec ad Grangias campanas habeant, ſed lignea bulla ad convocandos Fratres, ad horas diei & noctis; & ad refectionem. Si quos Fratres Laicos aliqua certa & nota occaſione Prior judicaverit oportere ſumere mixtum, ſumant. Mixti verò quantitas hæc ſit. Medietas libræ ſui panis, vel major quantitas groſſioris panis, & aqua. Qui verò in Grangiis ſunt, non jejunabunt, niſi in præcipuis jejuniis, & in Adventu & ſexta Feria ab idibus Septembris usque ad Quadrageſimam, & habebunt ſinguli libram panis, & inſuper de groſſo pane quantum neceſſe fuerit.

De miſericordia pitantiæ erga debiles & valetudinarios & ſupervenientes & de itinere redeuntes, & minutos ſicut ſuperius ſcriptum eſt, in ſcriptis Canonicorum eodem modo teneantur inter Fratres, prout poteſt & debet fieri inter Laicos; & omnia eadem præcepta, prohibitiones de cibis & potibus & reliquis eorum inter eos teneantur. Si fortè Fratrum multitudine, ſuperveniente cura miniſtrandi, vires Refectorarii exceſſerint, ſubveniant ei aliqui Fratrum in miniſterio cum ſilentio. Si quid verò loquendum eſt cum Fratre communis feneſtræ Servitores breviter & ſubmiſſa voce, quæ ſignis neſciunt indicare, loquenda loquantur. In Feſtivitatibus S. Mariæ & S. Benedicti, & S. Joannis Baptiſtæ, Circumciſionis; Epiphaniæ; & in feſtivitate Petri & Pauli, Andreæ Apoſtoli & omnium Sanctorum; Simonis & Judæ, Matthæi Apoſtoli, & aliorum Apoſtolorum, quibus feriatur; & beati Laurentii, & in Feſtivitatibus beati Gilberti, & in feſtivitate Dedicationis Eccleſiæ, & Dominicis diebus, licet pitantiam dari Fratribus & Sororibus, & tribus diebus minutionis eorum & quotienscumque communicatur, ſi facultas Domus permiſerit. Fratribus veò Falcaltoribus, aliqua pitantia detur per ſingulos dies laboris eorum, prout Majores Domus viderint eſſe neceſſarium.

De Grangiario & ejus officio, & licentia loquendi; & poteſtate eundi. Et ejus ſolatio. Et annona cerviſia; & Fratre ei inobediente.

X. STatuentes in vi obedientiæ præcipimus, ut unaquæque terra eo ſeminetur ſemine, quod melius eis conveniat. Grangiarius verò, ſi ſcienter aliter fecerit, unaquaque hebdomada, quousque ſegetes metantur, ſolo pane clientium uno die reficiatur. In cibis & potibus & in aliis, quæ ad cibum pertinent & potum, in Domibus noſtris eadem conſuetudo teneatur. Grangiarius autem, cum omni ſollicitudine obedientiæ ſibi creditæ cor apponat. Summis Scrutatricibus, ſine murmure & dilatione, neceſſaria, ad iter earum inveniat; ne gravi pœna, ſi neglexerit, puniatur. Caveat etiam Curtem Monialium ingredi, & omnes alii niſi manifeſta cauſa compellat mandato Prioris, non tamen ſine comite boni teſtimonii. Periculum verò incendii, & latronum crudelitas & hujusmodi excipiuntur. Omnibus eſt licitum, ut præbeant auxilium contra ignis incendium, furtum & latrocinium & hujusmodi periculum.

Grangiarius poteſt loqui cum omnibus Fratribus de labore & ambulando, ſi opus eſt. Non licet ei copiam colloquii Fratribus dare, niſi de labore, neceſſitate cogente, vel etiam quoquam eundi extra Curtem niſi ad laborem. Quod ſi fecerit, ab officio deponatur. Non licet ei aliquid dare Fratribus, vel alicui ſine licentia Prioris Domus. Poteſt etiam loqui cum ſervientibus in labore, ſi opus fuerit. Fratres verò non loquantur cum eo niſi ſtando; ſed non plures quàm duo vel tres, & hoc de

neceſſariis ſermone brevi. Negligentes, in pane & aqua pœniteant. Grangiarius Grangiæ habeat ſolatium, ſi neceſſe fuerit, qui videlicet provideat Domui poſt eum, cui licet loqui cum familia & hoſpitibus de neceſſariis. Abſente tamen Grangiario cum omnibus ubique licet loqui. Præter hos nullus Fratrum, nec intra Curtem nec extra poteſt loqui ſine licentia Prioris, nec inter ſe, nec cum illis. Omnino interdicimus ne Grangiarius quoquam ire præſumat, niſi juſſus à Priore, magna & manifeſta neceſſitate cogente; ſed obedientiæ ſibi creditæ cum omni diligentia intendat: De his quæ venduntur & emuntur, nihil ſibi aſſumere licet vendendo vel emendo aliquid, ſed aliquis alius aſſignetur à Priore ad hoc opus redditurus rationem Grangiario ſuper his, quæ vendiderit vel emerit; & conſcius ſit factorum Grangiarii. Licet etiam Grangiario ad feneſtram accedere ſub ſilentio, cùm Sorores opus habuerint de his, quæ ad ejus curam pertinent & poteſtatem, non tamen niſi mandatur ab ipſis, vel manifeſta neceſſitas hoc exigat.

Unicuique Grangiariorum noſtrorum aſſocietur Frater fidelis, qui conſcius ſit factorum ejus, cùm præſentem non habuerint Priorem vel Cellerarium, propter ſoſpicioſos. Qui hoc neglexerit; ſeipſum Fratribus de infidelitate reddit ſuſpectum, quamvis ipſe ſit fidelis. Si Frater inobediens fuerit Grangiario, oſtendatur Priori & Cellerario; Et ſi perſtiterit in inobedientia, ab Ordine ſuo deponatur, & uno pulmento & pitantia careat, quousque ad audientiam Prioris omnium perveniat, niſi digna ſatisfactione pœnitere voluerit. Grangiarios verò graviùs judicetur, ſi Priori non obediat in bono. Converſus etiam, qui cuilibet Magiſtro ſibi deputato inobediens fuerit, pro ſatisfactione in tribus diebus humi reſidens comedat coram Fratribus in Refectorio ſine mantili. Fratres, ad quorum curam pertinet annonam cerviſiæ & pulmentorum farinam præparare, ſi neglexerint, & in irritum duxerint, dimidio anno cerviſia careant, niſi ratione dictante Prior in aliquo viderit parcendum.

De Canonicis aſſignandis Fratribus in emendis & vendendis. Et de emptore & ejus officio.

XI. SUb profeſſione & voto, quod Deo voverunt Prælati & ſubditi noſtri Ordinis, interdicimus, ne Procurator vel Grangiarius vel quilibet emere vel vendere uſurpet, niſi habeat comitem literatum à Priore ſibi aſſociatum vel ab ejus ſolatio, ſi Prior defuerit, qui videat & ſciat, quid emerit vel vendiderit, & aſſenſum præbuerit mercimonio. Similiter ſi Cellerarius vel alius de conſortio literatorum ad hujuſmodi opus mittitur, aſſignetur ei à Priore vel ab ejus ſolatio, ſi ipſe defuerit, de noſtris illiteratis Fratribus cautus & providus ad ejus famulatum, qui conſcius ſit & aſſentaneus in his, quæ ipſe vendiderit vel emerit, vel expenderit ad profectum Domos, vel aliter quod abſit. Verumtamen licet Priori, vel Cellerario, per Priorem, quem viderit cautum, literatum vel illiteratum, ad minora mercimonia mittere comparanda, non tamen ſine aliquo fideli. Quicumque de noſtro Conſortio contra hæc agere præſumpſerit, ab obedientia ſibi credita removeatur; ſimplex Canonicus vel Frater in ultimo gradu ſatisfaciat verbere & jejunio caſtigatus ad plenum pro hujuſmodi culpa. Licet emptori, quicumque ipſe ſit, præſente Priore vel Cellerario vel alio Canonico per Priorem aſſignato cum Fratre feneſtræ de pondere & numero eorum, quæ intromittit & recipit, pauca neceſſaria loqui, nec à feneſtra diſcedat, donec in cuſtodia Sororum veniat, quidquid ipſe attulerit & intromiſerit. Ipſe enim aurum & argentum & quæque venalia recepturus eſt, vel intromiſſurus ad feneſtram, ſed præſente Priore vel Cellerario, vel ejus ſolatio, vel aliquo alio per Priorem aſſignato intromittat & recipiat, & non aliter. Illis abſentibus, vicariis eorum præſentibus, ſi neceſſitas incumbat, hoc idem faciat, & non niſi iſto modo & pro tali occaſione ad feneſtram accedat.

Si cuiquam Fratrum noſtrorum attribuitur poteſtas emendi vel vendendi; vel hujuſmodi aſſocietur ei Frater fidelis, non unus ſingulariter, ſed de tribus ad hoc opus electis, alternatim unus, qui conſcius ſit & communicator factorum ejus, ſi Prior Domus literatum diſcretum ad manum non habuerit. Si refutaverit, ab ipſa poteſtate privetur. Emptores verò ſi in emendis, vendendis, diſtribuendis, retinendis & cæteris hujuſmodi peccaverint, & graviorem reatum incurrerint, tranſgreſſiones gravioris culpæ & damni commiſſi Priori omnium reſerventur, & ejus abſolutione purgentur, niſi mortis periculum ab alio reatum culpæ abſolvi compellat. Fratres emptores & cæteri, cùm venerint ad aliquam Domorum noſtrarum, ſilentium teneant, & ſicut Fratres illius Domus ſe ordinatè habe-

habeant in omni loco, quamdiu ibidem fuerint. Quod ſi neceſſitas aliqua obedientiæ ſibi creditæ poſtulaverit, ut loquantur; cum Priore Domus vel Cellerario quod loquendum eſt, loquantur, vel quibus regulariter aſſignaverint, ut loquantur. Cum puero ſuo etiam pedite licet eis neceſſaria loqui.

Nulli noſtrorum quoquam eant vel ad vendendum vel ad emendum, vel aliquid mutuent, vel accomodent, inconſulto Priore, & Cellerario, & Grangiario, & Procuratore, ne furti reatum vel pœnam incurrant. Quod ſi fortè licenter egreſſi ratione dictante aliter fecerint, quàm diſpoſitum fuerat, Domi revertentes Prioribus indicent facti rationem. Quod ſi non fecerint, eadem pœna mulctentur. Si quis etiam vendiderit vel emerit aliquid, & Priori & Cellerario & cæteris Majoribus celaverit, pro furto judicetur & puniatur, ſicut Ordinis & Inſtitutionum noſtrarum contemptor. Similiter quicumque de noſtris mutatum aliquid ab aliqua Domorum noſtrarum vel accomodatum fideliter reddere vel ſatisfacere retardaverit, acriori ultione puniatur in alia Domorum noſtrarum in ultimo gradu, ut cæteri caveant, & debitum reſtituatur, ut fraternitas non ficta perſeveret in Domibus noſtris, & cauſa diſſidii eliminetur. De mutuato ab extraneis & de eorum depoſito hoc idem teneatur, ut omnis fraus excludatur. Quotiens Fratrum quilibet vendere vel emere mittendus eſt, per Priorem, vel Cellerarium, vel Grangiarium vel Procuratorem mittatur, ne quis poteſtatem vendendi vel emendi ſibi aſſumat, niſi miſſus ab eis ad hoc opus, vel Prior omnium hoc injunxerit. Quod ſi fortè aliquis eorum abſens fuerit, & neceſſitas ingruerit, aliorum conſilio, quod faciendum eſt, fiat. Cui aſſocietur Frater literatus vel aliter fidelis.

De euntibus ad Nundinas, & quomodo ibi ſe habere debent: & de emptione Priori & Procuratoribus oſtendenda, & proviſione hoſpiti in urbibus.

XII. Quæcumque Domibus noſtris neceſſaria fuerint, ſcripto notificentur Fratribus, qui ad Nundinas mittuntur, quibus cura emendi aſſignata eſt. Ad quod opus de unaquaque Domo unum Laicum diſpoſuimus & ſufficere credimus, & duos literatos tantùm diſcretos, & quot ſuperaddiderit Prior Domus. Quidquid emptum fuerit ad Nundinas oſtendatur Priori & Cellerario & Procuratori & Grangiario, antequam tradatur Monialibus; nec aliquid foras inde retineatur contra ſcriptum Ordinis. Quicumque ergo Converſus noſtri Ordinis ad Nundinas venerit, quamdiu in Nundinis fuerit, de nulla Domo Religioſa victum ſibi vel equis ſuis accipiat; ſed de ſuo magis vivat, & ea menſura qua decet virum Ordinis ſui. Non enim debet pro ſe ſuperfluè piſces emere aut delicias quærere, ſed nec vinum bibere, niſi bene aquatum, & duobus pulmentis ſit contentus. Ad opus Secularium nec emat vel vendat aliquid; Nec per Converſum nec per aliquem hominem licet nobis vendere vinum ad tabernam, ſive ut vulgò dicitur ad *broccam*; ſeu ut lingua Teutonica dicitur, ad *tappam*, in noſtris ſive in Domibus alienis, nec alicubi omnino. Si quis ad Nundinas ierit, exceptis his quibus attributa eſt poteſtas Prioris omnium conſilio, reverſus, pœna fugitivi puniatur, niſi fortè conſilio Prioris Domus & aliorum manifeſta neceſſitate compellente, & non propria voluntate rogatus hoc fecerit. Omnino etiam prohibemus, ne Fratres noſtri in urbibus vel Nundinis comedant, niſi ubi Prior Domus ſuæ vel Cellerarius eis providerint & neceſſitas compulerit. Nec præſumant Fratres noſtri Ordinis ſeperatim hoſpitari vel cibare, vel potare, niſi communi conſilio eorum fiat, neceſſitate cogente, quod & manifeſtum fiat in comuni Capitulo, ſi verò aliter fecerint, graviorem pœnam inobedientiæ incurrant. Simili pœna puniatur, qui Fratrem circumvenit in negotio; vel contumeliis affecerit. Hoc etiam cavendum eſt, ne quis noſtrorum quoquam iturus cibos noſtros non benè conditos guſtare declinet, ut non longius illicitè liceat cibis conditis operam dare.

De ſerico non emendo.

XIII. Nihil de ſerico ematur à noſtris, vel de noſtro ad noſtrorum opus, vel ad aliquid Religioni contrarium & ſeculi vanitatibus adminiculum; nec etiam ad quodlibet ſacerdotale indumentum, niſi conſtet eſſe neceſſarium. Si verò datur, ſecundùm arbitrium Prioris omnium communi utilitati; & uſui mancipetur. Hoc idem de iconiis vel aliis ſculptilibus dicimus, quæ ad B. Mariæ Virginis, vel aliorum Sanctorum ſunt fabricata memoriam. Quæ tamen gratis data, prout de ſerico prædiximus, ad Sororum Altare vel Hoſpitum, vel alio apto loco honeſtè ponenda decernimus.

De cuſtodia noſtræ lanæ, & vitatione alienæ noſtræ lanæ miſcendæ.

XIV. IN vi obedientiæ, & ſub anathemate mandamus & præcipimus, ut in unaquaque Domorum noſtrarum Canonicus Fratri ad cuſtodiam lanæ aſſocietur, ne aliqua diviſio vel ſeparatio lanæ, vel ſingulorum vellerum vel pellium fiat, antequam ad Abbatiam veniant, niſi aliquis Canonicus conſcius fuerit in remotiſſimis Grangiis, ſi ratio vel neceſſitas poſtulaverit ſeparari. Prohibemus etiam, ne alicujus lana noſtræ lanæ aſſocietur, vel vendatur ſub noſtro nomine.

De Artificibus & officinis eorum, & eorum ſeris, & cuſtodia, & Fratre Hoſpitali.

XV. NOn licet alicui Fratrum cum aliquo loqui de alio præſente & audiente, unde ſcandalizetur; ut vitetur peccatum iræ vel odii vel ſcurrilitatis vel hujusmodi. Caveant Artifices & omnes noſtri Ordinis, ne quis ex malevolentia in audientia Fratris ad quamlibet perſonam loquatur, unde Frater offendatur. Deprehenſus in hujusmodi culpa, in pane & aqua tribus diebus pœniteat, & trinæ diſciplinæ in communi Fratrum Capitulo ſubjaceat. Fratres, Artifices & quicumque de noſtris ciſtas, vel arcas, vel alia ſervatoria licitè habent ad utenſilia ſua & recellas ſuas fideliter ſervandas, ſeras habeant, unicuique ſeræ duæ claves fiant; una quarum erit in manu & poteſtate Prioris Domus, ut ei liceat quando, & per quoscumque voluerit, fideles noſtri Ordinis ſcrutari & videre, quæcumque continentur ſub ſeris. Caveat tamen, ne quis ſumat ipſe, vel aliquis alius de omnibus, quæ licitè ſub illis habentur & continentur ſeris, ſine aſſenſu Artificis & aliorum Fratrum, ad quos pertinent, quæ ibidem habentur, ſive præſentes ſive abſentes ſint. Caveatur ubique, ne quis artifex Hoſpitalis Frater fiat, artem ſuam exercens, niſi cauſa manifeſta exigat, ſummi Prioris aſſenſu. Non eſt congruum, ut extra portas Monaſteriorum noſtrorum aliqua Domus ad habitandum conſtruatur, niſi animalium, quia periculum animarum inde poteſt naſci. Quod ſi quis contra ſtatuta Capituli accipere aliquid emere vel aliqua ædificia ſine conſilio & licentia ædificare præſumpſerit, remota omni diſpenſatione ædificia cadant, expenſæ & opera pereant. Cementariis, Carpentariis, cùm ſublime laboraverint, & his, qui aſſiduè equitarint, & Canonicis noſtris femoralia concedimus usque ad medias tibias, prout viſum fuerit expedire; non tamen de panno ſubtiliori, ſed qualis ratio vel Religio poſtulaverit.

De cerviſia mittenda ad Grangias, & ibi non facienda.

XVI. IN Natali Domini, usque ad Octavas, & in Paſcha & in Pentecoſten ſimiliter poteſt cerviſia mitti Fratribus ad Grangias manentibus, & pitantia ſecundùm numerum eorum, qui ibidem fuerint, ut æqualitas omnibus in utroque ſervetur. Licet etiam ſuperapponi eis duas menſuras vel tres, & tantumdem de pitantiis propter hoſpites, ſi ſupervenerint. In multum remotis Grangiis, cùm de Abbatia non poteſt haberi cerviſia, ematur, prout Prior & cæteri viderint Religioni expedire. Dolia Grangiarum, in quibus cerviſia Fratrum defertur, majoribus ſolemnitatibus moderatæ capacitatis fiant, juxta numerum Fratrum, ne menſura excedatur, quæ in ſcriptis continetur. In Grangiis noſtris cerviſiam fieri ſine licentia Magiſtri prohibemus, niſi aliqua magna poteſtas, cui nullo modo licet contradici, hoc à ſuis non à noſtris vel per noſtros faciat fieri, ad ſuorum non ad noſtrorum opus, & neceſſitas facti communi Capitulo notificetur & examinetur. Qui aliter fecerit, ab Euchariſtia ſeparetur, & in ultimo gradu pœniteat, usque ad adventum Magiſtri.

De excuſſione bladi, & numero ovium Fratribus aſſignando. Et de Fratre Hoſpitali, & de Fratribus Hoſpitibus, & menſura præbendæ, & ſellis Grangiæ, & dicis; & fidelibus mercenariis; & de decimatione bladi & menſuris æqualibus, & de decimis Eccleſiarum & blado aliorum.

XVII. STatim finito autumno, provideatur Frater fidelis & excuſſores, qui eant per Grangias ad excutiendum de unoquoque blado, quantum toto anno Conventui competit; in cæteris Grangiis interim excuſſione ceſſante, niſi quantum ad ſeminalia pertinet. Hujus mandati transgreſſores in ultimo gradu usque ad adventum Magiſtri pœniteant. Grangiarius verò Abbatiæ ſub hac lege non tenetur.

Singu-

Singulis annis mittendus eſt aliquis Frater fidelis per Grangias ſingulas, qui curam gerat de caſeis & de butyro, quæ ibidem fuerint, una cum Fratribus, qui ea faciunt. In remotioribus Grangiis aſſignetur Fratribus ibidem commorantibus certus numerus ovium ad opus eorum, qui ibidem fuerint mercenarii, ſecundùm quod mesga ibi abundaverit & ſecundùm numerum ibidem commanentium; omni ſuperfluitate remota, ne ordo Religionis vacillet, vel pereat, & Abbatia Monialium gravetur. Hoſpitalis Frater Grangiæ, cum omni diligentia curam habeat de anſeribus & gallinis & de apibus, melle, & ovis, & de cæteris minutis & majoribus, & diligenter curet, ut & fideliter reſerventur & mittantur Sanctimonialibus, ſicut decet diſpenſatorem Dei: Similiter Canonicis de ſuis Grangiis. Quod ſi fortè, quod abſit, aliter inde fecerit inconſultis Majoribus Domus, ſicut fraudator Fratrum & Sororum ſuarum deponatur, & reatum luat. Quod ſi benè in his miniſtraverit, & ordinem ſuum ſervaverit, locum ſibi optimum adquirit à Domino Chriſto. Hoc idem dicimus de Grangiariis, ut faciant de omnibus ad curam ſuam pertinentibus & cæteris Fratribus cuicumque addicti miniſterio fuerint, & Sororibus ſimiliter.

Converſi ad proprias Grangias venientes ſicut Fratres Grangiarum, ita veſcantur, nec loquantur cum Fratribus niſi cum Grangiario & Hoſpitali. Quicumque de Fratribus veniens ad aliquam Domorum, vel Grangiarum noſtrarum, caveat, ne ultra ſtatutam menſuram præbendam quærat equis ſuis. Et ſi quæſierit, non detur ei, niſi prima nocte, ſi de longinquo venerit: venienti enim de longinquo licet aliquid apponi. Qui aliter fecerit, vel quæſierit, in pane & aqua pœniteat, vel ſemel diſciplinæ ſubjaceat, ſi convictus vel confeſſus fuerit. Similiter ſtatuta menſura hoſpitum equis detur, nec ſuperaddatur cuiquam ſine conſilio Procuratorum Domus, niſi præpotens vir, vel authentica perſona, vel multùm familiaris, cui oportet dari, ſupervenerit. In unaquaque Grangiarum noſtrarum duæ tantum habeantur ſellæ cum humili apparatu. Si verò multum remota fuerit, tertiam viliorem ibi ſuſtinemus haberi. Provideant etiam Cellerarii & Procuratores & cæteri, ad quorum curam ſpectat de ſobſelliis, ut talia fiant, quæ ſufficiant tueri leſuram equorum, ne pœnam lædentium equos incurrant.

Decernimus ut per Priorem Domus Sanctimonialium vel Canonicorum ſtatuantur tres vel quatuor Fratres vel mercenarii fideles, in ſingulis Grangiis videlicet; Grangiarius, hoſpitalis Frater & bubulcus prudentior. Hi quoque quæcumque utiliora viderint, mittere ſtudeant ad opus Canonicorum, Sanctimonialium & Fratrum Abbatiæ; & quidquid annonæ miſerint vel ſeminaverint, vel ibidem expenderint certo numero & menſura fideli. Dica illa dividatur in duo, & una pars deputabitur cuſtodiæ hoſpitalis Fratris, vel alterius ad hoc aſſignati, & altera Grangiario. Et quia hoſpitalis Frater continuè habet eſſe Domi, ſi convenienter & ſanè fieri poſſit, in ſua cuſtodia claves Grangiæ fideliter ſerventur, vel in cuſtodia alterius fidelis Fratris, qui ad hoc propriè aſſignatus fuerit, & quæ diſtribuenda ſunt, alterius iſtorum diſtribuantur teſtimonio. Opilio etiam, ſi prope eſt, poteſt admitti & admittatur, ſi fidelis probatur. Quod ſi fortè eorum aliquis abſens fuerit, alii tres faciant, quod faciendum eſt, & redeunti factum indicetur. Hoc idem ſervetur à Priore & ſibi aſſociatis, in omnibus his, quæ ad eos pertinent. Hæc diligenter ſerventur ab omnibus. Fratres verò qui hæc reſutaverint, contemptibiles habeantur & Ordinis conſortio, niſi pœnituerint ſine miſericordia priventur. Si verò fideles Fratres non abundaverint, fideles mercenarii vices eorum ſuppleant. Quod ſi fuerint neceſſarii & fideles reperti, majori munere remunerentur & gratia. Quæcumque pertinentia ad Abbatiam de ſubſtantia Grangiæ facta fuerint, à Grangiario, vel aliis Fratribus mercenariis fidelibus abſentibus, ipſis notificentur. Similiter ipſis notificetur certus numerus ovium & ter vel quater in anno numerentur à pluribus eorum, ne quis eorum maliloquio poſſit depravari vel infamari ab aliquo.

Quicumque prædictos ſeculares in contemptu habuerit, vel eos teſtes habere reſutaverit, vel eis injuriam irrogaverit in contemptu noſtræ Inſtitutionis, factum Priori indicetur, & ſeveriùs puniatur ad terrorem aliorum. Inſtitutio quoque noſtri generalis Capituli eſt, quod in Collectione omnium frugum præponantur Fratres fideles, Clerici vel Laici, qui diligenter & fideliter deciment, tam blados quàm legumina, per Grangias, & decimas ponant ſeparatim, & cùm de communi conſilio fuerint excutienda, primo per aliquem Fratrem fidelem Clericum vel Laicum ad hoc aſſignatum excutiantur decimæ; & ſumma inde proveniens annotetur dica inter Fratrem prædictum & Grangiarium. Deinde cùm reliquæ fruges fuerint excutiendæ, quod ſemper & ubique de communi con-

-ſilio fiat, provideatur fidelis unus & diſcretus, qui omnes circumeat Grangias & excuſſioni intendat, & ſingulas quarterias annotet fideliter per dicam, contra Fratrem granarii Abbatiæ. Et ſtatim poſt autumnum circumeant Procuratores omnes Grangias & videant omnes majas, & faciant implere usque ad ſummum, quas potuerint: Nec ſumat inde aliquis niſi de communi conſilio, & per viſum Fratris excuſſioni aſſignati, qui nunquam aliquam majam relinquat ſemiexcuſſam; ſed ſi ipſum oportuerit, ab una ad aliam tranſire Grangiam, majam unde excuſſit, impleat usque ad ſummum de aliquo, donec redeat ad excutiendum.

Provideatur etiam per commune conſilium, quot equi neceſſarii ſint ad Grangias ſingulas ad habendum, & quæ menſura danda ſit in præbenda, & quot menſuræ faciunt quarteriam. Similiter provideatur de bobus, quot ſint, & quot dabitur una garba; & quot garbæ faciunt unam quarteriam, & quo die inceperint dare; & quanto tempore dabunt. De hoſpitibus ſupervenientibus Grangiis provideatur, quæ menſura dabitur eis; & diligenter notetur, quot & qui ſuerint, ut inde, ſicut de omnibus ſupradictis, ratio in annuo Capitulo Domus reddatur. Inſtitutum eſt etiam, ut diligenter, per dicam notetur, quantum ex omni genere bladi vel leguminis expendetur in ſemine. Quoniam ſcriptum legimus: *Pondus & pondus, menſura & menſura, utrumque eſt abominatio apud Deum.* In vi obedientiæ ſtatuimus, ut modii & menſuræ quibus annonæ & legumina menſurantur in Abbatia, & in Grangiis non diſcrepent, ſed omnino unitatem teneant, ut omnis fraus excludatur. Contra quod qui fecerit, deprehenſus furti crimine judicetur, & ab Ordine ſine remiſſione removeatur, prout culpa & vita ejus exigit, niſi aliqua cauſa rationabilis culpam excuſaverit. Cavendum ſummopere eſt, ne decimæ Eccleſiarum noſtrarum cum alio blado noſtro ponantur, ne ignoremus, quid de labore noſtro percipimus. Nullus ſuſcipiat bladum alicujus ſecularis in cuſtodiam alicubi, infra clauſuras noſtras, niſi per licentiam Prioris & conſilio Majorum Domus.

De mulieribus mulgentibus, & metentibus non ingreſſuris Curtem Grangiarum; & de percuſſoribus.

XVIII. Foemina non ingrediatur Curtem Grangiarum noſtrarum, niſi præcepto Prioris, nec loquatur aliquis ſolus cum muliere. Mulieres autem in campis non in Domibus parietem habentibus mulgeant oves noſtras, & quantum poteſt, vitentur juvenculæ & formoſæ. Nec ullo modo appropinquent eis Fratres noſtri, ſed habeant pueros fideles, qui videant & corrigant malè mulgentes. Illæ verò; quæ conductæ ſunt ad metendum, nullo modo introire clauſuras noſtras permittantur, ſed habeant Domum oſtium deforis habentem. Frater verò, qui præeſt cibis earum, habeat aliquem fidelem mercenarium, qui miniſtret eis, quæ miniſtranda ſunt; & habeat foramen intra clauſuram noſtram breve & arctum, per quod introſpicere tantùm poſſit & videre, qualiter miniſtraverit eis, & nihil ibi loquatur. Ille verò, qui præeſt labori earum in campis, habeat aliquem maturum Laicum, qui diligenter attendat labori earum, & corrigat, quæ corrigenda ſunt, ſive de verbo inordinato, ſive de negligentia operis. Hoc autem caveant Fratres, ne jungantur eis in aliquo labore, nec nimis in vicinia earum laborent. Licet tamen Fratri laboris, ſi viderit eas malè agentes, vel otioſè ſe habentes, cum Laico qui præeſt illis, de culpa earum loqui, & arguere malè agentes verbo non verbere.

Decretalem Epiſtolam bonæ memoriæ Alexandri Papæ, necnon & Domini Innocentii Papæ ſequentis, ſtatuentes præcipimus, quod ſi quis ex Profeſſis noſtris literatis vel illiteratis violentam manum in Canonicum vel Fratrem injecerit, & ſuper hoc convictus, vel confeſſus fuerit, excommunicatus denuntietur, & pro excommunicato habeatur, donec à ſummo Priore abſolvatur, cui ſoli competit hujusmodi abſolutio. Pedes etiam mittatur ad eum abſolvendus. Si verò in virum alterius Religionis violentas manus injecerit; per Prælatos utriusque Domus abſolvendus abſolvatur. Si in Clericum ſecularem, ſicut excommunicatus habeatur, usque ad adventum Domini Papæ vel Legati in partes iſtas, prout Magiſter ex conſilio Ordinis providerit, expectet. Nullus enim hujusmodi Sacrilegos poteſt abſolvere, niſi Domnus Papa vel ejus Legati, vel Abbates, vel Priores profeſſionum à ſummo Pontifice privilegiati. Noſtros percuſſores eſſe omnino prohibemus, vel in aliquem verbere deſevire, pueros tamen flagello corripere in charitate, cui licet, non prohibemus. Quod ſi aliquis noſtrorum negligens vel contemptor hujusmodi mandati fuerit, & aliquem læſerit verbere, vel graviore vulnere vulneraverit, & nos vel noſtros in cauſam aliquis induxerit, pro hujusmodi crimine, omnino prohibemus, ne

ne quis de noſtris pro eo loquatur, quaſi pro Fratre; nec à noſtris Frater habeatur, vel ejus culpa teneatur. Et ſi quis eum vexare voluerit de culpa, quam commiſit, ſua dementia, à ſecularibus non à noſtris quaſi Laicus tractetur & judicetur.

De curtatione equorum.

XIX. OMnes equi noſtri curtentur, qui deſtinantur ad quadrigas vel ad Carrucas. Curtentur etiam & circumtondeantur caudæ & colli comæ; ut non deſpecti & deformes videantur. Qui verò neglexerit, inobedientiæ pœna puniatur, & pœniteat in pane & aqua quarta & ſexta Feria. Similiter qui non tontendos totonderint.

De læſione animalium.

XX. QUicumque de noſtris, malevolentia, vel incuria, vel præſumptione; bovem vel aſinum vel equum, vel pullos equorum nimio pondere vel indiſcrete equitando læſerit, vel quolibet alio modo in quadrigis vel in aratris, aut hujuſmodi afflixerit, ut moriantur, vel inutiles ad laborem reddiderit; quaſi diſſipator Domus ſuæ in jejunio & verbere graviter pœniteat. Vera pœnitentis compunctio & humilitas & obedientia pœnitentiæ gravitatem poterit mitigare.

De lædentibus ſeipſos.

XXI. OMnes, qui nimio pondere, vel labore indiſcreto vel immoderato ſe læſerint, in pane & aqua pœniteant, & in Capitulo vapulent.

De furno.

XXII. QUi non occurrerint audito ſigno ad furnum, ſua negligentia, uno pulmento careant, ſi non cauſa rationabilis iter impedierit. Nocturnum verò iter ad furnum interdicimus Canonicis & alibi extra ambitum Domorum noſtrarum, niſi manifeſta neceſſitas compellat. Nec minus piſtor caveat tempore Miſſarum pulſare tabulam ad furnum, ubi multitudo Fratrum affuerit.

De ſecularibus reindutis.

XXIII. SÆculares, qui ſe reddiderint in Domibus noſtris & omnem proprietatem reliquerint, propter Deum eligentes noviſſimum locum in Domo Domini in victu & veſtitu ſibi conſtituto, æqualem portionem habeant, quemadmodum & alii noſtri Ordinis converſi. Super eos Fratribus nulla poteſtas attribuitur, ſed in labore æqualitas. Priori & Cellerario & Subcellerario eorum obedientia aſſignetur. Et cùm dormierint in Domino, omnino eis officium exhibeatur per omnia, ſicut pro Canonico pro abjectiore vita, quam ſibi eligerunt pro Chriſto. Quicumque noſtrorum hæc vel alia noſtri Ordinis Inſtituta in irritum duxerit, pro culpa inobedientiæ gravius judicetur.

De prohibitione Cauſarum ſecularium & negotiorum, & fide juſſione non facienda. Et parentibus non viſitandis, & familiaritate mulierum & incluſarum vitanda, & ortu infamiæ cavendo.

XXIV. CAveatur ab omnibus noſtri Ordinis; ne quis ſecularium Cauſarum ventilationibus vel judiciis interſit, aliquem juvans vel gravans. Prece verò non pretio apud Judicem vel adverſarium quemlibet ſubvenire ſuſtinemus. Verum etiam teſtimonium veritati perhibere; ubi ratio & Religio permiſerit, minimè contradicimus vel prohibemus, niſi occaſio juſta impediat. Mandatum Domini Papæ, & Legati & Epiſcopi Diœceſani excipimus; Non enim licet cuiquam de noſtris parentum vel aliorum Secularium negotiis intendere; nec voluptatibus nec vanitatibus ſæculi operam dantibus curam impendere, nec cujuſlibet ſæcularis fidejuſſor fieri, quin potius à cauſis & à negotiis eorum, qui mundo non Deo militare gaudent, decet ſe alienos facere, quicumque Deo non mundo devotè ſtudent placere. Quicumque ergo hujuſmodi vinculo fidejuſſorio ſe aſtringere, vel mutare, vel accomodare, ſine communi conſilio Domus ſuæ præſumpſerit, alienatum ſe à tramite ſanctæ Religionis noverit. Prioribus enim verò & Præpoſitis cæteriſque omnibus noſtri Ordinis omnino interdicimus, ne quis eorum pro

pro cujuscumque debito accommodato, vel mutuato, fide juſſoria ſponſione intricare, vel illaqueare ſe præſumat. Nam ipſi Priori omnium hoc minimè eſt licitum, ne Domini Papæ ſententiæ obviare convincatur & graviorem ipſius ſententiam incurrat.

Caveant omnes noſtræ Profeſſionis & Ordinis exuta veſte ſæculari, & habitu Religionis induto, viſitandi gratiâ parentes, ac notos ſæculares adire, niſi fortè ad aliquod opus neceſſarium mittantur, & via, qua gradiuntur tranſitum præbeat noſtris, per eos, qui familiaritate eis juncti ſunt. Nec apud eos pernoctare licet, niſi nox proxima hoc fieri poſtulet, vel infirmitas aut alia manifeſta occaſio compellat; ſeu data vel accepta regulariter licentia à Prælato ſuo, culpam excuſet. Illam verò Domum, iu qua mulieres fuerint, cum quibus aliqua fuerit copula voluptatis vel juſta vel injuſta, dum ſæculo fruerentur; omnem ingreſſum interdicimus & ſermonem cum eis. Caveant etiam omnes noſtri Ordinis, ſi fortè venerint ad aliquam Domorum, ubi fœminæ ſunt, ne unquam ſolus cum ſola aliqua hora ſcienter permaneat, vel cum ea ſermonem habeat. Qui verò aliter ſcienter fecerit, timeat, ne pro tanta tranſgreſſione anathema ſit. Hoc idem dicimus tam de inclufis quàm cæteris mulieribus, ſi quis noſtrum arte vel ſtudio peccandi fecerit vel deliberatione.

Penitus prohibemus, ne aliquis Ordinis noſtri ad Domos incluſarum, vel Monialium alterius Ordinis viſitandi gratia ire præſumat; nec etiam pro Domus ſuæ negotio abſque convenienti teſtimonio, & tunc præcipiente Priore. Et ſi, quod abſit, alicujus noſtrorum de inhoneſta quarumlibet mulierum frequentatione, fama laboraverit, in communi Capitulo à Priore ei ad Domum illam omnis interdicatur acceſſus, ubi tam deteſtabilis inhoneſtas fieri perhibetur. Si verò huic interdicto obviare præſumpſerit, inde convictus tanquam de facto judicetur. Si quis verò auſu temerario importunus exciterit, & parentes ſuos ſæculares vel quoslibet alios viſitare contenderit, nullus ei adquieſcat, nec caballus nec quælibet viatoribus neceſſaria concedantur, nec quoquam longius ire permittatur ſine fideli comite, ne quod ei non eſt licitum, licitum ſibi faciat: Si verò Prior Domus vel quilibet alius aſſenſum præbuerit ei, ut illicitum iter arripiat, in alia Domo ſatisfaciat in ultimo gradu, ſecundùm quod in communi Capitulo à Majoribus diffinitum fuerit. Omnino etiam prohibemus, ne aliquis noſtrorum petat per ſe vel per alium à Prioribus vel ab aliis donari ſæcularibus parentibus ſuis, aliquid de Domibus noſtris aliqua privata munuſcula cuiquam transmittere. Hæc contra facientes, ſicut Ordinis tranſgreſſores, gravius judicentur & puniantur verbere & jejunio, in loco inferiori. Priori tamen & Cellerario manifeſta paupertate coactis, ſubveuire in aliquo non interdicimus.

De infirmis familiaribus noſtris viſitandis.

XXV. NOſtrarum Domorum Procuratores ſæculares viros & mulieres, bonæ vitæ, & honeſtæ famæ, corporis ægtitudine detentos, nobis & noſtris vinculo familiaritatis adſtrictos, in infirmitate viſitare non omittant; verba conſolationis & animarum ſalutis eisdem devotè ſeminantes. Neceſſitatibus verò eorum, & juſtis petitionibus honeſtis ac devotis benignum ſtudeant & conentur impendere favorem, prout Ordo Religionis permiſerit & ratio poſtulaverit, omni cupiditatis & avaritiæ nota poſtpoſita. Omnibus inſuper tam pauperibus, quàm potentibus, apud nos ſibi ſepulturam eligentibus & petentibus, honorem ſepulturæ volumus exhiberi, & concedimus unicuique modo debito & honeſto, ſalvo jure quarumcumque matricum Eccleſiarum.

De itinere, & reditu, & hoſpitiis Canonicorum & Fratrum in burgis, & de itinere ad Feſta prohibita.

XXVI. QUoquam ituris Canonicis & Fratribus aſſignetur terminus rationabilis redeundi. Quod ſi aliquis longius vel alibi ierit, vel diuturniorem moram fecerit, quàm licentiam accepit, in ultimo gradu usque ad adventum Magiſtri pœniteat, niſi rationabilis cauſa eum valeat excuſare. Quicumque verò ſine licentia vel prohibitus per ſe extra Abbatiam eundi quoquam iter arripuerit pro fugitivo habeatur & ad Magiſtrum pedes mittatur. In itinere, quandocumque neceſſe fuerit, poſſunt preces ad horas breviari & ſolummodo *Salvos fac ſervos & ancillas* dici, & *animæ fidelium* pro defunctis. Nullus hoſpitetur in vicinis burgis niſi ad proprium hoſpitium Domus ſuæ. Si tamen ſolus fuerit, poterit hoſpitari hoſpitio alterius Domus, ſi ibi Canonicum vel Fratrem invenerit.

Caven-

Cavendum eſt ſummopere, ne aliquis noſtræ Profeſſionis, niſi pro neceſſaria cauſa, vel per mandatum Magiſtri, vel licentia Prioris ſui, ad Feſta Dedicationum Eccleſiarum Ordinis noſtri, vel alia minùs honeſta ire præſumat; nec ibi comedere vel inordinatè bibere attentet.

De furtum vel aliud flagitium facientibus.

XXVII. QUicumque Fratrum noſtrorum manifeſtè depræhenſi fuerint in furto, vel in conſpiratione, vel in incendio, graviori culpæ ſubdantur vel ejiciantur. Quod ſi qui noſtrorum cum aliquo ſic ejecto exierint, vel, pro talium defenſione favore vel conſenſu projecti fuerint, nullatenus niſi ſub eadem ſententia recipiantur. Ipſa quidem ſententia in unumquemque culpabilem, ſecundùm modum culpæ extendatur, vel aggravetur, ponderatis ubique diſcretè culparum modis & corporum valetudinibus. Vaſa, quibus excommunicatus uſus fuerit, frangantur, aut pauperibus erogentur; Sed & antequam talis ſuſcipiatur in Capitulo, ante fores Oratorii jaceat in terra diſcooperto capite, per quantum tempus ei à Magiſtro fuerit injunctum. Et ſic ſimiliter vapulet in Capitulo. Hora prandii talium ſit tardior, menſura cibi minor, hora quietis brevior, labor gravior, & ubique locus inferior, & ſtatus dejectior. Qui verò in leviori culpa ſunt intra Refectorium, loco, quo viſum fuerit, comedere poſſunt, tenuiore cibo & parciore potu contenti.

De inceſtuoſis, & muliere includenda.

XXVIII. DEliberamus, ut ſi quando contigerit, quod Deus avertat, quod ab aliquibus noſtræ Profeſſionis, viro & muliere, mutuo fuerit perpetratum carnalis commercii flagitium, vir tanti criminis reus, mox ut fuerit deprehenſus, omni occaſione & dilatione poſtpoſita, etiam abſente Magiſtro regulari habitu exutus incarceretur, vel ab Ordine ejiciatur, nunquam poſtea aliquatenus inter noſtros recipiatur. Mulier autem propter vitandum Ordinis ſcandalum, ne detur ei licentia vagandi in ſæculo decernimus, ut in domuncula infra curtem Monialium longe à cæteris habitaculis parata maneat incluſa, nunquam inde ante mortem exitura, ſed & ibi jejuniis & orationibus & cæteris gravis pœnitentiæ remediis tanti reatus maculas ditutura, ſecundùm proviſionem Prioris omnium per feneſtram tantùm ſuæ vitæ accipiat miniſtrationem.

De contumacibus & poſt-pœnitentibus, & de Corruptoribus Ordinis.

XXIX. SI quis Frater vel Soror contumax fuerit, nec ullo modo regulari diſciplinæ ſubjacere voluerit, & ita incorrigibilis permanſerit, generali Capitulo Domus repræſentetur, ibique Frater regulari habitu exuatur, & à conſortio noſtro ejiciatur. Quod ſi fortè à conſortio noſtro, pro ſpe converſionis ſuæ non ejiciatur, & ille Incorrigibilis in malitia ſua perſeveraverit, & morte præoccupatus fuerit, non fiat officium defunctorum pro eo, ſicut pro Fratre, vel Sorore, niſi in infirmitate poſitus dicat devotè ſe pœnitere. Nec in martyrologio nomen ejus ſcribatur, quicumque ipſe ſit. Fiet tamen pro eo officium ſicut pro Hoſpite defuncto. Si quis autem noſtrorum, Ordinem vel Inſtitutiones noſtras corrumpere præſumpſerit, vel in deterius mutare, tertio admonitus & correptus, ſi non reſipuerit, exuta veſte regulari à conſortio noſtro ejiciatur. Quod ſi pœnitentia ductus ad januam perſeveraverit, ſi recipiendus eſt, extra Chorum primo anno pœnitebit, ſi Clericus eſt: Secundo, in ultimo gradu, quouſque Prior Domus cum ſuperiori gradu judicaverit dignum. Noviciis verò poſt reverſionem ſuam ſecundo anno prior erit. Si verò Novitius fugitivus redierit & recipiendus ſit, per totum annum iterum Novitius permanebit. Clerico tamen, qui futurus eſt Canonicus, poterit ſententia moderari, ſi Prior Domus viderit expedire, & de culpa fugæ ſatisfaciat. Si verò Laicus, pro hujuſmodi culpa ejectus, pœnitens redierit; ſi recipiendus eſt, in ultimo gradu per annum ſatisfaciat, & abſtinentia eſcæ, & verbere caſtigetur, charitate dictante.

De ſeminantibus diſcordiam excommunicandis.

XXX. Quicumque ſeminaverint diſcordiam inter Fratres & Sorores malitioſè, vel inter Canonicos & Fratres, ut diſſidium fiat, vel ad quamlibet majorem audientiam appellaverint, vel iter arripuerint, ad Ordinis oppreſſionem vel infamiam, neglecta forma vitæ & Profeſſionis, cui ſe dederant, vel confœderationem fecerint ad diminutionem vel detrimentum Ordinis, ut deſideria carnis compleant, contempto voto & Profeſſione, ſingulis annis in annuo Capitulo excommunicentur ab omnibus; & ſi reperti fuerint, à conſortio noſtro tanquam ſacrilegi ejiciantur.

De revelantibus ſecreta Capituli, & imponentibus falsò Fratribus crimen.

XXXI. Quicumque Capituli noſtri vel Ordinis ſecreta, vel alicujus perſonæ de noſtris, occulta ſive vera ſive falſa fuerit, Sæcularibus revelaverint, vel falsò crimen Priori ſuo, vel conſocio, ſeu omnibus vel pluribus palam impoſuerit; vel apud Sæculares diffamaverit, unde ſcandalum Ordini oriatur, excommunicetur, & ex quo id verum eſſe conſtiterit, tanquam excommunicatus extra Capitulum ſit; & ubique in ultimo gradu ſedeat, & ab omni officio Eccleſiaſtico ſuſpenſus, nec ante adventum ſummi Prioris abſolvendus. In adventu cujus eadem pœna puniatur, qua ille, quem accuſavit vel diffamavit, puniendus eſſet, ſi de illo crimine convictus fuiſſet.

De facientibus furtum, & fundentibus ſanguinem; & committentibus immunditiam.

XXXII. Quicumque Canonicus, vel Frater deprehenſus fuerit in furto, vel de eo ſufficienter convictus ejiciatur, in gradum priſtinum numquam recipiendus. Quicumque verò in incontinentia captus fuerit, vel ſuper ea ſufficienter convictus; vel qui ſanguinem à Canonico vel Fratre violenter extraxerit, ad Magiſtrum pedes mittatur. Quicumque autem Frater immunditia convictus; vel publicè confeſſus fuerit, à conſortio noſtro, numquam ſuſcipiendus expellatur.

De fugitivis & eorum pœnis.

XXXIII. Fugitivi noſtri Ordinis, & furtum facientes, & infra XL. dies non revertentes, vinculo anathematis adſtricti habeantur. Si verò infra primam hebdomadam fugitivus pœnitens redierit, uno anno in ultimo gradu pœnitebit, ſecunda & quarta Feria uno pulmento contentus, ſexta Feria in pane & aqua, niſi fortè Feſtivitas celebris occurrerit, vel infirmitas, vel debilitas poſtulaverit. Et quot diebus fugitivus exſtitit, in communi Capitulo Domus tot diſciplinis ſubjacebit. Completo anno, ſi Prior Domus viderit expedire, in gradu primæ converſionis ſuæ poterit reſtitui. Si ſecunda vel tertia vel quarta vel quinta hebdomada, vel etiam infra, pœnitens redierit, ſecundùm formam præſcriptam pœnitentis, unius anni & moram reverſionis ſuæ pœnitebit, excepto quod pro tanta transgreſſione quindecim diſciplinis ſubjacebit, & communione privabitur, quouſque in primum gradum reſtituatur, niſi pro imminenti morte ei ſubveniatur. Verumtamen, peracto primo anno, ſi de transgreſſione ſua gravius affligitur, & Ordinis ac ſuæ profeſſionis devotus executor extiterit, ſemel vel bis ad perceptionem corporis & ſanguinis Domini per ſingulos annos poterit admitti, quouſque in primum gradum reſtituatur. Quod ſi fortè completis XL. diebus pœnitens redierit, in ultimo gradu, ſecundùm formam prædictam, pœnitentium pœnitebit per omnia, excepto quod in ultimo gradu, quo pœnitens recipitur, perſeverabit, pro ſententia anathematis, quam incurrere non formidavit; licet tamen verè pœnitentibus & de transgreſſione ſua graviter dolentibus, miſericorditer ſubvenire in omnibus & parcere; conſilio tamen Prioris omnium vel eo abſente, conſilio diſcretorum Ordinis noſtri rigorem zelantium.

Hujusmodi etiam ad communionem poteſt admitti vel bis in anno, ſecundo pœnitentiæ anno peracto. Poſt ſecundum verò annum, ſicut cæteri Fratres, ad Euchariſtiam accedere licet; furtum verò vel rapinam, aut incendium, aut hujusmodi abominabile quid facientes, in omnibus graviori vindictæ ſubjaceant: videlicet jejuniis, & veſtitu & in cæteris, & alieni fiant à pereeptione corporis & ſanguinis Domini, niſi morti proximo miſericorditer ſubveniatur, vel poſt plures annos certa pœnitentis Religio commu-

communi conſilio aliquam miſericordiam mereatur. Hæc omnia fiant diſcreto moderamine, ne Religio vacillet, vel pereat. Fugitivus etiam, quando recipitur, ubique erit ultimus omnium. Poſtea verò, ſi Clericus eſt, poterit Prior omnium licentiam cantandi & legendi ei dare, & in Choro ultimum ponere in ordine Clericorum vel Sacerdotum, ſi Sacerdos fuerit: Si autem humiliato ei locum altiorem aliquando indulgere voluerit, computet tempus, quo foris moratus eſt, & tantùm temporis ſemper amittat de ipſo ordine, nunquam recepturus. Publicè pœnitentes de Domo ſua remoti, non ponantur in aliqua obedientia.

Incipiunt Inſtitutiones ad Moniales Ordinis pertinentes.

De ſollicitudine omnium circa negotia Monialium.

I. FRatres noſtri primi & noviſſimi, qui vota Deo voverunt, & vinculo Profeſſionis noſtræ Religionis ſe aſtrinxerunt, cum omni ſollicitudine, ancillarum Chriſti ſimul & ſponſarum neceſſitatibus ſubveniant; ab ipſo Chriſto, ſi fideliter eis miniſtraverint, miſericordiam & gratiam recepturi. Negligentes verò & noſtra Inſtituta parvi pendentes, à conſortio earum excludantur, & divinæ ultioni ſubjaceant, ſi non digna ſatisfactione pœniteant. Sollicitiùs curetur, ut omnia quæ neceſſaria Sanctimonialibus, celeriùs & fideliùs eis adminiſtrentur, & oratorium & cæteræ Domus earum ornatius, accuratiùs & honeſtiùs quàm viris præparentur & fiant, quicumque hoc neglexerit, niſi citiùs reſipuerit, poteſtatis ſuæ dignitate careat, & per annum ultimo gradu pœniteat, & ſingulis diebus *Deus miſereatur* dicat, Laicus verò, *Pater noſter.*

De decimatione agnorum, & tota ſubſtantia Domus ſub cuſtodia Monialium ſervanda; & pannis Novitiorum, & de lana ipſarum, & cuſtodibus operum illarum, & de firmis intromittendis.

II. STatuentes præcipimus, ut ſingulis annis per ſingulas Domos noſtras agni noſtri fideliter decimentur. Hæc decimatio aſſignetur fideliſſimo Fratri in cuſtodia, qui ſtudeat multiplicare fœtus. Et provideatur ei locus paſcualis optimus, qui ſufficiat illis ovibus. Si verò minus eis paſcualia abundaverint, diſtrictè & diſcretè cum aliis ovibus Domus communicent in paſturis, & in cæteris neceſſariis. Lanæ quarum & lanæ pretium non erit in poteſtate quatuor Procuratorum Domorum noſtrarum, ſed in propria cuſtodia Sanctimonialium ad ædificia Eccleſiæ & Domorum ſuarum, cum multiplicata fuerit pecunia, & ad reparationem earum, & ad utenſilia labori earum neceſſaria, & ad cæteras minutas neceſſitudines, quibus Religio earum rationabiliter carere non poteſt. Quod verò ſuperabundaverit neceſſitatibus earum de pecunia illa, aſſenſu Præpoſitarum & aliarum, curam Domus gerentium, in neceſſarios uſus pauperum Chriſti, qui hoſpitio ſuſcipiuntur ad nocturnam requiem, ut habeant molliora ſtrata, & unde cooperiantur, expendetur. Reliquum verò quod ſuperabundaverit de prædicta pecunia in neceſſarios uſus Domus aſſenſu Præpoſitarum & aliarum expendi debebit. Ad comparanda verò quæ neceſſaria fuerint Sanctimonialibus, cum prædicta pecunia, vel ædificanda, provideantur Fratres duo fideliſſimi per Magiſtrum, literatus & illiteratus, & cauti in vendendis & emendis, & faciendis & diſtribuendis, qui quæcumque fecerint de illa pecunia, notum facient Procuratoribus Domus & Scrutatoribus, & utantur eorum conſiliis in agendis, ſi ipſi, quod abſit, non fuerint Sororum rationabilibus deſideriis impedimento. Et unus eorum, qui denariis earum ſervandis præponitur, denarios per feneſtram illis tradat, præſente Priore, vel vices ejus gerente. De prædicta verò pecunia caulæ ovium præparabuntur, & victus earum, cùm hyemalis aſperitas ingruerit, comparabitur, ſi prata ſui juris non habuerint. Quod ſi fortè clade vel alio infortunio prædictis ovibus detrimentum contigerit, pelles & carnes earum reſerventur ad damni remedium, & ad nihil aliud. Hoc idem de cæteris ovibus à Domuum fidelibus ſervetur.

Similiter ſtatuimus notum fieri Præpoſitis & cæteris de univerſa ſubſtantia Domus per feneſtrarios, & eos qui pecuniam prædictam earum diſtribuunt, & procurant à quatuor Procuratoribus Domus; quia univerſa pecunia Domus in auro & argento, & in cæteris, quæ ad ſollicitudinem earum pertinent, ſub earum cura & cuſtodia ſuis uſibus & Canonicorum & Fratrum reſervabuntur, ſicut alibi decretum eſt; Ita quidem quod nihil auri vel argenti, pannorum vel

vel victualium foris retineatur; nec aliquid de firmis vel redditibus expendatur, priusquam Domi portentur & ponantur in cuſtodia Sanctimonialium: Sed omnes firmæ & reditus, qui debentur Domui, memoriæ commendentur ſcripto, intus & extra; & aſſignetur in ſingulis Domibus Canonicus fidelis, qui omnes firmas & reditus recipiat, & eos in præſentia Prioris reportet, & coram eo & cæteris Procuratoribus Domus, vel vices eorum agentibus Monialibus tradat. Suſtinemus tamen, ut ſingularum Domorum Monialium Procuratores, triginta vel quadraginta ſolidos ad amplius à Monialibus acceptos, ad minutas neceſſitates explendas, ſub ſua deforis cuſtodia de conſenſu illarum viciſſim reſervari faciant & expendant, propter frequentes acceſſus ad feneſtram evitandos. Caveant etiam ſibi ſinguli & univerſi; quia Privilegium meretur amittere, qui ſibi conceſſa abutitur poteſtate.

Pannos quoque Novitiorum, tam Clericorum quàm Laicorum, & aurum, & argentum, & libros, & quaslibet reculas eorum, nullus præſumat extra clauſuram earum retinere; ſed ſub earum cuſtodia ſerventur, exceptis ſemorabilibus & camiſiis, calceamentis, quæ ſecundùm diſpoſitionem Prioris & Cellerarii diſtribuantur: Nec panes triticei ad furnum diſtribuantur, antequam Moniales eos receperint. Quicumque de noſtris contra hoc uſurpaverit, & aliquid eorum, quæ ſub cuſtodia Sanctimonialium eſſe decrevimus, ad comedendum vel potandum, vel aliter pro voluntate expendendum in earum detrimentum extra clauſuram earum retinere præſumpſerit, ſicut privilegii Domini Papæ contemptor, & noſtræ Inſtitutionis transgreſſor reatum luat, & furti pœnâ puniatur, & ita ut infidelis habeatur & judicetur, & qualibet VI. Feria, in pane & aqua extra Ordinem ſuum usque ad adventum Magiſtri pœniteat: nam univerſa ſubſtantia Domus de jure eis debetur. Hoc idem ſervetur in Domibus Canonicorum per ſe manentium, ut omnia ſcilicet ſub certa ſerventur cuſtodia.

De cuſtodibus pecuniæ, & receptis, & expenſis Monialibus notificandis.

III. PRovideantur ex parte Sanctimonialium tres religioſæ, & diſcretæ perſonæ; quarum cuſtodiæ ſigillum commune & pecunia domus committatur, in auro & argento, & in cæteris, quæ ſub manu Sanctimonialium eſſe decrevimus, quæ habeant diverſas Claves diverſis ſeris, ne poſſit archa pecuniæ aperiri, vel pecunia diſtribui, aliqua earum abſente vel ignorante. Una earum pannos inſcidere poteſt, & ad juſſum Præpoſitæ ordinatè diſtribuere. Ad quarum etiam curam ſpectat de pannis abluendis, & reſarciendis vel mutandis. Quod ſi aliquid de auro vel argento, neceſſitate cogente, expenſum fuerit à Fratribus, antequam ad Sorores intromittatur, Præpoſitæ demonſtrabitur, in quibus vel qua neceſſitate expenſum fuerit ſcripto vel mandato, & Sororibus notificetur curam Domus gerentibus. Similiter etiam in communi Capitulo Prioribus, Priore omnium præſente, niſi prius Circatoribus fuerit demonſtratum. Quibus quæcumque venduntur vel diſtribuuntur demonſtrari oportet, & nihil ex induſtria celari. Hoc idem inter Canonicos ſeparatim habentes ſervetur. Quidquid auri vel argenti, vel pannorum, vel hujusmodi datum fuerit, vel à noſtris adquiſitum cuſtodiæ Sororum & Dominio deputabitur, ſicut & Canonicis in Domibus eorum. Univerſa etiam ſubſtantia Domus Præpoſitæ & cæteris Majoribus, quæ ſub ea fuerint, curam Domus gerentibus, manifeſta fiat ab his, qui exteriorum curam habuerint. Nec quisquam audeat contra earum rationabilem aſſenſum aliquid erogare ſuper his omnibus, quæ cuſtodiæ & dominatui earum debentur.

De clauſura Monialium, & ingreſſu prohibito; & munuſculis vel mandatis non mittendis nec recipiendis.

IV. DE denariis Monialium ad includendum eas, foſſa, & muro, vel ſepi annuatim tres marcæ excipiantur, donec incluſionis ſecuritas fiat. Hoc namque ſummopere curetur vel per foſſata & ſepes vel per murata; vel quomodo melius fieri poterit, ne aliquis illicitus acceſſus pateat intrandi ad Sanctimoniales vel exeundi. Nec parcatur ſumptibus Domus, quin excludantur viſus & acceſſus omnium ab eis. Curtem earum nullus ingrediatur, niſi manifeſta cauſa compellat, Majorum ipſius Domus præcepto. Qui verò proprio arbitrio Domos vel curtem earum ingreditur, illis veſcientibus, culpam luat in alia Domo noſtri Ordinis in area Refectorii, XL. diebus, ſine mapula comedat, ſecunda, quarta, ſexta Feria in pane & aqua; cæteris diebus uno contentus pulmento ſine omni pitantia. Ter

in

in Capitulo unaquaque hebdomada graviori puniatur verbere. Quod ſi ferre noluerit, habitu noſtro expoliatus, à conſortio noſtro ejiciatur. Quod ſi aliquis majori dementia arreptus, mandata aut munuſcula, vel ſcripta cuiquam Sororum noſtrarum, per aliquem vel per aliquam hoſpitum, occultè direxerit vel impertiri præſumpſerit, vel ab aliqua noſtrarum hæc vel hujusmodi aliqua arte ſuſceperit; ſi quis reus ſuper hoc deprehenſus fuerit, in omnibus graviori vindictæ ſubjaceat, in alia Domo in ultimo gradu pœniteat, prout Prior omnium viderit expedire, ita ut alii timorem habeant & caveant. Quod ſi pœnitere renuerit, à conſortio noſtro cum omni dedecore pœnali, & nota infamiæ, & improperii, quaſi ſacrilegus ejiciatur. Hoc idem fiat de Sororibus, ſi ad aliquem vel aliquam, ſive de noſtris, ſive alienis inconſulto Priore omnium mandata inordinata direxerit. Excepto quod pro tali delicto, vel alio nulla de noſtris propter ſcandalum ejicitur, ſed incarceratur, vel ſatis graviter alio modo punitur.

De prohibitione loquelæ noſtrorum cum Monialibus.

V. SI quis noſtrorum, ſive Clericus ſive Laicus matrem vel aliquam conſanguineam in noſtra Congregatione habuerit, numquam cum eo loquatur, ne fiat nuncia malefida alicujus. Sub anathemate quoque prohibemus, ne aliquis de noſtris cum aliqua noſtrarum ſermonem habeat, excepto Priore omnium & Feneſtrario & Sacerdote, dum ei cura confeſſionis vel inunctionis injungitur, niſi præſente Magiſtro vel viris venerabilibus in Capitulo, vel pro negotio Domus ad magnam feneſtram, vel prædicando verbum Dei in Eccleſia, pariete interpoſito inter viros & mulieres. Et ſi quis Canonicus vel Frater acceſſerit ad feneſtram Domus ſuæ ſine aſſenſu Prioris Domus, vel vices ejus ſupplentis, & ibi loquatur cum Monialibus vel Sororibus, tribus diebus in pane & aqua jejunet, & ter in Capitulo vapulet. Eadem pœnitentia infligatur inordinatè dantibus licentiam. Quicumque ſermonem habuerit cum aliqua Sanctimonialium, vel Sororum in curte earum, ab ordine ſuo in ultimo gradu pœniteat, caſtigatus cibo & verbere ſecundùm modum culpæ. Hoc idem teneatur tam de Monialibus quàm de Sororibus, vel ad aliam Domum transferatur Monacha vel Soror culpam luitura. Quæ loquenda ſunt neceſſaria in utroque ſexu ad feneſtram verſatilem, ubi victualia ſecularium miniſtrantur, loquantur fidelibus, prout convenit, teſtibus aſſiſtentibus. Furtiva verò colloquia duorum, ſine regulari teſte, & ea frequentare curantes, in omni Conventu bonorum viles habeantur, & à conſortio fidelium projiciantur.

De Conſtructione feneſtrarum verſatilium, Portarum, & parvarum feneſtrarum; Et loquela ibidem; Et ingreſſu Domus feneſtræ probibito. Et de igne non petendo nocte à Sororibus.

VI. FEneſtræ, per quas danda & recipienda dantur, & recipiuntur, ea arte fiant; ne viri à Sororibus, vel Sorores à viris videantur; fiat etiam janua, quæ quadrigis & cæteris Grandioribus pateat, & ſeris & fideliſſimis cuſtodibus intus & extra muniatur. Feneſtra verò, ubi Sanctimoniales cum parentibus loquuntur, longitudinem unius digiti habeat & latitudinem, non tantum pollicis, & in circuitu ferri lamina muniatur. Similiter & feneſtra confeſſionis fiat. Ibique noſtræ cum parentibus loquantur, & cum propinguis ſecularibus. vel alterius Religionis, aliqua teſte præſente ſemel vel bis in anno, ſi ratio dictet. Omnes enim ſui Ordinis amatrices loqui poſſunt cum Patribus & Matribus; Fratribus & Sororibus ſecularibus, Filiis & Filiabus privatim ad feneſtram; & etiam cum propinguis conſanguineis ſuis maturæ ætatis, duobus teſtibus præſentibus & audientibus, ſemel vel bis in anno. Et ſi qua authentica perſona cum Sanctimonialibus loqui voluerit, in communi Capitulo loquatur, multis audientibus cum nulla privatim Priore omnium abſente, niſi ad feneſtram, & hoc tantum cum parentibus ſuis ſi fortè aliquam cum noſtris habuerint. Cum extraneis noſtras loqui non permittimus, qui mares fuerint, niſi fortè in communi Capitulo, cunctis audientibus, ſi neceſſitas compulerit, pro reverentia perſonæ magnæ auctoritatis vel poteſtatis. Fratres verò quibus cuſtodia hoſpitii committitur, vel aſſiſtant feneſtræ verſatili, ſi aſſiſtere præſumpſerint feneſtræ parvulæ, quæ fabricatur ad loquendum cum Sororibus, ut eas audiant vel loquantur cum ipſis, gladio excommunicationis feriantur, & gravi ultione pœnitentes culpam luant, ſi in Ordine permanſerint. Eadem pœna infligatur inſidiantibus licitè loquentibus ad magnam feneſtram de negotiis Domus. Similiter quicumque noſtrorum auſu te-

Digitized by Google

merario contra hoc ire præſumpſerint. Hoc idem teneatur in ſexu fœmineo. Oſtiis quidem & feneſtris, magnis & parvis, per quas ingreſſus & acceſſus, vel viſus patere poteſt ad Sorores, apponantur feræ fideliſſimæ intus & foris, quarum claves habeat Soror cauta & fideliſſima, cui aſſocietur alia non minus cauta, nec minus fida, & è regione fidelis Frater.

Horum ſollicitudine feneſtræ & portæ firmentur & referentur, tempore congruo, propter illicitos ingreſſus & egreſſus noćte vel die. Feneſtræ autem verſatiles, per quas cibaria communiter emittuntur, vix duorum pedum fiant in altitudine vel in latitudine, videlicet trium digitorum latitudine ablata hinc & inde. Si ampliores reperta fuerint, Prior & Cellerarius, Grangiarius, & Carpentarius, & eorum ſolatii, ſimul etiam quibus cuſtodia feneſtræ committitur, à perceptione corporis & ſanguinis Domini priventur; & per totum annum ſingulis hebdomadibus duobus diebus in pane & aqua pœniteant; Canonicis verò & Fratribus ingreſſum in Domum feneſtræ interdicimus, niſi pro negotio Domus; vel fortè cùm conferendum fuerit de expenſis Domus in multorum & Majorum præſentia; exceptis his qui deputantur ad feneſtræ cuſtodiam, quemadmodum Moniales è regione deputantur ad eandem. Qui aliter fecerit, ſicut de furto pœniteat. Subcellerario tamen licet ibi, ſub ſilentio, juvare ad quæque pondera. Omnino prohibemus, ne quis ignem noćte petat à Sororibus, niſi fortè lumen Fratrum caſu extinćtum fuerit, vel alia aliqua manifeſta neceſſitas compellat; & tunc tribus præſentibus detur. Similiter & per feneſtram verſatilem noćte dari permittimus tribus præſentibus.

De Monialibus cuſtodibus Feneſtrarum, & ingreſſu Domus feneſtræ Monialibus prohibito.

VII. Duæ Moniales ad minus moribus maturæ & Religioſæ aſſignentur, & aſſiduè aſſiſtant magnæ feneſtræ verſatili; quarum una principaliter ſermonem ibi habeat, & principalem poteſtatem ſuper vićtualibus ibidem ſervandis & diſtribuendis. Habeat etiam claves Archarum & Armariorum ibidem conſtrućtorum, & feneſtræ de noćte, quas inde recedens, alteri Moniali ei aſſignatæ, ut audiat & intelligat, quæ verbo vel opere ibidem fiunt, committat, non Sorori. Una earum Miſſis & Capitulo una die interſit, alia altera. Nulli noſtrarum ibidem loqui permittimus, niſi plures præſentes & audientes aſſociatæ ei fuerint. Sorores aliæ, dantes vel recipientes aliquid ad magnam feneſtram ibidem, nihil loquantur. Præpoſitæ & Cellerario ſine Scrutatrice comite, non ingrediantur Domum feneſtræ niſi ad ratiocinandum de expenſa pecuniæ, & hoc ubi verſatiles habentur feneſtræ. Soror autem feneſtræ vel alia ad feneſtram nihil loquatur, niſi altera Monialium feneſtræ aſſignatarum, vel aliqua Præpoſita ibidem præſens fuerit & audiat. Attamen non duæ tantum, ſed plures præſentes & audientes erunt, & una loquatur. Ipſa abſente ſolatium ejus vices loquentis ſuppleat: Monacha quidem & Soror, quæ ad feneſtram ſermonem habent, cum Fratre feneſtræ loquantur, quaſi ad tertiam perſonam & Frater ſimiliter cum eis. Ad feneſtram vero Sororum Canonicis aut Fratribus nihil detur, vel ab eis à Sororibus recipiatur, abſente Fratre feneſtræ, niſi Magiſter fortè per Priorem vel ſummum Scrutatorem aliquod Secretum mandaverit ipſis dari, vel dici. Ut autem Sorores plures adeſſe deforis ſciant, qui adeſſe de jure debent, certificentur verbo vel ſigno ab eis, qui foris ſunt.

De Fratre feneſtræ & ejus officio & ſilentio circa Domum ejus, & ſolatio ejus, & cibis Clientium.

VIII. Frater feneſtræ non ingrediatur curtem Sanćtimonialium, nec loquatur cum Sutoribus, vel Fabris, vel Pellipariis, niſi Prior permiſerit, vel ejus ſolatium, vel Cellerarius, cùm ratio poſtulaverit. Iſte verò Frater, per quem, quæ intus mandanda ſunt, mandantur, & quæ danda ſunt, dantur, & recipienda recipiuntur, cautus & diſcretus provideatur. Similiter & è regione Soror diſcreta, quæ non ſit procax vel garrula, ſed benigna & curæ ſibi creditæ intenta, nunquam ibidem locutura aliis abſentibus ſibi deputatis. Eodem modo, qui locum eorum tenuerint ſe habeant, illis abſentibus. In circuitu quidem Domus feneſtræ Sororum & ad feneſtram illarum, intus & extra, omnibus loquendi poteſtas interdicitur, exceptis his quibus à Priore omnium ſermo conceditur. Terminato ſigno horæ, Frater & Soror, quibus datur ſermo feneſtræ, eodem tempore debitum horæ perſolvant. Dićto *Completorio* aſſocietur Fratri feneſtræ alter Frater fidelis, ut ſciat quomodo ſe habeat in ſermone vel opere, qui ſilentium teneat, niſi

niſi Prior viderit expedire ut loquatur. Sed de inordinatis, quæ audierit, vel viderit, vel cognoverit, cùm tempus & locus congruerit, fideliter clamet. Quod ſi Frater feneſtræ abſens fuerit in aliquo negotio intricatus, ille alter Frater vices ejus ſuppleat, cùm oportuerit. Singulis verò diebus recipiat Frater feneſtræ, præſente Cellerario vel ejus ſolatio, quantum ſufficere crediderint ad victum & potum unius diei, tam Hoſpitibus quàm Clientibus, & in Domuncula, ad hoc præparata, recepta reponantur. Si verò honeſtiores Hoſpites ſupervenerint, licet cùm tempus exegerit à Sororibus ſuperexigi, quod eis conveniat. Victus & potus infirmantium, quandocumque opus fuerit, à Sororibus petantur & dentur, à quibus præparanda & danda ſunt, quæ neceſſaria ſunt, infirmantibus & valentibus.

De diſcuſſione pecuniæ ad feneſtram facienda.

IX. SI fortè aliquid ortum fuerit de expenſa pecuniæ unde oporteat, ut collatio vel diſcuſſio fiat, inter Fratres & Sorores aſſenſu Prioris omnium, Prior & Cellerarius, Procurator & Grangiarius, & ſi quis alius neceſſarius inter noſtros fuerit, in parte feneſtræ, quæ viris patet, & diſcretæ Sorores, quas Præpoſita elegerit, in ea parte, quæ Sororibus patet, conferant ſalubriter, de expenſis pecuniæ, unus ſolus loquatur diſcretus & modeſtus, & una ſola diſcreta & modeſta, aliis audientibus & diſcernentibus intra ſe de his, quæ audierint. Et unusquisque loquentium quaſi ad tertiam perſonam alternatim loquatur. Nec omittenda eſt hæc diſcuſſio pecuniæ.

De ingreſſu ad Moniales generaliter prohibito.

X. DIligenter ab omnibus obſervetur, ne aliquis Clauſuram vel Domos Sanctimonialium ingrediatur, dum ipſæ debitum horæ perſolverint, vel in Refectorio curæ carnis neceſſariæ intenderint, aut in Dormitorio debito ſomno indulſerint. Quod ſi fortè neceſſitas caſu aliquo compulerit ingredi, plures ingrediantur, & peracto negotio ſimul egrediantur, caventes videre vel videri à Sororibus. Si Prior omnium curtem earum, caſu ſolus, ingreditur, quod tamen cavendum decernimus, plures earum vicino pede ingredientem comitentur; videlicet tres vel quatuor ad minus, nec ſolus cum ſola usquam maneat, niſi fortè aliquo privatim confiteri voluerit; quod bene licet, ſi plures in eadem Domo aſſuerint, vel ad oſtium Domus videntes, ſi fortè ipſa Domus minus ampla fuerit. Quæ verò in hoc negligentes fuerint, & aliquem ſolum cum aliqua ſcienter permiſerint permanere: gravi verbere corripiantur, ut de cætero caveant. Eminens tamen periculum excluditur. Summa eſt prudentia & cautela laudabilis per omnia omni virtute delinquendi materiæ reſiſtere, propter ſcandali periculum vel infamiæ opptobrium. Eapropter omnibus noſtris, Clericis & Laicis Grangiariis, & cæteris Clauſuram Sanctimonialium ingredi, ſine mandato & aſſenſu Prioris vel ejus ſolatii, vel Cellerarii, vel qui vices eorum tenuerint, ſi ipſi quoquam abierint, ſub anathematis interminatione interdicimus. Verumtamen propter ignis incendium, vel mortis inſtantis periculum, vel propter furtum & latrocinium omnibus ſuſtinemus introitum, ad earum præſidium & auxilium.

De Cellario, coquina, & auctoritate Monialium & de cibariis omnibus intromittendis.

XI. UNum Cellarium & una coquina erit omnibus, ſub Præpoſitæ cura & Sanctimonialium. Similiter & Canonicorum ſeparatim converſantium, ad quorum providentiam victus omnium & veſtitus modus ſpectat & menſura, quemadmodum pecuniæ cuſtodia & telarum & pannorum, tam veterum quàm novorum. Ipſis enim debetur Dominium univerſæ ſubſtantiæ Domorum, quæ datæ ſunt illis. Omnino interdicimus, ne aliquis Laicorum ſibi uſurpet Dominium in ſubſtantia Domorum, quæ Sanctimonialibus datæ ſunt propriæ; nec aliquid de univerſa ſubſtantia Domus eroget, ſine earum aſſenſu, cùm hoc literatis non liceat, ne gladio anathematis feriatur & pereat; & ab earum conſortio omnino excludatur. Nec aliquis præſumat vendere vel diſtribuere caſeos vel butyrum, quæ extra curtem Sanctimonialium fiunt, ſine aſſenſu Præpoſitæ & Cellerariæ. Contra hoc facientes, quaſi de perpetrato ſcelere furti, vel rapinæ puniantur. Quicumque verò victualia Domus, videlicet carnes, caſeos, butyrum, mel, piſces, & cætera, quæ mandi poſſunt, & ea quæ feruntur à Grangiis, vel quæ emuntur intra Clauſuram noſtrorum vel extra diſtribuerint in cibos, vel aliquo alio modo,

modo, priusquam in cuſtodia Sanctimonialium venerint, graviori vindicta feriantur, & de poteſtate ſua deponantur, & in aliqua alia Domorum pœnitentiæ caſtigatione corrigantur, ut de cætero caveant. Si verò alicui dandum eſt aliquid ad Grangias remotiores, cauſa neceſſaria cogente, de his, quæ mandi poſſunt de portione, quæ aſſignatur Grangiis, ad ſuſtentationem mercenariorum detur; & quod datum fuerit, notum fiat in communi Capitulo Domus, ut ſciant Majores utriusque ſexus cauſam & rationem dati muneris; & ſi opus habuerint, reſtituatur eis, prout juſtum fuerit viſum.

De ſubſtitutione trium Præpoſitarum, & earum officio & Celleraria, & Subpræpoſita, & Capitulo Sororum tenendo.

XII. DE tribus Præpoſitis, quæ præſunt ſingulis Domibus noſtræ Profeſſionis, hoc firmiter teneatur. Si qua earum, quod abſit, ad exaltationem ſui ipſius, prælationem, vel gratiam ſingularem à Fratribus, vel à Sororibus adquirere deprehenſa fuerit, in aliqua Domorum noſtrarum, prout Prior omnium judicaverit, ſaniori conſilio ultimo gradu pœnitebit, ad ſuam Domum de cætero non reditura. Similiter ſi ab Advocatis Domus ſuæ, vel à qualibet alia poteſtate, vel ſtudio, vel munere, vel obſequio, vel blando ſermone, vel per notos & amicos, vel per aliquem alium, ſingularem gratiam, vel prælationem, ſibi ipſi adquiſierit, pro hujusmodi cauſa eadem feriatur ſententia. Tali etiam caſtigatione corripiatur, quæcumque diſcordias vel diſceptationes in Conventu ſeminaverit. Hoc idem inter Canonicos & Fratres teneatur. Illa verò Præpoſita, quæ ſermonem & curam Domus ſua vice habuerit, primum ſtallum teneat. Altera aliarum ad dextram; altera ad ejus ſtabit ſiniſtram. Ipſa Capitulum tenebit, culpas examinabit, pœnitentias injunget, quas neutra aliarum relaxabit, nec etiam quando ſua vice illi ſuccedet. Licentias omnes ordinatas dabit; non alia. Infirmas viſitabit, vel ab aliqua Sociarum ſuarum viſitari faciet. Eadem poteſtas & dignitas erit omnibus, ſcilicet ſingulis ſuo tempore. Si qua tamen earum ratione & conſilio præſtantior fuerit, juſtum eſt, ut ejus perſruantur conſilio, cùm neceſſitas poſtulaverit. Cum aliqua earum obierit de altera Domo, altera ſubſtituatur per Priorem omnium, & Circatrices, ſi fortè in Domo illa idonea reperta non fuerit, ne maligna machinatione alicujus, diſſolutio vel diviſio inter Domos Profeſſionis de Sempingham contingat, vel poſſit contingere. Et ſi Conventus Sanctimonialium infra XV. dies ſecundùm Ordinis formam Præpoſitam ad mandatum Magiſtri non elegerint, vel quam Magiſter eis Præpoſitam aſſignaverit, refutaverint, à Communione & Miſſa priventur, quousque pœniteant & ſatisfaciant.

Regularibus quoque diſciplinis & mandatis Præpoſitæ omnes aliæ obediant & reverentiam deferant. Solatium ſuum vel Cellerarium non licet ei deponere, inconſulto Priore omnium, vel communi aſſenſu omnium & conſilio, pro manifeſto crimine. Victus verò & veſtimenta omnium diſpoſitioni Præpoſitæ & Cellerariæ pertinere decernimus. Victus per Cellerariam diſtribuantur, veſtimenta verò per Præpoſitas inſcidantur & dividantur in ſexu fœmineo. Nec licet alicui Præpoſitarum noſtrarum, juxta aliquem in Domibus noſtris ſedere, niſi aliqua diſcreta Soror interpoſita ſedeat; nec alibi, ſi convenienter poſſit vitari. Licet Præpoſitis Subpræpoſitam mittere in Infirmitorium, ad ſumendas venias, ſi ipſæ detinentur in aliquo negotio & opere. Studeat Præpoſita ſæpius viſitare Sorores, niſi fortè eam in Coquina eſſe contigerit, vel infirmitate detenta fuerit. Si aliqua confiteri voluerit, ſignificet Præpoſitæ, ſi in Clauſtro vel in Oratorio fuerit, & illi confiteatur, vel cui ipſa juſſerit. Diebus, quibus feriatur, licet Præpoſitæ, quæ ſermonem ſua vice ad omnes habet, mittere aliquam doctam cum libro ad Sorores, quæ dicat eis aliquid de profectu animæ & Ordinis rigore. Ipſa verò Præpoſita interſit Capitulo Sororum, ut inferius in ſcriptis Sororum dictum eſt, niſi ratio congrua impedierit, vel unaquæque Præpoſitarum, hebdomada, qua vice ſua ſermonem habuerit, ſæpius earum venias veſpertino ſumet in Capitulo. In feſtivis diebus eas, cùm tempus habuerit, viſitabit, & de Ordine & earum Religione diligenter ſollicitabit. Si qua verò Monialis ſubſtituenda eſt ad venias Sanctimonialium capiendas, & diſcutiendas, ad hoc opus à prædictis Præpoſitis aſſignetur, quæ æqualiter ipſas diligat, & ab ipſis diligatur ſine ſimulatione.

De

De exitu Præpoſitæ ab Eccleſia, Dormitorio, & Clauſtro.

XIII. SI Præpoſita poſt prandium, vel poſt *Completorium* de Dormitorio egreditur, non ſine Monialibus egrediatur ſola. Egreſſus ejus cauſam Priori omnium indicare debebit, vel cui regulariter indicandum providerit. Si verò Celleraria egreditur, & ſilentium fregerit, ſequenti die, egreſſus & ſermonis cauſam in Capitulo confiteatur. Nec ipſa niſi cum pluribus egrediatur. Scrutatrices verò, ſi cum Celleraria egrediuntur, nihil ſignificent, niſi manifeſta neceſſitas hoc fieri faciat. Si verò Præpoſita exierit de Monaſterio infirmitate cogente, confitebitur in Capitulo, in cujus ſtallo nulla ſtet niſi ad Miſſas, ſi neceſſitas hoc fieri poſtulaverit. Si verò ipſa fuerit in Coquina, in Scapulari aliarum venias ſumere poteſt. Ipſa verò ſerviens in Coquina, ſi fallaciam fecerit in Refectorio, ibidem pœniteat. Caveat etiam Præpoſita cum Scrutatricibus alterius Domus ſibi deputatis conferre, vel inquiſitionem facere de aliqua re, niſi in communi Capitulo. Si Præpoſita in Infirmitorio fuerit, reſtrictius ſe habeat, & non loquatur cum pluribus ſimul quàm cum duabus, & hoc in loco terminato, niſi fortè neceſſitas cum pluribus loqui eam conſulendi cauſa compulerit, aut cùm infirmantium Capitulum tenere contigerit. Licet etiam ei Capitulo Conventus intereſſe & tenere, ſi magna neceſſitas emerſerit, confeſſionesque ſuſcipere. Si verò immoderara infirmitate tenetur, ſicut & cæteræ in lecto loquatur.

De loco ſermonis Monialium, cum Sororibus in curte earum.

XIV. IN curtem Sanctimonialium provideatur locus determinatus Sanctimonialibus & Sororibus ad loquendum cum Præpoſita, & Celleraria, & in omnibus officinis earum ſtando; & duæ tantum cum ea.

De Subpræpoſita.

XV. DE Subpræpoſita non fiat Præpoſita, niſi Prior omnium vel Speculatrices neceſſarium judicaverit. Non licet Subpræpoſitæ Cellam Novitiarum ingredi, niſi ſigno vocata à Magiſtra earum, ad ſuſcipiendas venias. Ipſa enim abſentibus Præpoſitis, ſi de aliquo locuta fuerit, niſi de labore, confiteatur in Capitulo ſermonem. Si fortè aliqua ſermonem habuerit, abſente Præpoſita, Subpræpoſita tamen venias ſumat in Capitulo & extra. Sed non eat ad portam feneſtræ ſine matura comite.

De Celleraria, & ejus officio, & Sorore ei aſſignata; & de Domo panis ad furnum, & piſtoribus, & farina, & de victualibus Cuſtodiæ illius deputandis.

XVI. CElleraria cum annuis Scrutatricibus, quæ de alia Domo fuerint, occultè non loquatur; nec cum aliqua alia de aliquo vel aliqua, ut Scrutatrices audiant; nec in Coquina ſerviat, Subcelleraria verò ſerviat. Soror aliqua aſſocietur Cellerariæ in auxilium, cum qua loqui ei de neceſſariis licet apertè in Cellario. Ipſa verò Celleraria curam gerat de pannis Refectorii abluendis. In Cellario verò nulla loquatur niſi Præpoſita & Celleraria; & Feneſtraria, & hoſpitalis Soror, & illa de Coquina, & quæ deputatur Cellerariæ in auxilium. In Infirmitorio Sororum Celleraria ſedendo non loquatur. In hoc ſi deliquerit, in Capitulo delictum examinetur, & prout decet, juſtè puniatur. Fiat Domus non longe à furno, ad quam ſine periculo & viſu hominum poſſint accedere Sorores, ad Cellarium panes portaturæ: In qua ſilentium ab omnibus omnino teneatur. Similiter in illa, per quam à viris panes Sororibus traduntur. Et locus per quem panes trajiciuntur; cauta conſideratione ea arte præparetur, ut viſus & acceſſus Virorum ad Sorores impediantur, vel Sororum ad Viros.

Panes Infirmantium & omnium, ad voluntatem & ſecundùm mandatum Cellerariæ fiant: Nec ullo modo retineantur vel dividantur alicubi, niſi prius in cuſtodia Sanctimonialium venerint, & per feneſtram dentur, per quam & alia dantur & recipiuntur, vel per illum locum, ubi & panes triticei ad furnum Monialibus intromittuntur. Piſtor verò farinam Cellerariæ dare non differat, quotienſcumque ipſa mandaverit. Ipſi

etiam Præpoſitæ præ omnibus obediat, in his quæ ad Moniales de piſtrino pertinent. Una de Coquis auxilium præſtet Cellerariæ ad panes vel ad potum in Refectorium portandum, Coquæ verò referant reliquias pitantiarum in Cellarium, & ipſæ Sanctimonialibus ad cœnam ſerviant. Quibus poſt refectionem Monachorum comedere convenit, & mixtum ſumere licet quemadmodum Servitricibus. Provideatur Soror, quæ ſerviat Cellerariæ, & comedentibus cum ea, niſi fortè duæ Sanctimoniales in Coquina ſervierint. Quæ benedictionem dederit ad menſam ſervientium, ipſa, poſtquam refecerint, percutiendo ſuper menſam ſignificabit ei quæ terminatura eſt lectionem. Omnia victualia Canonicis & Monialibus, Fratribus & Sororibus pro locis & temporibus, tam ſanis quàm infirmis eroganda, ſub poteſtate Cellerariæ, & Cuſtodia habeantur, & per eam univerſis & ſingulis more debito diſcretè diſtribuantur; Videlicet panis, piſces, carnes, & potus, ova, lac, caſei, & butyrum, fabæ, ſal, ſarina, & fructus. Nec aliqua literata vel illiterata, exceptis Præpoſitis, aliquam ſibi poteſtatem ſuper his vel aliis cibariis, contra ejus aſſenſum, ſibi uſurpare præſumat. Nec aliqua zenium aliquod ſinę licentia recipiat; vel receptum cuiquam eroget, vel inde comedat. Quod ſi qua ſuper præmiſſis vitioſa fuerit reperta, gravi diſciplinæ & jejunio ſubjaceat, & niſi ſufficienter emendaverit, tanquam excommunicata Magiſtro præſentetur. Idem à Cellerariis, & Subcellerariis in Domibus Canonicorum per ſe manentium, ut decet, firmiter teneatur.

De veſtitu Monialium, & longitudine veſtium omnium generaliter probibita; & veſtibus aliorum Religioſorum non ſuendis; & veſtibus ſine licentia non dandis.

XVII. MOnachæ noſtri Ordinis quinque tunicas habeant, tres ad laborem, & duos amplas, id eſt cucullas in Clauſtro, & in Eccleſia, & in Capitulo, & in Refectorio, & in Dormitorio, & ſcapulare ad laborem. Habeant etiam pelliceam de adultis agnis, & camiſiam de groſſiori panno, ſi voluerint, & mitras lineas, nigras & ſorratas de agninis pellibus. Omnes panni, quibus capita earum involvuntur, nigri erunt & groſſi. Similiter & vela earum. Caveant etiam Præpoſitæ & omnes cæteræ pannos inſcidentes, ne pallia vel tunicæ, & alia indumenta Canonicorum, Fratrum vel Sororum, vel cucullæ Sanctimonialium terram tangant, nimia ſui longitudine; quia qui in hoc, vel in veſtis ſpecie gloriatur, à Domino procul dubio reprobatur. Si fortè culpa Præpoſitæ vel incuria hoc factum fuerit, in communi Capitulo in area comedet ſine menſa & mapula duobus diebus. Si verò culpa inſcidentis hoc contigerit, ter in Capitulo vapulet. Panni namque qui fiunt in Domibus noſtris, vel de ſubſtantia Domus emuntur, intra Clauſtrum Monialium inſcidantur & ſuantur. Si verò dandi ſunt panni mercenariis, vel aliis ſecularibus, detur unicuique pars non inſciſa, ſecundùm quod debitum cujusque exigit. Nec ſuant Sorores pannos, quos non inſciderint, ſine juſſu Prioris omnium, exceptis pannis Novitiorum, ſi inſcidantur ab ipſis vel inſcidi fecerint.

Veſtimenta verò Sacerdotalia alienorum, ſeu Monachorum, ſeu Canonicorum, non noſtrorũ vel ſecularium, non inſcidantur, nec ſuantur à Sororibus noſtris, niſi per Priorem omnium, vel communi aſſenſu Canonicorum & Fratrum ſi viſum fuerit expedire, cauſa cogente fructoſa. Camiſiæ etiam, vel femoralia noſtrorum, vel aliorum à Sororibus noſtris non inſcidantur, nec ſuantur. Præpoſita quidem vel aliqua alia non præſumat pannos vel aliquid alicujus pretii extra Domos ſuas dare, vel mittere, exceptis his, qui de propria Domo ſua fuerint cui præſunt, ſine præcepto Prioris omnium, & eorum earumque aſſenſu, qui præſunt familiæ Domus & ſubſtantiæ & Religioni.

De ablutione, & generali inſtitutione pannorum.

XVIII. CUm abluendi ſunt eodem tempore panni Sanctimonialium & Sororum, non dividantur in tempore ablutionis, ſed unaquæque charitativè alteri ſubveniat, cùm opus fuerit. Similiter & indumenta Canonicorum, per duos Canonicos ad hoc deputatos, ad feneſtram verſatilem Prioriſſis ſemel in menſe, ſi abluenda ſunt, traduntur; & eodem modo, cùm abluta fuerint, re-

cipian-

cipiantur. Si verò diverſis temporibus vel diebus laverint, ſub hoc mandato non tenentur. Pulſata tabula à Præpoſita poſt Capitulum, ſi abluendi ſunt panni linei, ſignificet ipſa vel dicat de ablutione, quomodo fiat vel à quibus. Semel in annis tribus albas cucullas licet ablui, niſi fortè aliquo caſu accidenti maculatæ fuerint. Quæ tres tunicas habet, unaquæque poteſt ſemel in anno ablui; nec ſæpius niſi manifeſta neceſſitas caſu poſtulaverit, ut fiat. Quidquid ſuperius dictum eſt in ſcriptis de veſtibus Canonicorum, quod convenienter & rationabiliter in ſexu fœmineo regulariter poſſit obſervari, inter Sanctimoniales pro modo veſtium illarum firmiter cuſtodiatur; videlicet de veſtium pretioſitate fugienda, & de diſtributione veſtium, & de pœnitentia pro earum refutatione, & amiſſione vel oblivione, & de pannis non tondendis, & datis ſine licentia non utendis, de pellibus & pelliceis, & de veſtibus non excambiendis; & lana non ſtudioſè miſcenda. Summus verò Prior Ordinis, proot Ordo permiſerit, & ratio dictaverit, in quibus oportet, & decet, diſcretè diſpenſet.

De officio Sacriſtæ, & ejus ſolatiis; & de loquela probibita, cum pulſatur hora; & multitudine luminum vitanda.

XIX. SAcriſta cùm nocte ſurrexerit ad ſignum pulſandum, duas ad minus Moniales ſecum habeat, quas ei Præpoſita aſſignaverit. Nec ulla poſtquam pernoctaverit quoquam eat, vel maneat, niſi duas ſecum habeat, niſi fortè manifeſta neceſſitas imminente magno periculo fieri compulerit. Nec uſquam duæ ſolæ ex induſtria maneant, niſi maturæ vitæ & probatæ virtutis, nec illæ ſine juſſu Præpoſitæ ullo tempore. Ad Sacriſtam verò pertinet pulſare ſignum ad Capitulum, & ad omnes horas diei. Ipſa verò & ſolatium ejus aream Eccleſiæ in Vigilia Paſchæ, & poſt *Sextam* Altare ornabont. Ipſa enim accendat lampadem in intervallo ad lectiones. Ipſius etiam eſt obedientiæ præparare carbones ad thoribulum, & ad patellam, & ad Miſſas in hyeme. Si enim intervallom contigerit inter *Nocturnum* & *Laudes* eo tempore quo laborare non licet, ſine lumine non ſedeant, nec in Oratorio, ex induſtria maneant ad orandum, minos quàm IV. vel tres. Una tamen provectæ ætatis & probatæ Religionis aſſenſu Præpoſitæ orationi vacare poterit, duæ tantum, ſcienter nonquam poterunt. Omni verò tempore cùm intervallum fuerit inter *Laudes* & *Primam*, in Clauſtrum exeant feſtivis diebus, & tunc dicetur *Pater noſter*, antequam inchoetur *Prima*. Ipſa quoque Sacriſta vel alia matura recipiat ad feneſtram aquam benedictam; & lapidem pacis, quem circumferat Monialibus & Sororibus, incipiens ſemper pacem dare in dextro Choro, ſive præſente ſive abſente Præpoſita. Si qua verò de noſtris cum aliqua vel aliquo ſermonem habuerit, pulſante ſigno ad aliquam horam, feſtinet ad Clauſtrum omni mora remota, niſi Prior omnium affuerit, & feſtinantem ad Clauſtrum modicum retardaverit, ſicut veritas Religionis permiſerit & ratio dictaverit. In Domibus noſtris de multitudine luminum non curetur, niſi tribus noctibus tenebrarum, & in die Purificationis beatæ Mariæ Virgiois; nec in Sabbato Paſchæ curetur de pondere cerei, ſed in omnibus caveatur ſuperfluitas & vanitas, & nimia parcitas.

De cantu Monialibus probibito; & quomodo ſe habere debent in Eccleſia.

XX. SAnctimoniales noſtras cantare non permittimus; ſed omnioo interdicimus, cupientes magis cùm illa beata Virgine, perpetua Dei omnipotentis Matre, & Filia io Spiritu humilitatis indirecto pſallere, quàm cum illa Herodiadis Filia laſciva modulatione infirmorum mentes pervertere. Sanctimoniales verò, quæ pſalmodiam tenent, ſimul ſtent in Choro, & aliæ ſeorſum in alio Choro. Unaquæque teneat locum ptoprium ſuæ Converſionis, niſi fortè aliqua ex negligentia pſallere noluerit, & talis ultima ponatur lo omni loco. Quæ doctæ fuerint, ſecundùm ordinem Pſalmos incipiant ad juſſum Præpoſitæ. Nolla officium in Eccleſia teneat, niſi benè exercitata prius fuerit in Refectorio & in Capitulo. In ultima parte Chori ſtet aliqua Monacha matura ad Miſſas, ad explorandum, neqoa inordinatè ſe habeat in Choro. In æſtate poſt

Tertiam, cùm Sacerdos ſacerdotalibus induitur indumentis, non exeat aliqua de Monaſterio, niſi cauſa neceſſaria poſtulaverit; & quæ exterioribus officiis præſunt.

De tenentibus Collectam, *& de horis in labore terminandis, & de* Veſperis *in Quadrageſima, & de Monialibus quæ non poſſunt legere.*

XXI. SAnctimonialis, quæ *Collectam* tenet, & aliud officium non poteſt implere, in præcedenti hebdomada, tempore lectionis providebit *Collectam*, ne graviter clametur, ſi in ipſa erraverit. Quæ verò *Collectam* tenet, non miniſtrabit ad biberes, poſt *Nonam*. Junior ſerviat pro Præpoſita ad biberes ante cœnam. Poſt biberes ſemel licet bibere, accepta licentia, æſtivo tempore. Si Celleraria, vel aliqua alia Pſalterium ſciens, extra Chorum horas dixerit; & *Collectam* vel *Capitulum* neſcierit, horam incipiet ſicut in Cooventu. Completis Pſalmis horarum, quemadmodum Sorores, terminabit horam. Si verò cum aliqua Sororum fuerit, ipſa incipiet & terminabit horam ln omnibus, ſequens conſuetudinem Sororum. Licet in Quadrageſima *Veſperas* pſallere, in loco quo laboraveriot, & *Nonam* poſt Feſtum ſanctæ Crucis, & *Veſperas* in æſtate. Sanctimoniales, quæ non poſſunt legere & officium in Eccleſia tenere, in tempore lectionis laborabunt, quamvis Pſalterium ſciant. In tempore verò qno Sanctimoniales ſcientes legere oraverint, poſſunt & ipſæ orare nocte & die. Et omnes poſſunt ſtare vel ſedere ad lectiones Miſſæ.

De non occurrentibus ad initium horæ: & de miſericordia dormiendi, & de hebdomadaria Pſalterii, & de Laicis Monialibus.

XXII. OMnes Moniales generaliter officium Eccleſiaſticum perſolvere ſcientes, extra lnfirmitorium exiſtentes, ad omnes horas regulares diei, & noctis communiter accedant in Eccleſia, nec inde exeant niſi neceſſitate excuſabili compellente, exceptis certis laboribus & ordinatis officiis aſſignatis. Nec Subcellerariæ, vel aliæ obedientiarum ſolatiæ, cùm rationabiliter poſſunt intereſſe, aliqua inutili occaſione inde ſe abſentare præſumant. Quæ verò in loſirmitate vel debilitate manifeſta cogente, officium in Eccleſia regulariter perſolvere oon poſſunt, illud eiſdem horis in Capitulo vel alio loco competente congregatæ, ordinatè perſolvant. Si qua verò ſuper his vitioſa reperta fuerit, corripiatur ſemel & ſecundo, quod ſi non emendaverit, Magiſtro præſentetur jejunio gravi & verbere punienda. Idem à Canonicis ubique prout rationabiliter fieri poterit, firmiter teneatur.

Confitebitur in Capitulo, quæ non occurrerit ad orationem ante horam *Primam* io æſtate, & *Tertiam* in hyeme, & quando feriatur. Et quæ non occurrerit ad primum *Gloria* horæ privatis diebus, ſumat veniam ſuper terram. Si qua Sanctimonialis ad primum ſignum *Nonæ* io æſtate, non ſurrexerit, ſequenti die ln Capitulo confiteatur, exceptis his, quæ poſt Conventum comederint. Sanctimooiales Laicæ in ſtallis ſuis ſtent ad Miſſas & ad gratias tantùm. Moniales quibus miſericordia dormiendi præſtatur, in utroque Choro dividantur; & media pars in una nocte dormiet, & altera ſecunda nocte. Si duæ tantùm fuerint vel una, lo Infirmitorio dormiant. Hebdomadaria quoque Pſalterii, quod per Domos noſtras dividitur ſingulis diebus perſolvendum in Capitulo, die Sabbati legatur in tabula.

De Capitulo Monialium, & de pœnitentiis, & Clamationibus faciendis; & cauſis pœnitentiarum Magiſtro manifeſtandis.

XXIII. IN Vigilia Natalis Domini, cùm legitur in Capitulo Nativitas Domini noſtri JEſu Chriſti, omnes proſtratæ dicant *Pater noſter*. Si qua de gravi culpa convincitur rea, finito Capitulo, in loco pœnali ponatur à Præpoſita. Celleraria verò miniſtrabit ei, quæ oportet, & prout delicti culpa requirit. Si aliqua excommunicatur vel diſciplinatur in Capitulo, ſumpta venia, manifeſtet Priori omnium, cùm venerit in Capitulo, cauſam excommunicationis vel diſci-

diſciplinæ, vel ſummis Scrutatricibus, vel altera pro ipſa, ſi prout decet, ipſa neſcierit. Super terram ſedeat, quæ diſciplinam ſuſceptura eſt, privatim vel in communi. Omni die quo laborant, poſſunt & diſciplinam ſumere. Pulſato ſigno ad prandium, non detur cuiquam diſciplina.

In virtute Dei & ſanctæ Obedientiæ diſtrictè prohibemus, ne aliqua Monialis in Conventu exiſtens, ad Corpus Chriſti accedat Dominica, niſi ordinatè clamaverit in hebdomada, privatim vel publicè, ſi delictum privatum vel manifeſtum viderit, unde regularis clamatio fieri debeat; exceptis valde Juvenibus, vel valde vetulis. Et aliqua inſtitutionis hujus Obſervantiæ pertermiſſa à perceptione Corporis Chriſti aliqua Dominica ſe ſubtraxerit, ab ejusdem Sacramenti perceptione usque ad adventum Magiſtri penitus ſeparetur, niſi pro mortis articulo vel periculo amarè flenti & ſufficienter pœnitenti miſericorditer ſubveniatur; ſi qua verò inordinatè in Capitulo locuta fuerit, vel in Capitulo contentioſa vel contumax, vel inobediens, vel ligitioſa, vel tumultuoſa fuerit, vel Præpoſitæ tenenti Capitulum in aliquo caſu inordinatè contradixerit, vel pro aliqua ordinatè clamata, dum in judicio ſteterit, rogaverit, ut pœnitentia illi injuncta relaxetur, vel aliqua ſedens in Audientia locuta fuerit, niſi clamando, vel teſtimonium perhibendo veritati, vel aliquod neceſſe regulariter inquirendo, à Corpore Chriſti ſeparata, niſi pro mortis periculo in gradu omni ſexta Feria in pane & aqua pœnitens, ſemel in ſeptimana regulari diſciplinæ ſubjacet, in adventu Magiſtri illi præſentanda.

Idem & eodem modo, inter Sorores Laicas firmiter teneatur, ita quod quæcumque in hebdomada ordinatè non clamaverit, ut ſupra ſcriptum eſt, ab auditione divini officii, omni Dominica & Feſto feſtivali usque ad adventum Magiſtri ſeparabitur; & à Corpore Chriſti, niſi pro mortis periculo. Caveant etiam ſummopere & ſummæ Scrutatrices, & Subpræpoſitæ, & omnes aliæ literatæ, & illiteratæ, ne ſimilem vel graviorem pœnam incurrant, ſi aliquam Profeſſam, vel Novitiam, vel Juvenculum, gratiâ conſanguinitatis, vel familiaritatis, vel alicujus obſequii, vel aliqua alia de cauſa inordinatè manuteneant, defendant, vel excuſent, in Capitulo vel extra. Quidquid ſuperius dictum eſt in ſcriptis de Capitulo Canonicorum; ſcilicet de hora Capituli, & modo & forma in Capitulum veniendi & in eo loquendi, & venias petendi & clamandi, & in Judicio reſpondendi, & ſententiam exponendi, & de Capitulo exeundi quantum decenter convenit & congruit ſexui fœmineo, ſecundùm Regulam beati Benedicti, inter Moniales diligenter cuſtodiatur, niſi Prior omnium aliquid alio modo, ratione dictante, vel neceſſitate cogente, fieri judicaverit.

De Proceſſionibus in Clauſtro Monialium faciendis.

XXIV. IN Domibus Monialium XIV. Proceſſiones ſolemnes fiant per annum; ſcilicet die Natalis Domini, Epiphaniæ, Purificationis, Depoſitionis beati Gilberti, Annuntiationis, Paſchæ floridi, die Paſchæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, ſanctæ Trinitatis, Aſſumptionis beatæ Mariæ, Nativitatis ejusdem, Translationis beati Gilberti & omnium Sanctorum; & cùm corpora mortuorum efferuntur ad ſepeliendum, vel corpora Sororum inferuntur Monaſterio à Sororibus: Proceſſiones verò hoc modo ordinentur. Præcedat aquæ benedictæ bajulus; deinde thuribulum ferens, poſt Crux & Candelabra; deinde Diaconus, textum ferens & Reliquias; quem è veſtigio ſequantur Canonici, Novitiis præeuntibus. Poſt Sæculares, ſi fuerint. Hos ſequantur Fratres, Senioribus præcedentibus, exceptis duobus ſenibus, qui Novitios ſequantur. Deinde Moniales præeuntibus Præpoſitis, ſequentibus cæteris, ordine converſionis Senioribus. Deinde Sorores, poſt Novitiæ Sanctimonialium; tunc Novitiæ Sororum; duæ tantùm maturæ, quibus Præpoſita juſſerit, poſt non velatas gradiantur, diligenter eas cuſtodientes. Januæ verò inter Altare Sanctimonialium, & ipſas conſtructæ claudantur in tranſitu virorum; ne videant, vel videantur mares tranſeuntes à fœminis. Similer per IV. angulos Clauſtri vela ponantur; nec minus per ſingula latera Clauſtri per anſulas cortinæ extendantur, ut Superior pars Clauſtri columnarum cortinis texta vel velata illicitum auferat viſum his, qui fuerint in diverſis lateribus Clauſtri. Hoc autem fideliter ſervetur; niſi aliquid magis ſervandum gratia Dei fuerit repertum vel revelatum, ad majorem cautelam.

Poſt Proceſſiones dicatur *Collecta* de Feſto illius diei, exceptis Proceſſionibus Vigiliarum Paſchæ & Pentecoſtes, quæ non fiunt in Domibus Sanctimonialium.

De geſtu Monialium in Clauſtro, & de exitu inde prohibito; & de ſignis iracundis, & lingua latina prohibita.

XXV. FEſtivis diebus, & Feriis, tempore lectionis, omnes Moniales, Officialibus exceptis, Orationibus in Eccleſia, vel Lectioni, ſeu Meditationi communiter vacent in Clauſtro reſidentes, ſub voto & Profeſſione, quam Deo fecerunt. Quæ cùm ſederint in Clauſtro, in quocumque latere ſederint, collaterales ſedeant non fronte oppoſita, ſed tergo unius alterius vultui verſo, niſi fortè in eodem libro lecturæ ſunt, vel inſpecturæ, vel in uno eodemque panno fuere contigerit & hujuſmodi. Quod ſi minor ambitus Clauſtri in oppoſita parte aliquas ſedere compulerit, nemo accuſare præſumat, quas neceſſitas excuſat. Nulla ſibi aſſumat licentiam dare cuiquam egredi de Clauſtro, excepta Præpoſita & Subpræpoſita, niſi aliqua matura ad hoc deputata, ſi ipſa & Subpræpoſita abſentes fuerint. Egredientes ſine licentia, exceptis officiis diverſis deputatis, in Capitulo vapulabunt, niſi manifeſta neceſſitas culpam excuſare ſufficiat. Nulla tranſiens per Clauſtrum, alicui ſedenti inclinet, niſi Præpoſitæ, cùm interfuerint mandato & collationi. Nec ulli literatæ poſt *Primam*, ſine libro, licet ſedere in Clauſtro. Si qua otioſa ad librum ſederit, aliquod opus injungatur ei à Subpræpoſita, vel à Clauſtri Scrutatrice. Licet omnibus mutuo honore inclinando capita ſibi prævenire, ex quo dies illuceſſerit. Caveatur ab omnibus, ne qua iracundo vultu, vel torvo aſpectu, in Clauſtro vel extra alteri ſignificet. Quæcumque in hoc vitioſa reperta fuerit, in area Refectorii, ſine mapula & menſa comedat, ut confundatur, & pœniteat. Caveant omnes ſignificare in Clauſtro ſicut in Dormitorio, niſi neceſſitas poſtulet aliqua hoc fieri. Quod ſi aliqua vitioſa in ſignis otioſis, & hujuſmodi deprehenditur, in Capitulo culpa puniatur, ut deleatur.

Omnino prohibemus Latinam linguam inter omnes, niſi conveniens occaſio compellat. Quæ autem fecerit, diſciplinetur in Capitulo, vel in pane & aqua pœniteat. Silentium verò firmiter ubique teneant, nuſquam interloquentes niſi ordinata licentia petita & accepta; congruis ſcilicet locis & temporibus. Quæ verò in infractione ſilentii vitioſa fuerit reperta, Monialis vel Soror, & ſupraſcriptum eſt, in ſcriptis Canonicorum Capitulo XXIX. plenè ſatisfaciat. Sed ſi qua Monialis vel Soror Sorori ſuæ maledixerit, vel aliquam opprobriis ſeu conviciis, aut criminum objectionibus, aut litibus inhoneſtis verbis vel ſignis affecerit, à perceptione corporis Chriſti privata in ultimo gradu pœnitens Magiſtro præſentetur, graviter & turpiter affligenda, ut cæteræ ſuper delicto ſimili ſibi caveant.

Et cùm firma fidelitas inter omnes Religioſos & Religioſas debeat obſervari, & furtum arctius evitari, prohibemus ſub anathematis interminatione, ne aliqua Monialis vel Sororem aliquam glandem vel minimam non ſuam alicubi occultè capiat vel furtim ſubtollat; aut ſublatum aliquatenus retineat. Quod quæ fecerit, & rem ſublatam audita publica admonitione renuerit, & clanculò vel publicè rem alienatam & quæſitam non rejecerit vel reddiderit, ſi deprehenſa vel convicta fuerit, non fiat pro ea poſt ipſius obitum, ſicut pro Moniale vel Sorore, niſi in extremis agens, vel ante publice pœnituerit. Idem inter Canonicos & Fratres pro modo ſuo firmiter teneatur. Quidquid ſuperius ſcriptum eſt de geſtu Canonicorum in Clauſtro, quod deceat & convenienter poſſit ſervari, inter Moniales firmiter obſerventur.

De mandato Monialium, & Sororum in Cœna Domini.

XXVI. IN Cœna Domini Sorores cum Monialibus intereſſe debent mandato. Ad mandatum pauperum non dicatur *Miſerere mei Deus.* Panni verò manuum & pedum ad mandatum in Clauſtro poni debent. Peracto mandato, non bibant Sorores, nec venias ſumant, ſed in Cella ſua, dicto *Completorio*, eant dormitum

mitum. In Cœna Domini Servitrices Latricibus deputantur hoc modo; Præpoſitæ duæ, cæteris unicuique una, quæ aquam & linteamina ſufficienter eis adminiſtrent. Quotiens autem Subpræpoſitam tranſierint, tam Præpoſita quàm cæteræ inclinent. Peracto itaque officio, Præpoſita ſibi ſervientium pedes lavet in Capitulo, cæteræ ſibi invicem lavent. Noviſſimè vero una de eis, quæ ſibi ſervierint, videlicet in Ordine Senior, lavabit pedes Præpoſitæ, & alia tergat & oſculetur. Poſt hæc tam Præpoſita quàm cæteræ ſibi viciſſim aquam in manibus fundant.

De adoratione Crucis à Monialibus, & Sororibus in Paraſceve, & mundatione areæ Eccleſiæ, Clauſtri, & Capituli.

XXVII. IN Paraſceve aptetur convenienter locus in Eccleſia Sanctimonialium, ubi ponatur Crux adoranda, quam ibi ponant duo maturi Canonici. Quibus egreſſis, adorent duæ ſimul. Poſtquam verò omnes adoraverint, tàm Moniales, quàm Sorores, Sacriſta percutiendo ad oſtium inter Chorum ipſarum, & Chorum Canonicorum firmatum Canonicis notificet jam omnes adoraſſe. Tunc duo prædicti Canonici, accedentes ipſam Crucem, elevent ſuper Altare Monialium, eam collocantes diſcoopertam; & ſic uſque poſt *Veſperas* remaneat; & ſic ipſis in Chorum Canonicorum revertentibus, adorata jam Cruce ab omnibus, incipiant, qui ad hoc aſſignati fuerint in Choro Canonicorum, *Super omnia* &c. Crucem, quam adoraverint Canonici & Fratres, ſuper Altare Canonicorum ponentes: Ipſo verò die *Veſperæ* tacitè dicantur. Completo officio, licet ablutos pedes pannis mandati tergere. Ipſo die mundent aliquæ Sororum aream Eccleſiæ, dum Moniales refecerint. Clauſtrum & Capitulum, poſt *Completorium*. Idem faciant Fratres ex parte Canonicorum.

De area Capituli non ſternenda; & Clauſtro, & Capitulo ornandis.

XXVIII. IN Sabbato Paſchæ non ſternatur area Capituli de aliqua re, antequam Capitulum teneatur, niſi fortè madida ſit area. In intervallo verò, quod ſit inter *Nonam* & *Miſſam* Subpræpoſita Capitulum & Clauſtrum ornabit.

De tabula ſcribenda, & Collatione, & pœna amittentium benedictionem Collationis.

XXIX. TEmpore laboris non ſcribatur tabula Capituli, niſi occaſio neceſſaria hoc fieri permiſerit. Præcentrix quoque præparet librum Collationi. Sanctimoniales, ſi aliqua occupatione impediente benedictionem Collationis ſua incuria perdiderint, eodem modo ſatisfaciant, quo & Celleraria, ſi omnino Collationi defuerit; videlicet inchoante Hymno *Completorii* ad gradum ibunt; eodem modo ſe habentes, quo illæ de Choro ſe habent, quouſque hora terminetur, & oratio quæ ſequitur. Quæ legerit ad Collationem, non mutet locum ſuum, quouſque dicatur à Præpoſita *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.*

De Præcentrice & ejus ſolatio, & armario librorum, & libris ſine licentia omnino non ſcribendis vel habendis.

XXX. CUm Præcentrix ſervierit in Coquina, ſolatium ejus armarii clavem habeat. Armarium verò librorum ſemper firmetur, cùm lectionis tempus non fuerit. Præcentrix, finito XXX. die defuncti, notum hoc faciat in Capitulo. Ipſa etiam & ſolatium ejus, in prima Dominica Quadrageſimæ, finito Capitulo, dividant libros ad juſſum Præpoſitæ. Poſt diviſionem librorum ſumant venias, quæ non perlegerint libros ſibi traditos, in anno præterito. Deinde Præpoſita ſtatuet, quæ diligenti cura cuſtodiant Clauſtrum & Religionis rigorem. Poſtea orationem, quam facturæ ſunt Monachæ, per totam Quadrageſimam injunget

junget eis. Orationem verò, quæ Conventui injungitur in initio Qradrageſimæ, ſi Coquæ, vel aliæ non perſolverint ante *Tertiam* in die Dominica, non ideò venias ſumant. Nulla verò de noſtris librum ſibi aſſumere præſumat, quem altera habuerit. Si verò ei valde neceſſarius fuerit, à Præpoſita, vel à Subpræpoſita, vel Præcentrice cautè petatur, ne fortè Sanctimonialis offendatur. Libros tamen ad Divinum officium ſibi aſſumere Hebdomadariis licet. Nulla etiam de noſtris præſumat libros aliquos, vel orationes, vel meditationes ſcribere vel ſcribi facere, ſine aſſenſu Prioris omnium, vel Scriptores conducere & retinere in Eccleſiis Monialium. Qood ſi aliqua contra hoc facere præſumpſerit, Ordinis vel poteſtatis ſuæ, ſi Officialis fuerit, periculo ſubjaceat, & flagello gravioris culpæ reatum luat. Et quod ſcriptum eſt ad Prioris omnium voluntatem, ad aliam Domum transmittatur; & ipſa quæ ſcripſit vel ſcribere fecit, & Domus illa illo ſcripto in æternum careat. Libri tamen ad Divinum Officium ſcribi permittuntur.

De Refectorio Monialium; & quomodo ſe habere debent in refectione, & de cibariis inde non efferendis.

XXXI. AD oſtiom Refectorii ſedeat Monialis fideliſſima, quæ cum ingredientibus ad potum ingrediatur; videlicer cum minutis & non minutis. Quæ ſi defuerit minuta, alteri ſignificet, & cum ea intret & egrediatur. Quæ autem legerit ad menſam Monialium, ad menſam ſervientium dicat: *Jube Domne*, ante benedictionem. Quæ prior fuerit in ordine dicat benedictionem. Si fortè ipſa prior fuerit, alia in loco ipſius legat; & ipſa dicat benedictionem. Et poſtquam comederint, ipſa ſemper terminet lectionem, *Deus pacis*, &c. Si deeſt lectrix. Cùm verò cerviſia vel cicera defuerit, Coquæ deferant aquam in Refectorio. Quidquid ſuperius dictum eſt de Refectorio & de refectione Canonicorum, quod decenter conveniat, & poſſit juxta Regulam beati Benedicti, inter Moniales ſervari, firmiter cuſtodiatur, excepta quod cibi & potus illarum per oſtium poſſuot inferri & reliquiæ ad Cellarium efferri; & campana ad ſervitrices convocandas poſt refectionem Cooventus pulſabitur; & poſt earum refectionem ſimiliter.

In virtute ſanctæ Obedientiæ, ſub animarum periculo firmiter prohibemus, ne aliqua Monialis, vel Soror, panem vel pitantiam vel potum in Refectorio capiat, ſine licentia, vel efferat, aut efferri faciat, exceptis Præpoſitis & Cellerariis vel earum ſolatiis, quæ ſecundùm Ordinem efferre debent. Nec duæ de uno pane comedant, alium panem integrum reſervantes, ut illum pro voluntate alicubi erogent. Nec reliquias aucis vel gallinis, vel aliis avibus, aut canibus temerè diſtribuant. Minutæ micæ parvulis pullis Gallinarum erogandæ excipiuntur. Panis verò penuria, duas de ono pane comedentes excuſare poterit. Si qua autem literata vel illiterata, ſuper aliquo prædictorum convicta fuerit, in ultimo gradu ad adventum Magiſtri pœniteat. Quæ gratis fuerit confeſſa, corripiatur & mitiùs cum illa agatur, ſi in poſterum emendaverit.

De loquela in Auditorio Monialium prohibita. Et de veniis ipſarum & Sororum, in ipſo ſumendis; & de confabulationibus prohibitis.

XXXII. CUm hoſtis antiquus damna ſibi in Capitulo illata in Auditorio ſibi proponar reſtitui; rarum ingreſſum, ſed neceſſarium, in Auditorio noſtris concedimus; videlicet pro veniis ſumendis, cùm ratio permiſerit. Et ſi qua loquenda ſunt, quæ ſignis indicari nequeunt, vel ſi quid fortè emerſerit, quod conſilio tractari opus ſit, cum ſummis etiam Scrutatricibus, vel alia matura; vel ſi qua fortè nobilis ſupervenerit, Sæcularis vel Religioſa, noſtræ vel non noſtræ Profeſſionis domeſtica loqui ſuſtinemus. Quæ venias ſuſcipit, ſi plures confitentes affuerint, ſedeat. Sedeant etiam, quæ cum ſupervenientibus Hoſpitibus loquuntur, vel cum Scrutatricibus. Cæteræ ſtantes loquantur, niſi manifeſta infirmitas & gravis oeceſſitas miſericordiam mereatur. Completo negotio, pro quo ingreſſæ fuht, citò exeaot niſi à Præpoſita

ſita detineantur. Sorores ſumentes venias, in Auditorio vel in Capitulo breviter ſumant; videlicet quamdiu ſemel moderatè *Miſerere mei Deus*, dici poteſt. Quo dicto ab aliqua, ipſa ſignum ictu faciat, & terminatur ſermo in Auditorio. Aliter facientes in pane & aqua pœniteant, cum ea cui confitentur. Confabulationes enim & vaniloquia inter Sorores omnino interdicimus & condemnamus; Similiter & inter Fratres. Quæ vitioſa in hoc reperta fuerit, verberibus & abſtinentia eſcæ corripiatur, & contemptibilis ab omnibus habeatur & vitetur. Præpoſita loquente in Auditorio cum duabus nulla ingrediatur, niſi ab ea vocata, cauſa cogente aliqua; ſi non vocata venerit, in Capitulo vapulabit, vel in area Refectorii in pane & aqua pœnitebit, niſi ex ignorantia hoc contigerit. Similiter quæcumque ingreditur Hoſpitium Hoſpitum, ſine ejus mandato, Hoſpitii cuſtodibus exceptis. In Auditorio etiam, cui ipſa juſſerit, Moniales ſtando docere convenit expoſitionem Regulæ. Quidquid ſuperius ſcriptum eſt in ſcriptis de Canonicis, de Auditorio, Calefactorio, Dormitorio, Infirmitorio, & Infirmis, minutione & minutis, quod rationabiliter poſſit, & quod deceat Religionem & Fœminei ſexus honeſtatem, firmiter ſuo modo inter Moniales & Sorores, pro loco & tempore teneatur, & è converſo.

De Coquis & Coquina Monialium; & de Cura Fratris feneſtræ, & Hoſpitalis, circa neceſſaria Coquinæ providenda, & ingreſſu Coquinæ prohibito.

XXXIII. SI una ſola Monacha ſervitura eſt in Coquina, cum illa benedictionem ſumet, quæ in futura hebdomada ſerviet in Coquina. Quæ verò exit de Coquina, cum illa ſumet benedictionem, quæ in præterita hebdomada ſervivit in Coquina. Si qua etiam ſuſceptura eſt benedictionem, alia pro ea dicat *Benedicamus* in Choro, ſi ſuum eſt dicere. Soror verò de Coquina, & quæ deputantur ei in auxilium, completis *Matutinis* ſuis hyemis tempore Feſtivis diebus, tali hora de Eccleſia exeant, ut miniſterium de Coquina eis deputatum, benè valeant adimplere. Ipſa verò Soror Coquinæ menſæ Sororum non miniſtrabit, nec illa horam inchoabit.

Cum autem Sorores jejunabunt, non ingrediantur Coquinam Servitrices ante horam *Primæ*, hyeme vel æſtate. Caveant omnes, ne ſine permiſſione Cellerariæ, propriam ſequentes voluntatem aliquid in Cellario capiant, Ordinis contemptrices ne fiant. Exeuntes verò de Coquina, vaſa Coquinæ cum Scapulari tradant; recipientes, cum cuculla recipiant. Sorores verò, quæ debilitate gravantur, à Coquina excludantur, & ab omni officio in Eccleſia. Ad curam Fratris Feneſtræ, & Fratris Hoſpitalis, & Hortulani pertinet præparare, quæ neceſſaria fuerint Sororibus ad Coquinam; videlicet aquam, ignis materiam, & olera, & hujuſmodi, quantum valetudo permittit, & ſitus loci permiſerit, cùm opus habuerint. Nulla ingrediatur Coquinam, exceptis Præcentrice, ad planandam tabulam, ad calefaciendum incauſtum, & Scriptricibus ad ſiccandum pergamenum, & Sacriſta vel qualibet alia pro accendendo lumine in Eccleſia, vel prunis in thuribulo, vel patella imponendis, vel ſale benedicendo. Sed nec iſtæ intrare debent, ſi in Calefactorio ignem ſufficienter invenerint; & exceptis Coquis & Infirmaria, pro officio ſuo; & illa quam aliqua de Coquis vocaverit ad ponendam ſuper ignem caldariam, vel deponendam; Calefactorium verò poſſunt ingredi, ad illa, quæ ſupradiximus facienda; & ad minuendum ſe & ad calefaciendum. Notandum tamen, quia has Officinas ingredi poterunt illæ, quæ ſecundùm Regulam per annum circumeunt Clauſtrum Monaſterii.

De Hoſpitio mulierum, & ejus cuſtodibus. Et de generali prohibitione loquendi in eo. Et de mandato Hoſpitum, & de puero maſculo non intromittendo.

XXXIV. QUæ recipit Hoſpites advenientes, ipſa ſermonem Hoſpitibus faciat. Si nocturnalibus calceatur, altera quæ non calceatur ad Hoſpitium eas ducat. Panni ad pedes Hoſpitum in Hoſpitio ſerventur. Hoſpitium fœminarum Cur-

ti Sanctimonialium incluſum ſit, viis & aſpectibus earum excluſum. Nec ulla de noſtris ingrediatur Domum Hoſpitum illis præſentibus, ſine licentia, exceptis Præpoſitis, & his quæ ad hoc deputatæ fuerint. Hoſpitales verò Sorores, in Oratorium introducere Hoſpites poſſunt, Hoſpitibus paratum; dum Moniales debitum horarum perſolverint, ſed reducant eas, antequam de Choro exeant. Provideantur diſcretæ & maturæ Sanctimoniales, duæ vel tres, quæ Hoſpitio præficiantur, & cum Hoſpitibus honeſtis & nobilibus loquantur, cùm advenerint. Sorores tamen Hoſpitibus ſerviant, & in Hoſpitio miniſtrent; & res Hoſpitil cuſtodiant: & in Hoſpitio jaceant, cùm opus fuerit, non Moniales. Sed ſi Hoſpites quoquam intra Curtem Sanctimonialium ducendæ ſunt, de licentia Præpoſitæ à Monialibus ducantur. Prohibemus ſiquidem in virtute obedientiæ, ne aliqua literata vel illiterata præſumat alicui Hoſpiti, nobili & ignobili, dare carnes ad manducandum, ſine ſpeciali licentia Magiſtri. Nec aliquam balneare, vel minuere, vel ultra unam noctem retinere, vel in Refectorium aut Infirmitorium Monialium vel Sororum ad manducandum vel potandum ducere ſine licentia Præpoſitæ: Quod ſi qua fecerit, corripiatur ſemel & ſecundo, & niſi ſufficienter emendaverit, ab obedientia ſibi credita inhoneſtè deponatur, & præſumptionem ſuam gravi jejunio & verbere multiplicato luat. Cæteræ non egrediantur de Clauſtro ſine licentia.

Si verò aliqua Hoſpitum cum parentibus ſuis noſtri Ordinis, maſculis, vel cum ſuis, qui cum ipſa venerint, dum penes nos eſt, loqui voluerit, cum noſtris ad magnam feneſtram loquatur, vel in receſſu ſuo ad Hoſpitium foras, vel ad portam cum teſte ordinato. Cum ſuis verò ad parvam feneſtram, ſi nobiles fuerint, vel advocatæ, ſi Prior viderit oportere. Præpoſitæ noſtræ & Cellerariæ, & quæ præſunt ſubſtantiæ Domus, non loquantur cum parentibus, vel notis ſuis, niſi aliquæ aliæ maturæ præſentes fuerint, quæ audiant; videlicet ſummæ vel annuæ Scrutatrices, vel Clauſtri Speculatrices, vel aliæ Religioſæ Zelum Ordinis habentes. Licet tamen Præpoſitæ in Hoſpitio Fœminarum, cum honeſtis mulieribus loqui cum teſtimonio aliquarum prædictarum, & non aliter. In Hoſpitio Hoſpitum Moniales vel Sorores cum licentia loquantur, & hoc rarò fiat, ratione cogente; ſcilicet ut declinetur offenſio, damnum & odium magnarum Fœminarum. Nullam de noſtris permittimus cum peregrinis loqui mulieribus, Hoſpitali Sorore excepta. Nulla Sanctimonialis à mandato Hoſpitum excludatur, niſi infirmitate gravata. Nec pulſetur tabula ad mandatum Hoſpitum, ante Conventus ingreſſum in Dormitorium. A cuſtode Hoſpitum tabula pulſabitur ad mandatum. Hoſpitalis Soror, dum ſola fuerit, cum Hoſpite in Hoſpitio pauca & honeſta loquatur. Si altera matura præſens fuerit, ſicut ſtatutum eſt, cui ſilentium indicitur, illa audiente loquatur cum Hoſpite, quæ deceant, & alloquenti reſpondeat. Si fortè Hoſpita puerum maſculum in Hoſpitium noſtrarum ſecum caſu duxerit, nulla de noſtris, ſi ſcierit, ingrediatur. Ingreſſa feſtinè egrediatur, niſi puer maſculus omnino excludatur. Quod ſi aliqua ſcienter contra hoc facere præſumpſerit, trinæ diſciplinæ in Capitulo ſubjaceat, & tribus diebus in pane & aqua pœniteat; & illud delictum Priori omnium manifeſtum fiat.

De parvulis Novitiis, & earum Magiſtris. Et loquela cum eis prohibita. Et de ætate ſuſcipiendarum, & Profeſſione earum.

XXXV. Nulla loquatur cum parvulis, nondum Novitiis, niſi Præpoſita & earum Magiſtra, vel cui Præpoſita juſſerit, magna & manifeſta neceſſitate cogente. Cæteras verò Monachas cum Novitiis loqui abominabile judicamus, ſi ſine damno vel periculo poteſt vitari. Et quidquid ſuper hoc faciendum eſt, in Prioris omnium & Majorum pendet arbitrio. Nulla recipiatur inter noſtras, niſi prius fecerit moram in Hoſpitio Sororum per aliquot dies; ut ſciant & probent animum ejus, & cognoſcant de ſanitate corporis & mentis deſiderio, ad pondus tanti laboris & tam diſtrictæ Religionis. Et non cogantur aliquam recipere, quam non ſuſcipiendam probaverint. Novitiæ autem in Capitulo ſuſcipiendæ, à duabus Monialibus introducantur, & ſcrutellæ earum ab ipſis abluendæ ſunt. Hoſpitalis Soror, die qua recipienda eſt Novitia, in Hoſpitio loquatur cum ea, prout convenit. Præpoſita autem in

Audi-

Auditorio, antequam introducatur in Cellam Novitiarum, omnia aſpera ei prædicet, ut probet quanto deſiderio ad pondus tanti laboris, & tam diſtrictæ Religionis aſpiret & Ordinis gravitatem. Non admittatur aliqua in Monialem, minus quàm plene duodecim annos ætatis habens. Nec fiat Novitia niſi adulta quindecim annorum. Nec admittatur ad Profeſſionem, donec Pſalterium, Ymnarium, & Cantica bene cordetenus ſcierit & Antiphonarium cordetenus reddiderit, ſi circa viginti annos ad Converſionem venerit. Si verò viginti annos ætatis habentes vel amplius ad Converſionem venerit, ad omnia præmiſſa non cogantur, ſi habilioris & ſubtilioris ingenii fuerint, ita ut præmiſſa ſine magna difficultate complere poſſint, ſed de conſilio Magiſtri cum eis diſpenſetur.

Nec eant ad laborem continuè Novitiæ Monialium, donec Servitium ſuum reddiderint, & ſcierint. Magiſter ad Altare Monialium celebret, quotiens Novitiæ Monialium Profeſſionem ſunt facturæ, ſive Feſtum ſit, ſive Feria. Novitiæ Monialium, poſt Confeſſionem Magiſtro factam, octies in anno, ſcilicet quando Sorores communicant, communicabunt. Cætera verò quæ ſuperius in Scriptis Canonicorum Capitulo ſecundo continentur, inter Moniales, prout decet, & poteſt fieri, firmiter & plenè cuſtodiantur. In hyeme introducantur Novitiæ in Cellam Novitiarum ante *Miſſam*, in æſtate ante *Primam*; & ingredienti dicatur: *Ingredere Soror ſi vis, aſpera & dura pro Chriſti amore paſſura.* Quibus licet, ſi Præpoſita voluerit, alba vela habere, & in Eccleſia ad Miſſas in ultimo gradu in ſtallis vacuis ſtare. Si qua venerit ad Converſionem, ut Monacha fiat, & Præpoſita vel Magiſtra Novitiarum viderit eam ad officium in Eccleſia non poſſe doceri, antequam recipiatur, dicatur ei, quod inter Laicas Monachas, ſicut una earum ad opus manuum deputabitur, dum literatæ officium Eccleſiæ prævidere ſtuduerit. Quod ſi libens annuerit, ad Monacham ſuſcipiatur: Si verò renuerit, diſcedat, niſi ratio vel manifeſta occaſio faciat, ne diſcedat. Licet Novitiis, ante factam Profeſſionem, de vita Sanctimonialium, ad Sororum vitam laborioſam tranſire; de vita autem Sororum ad Sanctimonialium non licet.

Si qua Magiſtra Novitiarum ſervierit ad menſas, non loquatur interim cum Novitiis; nec in earum Cellam ingrediatur. Per oſtium tamen licet introſpicere & videre, utrum ſe ordinatè habuerint. Non licet ei de aliquo opere faciendo licentiam illis dare, nec in Cella earum poſt *Veſperas* loqui, niſi caſu aliquo tempus lectionis perdiderit. Nec venias Novitiarum privatas ſumere, nec eas diſciplinare ſine juſſu Præpoſitæ, niſi Magiſter aliter juſſerit; quo jubente, hoc ordinatè facere poteſt. In hyeme, cùm ratio exegerit, Magiſtra Novitiarum, Novitiis quæ facturæ ſunt Profeſſionem, Regulam exponat ante *Tertiam*. Quod ſi fortè ante *Tertiam* non expleverit, poſt Capitulum, licet ei cum cuculla quod reſtat exponere. Raro concedatur Novitiis à Magiſtro earum in Auditorio reſidere, tempore ſibi credito, ad Novitias Monachas de Ordine inſtruere. Antequam pulſetur nola Refectorii non dicant Novitiæ *Benedicite* ad cibum, nec Sorores, ſi ea hora refecerint, qua & Moniales, nec manus abluant, antequam pulſetur à Præpoſita. Si Novitia infirmitate tacta de Eccleſia egrediatur, quæ Monachas infirmas ſequitur, eam ſequatur, Quæ autem infirmantur, non poſſunt cum aliis Novitiis eſſe, niſi velum vel paries interponatur. Illæ quæ miniſtrant infirmantibus, loquantur cum eis. Infirmæ autem cum miniſtrantibus ſibi neceſſaria loquantur. Quidquid ſuperius ſcriptum eſt in ſcriptis de Fratribus de eorum Capitulo, & Horis, Feſtis, Refectorio, Infirmitorio, ſilentio, & aliis Ordinis obſervantiis, quod rationabiliter poſſit in ſexu fœmineo ſervari, firmiter inter Laicas Sorores obſervetur, & è converſo.

Incipiunt Inſtitutiones de Laicis Sororibus.

De Laicis Sororibus, & earum veſtibus; & lectis, & horis, & communione, & de tota ſerie vitæ illarum.

I. NUlla ad habitum Sororum admittatur, minus quàm viginti annos ætatis habens. Suſceptæ ſtatim aſſignetur aliqua Soror diſcreta, quæ ipſam ordinem vivendi & modum laborandi doceat. Et laboribus utilibus ſtatim aſſignetur. Quæ cùm illa, quæ ad ordinem illarum ſpectant, didicerit, ſi obediens, humilis & devota reperta fuerit, poſt annum plenè peractum in probatione vel ampliùs profiteatur: Cujus Profeſſionem Magiſter in pallio exiſtens die feriali ad Altare Monialium accipiat. Profeſſa, laboribus ſibi aſſignatis diligenter intendat; obedientiam, devotionem, reverentiam & honorem Monialibus ſemper impendat, & modis omnibus pro poſſe ſuo neceſſitatibus illarum in rebus, quibus illarum debilitas indiguerit, diligenter ſine omni murmuratione aut contradictione devotè ſubveniat, ut à Deo remuneracionem, & à ſuis Superioribus gratiam valeat promereri. Prohibemus etiam in virtute obedientiæ diſtrictè, ne Sorores cerviſiam facientes, vel in Coquina exiſtentes, vel aliis Officinis ſervientes, in laboribus ſuis inchoandis Moniales expectent, vel labores ſuos uſque ad adventum Monialium differant, ſed ſtatim labores ſuos incipiant & faciant, quàm citius rationabile tempus affuerit, auxilium Monialium accepturæ, ut à beato Gilberto inſtitutum eſt; quibus & Moniales temporibus congruis diligenter, ut decet, aſſiſtant, & auxilium devotè ſubminiſtrent.

Sororibus cum palliis in Eccleſia conſiſtentibus, Feſtivis omnibus diebus, quibus Moniales non laborant, Moniales ad aliquem laborem manuum nullatenus exeant, niſi laboris gravitas Sororum vires excedat; vel temporis & laboris brevitas auxilium neceſſario Monialium exigat. Tunc enim oportet & decet ipſas illis auxiliari. Si qua verò Soror Laica, lixivium vel aquam calidam, vel utenſile aliquod, vel aliud quid inopiæ Monialium neceſſarium denegaverit, vel lixivium tempore meridiano vel tempore intervalli, vel poſt *Completorium*, ut Monialibus occultetur, faciat, vel pepla & vela earum nigrare, vel alia minuta & ordinata, quibus ipſarum neceſſitas ordinata carere non poteſt, ipſis miniſtrare contempſerit, corripiatur ſemel & ſecundo, & niſi emendaverit, in ultimo gradu pœnitens, omni ſexta Feria, in pane & aqua à corpore Chriſti ſeparetur, niſi pro mortis periculo Magiſtro præſentanda. Item ſi Sorores ante tempus ſibi ſtatutum Eccleſiam de nocte vel die ſine licentia intraverint, vel ibidem diutius, quàm ſibi ſtatutum eſt, moram fecerint, ſemel & ſecundo correptæ, ſi non emendaverint, ab ingreſſu Eccleſiæ per XXX. dies ſuſpendantur.

Omni die Feſtivali, quo Moniales non laborant, aſſignetur Soror una Coquinæ, præter illas, quæ in ea miniſtrant, per hebdomadam in auxilium Monialium, in Coquina miniſtrantium; videlicet ad olera ſecanda, & alia neceſſaria facienda. Filum ad ſutorium opus neceſſarium à Sororibus aſſidentibus, magnæ feneſtræ verſatili fiat. Prohibemus item in virtute obedientiæ, ne Sorores Laicæ tunicas ſubtiles de ſayo lude, pro infirmitate ſui corporis habentes, eis manifeſtè in caputiis exiſtentes, utantur, ſed ſub aliis tunicis, vel ſub earum palliis. Item Capitulo Sororum, quod omni Dominica, & bis in hebdomada debet teneri, una Præpoſita, vel Subpræpoſita, cum annua Scrutatrice, & una Clauſtri Speculatrice, vel alia Moniali matura & ordinata interſit, ut teſtimonio illarum trium, ſi quid in eo, quod Deus avertat, inordinatum emerſerit; videlicet litis, murmuris, inobedientiæ, contentionis vel contumaciæ ſufficienter poſſit probari, & probatum regulariter emendari. Scrutatrix quidem vel Speculatrix non habent in illo Capitulo poteſtatem clamandi, niſi aliqua inordinatè ibidem loquatur; ſed Præpoſita & Subpræpoſita & Celleraria in eo clamare poſſent & debent.

Sorores operi aſſignatæ textrino, nihil inconſultis Præpoſitis texeant; vel telas textas in illarum abſentia ſcindant; nec omnino aliquid de alia Domo Ordinis, ſine licentia Magiſtri texendum admittant. Nec aliquæ Moniales vel Sorores aliquid texendum ad aliam Domum mittant; ſed ſi quæ filum ordinate ſibi adquiſierint, ad aliquod neceſſarium ſibi texendum, ea quibus regulariter indigent, Præpoſitæ ſuæ Domus, ſine

ſine difficultate texere faciant. Nec manutergia, vel pepla, vel vela, vel alia quæque à noſtris texta, Sæcularibus ſine ordinata licentia erogent, vel in ſæculum vendenda mittant, ſub pœna excommunicationis. Converſæ verò Laicæ Sorores veſtiantur ſicut Monachæ, cucullis & Scapulari exceptis; quorum loco habeant pallia de adultis agnis forrata; & caputia earum mamillas tegentia ad formam Scapulariorum Sanctimonialium, non caputiorum Fratrum. Pallia eis pro Coopertoriis computantur.

Omnes habeant mitras lineas de groſſiori panno, vel vetutiſſimo, qui non ſit ad vela idoneus, nigras & forratas de agninis pellibus. Omnes panni, quibus capita earum involvuntur, nigri erunt & groſſi. Similiter & vela earum. Lecti Sororum ſternantur, ſicut & Monialium, exceptis Coopertoriis & Culcitris. Licet omnibus, accepta licentia, minutas ſciſſuras pannorum ſuorum reſarcire; cùm acus habeant, & ſufficiant Sanctimonialibus & Sororibus duæ tunicæ, quouſque Fratres tres habeant. Cùm ſurrexerint Sorores à lectis, antequam aliquid operis faciant, dicant nocturnam ſynaxim; nec dicant *Primam*, antequam pulſetur. Quod ſi aliquod opus inchoaverint, antequam pulſetur, quælibet hora diei licet eis inchoatum opus finire, ſi ſine damno operis non poſſit differri. In die XII. lectionum, qua laborant Sorores, poſt ſextum Pſalmum excitentur à lectis. Ingreſſæ in Monaſterium, ſedeant ſuper miſericordias; & dicant ſolitam orationem, quamvis Monachæ ſtantes aliquid de divino Officio perſolverint. A Feſto omnium Sanctorum, uſque ad Cathedram ſancti Petri, omni die detur eis ante *Laudes* & *Primam* Sanctimonialium aliqua hora ſupplicandi, & devotioni intendere. A Feſto ſanctæ Crucis, uſque ad Feſtum omnium Sanctorum tali hora dicant *Primam*, ut poſſint mox tranſire ad opus manuum, dicta *Prima*.

Cùm Sorores dixerint horas, quamvis bis *Pater noſter* perdixerint, poteſt aliqua abſens ad horam ingredi. Si plures perdixerint, non ingrediatur, ſed per ſe debitum horæ perſolvat. Si qua horam prolongaverit, vel nimis abbreviaverit, corrigatur ab illa, quæ labori earum præfuerit. Omnes Sorores *Completorium* dicant ſimul, excepta Sorore feneſtræ, & quæ cum ipſa fuerint, vel aliis negotiis neceſſariis intricatæ, & tunc cum palliis, ſicut in intervallo orationis. Omni verò tempore, dicta *Prima* & *Completorio*, aqua benedicta ſe aſpergant. Die verò, qua Sorores habent communicari, ſi Monialis eſt communicanda, præcedat ad communionem. Sorores octies in anno communicabunt, ſicut & Fratres & eiſdem terminis. Novitiæ verò Sororum ter in anno, ſcilicet die Natalis Domini, die Abſolutionis, & ſancto die Paſchæ, & quotiens pro infirmitate opus fuerit.

De Novitiis Sororum, & earum Magiſtris, & Clamationibus Sororum.

II. NOvitiæ Sororum exeant de Capitulo earum, ex quo audiant dicere *Loquamur de Ordine noſtro*. Finito Capitulo Sororum ingrediantur Novitiæ, & ſumant venias ſuas, prius Sororibus egreſſis. Licet Magiſtræ, quæ præeſt Novitiis Sororum, poſt *Veſperas* Sanctimonialium cum ipſis loqui de Ordine, ſedendo. Clamores verò Sororum, vel de Sororibus non admittantur fieri in Capitulo Monialium, niſi delictum publicè fuerit commiſſum, erga aliquam Sanctimonialium. Soror tamen de Coquina, ſi peccaverit, à Celleraria clamabitur in Capitulo.

De Fratribus & Sororibus communicandis poſt Profeſſionem.

III. SI die laboris fecerint Fratres vel Sorores Profeſſionem, ſequenti Dominica Euchariſtiam accipiant, niſi aliqua cauſa impediat.

De refectione Sororum, & earum delicto in Refectorio corrigendo.

IV. ANtequam Prior earum ſedeat, Sorores non reſideant ad menſam. Soror, quæ dixerit horam, benedicat ad menſam, & *Miſerere mei Deus* inchoat, & *Kyrie eleiſon*. Quod ſi ſubita infirmitate occupetur, quæ ei in Ordine præeſt, ſuppleat vices ejus. Si fortè neſcierit, tunc illa quæ ſubeſt. Sorores miniſtrantes

ad menſam in Quadrageſima, & cæteræ earum, quibus cum Conventu non licet comedere, dictis *Veſperis*, poſt *Nonam* comedant. Soror, quæ ſervit menſæ, miniſtret ad potum. Si Sorores delinquerint ad menſam, in Capitulo Veſpertino inde venias ſumant, vel ſatisfaciant, ut Moniales. Si fortè aliqua perdiderit *Benedicite* ad menſam, pœniteat ſicut Moniales. In Feſtivis diebus, quando Moniales, ad biberes vadunt, eant & Sorores ordinatè ad ſuas biberes. Habeant & Refectorium. Accepta licentia licet ipſis poſt *Veſperas* bibere.

De labore Sororum.

V. Licet Sororibus, quæ intendunt cerviſiæ faciendæ, in ipſa Domo *Horam Matutinam* perſolvere. Si fortè Sorores in exteriori labore fuerint, illa, quæ præeſt labori, habeat aliquam vetulam, quæ de re neceſſaria cuicumque Sororum ipſa juſſerit, cæteris audientibus loquantur. Soror cuſtos laboris percutiet unum ictum, antequam dicat *Benedicite* ad menſam.

Incipiunt Capitula de Monialibus & Sororibus infirmis.

De Sacerdote Confeſſionis.

I. PRovideatur Sacerdos diſcretus, caſtitatis & Religionis amator; qui circumeat Domos noſtras Confeſſionem Sanctimonialium & Sororum ſuſcepturus ad feneſtram confeſſionis. Quo veniente ad aliquam Domorum noſtrarum, mandetur intus, Sacerdos Confeſſionis adeſt. Et ſi Præpoſita viderit neceſſarium, ut aliqua confiteatur, mandetur foras. Veniat ad Confeſſionis locum. In Domo verò ubi confitebitur, aſſideant duæ diſcretæ, ſemotæ à feneſtra, ut videant, qualiter ſe habuerit, quæ confitetur. Ipſe verò Sacerdos caveat, ne loquatur vana & Religioni contraria, vel confeſſioni non neceſſaria. Nec quæſtionem faciat, quæ ſit, vel unde, vel alia hujuſmodi; nec de ſe dicat quis ſit, vel unde venerit. Hoc etiam obſervetur per omnia ab his, quæ confiteri voluerint, & à cæteris. In parte verò, qua Sacerdos fuerit ſemotus, locus aptetur, unde aliquis videri queat, quomodo ſe ad feneſtram habeat. Feneſtra verò confeſſionis ejuſdem quantitatis fiat, quantæ & ſermonis cum parentibus, ſi fortè ad feneſtram ſermonis congruè non poſſit teneri Confeſſio. Nulla vero ei attribuatur obedientia, niſi Confeſſionis. Peracto officio ſibi credito, circumeat omnes Domos noſtras diligens executor obedientiæ ſibi creditæ. Et à Circatoribus provideantur ei quæque neceſſaria Religioni noſtræ congrua, unde poſſit haberi ſine diſcrimine & omni moleſtia. Ad quamcumque Domum venerit in charitate ſuſcipiatur, & deferatur ei ſicut Dei miniſtro. Ipſe generaliter omnes ad Confeſſionem admittat.

De feneſtra Communionis, & de Communione, & inunctione Monialium, & Sororum; Et de Canonicis eiſdem Officiis aſſignandis. Et de loquela cum Monialium Prioribus prohibita; & de Communione Infirmarum.

II. IN unaquaque Domorum noſtrarum præparentur feneſtræ cautè, ad communicandum Moniales & Sorores. Et provideatur locus in Eccleſia, vel in Infirmitoriis earum ad inunguendum eas, ita ut in quantum rationabiliter poteſt, vitetur viſus & propinquus acceſſus virorum, eo excepto qui Officium eſt completurus. Ad excitandum vel convocandum Conventum ad inunctionis officium pulſetur campana bis, cum moderato intervallo. Quo ſigno audito, conveniant omnes Canonici & Fratres in ſua Eccleſia. Ex quibus quatuor Canonici & unus Frater Laicus per Priorem, aut Subpriorem aſſignati, intrent officium expleturi, cæteris in Eccleſia remanentibus & ſeptem Pſalmos dicentibus. Quibus perdictis, poſt paululum recedant. Sacerdoti hujus officii licet infirmæ confiteri ſi voluerit, unctio, quæ ſolet fieri circa umbilicum infirmorum, fiat in pectore Sororum circa guttur. Unctio gulæ, in mento. Quod ſi fortè ad unctionis locum vitam finierit, pulſetur campana ter paulo prolixius, quàm ad inunctionem, & cum paulo majori intervallo. Ad

quod

quod ſignum conveniant omnes feſtinanter dicentes : *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem*, ut inferius ordinatum eſt.

Interim defunctæ corpus deferatur in Capitulum, vel ad alium aptum locum, ubi ornetur, prout decet, & ponatur in feretrum. Deinde deferatur in Monaſterium. Tres verò Sacerdotes maturi, de quibus nulla ſit mali ſuſpicio, aſſignati ſint per ſingulas Domos noſtras ad communicandum & inungendum Moniales & Sorores, juſſu Prioris ; & ad loquendum de Confeſſione ; ſi neceſſitas fuerit. Quod ſi nullus ex tribus nominatis adeſſe poterit, in diſpoſitione Prioris erit aliquem mittere maturum ad hoc opus & Miniſtros aſſignare. Et ſi plures Sacerdotes in aliqua Domo deſuerint, unus maturus Presbyter provideatur, de quo nulla ſit mali ſuſpicio ad hoc miniſterium, cui morti proximæ Sorores confiteri poterunt. Ipſi verò Priori Domus confiteri non licet. Omnis enim loquela adverſus Præpoſitas, vel quaslibet alias Ordinis noſtri Prioribus interdicitur, niſi in communi audientia vel communi Capitulo, cùm neceſſitas vel ratio poſtulaverit. Sacerdos Altari miniſtrans non communicet Sorores ; ſed unus prædictorum, quem Prior Domus juſſerit & viderit expedire. Duæ verò Moniales ſub mento communicandæ teneant linteum album, ſicut mos eſt noſtrarum.

Quæ infirmantur & ire poſſunt, in ordine ſuo eant ad Communionem. Et quæ infirmantur poſt Miſſam matutinalem, viaticum ſumant à Sacerdote Miſſam celebrante, niſi fortè infirmitas impedierit. Similiter & hæc quæ officiis præponuntur. Hoc autem dico, ſi alius Sacerdos non affuerit. Si verò plures affuerint, unus eorum, qui ad hoc aſſignati ſunt, juſſu Prioris Sacerdotalibus indutus, aſſumpta ſtola, his quæ communicandæ ſunt, viaticum miniſtret. Quæ verò non poſſunt cum cæteris ad Communionem ire in ordine ſuo, ad feneſtram Communionis, vel in Eccleſia Communionem accipiant. Quod ſi genus infirmitatis non permiſerit ad feneſtram plures efferri, duo de noſtris literatis honeſtis, & caſtitatis amatores cum Fratre maturo cautè ingrediantur, vitantes videre vel videri à Sororibus, vel à Clauſtralibus, in quantum licitè poſſunt, & ad hoc provideatur via congrua, ſi poteſt fieri, excluſa à viſu & acceſſu Clauſtralium.

De Monialibus Infirmantibus.

III. Quæ infirmitate tacta à Choro exierit, Præcentrix ei officium injunctum, cui voluerit, injungat. Nulla verò hora dicatur in Infirmitorio, antequam hora in Monaſterio inchoetur, excepta hora *Sexta* & *Veſpertina* ſynaxi in Quadrageſima. Quod ſi aliqua literata Monacha infirmata fuerit, altera, ſicut mos eſt, horas ei dicat, ſi literatæ abundavetint. Alioquin, ſufficiat ei hora, quemadmodum Sororibus.

De Infirmaria Monialium, & ejus ſolatia ; & loquela in Infirmitorio prohibita.

IV. Licet Infirmariæ Monialium ſolatiam habere, mulierem Laicam in albo velo, quæ ad nutum ejus Infirmis diligenter miniſtret, cibos paret, pannos illarum abluat, impotentes portet, cæcas ducat, & alia quæque infirmis neceſſaria faciat. Pro iſta fiet poſt obitum ſuum, ſicut pro Sorore, & communicabitur, ut Soror Novitia. Nullum officium deputetur Infirmariæ, vel ejus ſolatiæ extra Infirmitorium, dum aliqua graviter ægrotat. Licet Moniali Infirmariæ, usque ad poſt comunionem Miſſæ intereſſe, niſi aliqua Infirmarum neceſſitas illam impediat. Nulla Clauſtralis ſine licentia ingrediatur Infirmitorium, vel ibidem loquatur, niſi pro aliqua ſubita neceſſitate vocata fuerit. Si Infirmaria non poterit indicare ſigno quod infirmæ optaverint, veniat ipſa Celleraria in Infirmitorio, & ea audiente, dicat Infirmaria, quibus indigeat, & indigentibus in his, quæ poterit clementer ſubveniat. Infirmaria non ſerviat in Coquina, cùm graviter infirmantes habuerit. Ipſa verò det pacem infirmæ, cùm infirma dicat *Confiteor*.

De delilibus infirmantibus, & earum laboribus, & continuè languentibus.

V. INbecilles extra Infirmitorium exiſtentes, licèt non valeant intereſſe nocturnæ ſynaxi, occurrant tamen orationi ante horam dicendæ. Similiter cæteris horis, ſi non occurrerint, in Capitulo confiteantur. Si quam tetigerit ſubita infirmitas, non ſocietur Conventui in labore, niſi prius ſociata ei fuerit in divino officio. Quæ infirmantur, in Refectorio, vel in Infirmitorio tantummodo comedant & bibant. Hoc idem de Præpoſitis venientibus ad Capitulum, & cæteris omnibus fideliter ſervetur. Si qua infirmatur, quæ ſervire debeat, in Eccleſia vel in Coquina, vel alibi, cùm convaluerit, non exigatur ab ea, ut debitum obedientiæ reſtituat, quod pro infirmitate non potuit adimplere. Quæ infirmantur, non ingrediantur Eccleſiam ad orandum, præſente Conventu. Quæ infirmantur, non ſignificent ad menſas vel poſt *Completorium*, vel ante *Primam*, vel ad meridiem, niſi id moderata earum infirmitas compellat. Licet eis in Infirmitorio aliquid laborare vel legere, quamdiu in æſtate Conventus comederit.

Quæ laboraverint, cum Scapulari laborare poſſunt, & dormire per diem, nocte verò cum Cuculla. Quæcumque verò infirmitate tacta de Choro exierit, antequam *Venite* finiatur, licitè Infirmitorium ingrediatur. Licet infirmanti, quæ ambulare poteſt, cum ſupervenientibus parentibus ſuis loqui ad feneſtram, ſi Præpoſita viderit expedire, ſi ordinata fuerit. Moniales vel Sorores in continuo languore decumbentes, carnibus aſſiduè non veſcantur, ſed ſingulis majoribus & minoribus, bis vel ter vel quater in anno, ſi neceſſe fuerit, miſericorditer ſubveniatur, per XV. dies, vel paulo plus ſingulis vicibus. Omnes verò infirmantes, tam Moniales quàm Sorores, à lecto ſurgere valentes ſimul comedant, ſuis locis & horis ſtatutis, tam hyeme, quàm æſtate; & horas diei & noctis regulariter perſolvant. Si qua verò negligens, vel vitioſa ſuper his fuerit reperta, corripiatur ſemel & ſecundo: & niſi emendaverit, tanquam contumax Magiſtro præſentetur. Idem & eodem modo inter Canonicos & Fratres, prout decet & convenit, firmiter teneatur; & è converſo.

INDEX ALPHABETICUS
HISTORICO - MORALIS
VOCUM ET MATERIARUM
Hoc *ſecundo* Tomo contentarum.

A.

ABba ſeu *Abbates* præerant Monaſteriis in Ægypto, ſicut & ſingulis domibus Monaſterio ſubjectis. *pag.* 42.

Abbas Cadomenſis prius erat S. Lanfrancus. 343.

Abbas Cluniacenſis, quando obit, habet idem Officium cum Priore, aut Profeſſo defuncto in majore Carthuſia. 342.

Abbas Generalis Ord. Camaldulenſis declarationes in Regulam S. P. Benedicti, ſeu Conſtitutiones, nuncupat S Pio V. Papæ. 193.

Abbas Monachorum Pater, non Dominus ſit. 204. Non ſit nimis credulus, nec nimis parùm credens. 236. Quam paternè erga excommunicatos, & in pœnitentia conſtiiutos agere debeat. 236. Nullus conſtituatur apud Ciſtercienſes; qui juvenis nimium, & puerilis facie eſt. 397.

Abbas Camaldulenſium ſemper cum Fratribus in menſa communi reficiat, niſi hoſpitum adventus aliud requirat. 264.

Abbates Ciſtercien'es in Hibernia quarto quolibet anno tantum ad Capitulum Generale veniant, ita tamen, ut unus eorum ſingulis annis veniar. 409.

Abbates Scotiæ Ciſtercienſes quarto tantum anno veniant ad Capitulum. 399.

Abbates Ciſtercienſes jejunantibus reliquis Fratribus ipſi quoque jejunent. 404.

Abbatibus Ciſtercienſium extra Ordinis domos comedere, vel pernoctare non conceditur, niſi maximis de cauſis, ſub certa pœna. 398.

Abbatia Bellalandenſis Ordinis Ciſtercienſis apud Anglos celeberrima. 385.

Abbatiæ Ord. Ciſtercienſis novæ non extruendæ, niſi ad minimum 10. leucis Burgundicis diſteat ab Abbatiis ejusdem Ordinis. 395. ad minimum XII. Monachos habeant, cum Abbate XIII. 407.

Ablutio pedum pro hoſpitibus quomodo à Camaldulenſibus obſervetur? 261.

Abnegatio propriæ voluntatis Religioſæ vitæ Candidato eſt neceſſaria. 198.

Abrenuntiatio Religioſa eſt mortificatio & imago Crucifixi. 34.

Abſolutio Generalis Prælatorum apud Camaldulenſes ab omni regimine, dignitate, ac titulo, quomodo fiat? 288. PP. Viſitatorum à ſuo Officio apud Camaldulenſes quomodo fiat? 291.

Abſtinentia etiam à Paſchate ad Pentecoſten ab Antonio, Paulo, cæterisque priſcis Patribus obſervata. 74. Monachorum Ægypti quanta erat. 44. Quadrageſimæ in feria VI. quomodo à Ciſtercienſibus obſervanda? 399.

Accipitres ad capiendas aves, neque arcum ad percutiendas feras habeant Templarii. 438.

Acedia quid ſit? 2.

Achajus & *Hungus* Scotorum Regis Sæculo VIII. Hiſtorici, Ordinem Cardui in honorem S. Andreæ Apoſtoli inſtituerunt. 451.

Ægrotantium apud Monachos Ægyptios quanta erat cura. 44.

Ægypti Monaſteria duodenarium Pſalmorum numerum ab Angelo acceptum in Divino Officio obſervabant. 10.

Ægyptiorum Monachorum cucullæ quales erant, & quid deſignabant? 8.

Ætas ſuſcipiendorum apud Carthuſianos quæ requiritur? 322.

Agenda vocat S. P. Benedictus horas minores Officii Divini. 220.

Agnorum decimatio apud Sempringenſes penes Moniales ſit. 515.

Alalſi vulgo *Amalſi* urbs Italiæ ob inventionem acûs magnetici celebris. 441.

Alberici primi Abbatis poſt S. Robertum Ciſtercienſis Eccleſiæ electio. 388. Ille pro Privilegio Exemptionis obtinendo Romam ad Paſchalem Papam mittit, obtinetque. 388.

Alexandriæ primorum Chriſtianorum fer-

fervor deſcribitur. 11. Ibi Monachatus exordium ſumpſit. ibid.

Alleluja ad illos tantum Pſalmos, qui hanc vocem in titulo præferebant, dicebant Patres Ægyptii. 14. Quibus temporibus dicendum. 220. Una voce altiùs cantata in Monaſterio S. Paulæ in Bethleem convocabantur Moniales ad Synaxin, id eſt, ad Chorum. 54.

Ambitio prælationis quomodo punienda. 520.

Amort (Euſebius) Conſtitutiones Portuenſes ex manuſcripto Cod. Paſſavienſi Sæculo XII. ſcripto, luci publicæ donavit. 139.

Ἀναβολαί, ſeu *Rebrachiatoria* antiquum Monachorum veſtimenti genus. 8.

S. *Andreas* Apoſtolus Ordinis militaris *Cardui* Sæculo VIII. inſtituti apud Scotos Patronus. 451. Poſt B. Virginem Patronus tutelaris Ordinis *Aurei Velleris*. 451. In ejus Feſto primum Capitulum Ordinis *Aurei Velleris* celebratum fuit. 451.

Angeli Magiſterio Canon Generalis duodenarii Pſalmorum numeri Patribus Orientis conſtitutus eſt. 12.

Anglia XXII. Monaſteria Ord. Semprinġenſis numerabat tempore Henrici VIII. 467. Ibi Primas conſtitutus S. Lanfrancus. 343.

Animalia, quæ ad delicias haberi ſolent, ùt canes & aves &c. prohibentur apud Camaldulenſes in Monaſteriis nutriri. 210.

Anniverſaria Abbatum Ciſtercienſium in Capitulo pronuncientur. 398.

Anniverſarius D. Regis Francorum Ludovici, quomodo fiat in omnibus Monaſteriis Ord. Ciſtercienſis, decretum in Capitulo anno 1187. 405.

Annus primæ inſtitutionis Ord. Carthuſienſis qui fuerit? 310.

Antiqua Regula Monaſtica, incerti Anthoris, quo tempore ſcripta putant eruditi? 71.

Apoſtoli cur Dominicam diem ſanctiùs celebrari ſanxerunt? 72. SS. Petrus, Paulus &c. tanquam primi novi Teſtamenti Monachi cingulis præcincti incedebant. 7.

Apta Julia Epiſcopus S. Caſtor pro Monachis recens inſtitutis Regulas petiit à S. Joanne Caſſiano. 2.

Aquisgranenſe Concilium. *vide* Concilium. 93.

Archiepiſcopus Rhotomagenſis præ humilitate fieri recuſavit S. Lanfrancus, Cantuarienſis autem eſſe, licèt reluctans, compulſus eſt. 343.

Archimandrita erant Præſides Monaſteriorum Ægypti. 42. Quoad Officium, idem quod Abbates. 42.

Archiva Dunblanenſe & Dunkeldenſe multa Documenta Eccleſiaſtica Scotiæ conſervârunt. 63.

Armigero cuivis Templariorum tres equos habere licet. 436. Gratis ſerviens apud Templarios non feriatur. ibid.

Artes diverſæ olim in Monaſteriis exercebantur, Monachorum uſibus neceſſariæ. 57.

Artifices apud Canonicos Sempringenſes quæ obſervare debeant? 508. Apud Camaldulenſes quibus legibus artes ſuas exerceant? 264.

Arx Regularis olim habebatur Monaſterium Caſſinenſe. 80.

Avenatius panis quoties detur Carthuſiania per annum. 328.

S. *Auguſtini* Regulæ tres Monachis datæ. 121. Regula ſecunda Confratres & Monachos inſtruens de modo ac tempore orandi, legendi &c. 122. Regula tertia de vita communi Clericorum. 123. Forma, quam Fratribus, ſuo conſortio conjungi volentibus dedit. 127. Regulam modernam Canonicis Regularibus præſcripſit Innocentius II. in Concilio Lateranenſi Generali. 138.

Aurei Velleris Ordo nullis votis, aut Religioſæ Regulæ adſtrictus. 450. Quando, à quo, & ubi inſtitutus? ibid. Ordinis inſignia quænam ſint? 451. Supremum Magiſterium & Jurisdictio quomodo ad Reges Hiſpaniarum pervenit? 451. Ordinis Statuta priùs Gallicè ſcripta cur, & à quo in Latinum verſa? 452. Equites ab Ineunte Sæculo XVIII. regi ſolent tam à Regibus Hiſpaniæ, quàm ab Imperatoribus Germaniæ. 452. Nomine alluditur tam ad vellus Jaſonis, quam ad vellera variegata Jacobi Patriarchæ, & quare? 451.

Aureum Vellus, cur hoc nomine Ordo Equeſtris Philippi Ducis Burgundiæ appelletur? 450. Author Ordinis *Aurei Velleris* Philippus Dux Burgundiæ, qua occaſione, & quomodo eum inſtituit. ibid. Hujus Ordinis ſcopus & finis: ejusque ſingularis Patrona B. Virgo. 451.

Anthores primi Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani quinam fuêre? 441.

Authores primi Lectionis menſalis in Cœnobiis quinam? 27.

B.

Baculus à veteribus Monachis geſtatus, quid deſignabat? 9.

Baſilicas Ciſtercienſium dedicatas per novem dies poſſunt intrare fœminæ. 397.

Baucalis erat apud veteres Monachos vas fictile & potorium. 27.

Bec-

Beccenſis Monachus primò erat S. Lanfrancus. 343.

Bellalandenſis Abbatia Ord. Ciſtercienſis apud Anglos celeberrima. 385.

Benedicere quænam poſſint Prælati Camaldulenſes. 274.

Benedicite à juniore Monacho tranſeunti ſeniori, & aliis occaſionibus dicendum. 68.

Benedictionem Monachus egrediens aut rediens in ſuum Monaſterium, quando & quomodo recipiat, quando non in Monaſteriis Angliæ ſub S. Lanfranco. 373.

Benedictinæ Regulæ arctam obſervantiam in omnibus Angliæ Monaſteriis fieri mandavit S. Lanfrancus. 343.

S. *Benedictus* Anianenſis antiquam Regulam Monaſticam, uti & Regulam Joannis Biclarenſis ignoráſſe videtur. 71. In ſua *Concordia Regularum* meminit Regulæ Caſſiani. 1.

S. P. *Benedictus* Inſtitutiones S. Joannis Caſſiani laudat. 1. Ejus epiſtola ad S. Remigium Rhemorum Antiſtitem. 70. Ejus Sermo in morte S. Placidi. ibid. Ejus Sermo in diſceſſu S. Mauri & Sociorum. ibid. Ejus Regulam amplexi ſunt primi Carthuſienſes. 311. Eum ante S. Brunonis Canonizationem Carthuſiani recitando Confeſſionem Patrum appellabant. ibid. Juxta ejus Regulam Divinum Officium in Breviariis ſuis diſpoſitis adhuc etiam retinent Carthuſiani. ibid.

Bernardus Maſſilienſis Abbas Sedis Apoſtolicæ Legatus anno integro Hirſaugiæ permanſit. 82.

S. *Bernardus* Templi Salomonis in uſum Templariorum Militum conceſſi ornatum deſcribit. 429. Ad Hugonem primum Militum Templariorū Magiſtrum Opuſculum *de laude novæ militiæ ad milites Templi* transmiſit. 430. Clarevallenſis Abbas cum SS. Stephano & Roberto condidit Statuta Ord. Ciſtercienſis. 385.

S. *Berno* Cluniacenſis Monaſterii fundamenta jecit. 176. Ejus Diſcipulus S. Odo reformationem Diſciplinæ Monaſticæ feliciter perfecit. ibid.

Bladi excuſſio apud Sempringenſes, quid circa hoc obſervandum? 508.

Bona extra Eremum ſuam nulla poſſideant Carthuſiani. 325.

Bonifacii VIII. Papæ Bulla confirmatoria Ordinis Melitenſis. 445.

Breviaria videntur eſſe inventa pro iis, qui Chorum frequentare nequeunt. 214.

S. *Bruno* Ord. Carthuſienſis Author quis, qualisque fuerit? 310. Ejus vitæ brevis epitome. ibid. Mundo valedicens cum 6. ſociis ab Hugone Gratianopolitano Epiſcopo aſperos, ſterilesque Carthuſiæ montes, à Sigiano vero Caſæ Dei Abbate fundum obtinuit. 310. Veterum Anachoretarum Orientis fervorem etiam in Occidente excitavit. ibid. Oratorium B. V. M. quod à loco *Carthuſia* dictum eſt, exſtruxit. ibid. Ejus primi 6. ſocii ac adjutores quinam nominatim fuère? ibid. Ejus Epitaphii primi verſus. ibid. Ejus ſeceſsûs vera cauſa à diverſis diverſa diſputata, hactenus incerta manet. ibid. Eum Pontifex Urbanus II. ipſius quondam Diſcipulus Romam evocavit. 311.

Bulla Bonifacii VIII. Papæ confirmatoria Ordinis Melitenſis. 445.

Bulla Gregorii VII. S. Stephano pro novo Ordine Monaſtico inſtituendo conceſſa integrè exhibetur. 303.

Bullionæus (Gothofredus) Lotharingiæ Dux recuperatâ à Saracenis terrâ ſanctâ primus fit Hieroſolymitanorum Rex. 429.

Burgundiæ Dux Philippus, Ordinis *Aurei Velleris* Author. 451. Dux Carolus Audax, quid circa *Aurei Velleris* Ordinem ſtatuerit, & mutaverit. ibid.

C.

Cadomenſis Abbas erat S. Lanfrancus ante Archiepiſcopatum. 343.

Cæremoniæ in Refectorio Monachis obſervandæ quænam? 69. Ad Divinum Officium ſpectantes à Camaldulenſibus obſervandæ deſcribuntur. 213.

Calceamenta veterum Monachorum qualia erant, & quid ſpiritualiter ſignificabant. 9.

Camerarii in Monaſteriis Angliæ ſub S. Lanfranco in quo ſitum eſt officium? 370.

Campanæ à Campania Italiæ regione, ubi primæ fabricatæ erant, dictæ. 54. Campanæ Ord. Ciſtercienſis non excedant pondus 500. librarum. 397.

Cancellarius Ord. Equeſtris *Aurei Velleris* debuit eſſe Prælatus Eccleſiaſticus à prima Ordinis inſtitutione, dignitate conſtitutus: varia inſignia Privilegia obtinuit à Leone X. Papa. 452.

Canon idem olim fuit, ac Matricula Eccleſiarum Cathedralium, cui inſcripta erant nomina Clericorum ad eandem Eccleſiam pertinentium. 93. Nocturni Officii in Monaſteriis Orientis varius erat. 10.

Canonici dicebantur Clerici Eccleſiarum Cathedralium, & unde? 93. Eorum ſimul cohabitantium ſub certa Regula Congregationes quo ævo inceperunt? ibid. In Monaſteriis Monialium Sem-

pringenſium quomodo, & quot inſtituendi? 482. Eorum raſura in Monaſteriis Sempringenſibus quoties, & quibus temporibus in anno facienda? 486. Quomodo Officium Eccleſiaſticum peragant. Ibid. Metenſes primi erant, qui in communitate viventes acceperunt Regulam. 93. Quo ævo in communi vivere cœperunt? ibid. Hoc nomen ante Sæculum VIII. præterquam in Eccleſiis Cathedralibus ignotum. Ibid. Eorum *Prior* electus qualiter ordinetur. 145 Caveant, ne ſeducantur à tentationibus & transformationibus Dæmonum. 119. Regulares in variis Congregationibus ſub S. Auguſtini nomine, cur Statuta particularia in ſupplementumRegulæAuguſtinianæ ſibi condiderint. 128. Regulares Ord. S. Auguſtini quomodo directionem Ordinis Sempringenſis Monialium obtinuerunt? 468. Regulares quibus modis rigorem primævum ſui Inſtituti compenſare ſolent? 129. Pro eorum regulari vita Regulas ſeu Conſtitutiones piiſſimas conſcripſit B. Petrus de Honeſtis, quas ex Mſc. Cod. publicavit *Amort* Paſſavii. 139. Sempringenſes Monialium negotia ſibi commiſſa diligentiſſimè curent. 515. Sempringenſium fratres, circa quos varia obſervantur per plura capita. 500. Regularium Portuenſium vitæ methodus per totum annum deſcribitur, quoad abſtinentiam, jejunia, aliaque. 153. Sempringenſium exordium. 468.

Canonicus non facilè deponendus, niſi multis teſtibus convictus. 119.

Cantores in Monaſteriis Angliæ ſub S. Lanfranco, quodnam eorum officium? 368.

Cantuarienſis Archiepiſcopus & Primas Angliæ factus eſt S. Lanfrancus. 367.

Cantus in Eccleſia Monialibus Sempringenſibus prohibitus,& quare? 523.

Capellani Templariorum victum & veſtitum tantum habent. 433.

Capitula generalia ab exordio Ordinis ſui non videntur frequenter valde celebráſſe Ciſtercienſes. 385.

Capituli Generalis Ciſtercienſium Anno 1134. celebrati Statuta. 395. An. 1152. celebrati Statuta ibid. An. 1157. celebrati Statuta. 397. An. 1180. celebrati Statuta. 400. An. 1182. celebrati Statuta. 401. An. 1183. celebrati Statuta. Ibid. An. 1184. celebrati Statuta. 402. An. 1185. celebrati Statuta. 403. An. 1186. celebrati Statuta. 404. An. 1187. celebrati Statuta. 405. An. 1188. celebrati Statuta. 406. An. 1189. celebrati Statuta. 407. Anno 1190. celebrati Statuta. 409. An. 1191. celebrati Statuta. 411. An. 1192. celebrati Statuta. 413. An. 1193. celebrati Statuta. 414. An. 1194. celebrati Statuta. 416. 1195. celebrati Statuta. 418. An. 1196. celebrati Statuta. 421. An. 1197. celebrati Statuta. 423. An. 1198. celebrati Statuta. 424. An. 1199. celebrati Statuta. 425.

Capituli Congregationis Camaldulenſis publicatio, & abſolutio quomodo facienda? 298.

Capitulo in *Carthuſienſi* inter alia decretum eſt, ut pro D. Abbate Cluniacenſi, quando obierit, par officium fiat in majore Carthuſia, quod fieret pro Priore aut Profeſſo ſui Ordinis defuncto. 342.

Capitulum culparum apud Grandimontenſes quomodo tenendum? 308.

Capitulum I. Generale Ordinis Carthuſienſis. 340. Ordinis Aurei Velleris, à quo, & quando celebratum primum generale? 451. Annuale Ord. Aurei Velleris mutatum in triennale, à quo, & quo die celebrandum? ibid. Monialium Sempringenſium quomodo celebrandum, & quæ ad illud ſpectant? 524. Quid ad illud deferre debeant Prælati Camaldulenſium? 287.

Cappâ ſericâ Abbas nullus induatur apud Ciſtercienſes, niſi in ſola ſua Benedictione. 396.

Cappadoces lectionis menſalis Auctores, & quare? 27.

Cardinalium Joannis & Benedicti epiſtola pro obtinendo Ciſtercienſibus Exemptionis Privilegio. 389.

Cardui Ordinem militarem quinam inſtituerunt? 451. Ejus Inſignia qualia ſint, & quomodo geſtentur? ibid.

Carmen de ebrio. 115.

Carnalis contagio quomodo apud Ciſtercienſes puniendа? 412.

Carnem nec quadrupedum, nec volantium unquam comedunt Grandimontenſes. 305. Apud Sempringenſes in hoſpitiis non danda hoſpitibus. 480. Ejus refectio in hebdomada ter Templaris conceſſa. 434. *Ejus aſſueta comeſtio onerosa corruptio corporum.* 434. Ejus comeſtio Camaldulenſibus vetita, præterquam infirmis. 249. Ejus eſus feria *quarta* & *ſexta*, ſi dies feſtus, usque ad Sæculum VIII. erat permiſſus. 94.

Carolus audax, Burgundiæ Dux, quænam circa Ordinem *Aurei Velleris* mutavit, & ſtatuit. 451.

Carolus V. Imperator tanquam Hiſpaniæ Rex Ordinis *Aurei Velleris* Capitulum generale Gandavi Anno 1516. celebravit. 451. Melitenſibus Equitibus Inſulam Maltam conceſſit, quam hacte-

nus

nus poſſident, ſtrenuam operam contra infideles impedentes. 442.

Carthuſia primum Ordinis Carthuſienſis Oratorium: quod omnibus per Orbem Ordinis ejusdem Monaſteriis nomen dedit. 310.

Carthuſiani ab exordio ſui Inſtituti Regulam S. Benedicti ſecuti fuiſſe creduntur, quod probat Mabillonius, & quare? 311. Ante S. Brunonis Canonizationem in confeſſionibus ſuis S. Benedictum Patrem ſuum nominabant, & adhuc Breviarium eorum ſecundum ejus Regulam diſpoſitum eſt. ibid. Feſtum S. Benedicti ſolenni, pro more ſuo, ritu celebrant. ibid. Quomodo Officium Divinum per annum dominicis & feriis perſolvunt, per 8. capita deſcribitur. 313. Quibus diebus in anno raduntur, & quibus diebus ſemel tantum in die reficiant. 317. Religioſos tantum hoſpites deducunt in ſuum Chorum. 318. Eorum cella qua ſupellectili ſit inſtructa, ſingulatim deſcribitur. 322. Quo tempore è cella exeunt, & quomodo Vigilias, & Horas diſtinguunt partim in Cellis, partim in Eccleſia certis temporibus perſolvendas. 323. Non concedunt rem miſſam ei dari, cui miſſa eſt, ſed alteri. 329. Eorum quare tam parvus numerus fuerit in prima Carthuſia? 331. Qualem habeant curam infirmorum? 325. Quoties & quomodo per annum ſanguinis minutionem faciunt? ibid. Nullas poſſeſſiones extra Eremum ſuam habeant, nec peregrinos in cœmeterio ſuo ſepeliant. ibid. Quando & quomodo Officium defunctorum perſolvant. 317. Quomodo ſuſcipiant hoſpites, & quos ad menſam Prioris admittant? 324. Eorum cura quæ ſit pro mortuis. 318. Eorum jejunia quomodo regulantur, & quibus veſcuntur cibis. 324. Eorum Prior quomodo ordinandus, & ordinatus quomodo ſe gerere debeat. 318. Quibus de cauſis non admittant equitaturas hoſpitum. 319. Non concedunt mulieribus ingreſſum aut Eccleſiæ, aut Clauſtri ſui, & quare? 320. Eorum Novitii quomodo tractandi, & ad Profeſſionem admittendi? 321. Quam ætatem requirunt in ſuſcipiendis, & quare pueros non ſuſcipiunt. 322.

Carthuſianus ab hoſpite aliquo ſeorſum doctus ad privatim aliquid tractandum, debet habere licentiam Prioris ab ipſo hoſpite, non à ſe petendam. 317. Morti proximus quomodo ultimis Sacramentis providetur. ibid. Moriens quomodo tractandus, & mortuus quomodo ſepeliendus. 317.

Carthuſienſis Ordinis laus. 310. Ejus Author qui fuerit? 310. Capitulum I. generale, & quæ in eo fuerint decreta Statuta? 340. Inter alia in ejus Capitulo Statuta decretum eſt, ut pro D. Abbate Cluniacenſi, quando obierit, par Officium fiat in Carthuſia majore, quod fit pro Priore, aut Profeſſo ejusdem Ordinis defuncto. 342. In quem annum prima ejus inſtitutio incidit. 310.

Caſeus eodem pondere in Cellis & Refectorio porrigitur Carthuſianis. 324.

S. *Caſſianus* (Joannes) ejus Inſtitutiones Monaſticæ antiquiſſimæ in Eccleſia Occidentali. 1. Ejus Inſtitutiones veræ Regulæ nomen merentur, & quare? ibid. Ejus Inſtitutionum Liber IV. agit de Inſtitutis Renuntiantium. ibid. Ejus IV. Inſtitutionum Libri, quare à reliquis VIII. ejus libris hic ſeparatim ſumuntur. 2. Adverſus 8. vitia principalia totidem libros ſcripſit. ibid. Ab errore Pelagianiſmi vindicatur. 3. De Incarnatione Domini VII. libros ſcripſit. ibid. In libris ſuis de Incarnatione Neſtorianiſmum ſimul & Pelagianiſmum fortiter refellit. ibid. Leporium Monachum à Neſtorianiſmo eduxit ad orthodoxam fidem. 4. Ob propalatam collationem XIII. Chæremonis Abbatis Pelagiana hæreſi infectam Gelaſii Papæ, & S. Proſperi reprehenſionem incurrit. ibid. Ejus Inſtitutiones Monaſticæ per modum Regulæ in variis Monaſteriis tum Galliæ, tum Hiſpaniæ obſervatæ fuerunt. ibid. Primis ætatis ſuæ annis apud Bethlemiticos Monachos tranſactis, ac Ægypti & Palæſtinæ ſolitariis viſitatis, Conſtantinopoli à S. Chryſoſtomo Diaconus ordinatus eſt. ibid. Romæ ab Innocentio I. Presbyter factus. ibid. Colitur ut Sanctus ad diem 23. Julii à Maſſilienſibus & Reienſibus. ib. Ejus ſacrum caput thecis argenteis ornatum publico cultui exponi juſſit Urbanus V. Papa. ibid. Ejus Præfatio in libros de Inſtitutis Cœnobiorum ad Caſtorem Pontificem integra exhibetur. 5. Inſtitutiones ſuas & Collationes Patrum in gratiam Monaſteriorum ſuorum duorum Maſſiliæ condidit. 4. Vitæ Monaſticæ Legiſlator merito dicendus. ibid. Vixit annos 97. mortuus anno 448. ibid. Inter Sanctos relatus. ib. Ejus Patria vera quænam? 3. Ejus doctrina in *Collationibus Patrum*, tanquam Pelagianiſmo infecta, impugnatur à S. Proſpero Aquitano. ibid.

Caſſinenſium Monachorum Scriptum ad Monachos Alemanniæ & Franciæ Ord. S. Bened. de ritibus Caſſinenſium & Cluniacenſium. 81.

S. *Caſtor* EpiſcopusAptenſis (Apta Julia autem eſt locus in Provincia Narbonenſi) pro Monachis, quos inſtituerat, Regulas petiit à S. Joanne Caſſiano. 2. Ei ſuas Inſtitutiones Monaſticas nuncupavit S. Joannes Caſſianus. ibid. Ejus rogatu Inſtitutiones Monaſticas ſcripſit S. JoannesCaſſianus. ibid. Ejus Epiſtola ad S. Caſſianum, ut Inſtituta Monachorum Orientis communicet. 3.

Caſulis oloſericis non utantur Abbates vel Monachi Ciſtercienſes ſub pœna. 402.

Caſus conſcientiæ quales Abbates ſibi reſervare debent? 230.

Catalogus Monaſteriorum Camaldulenſium exhibetur, 273.

Cathedralium Eccleſiarum Clerici cur olim *Canonici* dicti? 93.

Catholici debent eſſe omnes Milites Ordinis *Aurei Velleris.* 452.

Cauſa vera ſeceſſûs S. Brunonis colligi poteſt ex epiſtola ejus ad Radulphum Viridem, EccleſiæRemenſisPræpoſitum. 311. Extinctionis Militum Templariorum erant maximæ illorum divitiæ. 431.

Cella Carthuſiani qua ſupellectili ſit inſtructa, quoad ſingula deſcribitur. 322. Ejus amator ſit bonus Monachus. 256. Eam neceſſariam ſibi deputet Carthuſianus, ſicut piſcibus aquam. 323.

Cellarii in Monaſteriis Angliæ ſub S. Lanfranco in quo ſitum ſit officium? 370.

Cellarius, apud Camaldulenſes *Camerarius* dictus, ita temporalia Monaſterii ipſi commiſſa curet, ut animam non negligat. 240.

Cerevifia in grangiis Sempringenſium non facienda, ſed à Monaſterio illuc aſportanda. 508. Eam non bibant Converſi Ciſtercienſes in Anglia ſub pœna. 413.

Charemonis Abbatis Collatio XIII. apud Caſſianum Pelagianismum ſapit. 3.

Camaldulenſes quem locum teneant inter reliquos Ordines ſub Regula S. P. Benedicti militantes. 197. Eorum Prælati ingredientes in Religionem poſſunt abſolvere ab excommunicatione 198. Eorum cautela circa Gyrovagos & Sarabaitas. 201. Monachi chartis luſoriis aut taxillis ludere intus vel extra Monaſterium prohibentur ſub pœna carceris. 211. Monachi nec ſuis veſtibus exuantur, nec laicis induantur ullo pacto. ibid. Congregationem aut Monaſteria ſua ſuper alia extollere prohibentur. 212. Qua devotione, & quibus cæremoniis ad vigilias nocturnas ſurgant, & adeunt Eccleſiam. 213. Eorum habitus albus per partes ſingulas deſcribitur. 262. Eorum habitus ex nigro in album mutatus eſt à S. Romualdo. 193. Eorum Conſtitutiones appellantur, & ſimul ſunt declarationes in Regulam S. P. Benedicti. 193.

Chartis luſoriis ludentes Monachi Camaldulenſes qua pœna mulctandi? 211.

Chirothecæ interdicuntur omnibus Ciſtercienſibus. 399.

Chorus quomodo ingrediendus à Camaldulenſibus. 221.

Chriſtianæ Religionis Doctores primi in hodierna Scotia vitæ Monaſticæ Cultores. 62.

Chriſtianorum primorum Alexandriæ quantus fervor. 11.

S. *Chrodogangi* Prologus in ſuam Regulam. 96. Is primus fuit, qui Clerum reformavit, & tanquam in cœnobiis congregavit ſob Regula, traditis præceptis Canonicis. 93. Is Metenſis Epiſcopus pro ſuæ Eccleſiæ Canonicis Regulam ſcripſit, quoad maximam partem ex Benedictina deſumptam. 93. Is Pipini Regis ex ſorore Nepos. 95. Quot annis Eccleſiam ſuam rexerit, quando & ubi mortuus? 95.

S. *Chryſoſtomus* (Joannes) Conſtantinopoli S. Caſſianum in Diaconum ordinavit. 4.

Cibus delicatiſſimus veterumMonachorum qualis reputabatur. 25. Extra Refectionis horam à Monachis non ſumendus. 68. Etiam pretioſus, quia in ſtercus vertendus, à Monachis non admittendus. 74. Potusve extra communem menſam à Monachis antiquis non guſtabatur. 267. Eorum menſura à Camaldulenſibus uſitata quæ ſit? 248.

Cilicium, pœnitentialis veſtimenti genus apud veteres Monachos, unde dictum, & inventum? 60. Pœnitentibus præſcriptum.

Cineribus benedictis imponitur moriens Carthuſianus. 317.

Cingulum cur geſtent Monachi? 6. Eo in veteri Teſtamento caſtimonia Monachalis deſignabatur. 7. Monachale ſignum Militis Chriſti erat in antiquo, & Teſtamento novo. 7.

Circatores & *Circitrices* Sempringenſes, eorum veſtes & pitantiæ. 473. Olim in Monaſteriis Benedictinis quare conſtituti? 81.

Circumitores Monaſteriorum Angliæ ſub S. Lanfranco, alii *Circas* vocant, quodnam eorum officium? 367.

Ciſtercienſem aut Præmonſtratenſem Profeſſum ut in poſterum non ſuſcipiant Carthuſiani, in Generali Capitulo decretum, propter eorum Ordinis reverentiam. 342.

Ciſtercienſes ab exordio ſui Ordinis non videntur valde frequenter Capitula Generalia celebraſſe. 385. Eorum Baſilicas, cùm noviter dedicantur, per 9. dies

Digitized by Google

dies poſſunt intrare fœminæ. 397. Converſorum Regula. 426. Converſorum ſeu Laicorum olim in hoc S. Ordine viventium Regulam edidit P. *Edmundus Martene* Tomo IV. ſuorum *Anecdotorum*. 385. Eorum Ordo qualiter inceperit, relatio. 386. Eorum egreſſus ex Moliſmo, & adventus ad Ciſtercium qualiter contigit. 386. Eorum in ſua nova Eremo confirmatorum Inſtituta deſcribuntur. 390. Eorum Ordo à primo ſuo fervore deficiens, ejus Reformatio à Sede Apoſtolica Abbati majoris Monaſterii committitur, aliiſque. 390. Eorum Statuta ſucceſſivè creverunt in magnæ molis volumen, & quare? 385.

Ciſterciensis cœnobi exordium quale fuit? 386. Ordinis Statuta primi condiderunt S. Robertus, S. Stephanus, S. Bernardus. 385. Ordo innumeros Cœlo Sanctos, plures Eccleſiæ Summos Pontifices, Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos, aliosque Præſules innumeros genuit. 385

Ciſtercium eſt locus, olim Eremus, in Epiſcopatu Cabilonenſi, ubi S. Robertus cum ſociis conſentiente Epiſcopo Cabilonenſi cœnobium ligneum exſtruxit, unde Monachi hujus Reformationis Ciſtercienſes audiunt. 386. Cœnobium in Abbatiam erectum quando fuit? 387.

Claſſes VIII. per quas diſtribuitur Ordo Melitenſium, quænam ſunt nominatim. 442.

Clauſura Monialium Sempringenſium diligentiſſimè cuſtodienda. 516. Eam egredi ſine licentia Abbatis quomodo olim puniebatur. 57.

Clemens V. Papa in extinctionem Ordinis Templariorum conſenſit. 431. Cum Philippo IV. Pulchro Galliæ Rege, eodem anno, quo Templarios extinxerunt, obiit 431.

Clerici convivia nuptialia evitent. 115. Et Canonici vitent familiaritatem mulierum. 114. Eis prohibentur militia & ſæcularia officia. ibid. In Eccleſia garrientes quomodo olim puniti. ib. Ebrietatem vitent, & deteſtentur. 115. Qui filium genuerunt, de officio removendi. 116. Miſſam ſoli celebrantes quomodo puniendi? ibid. Quales libros habere debeant. ibid. Ad unam Eccleſiam deputati non tranſeant ſine Epiſcopi ſui facultate. 117. Non mittendi foras ad gerenda negotia, quæ per fideles & prudentes Laicos fieri poſſunt. 150. Quibus, & ſub qua conditione ad Parentes ire permitti debeat? 151. Eorum Ordo, Levitarum & Apoſtolorum vices tenere creditur. 141. Eorum prima Reformatio per S. Chrodogangum facta. 93.

Cluniacenſes ritus & Hirſaugienſes parùm differebant. 84.

Cluniacenſis Abbas quando obit, habet par Officium cum Priore, aut Profeſſo Carthuſiæ majoris defuncto. 342. Congregatio, primaria Ord. S. Benedicti propago. 176. Monaſterii fundamenta, à quo & quando jacta? ibid. Congregationis præcipuus promotor S. Odo. ibid. Congregatio brevi tempore in immenſum propagata. ibid. Juxta ejus Statuta B. Willelmus Monaſteria Germaniæ reformavit. ibid. Ea per B. Petrum Mauritium, dictum *Venerabilem*, mutata adductis mutationum rationibus integrè exhibentur per 76. capita. 178.

Cœnobiarcha idem, quod Abbas: & præerat Monaſteriis Ægypti. 42.

Cœnobii Ciſtercienſis quod fuit exordium? 386. Ciſtercienſe noviter erectum, quando in Abbatiam ſurrexerit? 387. Monachorum multa, & qualia Renuntianti toleranda ſubminiſtrat. 36.

Cogitationes periculoſæ Patri ſpirituali à junioribus manifeſtandæ. 25.

Collatio apud Templarios juxta diſpoſitionem Magiſtri eorum danda. 434.

Collecta ad eam olim Dominicis diebus Monachi omnes conveniebant, ubi fiebat oblatio ſcilicet Miſſæ, & Communio omnium. 54. *Major* apud veteres Monachos quid erat, & quando fiebat. 61.

Colloquia vana & ſæcularia Monachis prohibita. 57.

Colobia Monachorum veterum qualia, & quid deſignabant. 56.

Coloniæ natus fuit S. Bruno, & quibus Parentibus. 310.

Color habitûs Camaldulenſium albus. 262.

Comeſtio extra tempus refectionis prohibita apud Sempringenſes. 495.

Communio quomodo Monialibus Sempringenſibus adminiſtranda. 534.

Comœdiæ in veſtibus ſæcularibus prohibentur exhiberi in Camaldulenſium Monaſteriis. 211.

Completorium, poſt illud ſileant, & non bibant Melitenſes. 446.

Computiſtæ tres in definitorio Camaldulenſium, quodnam eorum officium. 291.

Concilia privata Fratribus in Monaſteriis interdicuntur. 151.

Concilium Aquiſgranenſe nondum mandavit Canonicis communem vivendi modum ſub Regula aliqua. 93. *Trecenſe* Templariis habitum certum aſſignavit, & qualem? 430. In eo ſancitum eſt,

eſt, ut Templariis certa Regula præſcriberetur. 430. *Viennenſe* in Gallia, totius Ordinis Templariorum extinctionem admiſit. 431.
Confeſſarius Monialium Sempringenſium quid obſervare debeat. 534.
Confeſſio Sacramentalis à Camaldulenſibus Sacerdotibus bis in hebdomade, à non Sacerdotibus ſaltem ſemel facienda, & ſi non conſcii ſint ſibi peccati lethalis. 227.
Congregatio Grandimontenſium Monachorum ex Regula S. Benedicti emanavit, orta in Italia, propagata in Gallia. 303. Originis ejus brevis hiſtoria. ibid.
Congregationes Canonicorum in communi viventium ſub certa Regula quando inceperunt? 93.
Conjugati Fratres Templarii, quomodo habeantur. 438
Conſilia quomodo apud Carthuſianos tractanda. 324.
Conſpiratores in Monaſteriis Ciſtercienſium quomodo puniendi. 407.
Conſtitutiones Camaldulenſium ſunt tantum declarationes Regulæ S. Benedicti. 193. Camaldulenſium, in eas Proëmium. 194. S. Lanfranci Archiepiſcopi Cantuarienſis. 344. B. Petri de Honeſtis: Earum Lib. I. 36. Capitibus conſtans. 139. Liber II. ſeu Continuatio, 28. Capitibus conſtans. 153. Liber III. ſeu Continuatio, 34. Capitibus conſtans. 161. In eas Prologus. 139.
Conſuetudines antiquæ Canonicorum Regularium de Montforti cum antiquis Ciſtercienſium conſuetudinibus in multis convenientes. 129. Antiquæ Monaſteriorum Ordinis S. Benedicti. 80. Hirſaugienſium Willelmi Abbatis Prologus. 82.
Conventualis electio apud Camaldulenſes, quibus cæremoniis fiat. 285.
Converſatio Monachorum, præcipuè juniorum cum ſæcularibus, modeſta ſit, & cauta. 68.
Converſi Camaldulenſium quomodo recipiendi in Ordinem, in quibus ſint inſtruendi, & quid Breviarii loco orare debeant. 268. Grandimontenſium quid pro horis Canonicis orare teneantur. 305. Carthuſianorum quomodo Divinum Officium perſolvant, & pro horis Canonicis quid orare debeant. 326. Diebus Sacræ Communioni deſtinatis, antequam accedant, admoneantur, qua devotione & reverentia accedere debeant apud Grandimontenſes. 308. Eorum olim ſub S. Ordine Ciſtercienſi viventium Regulam edidit *P. Edmundus Martene* in Tomo IV. ſuorum *Anecdotorum*. 385. Ciſtercienſium Regula. 426. Iis univerſaliter in Ordine Ciſtercienſi electionibus Abbatum intereſſe interdicitur. 400. Iis Carthuſianorum, quoties in anno conceditur vinum. 327. Eorum jejunia quot ſint per annum. 328. Quoties per annum ſanguinem minuunt. ibid. Eorum veſtitus qualis, & ſupellex eorum cellæ qualis. ibid.
Converſio, ad eam venientes quomodo, & quibus cæremoniis recipiebantur in Monaſteriis Angliæ ſub S. Lanfranco. 376.
Convivia in Anniverſariis mortuorum à quibusdam adhiberi ſolita à Carthuſianis improbantur. 325. Nuptialia evitent Clerici. 115.
Coquinarii apud Carthuſianos quod ſit officium. 327.
Correptiones pro varietate culparum apud priſcos Monachos variæ præſcriptæ erant. 27.
Crimina à Gallis Templariis Militibus objecta negant aliarum Nationum Auctores. 431.
Cronica Magiſtrorum defunctorum Ord. Melitenſis. 443.
Cruces aureæ vel argenteæ apud Ciſtercienſes notabilis magnitudinis non fiant. 397.
Crucifigi Monachum mundo, & mundum Monacho bono eſt neceſſe. 34.
Crux Monachi, timor Domini 34.
Cuculla, ſine ea nulli Camaldulenſium Eccleſiam adire licet. 225. Monachorum Ægyptiorum quales erant, & quid deſignabant. 8.
Culdei, corruptè pro *Kiledei* aut *Kildei*, ſic dicebantur Monachi antiqui Scotiæ. 62. ſive *Colidei*, corruptè pro *Kilidei*, erant Monachi Culroſenſes ſtrictam Ægyptiorum Monachorum Diſciplinam cuſtodientes. 64.
Culpa, *levis* & *gravis*, quomodo in Monaſteriis Angliæ ſub S. Lanfranco puniebantur. 314. Quadruplex: *levis*, *gravis*, *gravior*, *graviſſima*; quibus excommunicationibus ſubjaceant. 233. *Levis* quænam dicenda, & non emendata evadit *gravis* ibid. *Gravis*, non tamen mortalis (niſi per contemptum commiſſa) qualiter in Monacho punienda. ibid. *Gravior* quæ habenda in Monacho: plures ejusmodi enumerantur: & quomodo ſint puniendæ. ibid. *Graviſſima*, quæ vitia hoc nomine veniant, & quomodo punienda. 237.
Culpæ apud Kiledeos quomodo puniendæ erant. 65. Leves & graves Templariorum quomodo puniendæ. 440. Leviores & graviores Monachorum quomodo

modo corripiendæ. 68. Leviores apud priſcos Monachos quomodo punitæ. 27. Graviores gravius, & quomodo punitæ, ibid. Earum manifeſtatio tribus modis in Monaſteriis facienda exponitur. 253. Proprias ſcurril ter intet ſe confabulari,prohibentur Templarii Milites. 437.

Culroſenſe Monaſterium à S. Servano extructum quo anno ? 64.

Cura mortuorum apud Carthuſianos quæ ſit. 318.

D.

DÆmonum tentationes & transformationes cautè obſervandæ à Clericis & Canonicis. 119.

Dalmalin in Scotia locus, ubi Ordo Sempringenſis unum habuitMonaſteriũ. 467.

Damianus (Petrus) Cardinalis , malè à quibusdam habetur Auctor Statutorum Portuenſium pro Canonicis Regularibus. 138.

Dani Monaſterium Kilroſenſe everterunt. 63.

S. *Davidis* Regis Scotiæ Templarii Milites cuſtodes corporis erant,quibus dedit 8. amplas domos Commendatarias 431.

Decanorum apud Camaldulenſes officium quod ſit. 229.

Decimas habeant Milites Templarii. 440.

Decimus panis apud Templarios Eleemoſynario dandus. 414.

Decreta Ord. S. Benedicti, ſic Conſtitutiones ſuas appellat S. Lanfrancus. 343.

Decretum Hugonis Apoſtolici Legati & Archiepiſcopi Lugdunenſis de toto negotio Moliſmenſium & Ciſtercienſium Monachorum. 387.

Deferenda à Prælatis Camaldulenſium ad Capitulum quænam ſint. 287.

Deffinitores Camaldulenſium quid agere debeant immediatè poſt ſuam creationem. 290. Quomodo terminanda debeant expedire apud Camaldulenſes. 293.Eorum apudCamaldulenſes quomodo fiat electio,& quæ eorũ poteſtas. 289.

Deffinitorium apud Camaldulenſes eſt ſummus Magiſtratus , qui regit totam ipſorum Congregationem, & eſt ſummæ auctoritatis. 285.

Defuncti Melitenſium , quid pro iis fiebat. 446. Eorum nominibus lectis Patres Camaldulenſes hos tres Pſalmos: *Domine, ne in furore, Credidi, De profundis* cum ſua oratione dicunt. 221. Eorum Officium quomodo & quando à Carthuſianis dicendum. 317.

Depoſita in domibus Ciſtercienſium quibus conditionibus ſuſcipienda. 402.

Detrahere aliorum Religioſis Ordinum , aut Principibus , Magiſtratibus tum Laicis tum Eccleſiaſticis , prohibetur Camaldulenſibus ſub pœna graviſſima. 212.

Devotio interna animæ etiam externè appareat in Religioſis. 217.

Diaboli Monacho inſidiantis caput quomodo obſervare debeat Monachus. 35.Caput obſervare quid ſit. ibid.

Dignitatis ambitio in Monialibus Sempringenſibus quomodo punienda. 520.

Diploma Gregorii VII. conceſſum S. Stephano Comiti Tierneo pro inſtituendo novo Ordine Monaſtico integrè exhibetur. 303.

Diſciplina antiquorum Monachorum Scotiæ fusè ſingillatim deſcribitur. 64. Orandi apud Patres Orientales qualis fuit. 12. Pſalmorum apud Ægyptios qualis erat. 14. Quoties à Carthuſianis facienda. 329.

Diſcordiam ſeminans aut detractionem faciens quantum crimen in ſe committat. 302.

Diſputationes Monaſticæ olim in Monaſteriis frequentatæ quales erant. 54.

Diverſitas ſolennitatum dominicæ & aliarum dierum apud antiquos Monachos. 21.

Divitiæ maximæ Templariorum erant cauſa ipſorum extinctionis. 431.

Doctrina S. *Joannis Caſſiani* in ſuis *Patrum Collationibus* tanquam Pellagianiſmo favens à S.ProſperoAquitano redarguitur. 3.

Dominicis Diebus olim Monachi Miſſam audiebant & communicabant. 54.

Dominicum apud antiquos ſignificat Eccleſiam , Monaſterium , aliaque loca Domino conſecrata. 56.

Dominicus Dies ab Apoſtolis, ut religioſiùs tranſigatur , cut ſancitum ? 72.

Domus Monaſticæ in Ægypto ſuberant uniusMonaſterii regimini. 42.Hæ ſingulæ regebantur per *Præpoſitum*. ibid.

Donationem à nominatim excommunicatis nullam accipiant Ciſtercienſes. 402.

Donationum formulæ IV. in puerorum oblatione in Monaſteria. 84.

Dormire idem , quod *mori* in Scripturis. 58.

Dormitio apud veteresPatres mortem ſignificabat. 41.

Dormitorium Canonicorum Sempringenſium , & quæ in eo obſervanda. 496.

Dulciamina etiam Monachis ſubminiſtrabantur. 55.

Duodenarius Pſalmorum numerus in ſolennitatibus veſpertinis & nocturnisMonaſteriis Ægypti & Thebaidis traditus. 11.

Dypticha , in quibus nomina Monachorum tam Fratrum quam Benefactorum nota-

notata erant, & olim in Miſſa recitabantur, fuerunt origo ſuffragiorum pro mortuis. 90.

E.

Ebrietas à Clericis & Canonicis vitanda & deteſtanda. 115. Apud Sempringenſes quomodo punienda? 495. Monachis cavenda ob pœnas à Canonibus in Clericum ebrium conſtitutas. 250.

Ebrioſus per Epigramma deſcribitur. 115.

Eccleſia Ordinis Sempringenſis omnes in honorem B. V. M. erigendæ & dedicandæ. 490. Cathedralium Clerici cur olim Canonici dicti. 93.

Electio Alberici primi poſt S. Robertum Eccleſiæ Ciſtercienſis Abbatis. 388. Conventualis apud Camaldulenſes. 285. Præpoſitorum in Monaſteriis Ægypti & Thebaidis uniformi Regula conſtituebatur. 10. R. P. Generalis totius Congregationis Camaldulenſium, & ſingulorum Monaſteriorum Prælati, quomodo inſtituenda, per aliquot capitula deſcribitur. 294.

Eleemoſynæ acquiſitæ, qoid de iis obſervandum apud Melitenſes. 446. Ad Capitulum deferendæ, quid de iis faciendum. 399.

Eleemoſynarii in Monaſteriis S. Lanfranci quod ſit officium. 371.

Elenchus Statutorum Ordinis *Aurei Velleris*. 452.

Elias & *Eliſæus* Prophetæ præfigurabant ſtatum Monaſticum. 7.

Emptio & venditio variarum rerum apud Ciſtercienſes quomodo fiat. 398.

Entheca, apud Monachos antiquos idem, quod *horreum*, *penus*, *gaza reconditorium*. 26.

Equites Aurei Velleris ab ineunte Sæculo XVIII creari ſolent tam à Regibus Hiſpaniæ, quam Imperatoribus Germaniæ. 452. *Templarii* communiter appellabantur *Templarii*. 429. *Melitenſes*, tribus Religioſorum votis, quartum de gerenda peregrinorum ægrotantium cura addiderunt. 442.

Equitaturas hoſpitum cur non admittant Carthuſiani. 319.

Equos tres cuilibet armigerorum apud Templarios habere licet. 436.

Epigraphe Inſignium Ordinis *Cardui S. Andreæ*: *Nemo me impune laceſſet*. 451. Inſignium Ordinis *Aurei Velleris*: *Pretium non vile laboris*. ibid.

Epiſcopi primi Scotiæ hodiernæ Monachi fuêre. 62.

Epiſtola S. P. Benedicti ad S. Remigium Rhemorum Antiſtitem. 70. Exhortatoria cujusdam Deicolæ (Papæ) ad ómnes Epiſcopos & Clericos. 117. Alia cujusdam Papæ ad Epiſcopum. 118. B. Petri de Honeſtis ad Paſchalem II. Papam pro confirmatione ſuæ Regulæ Canonicæ. 139. Hugonis Apoſtolici Legati, & Lugdunenſis Archiepiſcopi ad Robertum Moliſmenſis Eccleſiæ Abbatem. 386. Papæ Urbani ad Hugonem eundem pro reditu S. Roberti è Ciſtercio in Moliſmum. 387. Joannis & Benedicti Cardinalium ad Paſchalem Papam pro exemptione Ciſtercienſium. 389. Walteri Epiſcopi Cabilonenſis ad Paſchalem Papam pro exemptione Ciſtercienſium. ibid. S. Caſtoris ad Caſſianum, petentis deſcribi Inſtituta Monaſtica Patrum Orientaliom. 3. S. P. Benedicti variæ de ineunda ſuffragiorum ſocietate inter Monaſteria. 89.

Epitaphii S. Brunonis primi verſus. 310.

Evangelium in Choro à Prælato aut canendum, aut legendum ſecundùm ſolemnitatem. 216.

Eugenius IV. Papa *Aurei Velleris* Ordinis Inſtitutori primo Philippo Burgundiæ Duci Bullam Confirmatoriam conceſſit anno 1433. 452.

Examinatio Prælatorum & Conventualium apud Camaldulenſes quomodo inſtituitur? 392.

Excommunicatio à Præſide Capituli apud Ciſtercienſes in die Palmarum fulminanda in fures, conſpiratores, incendiarios, proprietatem habentes &c. 402. De quali intelligendus ſit S. P. Benedictus, an Regulari ſolum, an etiam Canonica? 231. Triplex: gravis, gravior, graviſſima; pro culpis gravibus, gravioribus, & graviſſimis à S. P. Benedicto præſcripta. 231.

Excubias usque mane poſt Vigilias nocturnas cur protrahebant Monachi Ægyptii? 15.

Exempla Perfectionis à paucis ſumenda, non à multis. 36.

Exhortatio gemina ad Epiſcopos & Clericos. 117. Piiſſima Abbatis Pynufii ad renuntiantem ſeu Religioſum Monaſticen profitentem per plura capita. 34.

Exordium Carthuſienſis Ordinis quale fuit. 310. Cœnobii Ciſtercienſis quod fuit. 386. Monialium Sempringenſium. 467. Sempringenſium Canonicorum. 468.

F.

Fœmina non ferviant Fratribus apud Melitenſes. 446.

Falſarii Chartarum vel Sigillorum, qua pœna apud Ciſtercienſes afficiendi. 399.

Fa-

Familiaritas cum ſæcularibus Monachis junioribus vitanda. 68.

Familiares ſæculares infirmi à Canonicis Regularibus Sempringenſibus diligenter viſitandi conſolationis gratiâ. 412.

Famulos ſæculares in coquina vel infirmitorio non licet habere Abbatibus Ciſtercienſibus. 408.

Feſta S. P. Benedicti, & S. Romualdi ſolemniſſimè à Camaldulenſibus celebranda, etiam à Converſis, & famulis Monaſteriorum devotiooe ſingulari obeunda. 220.

Feſtum S. Malachiæ quomodo apud Ciſtercienſes celebrandum. 412.

Focus, erat ignis communis, ad quem olim in Monaſteriis aſſidebatur ſub ſpiritoali lectione, oon autem narrandis fabulis. 54.

Fordunus (Joannes) ScoticiChroolci Author. 62.

Forma Profeſſionis Laici apud Carthuſianos. 330. Quam S. Auguſtinus Fratribus ſuo conſortio juogi volentibus dedit. 127.

Formula offerendi poeros in Monaſteria. 84.

Fornacenſis Epiſcopos Goilielmus Ordinis *Aurei Velleris* Cancellarius de huc Ordioe integrum Tractatum ſcripſit. 450.

Fornicatio apud Melitenſes quomodo punienda. 446.

Fratres apud Canonicos Sempringenſes, varia circa eos obſervanda per plora capita. 500.

Friſingenſis Eccleſiæ antiquos ordo Officii ante Paſcha, ex veteribus Analectis Mabillonii. 78.

Fræna, calcaria, pectoralia &c. Templariorum Militum non ſint ex auro. 437.

Fugitivus Carthuſianos an, & quomodo revertens ſuſcipiendus. 331. Monachus in Monaſteriis Angliæ ſub S. Lanfranco rediens quomodo recipiendus. 375. Monachus an, & quomodo revertens ſuſcipiendus à ſuis Monaſteriis. Praxis hac in re Camaldulenſium. 238. Quomodo puniendus apud Sempringenſes. 514.

Fundatores tantum apud Ciſtercienſes ſepeliendi. 399.

Fures comprehendere, & in vinculis tenere licet Abbatibus Ciſtercienſibus. 406

Furtum, aliaqoe flagitia quomodo apud Sempringenſes punienda. 513.

G.

GAllorum calomniæ quænam contra Templarios? 431.

Galteri Cabilonenſis Epiſcopi ad Robertum Lingonenſem Epiſcopum commendatio Roberti Ciſtercii Abbatis Moliſmum redeuntis. 388.

Garrulitas Clericorum in Eccleſia quomodo olim punita. 114.

Gaſtrimargia quid ſit? 2.

Gazæus (Alardus) Opera S. Caſſiani doctiſſimis Commentariis illuſtravit. ibid.

Generalis Congregationis Camaldulenſis, quæ, & quanta ſit poteſtas. 299.

Genua quando flectant in Officio Divino Camaldulenſes. 226.

Genuflectio & jejunium quando non obſervabatur à Patribus Ægyptiis. 16.

Gerardus primus Melitenſium, ſeu Hoſpitalariorum S. Joaoois Magiſter. 443.

Gilbertus de Sempringham Ordinis Sempringenſis Author, quis fuerit. 466. Ordinem Monialium ſub Regula S. P. Benedicti inſtituit in Anglia, cujus Regimen tradidit Canonicis Regularibus Ord. S. Auguſtini. ibid. Primum ejus Monaſterium pro 7. Virginibus totidem ſeparatas Cellas habuit. ibid. Pluribus ſui Ordinis conditis Monaſteriis, Regimen eorum Ciſtercienſibus oblatum, ſed non acceptatum, Canonicis Regularibos Ord. S. Auguſtini tradidit. ibid. Rationem Ordiois Monialium à ſe inſtituti exponit. 467.

Gillo apud veteres Monachos erat vas fictile, & portorium, quem & *Baucalem* vocant. 27. Eum frangens qualiter puniebatur apud Monachos antiquos. ibid.

Gloriari vanè de generis nobilitate, peritia &c. Mooachos minimè decet. 212.

Grandimontenſium Monachorum Congregatio Ord. S. Benedicti ortum ſumpſit in Italia, ſed in Gallia propaganda. 303. Eorum originis brevis Hiſtoria. ibid. Eorum quis fuerit Author. ibid. Eorum Converſi quid pro ſingulis horis Canonicis orare teneantur. 305. Ii à carne tam quadrupedum, quam volatilium ſemper abſtinent: ova, caſeum, & piſces tantum comedere illis licet. 306. Quibus induantur veſtibus. 307.

B. *Guigo* quintus Carthuſiæ magnæ Prior Statuta Ordinis Carthuſienſis juxta Regulam S. Benedicti primus condidit. 311. Quaſe tam diu Statuta ſcribere diſtulit? ibid. Ad Hugonem primum Templariorum Militum Magi-

ſtrum litteras dedit. 340. Ejus Prooemium in conſuetudines Carthuſianorum. 312. Ejus inſignis commendatio vitæ ſolitariæ in fine ſuorum Statutorum. 331.

Guilielmus FornacenſisEpiſcopus Ordinis *Aurei Velleris* Cancellarius de hoc Ordine integrum Tractatum ſcripſit. 450. Normanniæ Dux, Angliæ Rex factus, S. Lanfrancum Authoritate Papæ juſſit eſſe Archiepiſcopum Cantuarienſem. 343.

Gürtlerus ſcripſit Hiſtoriam Templariorum non multa fide dignam. 431.

H.

Habendi immodicum ſtudium quantùm reprobandum in Monacho. 27.

Habitus Monachi exterior cur ante cultum interiorem deſcribendus? 7. Benedictinorum niger à S.Romualdo in album commutatus eſt. 193. Camaldulenſium albus, per partes deſcribitur. 262. Melitenſium primævus quis fuerit. 445. Militum Templariorum deſcribitur. 430

Hæreſis Neſtoriana ex *Pelagiana* orta eſt. 3.

Hæretici ab Ordine *Aurei Velleris* excluduntur. 452.

Hemina juxta Patrum Caſſinenſium relationem, plus vini continet, quam vir unus Religioſus per unum diem bibere poſſet. 250.

Henricus VIII. Angliæ Rex Ordinum omnium Monaſteria ſuppreſſit. 467.

Hiberniæ Abbates Ciſtercienſes quarto quolibet anno venire debent ad Generale Capitulum, ita tamen, ut unus eorum ſingulis annis veniat. 409.

S. *Hieronymi* Præfatio in Regulam S. Pachomii. 40. Dictum ad Paulinum Presbyterum: *Qui Chriſtum deſiderat, & illo pane veſcitur, non quærat magnoperè, quàm de pretioſis cibis ſtercus conficiat.* 74.

Hieroſolyma à Saladino quandò capta? 442. Ejus primus Rex Chriſtianus Gothofredus Bullionæus poſt recuperatam Terram ſanctam. 429.

Hirſaugienſium conſuetudinum Prologus Willielmi Abbatis. 82.

Hiſtoria brevis Ordinis Carthuſienſis. 310. Qualiter inceperit Ordo Ciſtercienſis. 386. Originis Congregationis Grandimontenſium Monachorum Ord. S. Benedicti. 303. Schiſmatis orti inter Abbatem Ciſtercienſem, & Clarevallenſem ex litteris Abbatis Savigniacenſis. 390 Originis Militum Templariorum. 429. Synoptica Ordinis Semprinhgenſium, ſeu Gilbertinorum Canonicorum. 466. Ordinis Militaris *Aurei Velleris* Synoptica 450. Templariorum à diverſis Scriptoribus traditur, diverſo planè affectu, eos vel incuſando, vel accuſando. 431.

Hiſpaniæ Reges quomodo & quando ſupremi Magiſtri Ordinis *Aurei Velleris* facti ſunt. 451.

Holſteinius (Lucas) probat invictè Patriam S. Joannis Caſſiani eſſe Provinciam in Gallia. 3.

Homicidia apud Ciſtercienſes quomodo puniantur. 406.

Homophagia. Comeſtio crudorum ſeu leguminum, olerum, & ſimilium ſale conditorum. 29.

Honorius II. Papa confirmavit Ordinem Templariorum Militum. 429.

Horâ ſolitâ ad Orationem nocturnam admonendi Monachi. 16. Diurnæ in Monaſteriis Palæſtinæ & Meſopotamiæ Sabbathis tantum ſeu Dominicis publicè celebrabantur. 17. Canonicarum *Tertiæ*, *Sextæ* & *Nonæ* myſtica ſignificatio. ibid. Cur hæ horæ diurnis Orationibus in Eccleſia celebrandis præſcriptæ. ibid. Canonicæ diurnæ & nocturnæ fuſiùs ſingulatim explicantur. ibid. Diurnæ Officii Canonici à S. P. Benedicto *Agenda* vocantur. 220.

Hortus committatur uni ex Fratribus Carthuſianorum, qui de omnibus Procuratori rationem reddat. 329.

Hoſpitalarii S. Joannis quomodo evaſerunt in Ordinem Militarem. 441.

Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani Militum ſynoptica Hiſtoria. ibid. Eorum Authores primi quinam fuere. ibid.

Hoſpitalitas Monachis à SS. Patribus, præſertim S. Benedicto, commendata. 77. Benedictina commendatur, & quomodo à Camaldulenſibus exercetur erga diverſos hoſpites. 260.

Hoſpites quomodo à Carthuſianis ſuſcipiendi, & quales ad menſam Prioris admittendi. 324.

Hoſpitium in Ordine Sempringenſi quomodo cuſtodiendum, & de non danda in eo carne hoſpitibus. 480.

Hoſtiæ non fiant, niſi de puro frumento, apud Ciſtercienſes. Ita ſtatutum generali Capitulo 1192. 413.

Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus S.Brunoni, ejuſque VI. Sociis montes Carthuſiæ aſſignavit. 310.

Hugo primus Militum Templariorum Magiſter, ad eum litteras dedit B. Guigo quintus magnæ Carthuſiæ Prior, & S. Ber-

S. Ber-

S. Bernardus Opuſculum *de laude novæ Militia* ad Milites Templi transmiſit. 430.

Hugo de Paganis Vir fortis & pius primus Ordinis Templariorum Magiſter electus, ab Honorio II. Papa confirmationem ſui Ordinis obtinuit. 429.

Hugonis Archiepiſcopi Lugdunenſis litteræ ad S. Robertum Molismenſis Eccleſiæ Abbatem. 386.

Humilitas ingens Pynufii Abbatis. 32. Quibus indiciis comprobetur. 36. Perfecta ad Charitatem perducit. ibid. Monachis inculcatur. 200. Et obedientia adeo inter ſe ſunt connexæ, ut una ſine altera haberi nequeat. 210. Omnium virtutum mater. 212. Eam non poſſidet Religioſus, qui obedientiam Deo & ejus Vicariis non præſtat. 210.

Hungus & *Achajus* Scotorum Regis Hiſtorici, Ordinem *Cardui* Sæculo VIII. inſtituerunt. 451.

I.

JEjunium, quomodo & quare Monachis præſcriptum? 74. Die Sabbathi cur olim Romæ ſervabatur? 21. Ejus ratio apud Monachos Orientales quæ? ibid. Converſorum Carthuſienſium quot, & qualia per annum. 328. Carthuſianorum quomodo per annum regulantur, & quibus veſcuntur cibis. 324.

Immerſio in aquam antiquis Monachis in Scotia frequens & peculiaris. 62.

Inceſtuoſi quomodo apud Sempringenſes puniendi. 513.

Incendia minitantes quomodo apud Ciſtercienſes puniendi. 417.

Inclinatio apud Ciſtercienſes ab omni Conventu facienda, cùm in Capitulo pronuntiantur feſtivitates B. V. Mariæ. 397.

Increpationes Superiorum Monachus in terram proſtratus admittat. 68.

Indumenta Monachorum qualia juxta SS. Patres debeant eſſe. 77.

Infirmitorium, & *Infirmantes*, quæ circa ea obſervanda. 497.

Infirmus in Monaſteriis Angliæ ſub S. Lanfranco quomodo ungendus, & jam agonizans adjuvandus, & mortuus ſepeliendus, juxta ritus à S. Lanfranco præſcriptos? 380. Apud Ciſtercienſes prohibetur carnibus veſci, niſi aliud nequeat præ infirmitate guſtare, ùt ſtatutum in Capitulo Sæculo XII. celebrato. 400. Moniales & ſorores apud Sempringenſes quomodo tractandæ. 534. Eorum apud Carthuſianos cura qualis habetur. 325. Eorum viſitatio & communio apud primos Melitenſes quomodo fiebat? 445.

Ingreſſus in Monaſterium Culroſenſe quàm difficilis. 66.

Innocentius I. Papa Caſſianum in Presbyterum ordinavit Romæ. 4. II. Papa Regulam Auguſtinianam in Concilio Lateranenſi generali præſcripſit. 138.

Inſignia Ordinis *Cardui* quænam ſint? 451. Ordinis Militaris *Aurei Velleris* quænam ſint, quando, & quomodo geſtentur ab Equitibus. ibid.

Inſtituta, ſeu vitæ ratio Ciſtercienſium de Molismo venientium deſcribitur. 390.

Inſtitutiones Monaſticæ Joannis Caſſiani fuerunt primæ in Occidentali Eccleſia. 1. Eas ſummis Laudibus effert S. Benedictus, & ex iis multa ſuæ ſacræ Regulæ inſeruit. ibid. Iis veræ Regulæ nomen tribuit S. Gregorius Turonenſis, & quare? ibid. IV. Libris continentur, quibus omnia Monaſtici Inſtituti requiſita explicantur. ibid. Per modum Regulæ obſervabantur tum Maſſiliæ, tum in Monaſteriis aliis Galliarum, & Hiſpaniarum. 4.

Inſtitutores primi Ordinis Ciſtercienſis S. Robertus, S. Stephanus, & S. Bernardus, qui omnes Statuta condiderunt ad Statûs Monaſtici Reformationem ſalutaria. 385.

Inſtrumenta Muſica, quæ permittuntur, & quæ prohibentur Camaldulenſibus? 227.

Inſtrumento triplici olim fideles ad Eccleſiam convocabantur. 54.

Interdicta terrarum, ob ea non vacent Eccleſiæ Ciſtercienſium à Divinis, ſed libertas iis à D. Papa indulta inviolabiliter ſemper obſervetur. 400.

Inventores lectionis menſalis apud Monachos quinam primi? 27.

Joannes Baptiſta Novarienſis Eremita Ord. Camaldulenſis Abbas Generalis Conſtitutiones Ordinis ſui dedicat S. Pio V. Papæ. 193.

Joannis Abbatis in Thebaide quanta obedientia. 30. Eum conſulebat Theodoſius, ùt Prophetam, in arduis negotiis. 30. Propter ſuam obedientiam eximiam Prophetiæ dono clarus. ibid. Ejus obedientiæ exemplum in ligno arido rigando. ibid.

Joannitæ, quare ſic appellati Equites Melitenſes? 442.

S. *Iſidorus* Dominici Diei ſolennitatem ab Apoſtolis derivat. 72.

Itinerantes Monachi Congreg. Camaldulenſis quibus Statutis teneantur. 201.

Judex omnium peccatorum quis erat apud Monachos antiquos? 59.
Judices controverſiarum inter Fratres ortarum in Monaſteriis antiquis qoinam erant? 60.
Judicium juſtum de omni re ferant Templarii. 438.
Juniores Monachi cur cogitationes Patri ſpirituali manifeſtare debeant. 25.
Juramentum Monachi quale ſit, & quibus conſtet verbis. 68.
Juſtitiæ cultus, ſilentium & pax: Iſaia Propheta teſtante. 306.
Juvenis nimium Abbas nemo conſtituatur apud Ciſtercienſes. 397.

K.

S. *Kentigernus* aliàs *Mungo*, Monachus Kilroſenſis, primus Glaſquenſis Epiſcopus, ibidemque multorum Monachorum Pater. 63.
Kiledei vel *Kildei*, ſic appellabantur Monachi antiqui in Scotia à Cellis, qoas incolebant, ſeu Monaſteriis. 62. Vocabantur Monachi *Culroſenſes* in Scotia, Ægyptiorum Monachorum Diſciplinam imitantes. 64. Eorum jejunium & refectio in quo conſiſtebat. ibid. Integra eorum Diſciplina deſcribitur. ibid. Suſcipiendos in ſuam Congregationem quàm durè probant. 66.
Kil-ros, quid in veteri Scotorum idiomate denotabat. 63.
Kilroſenſe vulgò *Culroſenſe* Monaſterium in Scotia hodierna ubi, & à quo erectum? 62. A Danis everſum quando, & à quo reparatum? 63.

L.

LAbor manualis Monachorum oratione interna Deo conſecrandus. 76.
Laici apud Carthuſianos Profeſſionis forma. 330.
Lampas in Dormitoriis Monaſteriorum Benedictinorum noctu ſemper ardeat. 230.
Lana apud Canonicos Sempringenſes qoa diligentia cuſtodienda: aliena vero lana eorum nomine non vendatur. 508.
S. *Lanfrancus* qois, & quantus Vir fuit? 343. In Beccenſi Monaſterio in Normannia Monachum indoit, poſteaque Cadomenſis Abbas factus, Ducique Normanniæ Guillielmo à Conſiliis privatis. ibid. Archiepiſcopatu Rhotomagenſi recuſato, poſteà Cantuarienſis Archiepiſcopos eſſe cogitur, totius Angliæ Primas factus. ibid. Diſciplinam Monaſticam bellorum turmis collapſam revocavit in Angliam, & arctam Benedictinæ Regulæ obſervantiam in omnibus Monaſteriis mandavit. ibid. Ad Henricum Priorem Cantuarienſem Conſtitutiones, quas *Decreta Ordinis S. Benedicti* nominavit, miſit pro ordinandis reliquis Regni Monaſteriis ad exemplum primarii Monaſterii Benedictini. ibid.
Launojus (Joannes) de vera cauſa ſeceſsûs S. Brunonis in Eremum integrum ſcripſit Tractatum. 311.
Laus hominum à Monachis non quærenda. 77. Nimia ſuorum Monaſteriorum Camaldulenſibus prohibetur. 212.
Laudum nomine in Officio Canonico quid intelligatur. 217.
Lectio ſpiritualis Monacho neceſſaria. 76. Menſalis non Ægyptii, ſed Capadoces creduntur Authores. 27. Sub ea quantum Monachi Ægyptii ſilentium præbebant? ibid. Spiritualem habeant Templarii Milites in Refectorio. 434.
Lectiones longiores, quàm in Breviariis notantur, Camaldulenſes in horis nocturnis recitant. 214. Pro Choro in Refectorio ſunt prævidendæ à Lectoribus. ibid.
Lector hebdomadarius apud Camaldulenſes quas lectiones ad menſam legere debeat. 247. Menſæ apud Templarios omnibus ſilentium imponet. 434.
Ledon & *Malena* duo fluvii in Scotia fluxum & refluxum maris denotant. 62.
Lefricus Epiſcopus Oxonienſis Canonicis ſuæ Eccleſiæ Cathedralis præſcripſit vivendi modum juxta Regulam S. Chrodogangi. 93.
S. *Leo* Papa Dominici Diei Myſteria explicat. 72.
Leo Papa X. Bullam Eugenii IV. Confirmatoriam Ordinis *Aurei Velleris* ratam habuit, variaque Privilegia Equitibus, præſertim Cancellario conceſſit. 452.
Leporius Monachus in Neſtorianiſmum lapſus à S. Caſſiano ad orthodoxam fidem convertitur. 4.
Levitarum vicem gerunt Clerici. 141.
Liber Uſuum apud Ciſtercienſes quando in Conventibus hujus Ordinis legendus? 407.
Licentia privatim loquendi cum Carthuſiano ab hoſpite ipſo, non à Carthuſiano petenda. 317.
Literæ Abbatis Savigniacenſis, qoibos Schiſma in Ordine Ciſtercienſi exortum deſcribitur. 392. Variæ de in-

eunda

eunda ſuffragiorum ſocietate inter Monaſteria. 89. A fratribus mittendæ, vel ſuſcipiendæ cum Prioris facultate. 148. Aut alia munuſcula ad mulieres, etiam Moniales mittere, aut ab iis accipere, nun licet Monachis. 261.

Litigantes Fratres apud Grandimontenſes quomodo puniendi. 307.

Longanimitate Monachi patientiæ bonum ſperandum in Monaſterio. 37.

Loquela non neceſſaria cum Monialibus Sempringenſibus prohibetur Canonicis. 517.

Lumen ardeat ante Fratres Melitenſes, quando in aliena domo hoſpitantur. 446.

Lumina ſub *Te Deum laudamus*, *Evangelio*, & *Laudibus ſolemnibus* apud Camaldulenſes Patres quot ardere debeant. 217.

M.

P. *Mabillonius* (Joannes) Ord. S. Benedicti, primus edidit Diploma Gregorii VII. à S. Stephano conceſſum. 303. Probat, primos Carthuſienſes Regulam S. Benedicti fuiſſe amplexos. 311. Ejus Obſervationes doctiſſimæ de Regula vera S. Chrodogangi. 94.

Macula, ſine ea Religionem ingredi quid ſit, juxta S. P. Benedictum? 199.

Manidia piſculi minuti, ſaliti. 29.

Maſortes, veterum Monachorum veſtimenti genus. 9.

Magiſter Novitiorum à ſolo Prælato eligendus, cujus officium in Religione maximi momenti eſt. 268. Generalis Ord. Sempringenſis apud Sempringham fixè reſidens totum Ordinem gubernabat. 467. Primus Templariorum Militum quis, & quando electus? 429. Paſtorum apud Carthuſianos, quod ejus ſit officium? 327.

Magiſtri ſupremi Ordinis *Aurei Velleris* primi fuerunt Duces Burgundiæ, poſtea Germaniæ Imperatores. 451. Generales Ord. Sempringenſis, eorum quomodo inſtituenda equitatura? 469. Eorum poteſtas quanta fuit? 471. Reverentia iis debita quomodo exhibenda? ibid. Ordinis Melitenſium ſeries Chronologica. 443.

Magnetica acus *Amalfi* Italiæ urbe inventa. 441.

Majores, hoc nomen quibusnam olim in Monaſteriis conveniebat? 54.

S. *Malachiæ* feſtum quomodo apud Ciſtercienſes celebrandum. 412.

Malorum cauſa ſunt in Monaſteriis ipſi Superiores negligentes. 215.

Manifeſtatio ſui junioribus neceſſaris. 25.

Martene (Edmundus) Ord. S. Benedicti, in Tomo IV. *Theſauri novi Anecdotorum* ſuorum ſelecta Statuta in generalibus Capitulis Ord. Ciſtercienſis condita exhibet. 385.

Maſſiliæ duo Monaſteria fundavit S. Joannes Caſſianus. 4.

Matricula Eccleſiarum Cathedralium aliàs etiam *Canon* dicta, cui inſcribebantur nomina Clericorum eidem Eccleſiæ inſervientium. 93.

Matutinæ ſolemnitas quando, & ubi adinventa? 17. Iis finitis ad ſomnum non revertebant Monachi antiqui. 19. Et *Laudes* à Camaldulenſibus per totum annum unâ horâ poſt dimidiam noctem celebrandæ. 213.

S. *Mauritius*, idem, qui S. *Petrus* (dictus *Venerabilis*) Cluniacenſis Congregationis Abbas IX. Statuta mutavit & emendavit. 178.

S. *Maurus*. Sermo S. Benedicti ad eum in Gallias proficiſcentem. 170.

Maximilianus I. Imperator, Ord. *Aurei Velleris* ſupremus Magiſter qua occaſione factus? 451.

Medici Monachi vel *Converſi* apud Ciſtercienſes extra domos ſuas non pernoctent, nec ſæcularibus dent potionem. 399.

Meditatio antiquis Monachis uſitatiſſima. 54. Ejus exercitium antiquis Monachis ferè aſſiduum. 57.

Melitenſes præter tria ordinaria vota Religioſa, 4tum etiam, nempe ſervire infirmis, emittunt. 448. Quando Rhodum venerunt? 442. Quando & quomodo Melitam ſive Maltam venêre? ibid. Varias ſedes ab ipſis occupatas deſerere coacti. 441. Unde Melitenſium Equitum nomen ſortiti? 442. Præter Inſulam Maltam primariam ſedem ſuam, per totam etiam Europam plurima bona poſſident. 442. Eorum Ordo in VIII. Claſſes, & quales diſtributus? ibid. Eorum nobilitas requiſita, quæ & quanta ſit? ibid. Cur tantoperè propagati per Orbem Chriſtianum? ibid. A ſuo exordio particularia Statuta habebant, etſi communiter Regulam S. Auguſtini ſequi dicantur. ibid. Eorum Statuta in

modum Regulæ condidit *Raymundus de Puy* ſeu *de Podio*, ſecundus Ordinis Magiſter 442. Eorum Supremorum Magiſtrorum ſeries exhibetur. 443. Quomodo ex Hoſpitalariis Equites facti ſunt. 442. Eorum Inſtituti finis duplex : 1. Ægrotorum peregrinantium cura. 2. Sacri Sepulchri cuſtodia contra Saracenos. ibid. Captâ Hieroſolymâ quo ſe receperint, quidve fecerint. ibid. Eorum Regula à *Raymundo de Puy* ſecundo Ordinis Magiſtro condita integrè exhibetur. 445. Tria vota ſubſtantialia tenere jubentur. ibid. Qualis erat primævus habitus illis præſcriptus ? ibid. Eorum ortus. 441. Eorum Inſtitutum Templarios ætate quidem ſuperat, ſed longè poſt eos approbatum. ibid. Quinam eorum primi Authores fuère ? ibid.

Melotes & pellis caprina antiquum Monachorum veſtimenti genus quale fuit ? 9.

Menardi (Hugonis) opinio de Inſtitutis S. Joannis Caſſiani. 1.

Menſa, extra eam nil cibi potusve ſumendum Monacho. 26. Septem in Refectorio Epiſcopi S. Chrodogangi in diebus Dominicis ac præclaris feſtivitatibus inſtitutæ, juxta Regulam S. Chrodogangi. 94.

Metanæa, vox græca : latinè idem, quod Pœnitentia. Item nomen Monaſterii cujusdam antiqui in Thebaide, ubi aſperrima pœnitentia agebatur, ante *Tanobus* vocatum. 41.

Milites Templarii, eorum origo. 429.

Militiæ Chriſti Templi Milites, ſic primitus vocati *Equites Templarii*. ibid.

Miniſterium quanto fervore inibant invicem Monachi Orientales. 28. Spontaneum quorumdam Fratrum in penuria lignorum exponitur. 29.

Minutio ſanguinis apud Canonicos Sempringenſes quomodo, & quoties fiat per annum. 497. Quomodo, & quibus temporibus fiebat in Monaſteriis Angliæ ſub S. Lanfranco. 372.

Miſſa Canonica apud antiquos Monachos idem, quod apud nos hora Canonica. 19. Nemine præſente nullatenus celebranda. 116. Quotidianam aut annualem concedere alicui Ciſtercienſibus non licitum. 408. Privatæ non tam celeriter dictæ, ut quaſi *venatrices* dici poſſint. 228. Earum promiſſio pro certò pacto non fiat apud Ciſtercienſes, quia Simoniacum eſt. 401.

Miſſam ab aliquo *rem* apud Carthuſianos non ille accipit, cui eſt miſſa, ſed alius. 329.

Modeſtia Monachorum Orientalium quanta poſt orationem : & quomodo prævaricatio ejus punita ? 15.

Molismenſes Monachi à Papa obtinuerunt reditum S. Roberti Abbatis ex Ciſtercio. 387.

Monachismo in veteri Teſtamento prælusère Elias & Eliſæus Prophetæ, & in novo Teſtamento Apoſtoli. 7.

Monachus benè aut malè vivens præmio, aut condigno afficiendus. 34. Cur difficulter in Monaſterium admittendus ? ibid. Ejus veſtis qualis eſſe debeat. 7. Alium cædens quomodo puniendus apud Camaldulenſes. 281. Grandimontenſium origo brevi hiſtoria datur. 303. Fugitivus quomodo rediens denuo recipiendus in Monaſteriis Angliæ ſub S. Lanfranco. 375. Defuncto alterius Monaſterii Congregationis Anglicanæ ſub S. Lanfranco, quomodo juſta perſolvenda ? 384. Antiqui Scotiæ hodiernæ dicebantur *Kildei* vel *Kiledei*, à cellis, quas incolebant, ſic appellati, non à cultu Dei, ùt aliqui perperam putant. 62. Antiqui Diſciplinam ſtrictam Orientalium Monachorum obſervabant. ibid. Olim Dominicis tantùm Miſſam habebant, ſub qua omnes communicabant. 54. Antiqui Scotiæ hodiernæ Ægyptiorum Monachorum rigorem imitantes dicebantur *Kiledei*, & corruptè *Culdei* & *Colidei*. 64. De cibis pretioſioribus non ſint ſolliciti. 74. Tabennenſiotæ quot in uno Cœnobio, & quàm obedientes fuerint. ? 22. Tabennenſiotæ ante ſuſceptionem in Monaſterium quomodo probabantur ? 23. Cur ſemper propriis veſtibus exuti, Monaſterii veſtimentis induantur ? ibid. Suſcepti olim ceteris Profeſſis non ſtatim commiſcebantur. 24. Juniores quomodo olim probabantur ? ibid. Camaldulenſes quibus veſtimentis induti dormiant. 230. Fugitivi, an, & quibus pœnis obnoxii recipiendi à ſuis Monaſteriis : Praxis hac in re Camaldulenſium. 238. Orientalium in cellulis occupatio labor erat & oratio. 15. Ægyptiorum qualis erat ſuppellex ? 43. Ægyptiorum quanta erat abſtinentia ? 44. Veterum veſtes ſingulatim X. Capitibus deſcriptæ cum ſingulari explicatione. 6. Non unus, ſed bini mittendi ſunt foras. 56. Benedictinorum ante mendicantium Ordinum ortum per diverſas Congregationes diſtinctio notabilis Sæculo XI.

laudabatur. 192. Is præcipue commendatur taciturnitas. 210

Monarchicum regimen S. P. Benedictus cur inſtituit in Religione? 206.

Monaſterium eſt officina propria inſtrumentorum bonorum operum. 208. Primum Ordinis Sempringenſis in Anglia pro VII. ſacris Virginibus ſub Regula S. Benedicti in totidem cellis ſeparatis, à quo, & quando conditum? 456. Ordinis Sempringenſis ſub Regula S. Benedicti erecta à Canonicis Regularibus quomodo gubernata. 467. Cluniacenſis Ordinis quot numerata Sæculo XII.? 176. Orientis ad Officium Divinum diverſum Pſalmorum numerum ante Regulam ab Angelo ſuſceptam obſervabant. 11. Ægypti plures ſub ſe Domos comprehendebant ſat numeroſas. 42. Ægypti, aliæque domus Religioſæ quomodo inter ſe differebant. ibid. Erant olim officina diverſarum artium Monachis neceſſariarum. 57. In Scotia hodierna erant plura ante adventum S. Palladii Epiſcopi primi Scotiæ. 62. Eorum res ad Oeconomiam ſpectantes, aliæque (uti ſunt Scripturæ, Privilegia, Bullæ &c. prædia & bona ruralia) qualiter cuſtodiendæ? 241. Ordinis S. Benedicti conſuetudines antiquæ. 80. Ægyptiorum quale regimen. 42. Camaldulenſium in quatuor Provinciis Catalogus exhibetur. 273. Sempringenſium Monialium quot habeant Canonicos. 482.

Monaſticæ vitæ cultores in Scotia hodierna erant primi ibidem Chriſtiani Religionis Doctores. 62. Status Reformatores Sæculo XI. celebres præcipuè quinam? 303.

Monialium apud veteres Orientales Monachos Diſciplina qualis? 59. Sempringenſes in celebrandis Capitulis primaria vota ante viros Canonicos Regulares obtinebant, admiſſis etiam ad votandum Sororibus laicis. 467. Sempringenſium negotia quanta ſollicitudine à Canonicis gerenda. 515. Sempringenſium pecunia quomodo cuſtodienda. 516.

Montis fortis Canonici Regulares, eorum Conſtitutiones ſanctiſſimæ 29. Capitibus exhibentur. 129. Modus Canonicorum Regularium confeſſionem emittendi duplex. 136.

Monumenta multa Eccleſiaſtica in diſſolutione Monaſteriorum in Scotia ubi conſervata? 63.

Moribundus Carthuſianus quomodo ultimis Sacramentis providendus? 317. Quomodo tractandus, & ſepeliendus poſt mortem? 317.

Mors S. Placidi à S. P. Benedicto in ſpiritu viſa, & Fratribus inter gaudia annuntiata. 70.

Mortificatio Monachi conſiſtit in abrenuntiatione omnium propter Chriſtum crucifixum. 34.

Mortuorum cura apud Carthuſianos quæ ſit. 318. Militum Templariorum victum per 7. dies accipiet pauper aliquis. 432. Suffragia inter Monaſteria quantæ antiquitatis? 89.

Mucius Abbas obedientiâ Abrahæ ſimilis. 31.

Mulieres mulgentes non habeant Ciſtercienſes ſub pœna. 399. Illis ingreſſum Clauſtri, vel Eccleſiæ interdicunt, & ob quas rationes? 320. Earum familiaritas Clericis vitanda. 114.

S. *Mungo* idem, qui *Kentigernus*, quem vide.

Muretum, locus maximè ſolitarius Pagi Lemovicenſis, ubi conditum fuit Monaſterium primum Ordinis Grandimontenſis. 303.

Muſica figuralis prohibetur Patribus Camaldulenſibus aut doceri, aut exercere. 227.

Muſicalia Inſtrumenta quæ permittantur, & quæ prohibeantur Camaldulenſibus. ibid.

Mutationes variæ in Ordine *Aurei Velleris* factæ quales, & quomodo? 451.

N.

Neceſſaria non æqualiter, ſed juxta indigentias, & Perſonarum complexiones prudenter Monachis adminiſtranda. 244.

Necrologiô lectô Camaldulenſes dicere ſolent tres Pſalmos: *Domine, ne in furore*, *Credidi*, *De profundis* cum ſua Oratione. 221.

Negligentia etiam minimorum, v. g. paucorum lenticulæ granorum, quàm ſeverè punita ab antiquis Monachis. 29.

Neſtoriana Hæreſis ex Pelagiana orta eſt. 3.

Nobilitas non attendatur in ſuſcipiendis Noviciis, ſed potiùs probitas, & bona educatio, quantumcunque cæteroquin paupere aut humili loco naſcatur. 269.

Nola à Nola Campaniæ in Italia Urbe, ubi primùm fabricatæ, ſic dictæ 54.

Juxta Durandum in Choro pulſabantur, cymbalum in Clauſtro, ſcilla in Refectorio. 55.

Normannia Dux Guillielmus Angliæ Rex factus. 343.

Novitiæ apud Moniales Sempringenſes quomodo habendæ, & ad Profeſſionem admittendæ. 532.

Novitius apud Carthuſianos quomodo tractandus, & ad Profeſſionem admittendus. 327. Quomodo ad converſionem ſuſcipiebatur in Monaſteriis Angliæ ſub S. Lanfranco. 376. Sponte diſcedentem, aut expulſum non recipiunt Camaldulenſes. 268. Renuntiantes quomodo olim probati? 24. Carthuſianorum ſingulari Tractatu inſtruuntur circa conſuetudines Ordinis ſui. 333. Eorum non tam nobilitas, quàm probitas & bona educatio in ſuſceptione eſt advertenda, etſiamſi humili loco nati ſint. 269. Eorum, & Puerorum in Monaſteriis Angliæ ſub S. Lanfranco qualis Diſciplina fuerit. 378. Eos ſuſcipiendi, probandi, & profitendi modus apud Camaldulenſes deſcribitur. 265. Eorum Magiſtri officium in quo conſiſtat? 267. Qua modeſtia, gravitate, & honeſtatis cuſtodia in operibus manualibus, & actibus humilitatis ſe gerant in conſpectu Dei, Angelorum, & Dæmonum. ibid.

Numerus Pſalmorum in Monaſteriis Orientis varius, priuſquam Regulam ab Angelo ſuſceperunt. 11. Duodenarius Pſalmorum per Ægyptum & Thebaidem in Veſpertinis & Nocturnis ſolennitatibus univerſùm obſervatus. ibid.

O.

Obedientia Religioſo Candidato quam maximè neceſſaria. 198. Et humilitas adeo ſunt connexæ, ut una ſine altera haberi nequeat. 210. Juniorum etiam in rebus naturalibus quanta fuerit apud antiquos Monachos. 25. Antiquorum Monachorum etiam inchoatam literam imperfectam relinquebat. 26. Joannis Abbatis in Thebaide donum Prophetiæ meruit. 30. Joannis Abbatis ejuſdem in rigando ligno arido probata. ibid. Ab eodem varia illius exempla edita. 31. Perfectæ exempla per varia Capitula. 30. Quantâ Superiorum imperium ſuſcipiendum? 68.

Oblatio Puerorum in Monaſteriis per obſervationes XII. 86. Ejus IV. formulæ pueri in Monaſterium ſuſcipiendi. 84.

Obſequia quotidiana qualiter Fratribus à Monachis Orientalibus exhibita ſint. 26.

Obſervationes IX. In antiquas Societates ſuffragiorum pro mortuis. 90. XII. De oblatione puerorum in Monaſteriis. 86.

S. *Odo* Cluniacenſis Congregationis præcipuus promotor. 176.

Oeconomus ſpiritualis apud Camaldulenſes, quod ejus officium? 290. Temporalis apud Camaldulenſes, quod ejus officium? 291.

Officiariorum Ordines apud Monachos Ægyptios quinam erant. 42.

Officium B. V. M. à Camaldolenſibus ſemper perſolvendum, & quomodo? 215. Divinum quomodo audiant Templarii. 432. Quid ejus loco abſentes & impediti orare teneantur. ibid. Sedentes perficiunt. 433. Divinum quomodo per annum in feriis & Dominicis perſolvunt Carthuſiani, per VIII. Capita deſcribitur. 313. Defunctorum quomodo, & quando perſolvant Carthuſiani. 317. Eccleſiaſticum à Canonicis Sempringenſibus quomodo peragendum. 486. Templariorum Militum. 429. Piſtoris & Sutoris apud Carthuſianos. 327. Præpoſiti agriculturæ. ibid. Magiſtri Paſtorum. ibid. Divinum, & conſuetudines majoris Carthuſiæ illud ſpectantes unimodo omnibus in Carthuſienſium domibus celebrentur. 340. Divinum à S. Lanfranco, quoad ſingulas ejus partes, per totum annum diſpoſitum, qua ſolemnitate & ceremoniis celebrandum; per aliquot folia. 344.

Officia in Monaſteriis Ægypti præcipua qualia erant. 42.

Opera manualia Monachis competentia qualia ſint. 76. & 256. Manualibus orationem ſubjungebant Monachi Orientales 15.

Orandi Diſciplina apud Patres Orientales qualis? 12.

Orare cum ſuſpenſo prohibitum Patribus Orientalibus. 16.

Oratio omnibus operibus præmittenda à S. P. Benedicto deſcribitur. 199. Ad eam olim Monachi tubæ ſonitu convocabantur. 55. Inter ſurgendum à Camaldulenſibus perſolvenda. 213. Ad nocturnam debitâ horâ ſuſcitandi Monachi. 16. Ejus juge ſtudium Monachis commendatur. 76. Nocturnæ tem-

tempus ſtellarum curſu Monachi antiqui explotabant. 16. Ejus poſt Pſalmum in Monaſteriis Orientis qualis Diſciplina? 13. Earum qualitas in Monaſteriis Orientis. ibid. Earum ſummum ſileotium, & brevitas, quare apud Patres Ægyptios obſervata? ibid. XII. Conſuetudo à Patrum Orientalium venerabili Senatu pro ſolennitatibus veſpertinis & noctutnis decreta. 12.

Oratoria Ciſtercienſium, in iis ſepeliantur Reges, Reginæ, & Epiſcopi. 400.

Ordinati ab Epiſcopò ſuſpenſo non exequantur Officio, niſi ex Indulgentia D. Papæ. 404.

Ordinatio Prioris Canonicorum electi qualis? 145.

Ordo & connexio vittutum, qua ad perfectionem Evangelicam aſcenditur. 37. Monaſticus antiquitus in Scotia obſervatus, erat Ordo Otientalium Monachorum, qui acceptâ poſtmodum Benedictina Regula, longo tempore ſimul obſervabatur. 63. Monaſticus Kiledeorum olim im Scotia, in quo conſiſtebat, fusè deſcribitur. 64. Monaſticus quidam S. Benedicto attributus ab Arnoldo Wione, quid de eo ſentiendum? 66. Ejusdem Diſciplina fuſiùs deſcribitur. ibid. De eodem nota critica. 70. In eo ſuſcipiendi numero pauci, ſed magni ſcientia, virtute & merito. 147. Clericorum, Levitarum & Apoſtolorum vices tenere creditur. 141. Regularis in Monaſteriis Benedictinis olim obſervatus deſcribitur. 80. Officii in *Domo S. Benedicti*, Eccleſiæ Friſingenſis, ante Paſcha. 78. De eodem notæ P. *Mabillonii* de ejus antiquitate, aliisque illum concernentibus. 79. Præcedentiæ, quem Prælati Camaldulenſium inter ſe habete debent. 273. Carthuſienſis elogiom. 310. Carthuſienſis Author quis fuerit? ibid. Ciſtercienſis à primo fervore deficiens, ejus Refotmatio à D. Papa Abbati Monaſterii majoris committitur, aliisque. 390. Ciſtercienſis Cooverſorum Regula. 426. Idem innumeros Cœlo Sanctos, plures Eccleſiæ Summos Pontifices, Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos, aliosque Præſules magno numero genuit. 385. Militaris Fratrum *Aurei Velleris* nulli Regulæ Religioſæ est adſtrictus. 450. Ejusdem Author Philippus Burgundiæ Dux. ibid. Ejusdem inſtituendi quis ſcopus fuerit? 451. Ejusdem ſpecialis Patrona B. V. Maria, & poſt eam S. Andreas. 451. Ejusdem Statuta integrè exhibentur. 455. Sempringenſis ſeu Gilbertinorum, in Britannia magna ortus, nec ulterius propagatus, nunc non exiſtit. 466. Idem in Scotia unum tantum Monaſterium ad *Dalmulin* habuit. 467. Ejusdem Author Gilbertus de Sempringham. 466. Melitenſis ortus, & Synopſis hiſtorica. 441. Ejusdem confirmationis Bulla Boniſacii VIII. 445. Templariorum Militum origo, & hiſtoria. 429. Ejusdem extinctio quare, quando, & quomodo facta. 431.

Orientalium Patrum qualis orandi diſciplina? 12.

Origo ſuffragiorum pro mortuis. 90. Carthuſienſis Ordinis qualis fuerit. 310. Cluniacenſis Congregationis. 176. Grandimontenſium Ord. S. P. Benedicti. 303. Sempringenſium, ſeu Gilbertinorum Canonicorum. 466. Templariorum Militum. 429.

Ornamenta, qualia Carthuſiani in ſuis Eccleſiis habeant. 325. Templi Salamonis ptimis Templariis conceſſi, qualia erant? 429.

Oſculum Pacis Ciſtercienſium Abbates de itinere regreſſi non petant. 401.

Oſcula omniom mulierum vitentur à Templariis. 440.

Oſtiarii Monaſterii Officium. 277. Tres ſemper ad januam Deffinitorii ſint apud Camaldulenſes. 291.

Otto Dux Burgundiæ, S. Roberti & ejus Sociorum inſignis Benefactor. 387.

P.

S. *Pachomii* Regula altera diverſa ab ea, quæ *Tomo I.* habetur. 38.

S. *Palladius* primus Scotiæ hodieroæ Epiſcopus, quando illuc miſſus? 62.

Palma arbor in Syria, cujus fructibus Monachi victitabant, deſcribitur. 56.

Panis decimus apud Templarios Eleemoſynario dandos. 434. Avenatium quoties per annum comedant Carthuſiani. 328.

Parcitas, etiam in pecuniarum abundantia, quàm ſtrictè obſervabatur ab antiquis Monachis. 78.

Parentes qua ætate & forma filios ſuos Eccleſiæ tradant. 146.

Paropſides infirmorum non jungendæ iis, quæ ſanis ſuot deputatæ, apud Grandimontenſes. 307.

Paſchalis II. Papa Regulam B. Petri de Honeſtis confirmavit. 138. Ad eum Epiſtola B. Petri pro obtinenda ſuarum Conſtitutionum confirmatione. 139. Papæ Privilegium Ciſtercienſi Cœnobio datum. 389.

Paſtor, ſic appellatur ſupremus Grandimontenſium Superior. 305.

Paſtorum Magiſtri apud Carthuſianos officium. 327.

Patientia, quanta toleranda ſint opprobria in Monaſteriis. 36. Ejus donum unde ſperandum in Monaſterio? 37.

Patres Orientis in Synaxi cur ſedebant pſallente uno? 14. Cur finita Synaxi nocturnas vigilias protrahebant uſque ad lucem? ibid.

Patria S. Joannis Caſſiani, de ea variæ Eruditorum opiniones. 3.

Pauci, ûque perfecti Monacho bono imitandi. 35.

S. *Paulus* cingulum geſtare ſolitus. 7.

Paupertas Religioſa & Evangelica quantùm cuſtodita ab antiquis Monachis? 26.

Paxamacium erat veteribus Monachis panis ſex unciarum. ibid. Eo ſolo conſtabat Kiledeorum Monachorum refectio 64.

Peccans graviter Sacerdos deponendus, non tamen Communione privandus. 115.

Pecunia Monialium Sempringenſium quomodo cuſtodienda? 516. Renuntiantium in Ægypto & Thebaide cur non applicabatur Monaſterii uſibus? 23.

Pelagianæ Hæreſeos ſoboles fuit *Neſtoriana*. 3.

Percuſſio hominis ſæcularis in ira vel perturbatione quomodo puniatur in Monacho vel Converſo Ciſtercienſi. 398.

Perfectio, quo ordine ad eam aſcendatur 36. Ejus exempla à paucis, non à multis ſumenda. ibid. Evangelicæ ordo quibus virtutibus conſtet. ibid.

Pernoctare & comedere extra Ordinis Domos Abbatibus Ciſtercienſibus non conceditur, niſi maximis de cauſis, ſub certa pœna. 398.

Perſeverantia in bono Monachum facit perfectum. 78.

S. *Petrus* Apoſtolus contra Simonem Magum conflicturus cum ſuis Diſcipulis jejunavit. 21. In cuſtodia detentus, moxque ab Angelo liberandus præcingi cingulo monetur. 7.

B. *Petrus de Honeſtis* quisnam fuerit? 138. Is Regulam Portuenſem ſcripſit pro Norma Regularium Canonicorum communi. ibid. Ejus Epiſtola ad Paſchalem II. Papam pro ſuarum Conſtitutionum confirmatione. 139.

S. *Petrus Mauritius*, dictus *venerabilis*, Abbas IX. Cluniacenſis, quinam origine? 177. Idem Statuta recentiora Ordinis Cluniacenſium condidit. ibid.

Philargyria, quid ſit? 2.

Philippus IV. Galliæ Rex, dictus *Pulcher*, præcipuus Author extinctionis Templariorum. 431. Dux Burgundiæ, Ordinis *Aurei Velleris* Author. 450. Cur Ordinem ſuum ab *Aureo Vellere* nuncupaverit. ibid.

Philippus Hiſpaniarum Rex I. Capitulum Ordinis *Aurei Velleris* Bruxellis celebravit anno MD. 451.

Philippus Nigri Eccleſiæ de Harlebeck Præpoſitus, & Ordinis *Aurei Velleris* Cancellarius, Ordinis ejusdem Statuta gallicè ſcripta in Latinum vertit. 452.

Photius Caſſiani Inſtitutiones commendat. 2.

Pictantia apud Camaldulenſes quibus cibis conſtet. 248.

Piſtoris apud Carthuſianos officium. 327.

S. *Placidus* in ejus morte S. P. Benedicti Sermo. 70.

Podagrâ, aut morbo alio articulari laborantes ad ſimplicem menſam, ad paucos convaluiſſe cibos ſcribit Hieronymus. 257.

Pœnæ quales apud Kiledeos uſitatæ? 65.

Pœnitentia Regularis ſeptem modi in Monaſteriis Benedictinis obſervati. 81. Antiquæ Canonicæ quomodo retinendæ? 120.

Pondera antiquorum ex manuſcripto antiquo. 79.

Portuenſis Eccleſiæ Statuta earum Eccleſiarum Canonicarum Norma evaſerunt. 138.

Poſſeſſiones extra Eremum ſuam nullas poſſideant Carthuſiani. 325.

Poteſtas Deffinitorum Camaldulenſium quæ, & quanta ſit. 290. Generalis & Viſitatorum in Congregatione Camaldulenſi quæ, & quanta ſit. 299. Prælatorum Camaldulenſium in ſubditos ſuos, tum Religioſos, tum ſæculares, quæ ſit. 275.

Potûs menſuram qualem Fratribus concedant PP. Camaldulenſes. 249.

Præcedentia ordo quis tenebatur in Monaſteriis Ægypti ? 43. Ordo inter Ordines S. Benedicti quis ſervandus ? 197. Ordo Camaldulenſibus proprius quis ſit ? ibid. Prælatorum Camaldulenſium inter ſe. 273.

Præcepta Regulæ S. Pachomii exhibentur numero CXXVIII. 46.

Præcipua, & *minus præcipua :* quid eorum nomine intelligit S. P. Benedictus ? 206.

Prædicatores primi Chriſtianæ Religionis in Scotia hodierna erant Monachi. 62.

Præfatio S. Caſſiani in libros *de Inſtitutis Cœnobiorum* ad Caſtorem Antiſtitem. 5. S. Petri *Venerabilis* ad ſua Statuta Cluniacenſia. 177.

Prælati Camaldulenſes ex Privilegio Leonis X. poſſunt ingredientes ab Excommunicatione & omni Voto, excepto Religionis, abſolvere. 199. Ejusdem Ord. Diſciplinam prævaricantes mulctandi etiam ad privationem ſuæ dignitatis. 209. Ejusdem Ord. quibus diebus menſis Fratrum comedentium miniſtrare debent. 245. Curam infirmorum juxta Regulam diligentiſſimè obſervent. 246. *Titulares* Camaldulenſium quem gradum in Monaſterio habeant? 276.

Præpoſitus apud antiquosMonachos idem, quod noſtris temporibus *Prior.* 55. Fratrum per Ægyptum & Thebaidem debuit didiciſſe ſubeſſe. 10. Agriculturæ apud Carthuſianos, quod ejus ſit officium. 327. Ejus mores & conditiones apud antiquos Monachos deſcribuntur. 61. Eorum per Monaſteria Ægypti & Thebaidis eligendorum Regula univerſalis. 10.

Præſidentium integritas, ſubditorum ſalus. 204.

Præſidere Officio Divino quinam debeant apud Carthuſianos. 326.

Prandium ſenibus tantum & parvulis dabant antiqui Monachi. 55.

Presbyter una ſola Eccleſia contentus ſit. 115. Inconſulto Epiſcopo nec conſtituatur in - nec expellatur ab Eccleſia. 116.

Priores Magni Provinciales Melitenſium Equitum VIII. Ordinis Claſſium, quinam ſint. 442. Sempringenſes, eorum equitatura, officium, & dignitas. 477. Carthuſianorum quomodo ordinandi, & Ordinati quomodo ſe gerant. 318.

Privilegia Ordinis *Aurei Velleris*, præſertim ejus Cancellario conceſſa, quænam ſint. 452.

Privilegium Paſchalis Papæ, quo Abbatiam Ciſtercienſem contra omnem poteſtatem, ſive ſæcularem, ſive Eccleſiaſticam, in ſuam tutelam aſſumpſit. 389.

Procurator domus inferioris apud Carthuſianos, quodnam ejus officium ? 319.

Procuratorum IV. Sempringenſium officium. 476.

Profeſſio Novitii Carthuſiani quomodo perficitur. 321. Eam emittendi, duplex modus apud Montisfortis Canonicos Regulares. 136. Ejus tempus attendendum in Monaſteriis, non ætas perſonæ. Laici Carthuſienſis forma. 330.

Prologus Conſtitutionum Guigonis Prioris Carthuſiæ. 312. S. Chrodogangi in ſuam Regulam. 96. Conſtitutionum B. Petri de Honeſtis. 139. Willelmi Abbatis in librum Conſuetudinum Hirſaugienſium. 82. In Regulam Templariorum. 481.

Proprietarii, ſi ùt tales moriantur, apud Grandimontenſes non ſepeliantur in cœmeterio. 307.

Proprietas quibus cautelis à Camaldulenſibus impeditur, & quomodo huic vitio obnoxii apud eos puniuntur ? 243. Hoc vitium quomodo apud Melitenſes punitum ? 447.

Proprium aliquid dicere, aut habere, antiquis Monachis ſummoperè erat prohibitum. 26.

S. *Proſper* Aquitanus contra *Collatorem* Joannem Caſſianum argutè ſcripſit. 3.

Pſalmorum numerus in veſpertinis & nocturnis ſolennitatibus ab Angelo revelatus per totam Ægyptum & Thebaidem cuſtoditus. 10. Diſciplina apud Ægyptios qualis ? 14. Numerus in Oriente diverſus ante acceptam ab Angelo Regulam. 11.

Publicationes in abſolutione Capituli Camaldulenſium quænam faciendæ. 298.

Pueri in Monaſteriis delinquentes quomodo corripiendi ? 239. Parvuli non recipiendi apud Templarios. 439. Eos in Monaſteriis offerendi modi IV. 84. Eos cur Carthuſiani non ſuſcipiant in ſua Monaſteria. 324. Eorum Diſciplina in Monaſteriis Angliæ ſub S. Lanfranco. 379.

Pulmentariis, quibus ſagimen ineſſe creditur, omnino abſtineant ſub gravi pœna Ciſtercienſes. 400.

Pynufii Abbatis humilitas admiranda. 32. Præcepta noviter renuncianti data per XI. Capita. 34.

R.

RAſura Canonicorum Sempringenſium quoties, & quando facienda per annum? 485. Monachorum in Anglia ſub S. Lanfranco, quibus ceremoniis, & à quibus facienda? 372. Quibus temporibus fiat apud Ciſtercienſes. 411. Eam ſexies in anno faciunt Carthuſiani. 317.

Rebrachiatoria Monachorum veterum deſcribuntur & explicantur. 8.

Receptionis ad Ordinem Melitenſium quis modus? 448.

Reclina ſellula idem, quod Reclinatorium, vulgo Lehn-Stuhl. 57.

Recreationibus Fratrum Camaldulenſium ſemper adſint Prælati, aut Seniores. 211.

Refectio carnis ter in hebdomade Templariis conceſſa. 434. Moderata quæ commoda pariat? 257. Una tantum in die quando datur Carthuſianis? 317.

Refectorium à multis jam ſæculis uſurpatur pro loco veſcendi Monachorum. 54. Monialium Sempringenſium. 528. Sempringenſium Canonicorum. 491. Templariorum, quid in eo obſervandum? 434.

Reformatio Clericorum prima per S. Chrodogangum facta. 93.

Regimen Monarchicum prælegit S. P. Benedictus, & quare? 206.

Regula antiqua Monaſtica incerti Authoris, quando ſcripta putatur? 71. Eam ignoravit S. Benedictus Anianenſis in ſua *Concordia Regularum*. Ibid. S. Benedicti, quo anno in Scotiam introducta? 63. S. P. Benedicti aliis comparata, iisque præferenda cenſetur à B. Antonino. 197. S. Chrodogangi rigida in culpis puniendis. 94. S. Benedicti primos Carthuſianos amplexos fuiſſe probatur. 311. Pro Canonicis *prima* à quo, & quando ſcripta? 93. Benedictinæ arctam obſervantiam in omnibus Angliæ Monaſteriis fieri mandavit S. Lanfrancus, Archiepiſcopus Cantuarienſis & Primas Angliæ. 343. S. Joannis Caſſiani prima in Eccleſia Occidentali. 1. S. Pachomii Abbatis diverſa ab ea, quæ *Tomo IV.* habetur. 38. S. Chrodogangi XXXIV. Capitibus integra exhibetur. 97. Aquisgranenſis Concilii Canonicorum, quia à nullo Pontifice approbata, ideo in hoc opere omittitur. 109. Tres S. Auguſtini: *prima* pro Canonicis, *ſecunda* pro Fratribus, *tertia* pro Clericis. 120. B. Petri de Honeſtis pro Canonicis Regularibus. 138. Ciſtercienſium Converſorum. 426. Templariorum magna ex parte ex Regula S. P. Benedicti deſumpta. 430. Pauperum Commilitonum Chriſti, ſanctæ Civitatis & Templi Salomonis. 431. Converſorum Ciſtercienſium edita à P. *Edmundo Martene* in Tomo IV. ſuorum *Anecdotorum*. 385. Equitum de Malta. 441. Primævam Melitenſium confirmavit Papa Bonifacius VIII. 445. Diverſarum correptionum apud antiquos Monachos. 27.

Relatio, qualiter inceperit Ordo Ciſtercienſis. 386.

Religionem ſine macula ingredi, quid ſit juxta Regulam S. P. Benedicti. 199.

S. *Remigius*, ad eum Epiſtola S. P. Benedicti. 70.

*Renuncianti*s Monachi præparatio ad tentationes. 35. Solos perfectos & bonos imitari debet. ibid. Eorum probatio ante ingreſſum, qualis erat? 23. Cur veſtibus ſuis exuti, aliis induuntur in ſuis Monaſteriis? ibid. Juniores quomodo olim probati? 24.

Renunciantium Inſtituta per XLIII. Capita exhibentur. 22. Pecuniæ & facultates, cur Monaſterii uſibus non applicabantur in Ægypto & Thebaide? 23. Inſtituta à S. Joanne Caſſiano ſcripta. 1.

Renunciatio vera Monachi, eſt nunquam reimplicari. 35.

Reſervati caſus Abbatibus, quales ſint? 230.

Reſtaurator Diſciplinæ Eccleſiaſticæ in Anglia S. Lanfrancus. 343.

Reverentia Monachorum in Oratorio ſub Divino Officio quanta ſit. 67.

Rhodum Inſulam quando occuparunt Melitenſes? 442.

Ritus Caſſinenſium & Cluniacenſium. 81.

S. *Robertus* cum S. Stephano & S. Bernardo condidit Statuta Ciſtercienſium. 385.

S. *Romualdus* novumMonaſticæ vitæ genus inſtituit, & nigrum Benedictinorum habitum in album commutavit. 193.

Rouere (*Ubaldus* de) ſuſcipiendus in Ordinem *Aurei Velleris*, Statutis gallicè ſcriptis ſubſcribere renuit. 452.

S.

SAbbathum apud antiquos idem, quod apud nos hebdomas. 21. Vel dies Sabbathi, quando ei non apponitur numerus, apud Caſſianum paſſim idem, ac Dies Dominica. 18.

Sacerdos graviter peccans deponendus, non tamen communione privandus. 115. Noviter ordinati apud Ciſtercienſes primas Miſſas non niſi privatim cantent. 399.

Sacerdotium non ambitioſè appetendum. 115.

Sacriſta apud Camaldulenſes, quod ejus officium ? 255.

Salve Regina in fine Officii ſemper à Prælato, aut Chori Præſidente inchoandum. 221.

Sanguinis minutio quoties in anno, & quomodo à Carthuſianis celebratur ? 325. Quomodo, & quando fiebat in Monaſteriis Angliæ ſub S. Lanfranco ? 372.

Sargia, panni genus, Itali *Scotum* vocant, quia forte ex Scotia allatum : ex eo habitus Camaldulenſium conficiuntur. 262.

Satanæ technæ attentionem ſub oratione impediendi variæ. 14.

Scala perfectionis Evangelicæ, quibus virtutibus conſtet. 37.

Schiſma inter Ciſtercii & Claræ vallis Abbates exortum, in litteris D. Abbatis Savigniacenſis deſcriptum. 392.

Scotia hodierna primos Religionis veræ Doctores habuit Monachos. 62. Ante primum Epiſcopum S. Palladium per Presbyteros Monachoſque ad fidem converſa. ibid. Ejus primi Epiſcopi Monachi & Sancti fuêre. ibid. In ea VIII. amplas Commendatarias obtinuerunt Templarii à S. Davide Rege. 431. Ejus Ciſtercienſibus Abbatibus quarto tantum anno licet venire ad capitulum. 399. Unum tantum Sempringenſe Monaſterium numerabat. 467.

Scriba Definitorii apud Camaldulenſes, quod ejus officium ? 291.

Scripturas ſacras antiqui Monachi memoriter diſcebant. 58.

Scrutatores & Scrutatrices Sempringenſes, quæ eorum poteſtas ? 472. Malitioſè ſcrutantes quomodo puniendi ? 476. Eorum electio apud Camaldulenſes quomodo fiat? 289.

Seceſſûs S. Brunonis vera cauſa quæ fuerit, à Doctis diſputatur. 310.

Secreta Capituli revelantes apud Sempringenſes, & imponentes falſum crimen Fratribus, quomodo puniendi ? 514. Ordinis ſæcularibus, aut aliis Religioſis non revelanda. 307.

Secretarii in Monaſteriis Angliæ ſub S. Lanfranco quodnam officium ? 369.

Sedere in Synaxi ſolebant Patres Orientis, uni Pſalmos ſtando dicenti attenti. 14.

Sempringenſis Ordinis Author Gilbertus de Sempringham. 466. Ejus primum Monaſterium, à quo & quando conditum. ibid.

Seniorum in Monaſterio nomine quinam veniant. 207. Ii & adoleſcentes qua diſcretione, quoad victum aliaque neceſſaria, tractandi ſint in Monaſteriis. 247.

Sepulchrum Chriſti ſacrum, aliaque loca ſacra ibidem, cuſtodire & defendere erat primarium officium Templariorum Militum. 429.

Sepultura apud Ciſtercienſes quibus concedatur extraneis. 396. & 399.

Sericum non emant Sempringenſes Canonici. 507.

Sermo S. P. Benedicti in morte S Placidi. 70. Ejusdem in diſceſſu S. Mauri & ſociorum. ibid.

Sermones S. Auguſtini ad *Fratres in Eremo*, quid de iis judicandum ? 128.

Sero venientes antiqui Monachi ad Officium Divinum, quomodo puniti ? 20.

S. *Servanus*, S. Placidi Diſcipulus, Culroſſenſe Monaſterium ædificavit, & auxit. 64. Olim Kilroſeus Abbas, nunc ejus Tutelaris colitur quotannis prima Julii, ùt Patronus. 63.

Servanus Thomſon Monachus Dunfermlenſis in Scotia, poſtmodum Prior ad S. Jacobum Ratisbonæ, ibidem piè obiit. 63.

Sexta Sabbathi Idem, quod ſexta dies ſeptimanæ. 21.

Signa à Cluniacenſibus, ſilentii cuſtodiendi cauſa, vocis loco varia inventa. 55. Locutionis loco à Carthuſianis adhibenda. 326.

Siguinus Caſæ Dei Abbas S. Brunoni, ejusque VI. ſociis fundum conceſſit. 310.

Silentium ſub Oratione, Orientalium Monachorum ſummum. 14. Qua religione ſub menſa à Monachis ſervatum? 54. Ægyptiorum Monachorum ſub lectione menſæ, quantum fuerit? 27. Ejus violatio, quomodo olim punita? 114. Poſt Completorium non locutione ſolùm, ſed nec ſtrepitu violandum. 251. A Monachis in Monaſterio juxta literam ſacræ Regulæ à Camaldulenſibus ſervandum. 210. Clericis & Monachis extra caſum neceſſitatis & utilitatis ſtrictè tenendum. 152. Quibus locis & temporibus à Clericis & Monachis ſervandum? ibid. Fratrum Carthuſianorum comparatum cum ſilentio Ciſtercienſium. 328. Poſt Completorium à Templariis ſervandum. 434. Et Pax, Iſaia Propheta teſtante, Juſtitiæ cultus. 306. Ejus violatio quomodo puniatur à Grandimontenſibus. ibid.

Simoniam videtur damnaſſe Salvator, dum ementes & vendentes ejecit è Templo. 309.

Simoniacum eſſe, Miſſas pro certo pacto promittere, judicârunt Ciſtercienſes anno 1182. 401.

Socii primi S. Brunonis, quinam fuêre? 310.

Solemnitas Dominicæ diei quomodo differebat ab aliis ſolennitatibus apud veteres Monachos? 21.

Solitariæ vitæ inſignis commendatio. 331. Ejus amor, probabilior cauſa eſt ſeceſſûs S. Brunonis in Eremum. 311.

Somnus antiquis Monachis breviſſimus circa galli cantum conceſſus. 20. Eum non reſumebant Monachi antiqui poſt matutinas Orationes. 19.

Sonitum ad pulſantis quàm celerrimè accurrebant antiqui Monachi. 26.

Sorores laicæ Sempringenſium Monialium, earum Regulæ. 532.

Sortilegii reus apud Ciſtercienſes quomodo puniendus? 402.

Sputa in Oratorio publico coram Fratribus pedibus conculcanda. 67.

Squilla Inſtrumentum, quod in Monaſteriorum Refectoriis pulſabatur. 55. Ad ejus ſonitum juxta Petrum *Venerabilem* Dæmon fugatus. ibid.

Statuta particularia juxta Regulam S. Auguſtini, cur condiderunt ſibi Canonici Regulares? 128.

Portuenſis Eccleſiæ ab aliis Eccleſiis, tanquam vitæ norma, accepta. 138.

Ordinis *Aurei Velleris* priùs gallicè ſcripta, cur in latinum verſa? 452. Eorum ſingula Capitula ordinatim exhibet Tabula ſeu Elenchus. ibid.

Antiqua *Grandimontenſium* in variis Capitulis edita exhibentur. 305.

Melitenſium quis condidit? 442.

Primæva *Melitenſium* à *Raymundo* de *Puy* condita exhibentur. 445.

Carthuſianorum à *Guigone* V. Magnæ Carthuſiæ Priore condita, juxta Regulam S. P. Benedicti. 311.

Carthuſianorum, cur tam ſero ſcripta. ibid.

Cluniacenſium ad ſolam Regulam Benedictinam ſtrictius ſervandam collimabant. 176. Antiqua eorundem à B. *Udalrico* accepit B. *Wilhelmus* Abbas Hirſaugienſis. ibid. Recentiora quanta cautela à B. *Petro Mauritio* conſcripta? 177. Recentiora eorum integrè exhibentur. 178.

Ciſtercienſium condiderunt SS. *Robertus*, *Stephanus*, *Bernardus*. 385. Cur ſucceſſivè in tantam molem crevêre? ibid. Omnium Capitulorum ordinatim exhibentur. 395.

Stellarum curſus Orationis nocturnæ tempus indicabat antiquis Monachis. 16.

S. *Stephanus* cum SS. Roberto & Bernardo Satuta Ciſtercienſium condidit. 385. Acceptâ Bullâ Pontificiâ in patria ſua primum novi ſui Ordinis Monaſterium apud *Muretum* condidit. 303. Author Grandimontenſium. ibid.

Stercus ex cibis pretioſis à Monachis non conficiendum. 74.

Stipendii pro Miſſa & Confeſſione oblati Sacerdoti exemplum primum, quo ſæculo legimus accidiſſe. 94.

Studia in Monaſteriis excolenda ſuadentur. 254. Sacrarum literarum Monachis commendantur. 76.

Suffragiorum pro mortuis ſocietas inter Monaſteria inita, quam antiqua ſit. 89.

Superbia omnium vitiorum mater. 212. Angelos dejicit, humilitas homines extollit. 200. In bonis operibus vitanda. ibid.

Superflua Monachus non quærat. 68.

Supellex Monachorum Ægypti. 43. Cellarum Monachorum, quæ eſſe oporteat. 230. Carthuſianorum. 322.

Suſpenſo communicare, Patribus Orientalibus non licitum. 16.

Sutoris apud Carthuſianos officium. 327.

Suum nihil dicat Monachus. 68.

Synaxis apud Patres Orientis ſignificabat nocturnarum & veſpertinarum Orationum

num ſolennitates. 13. Ea finita, quid usque ad lucem agebant Patres Orientis ? 14.

T.

Tabenna Monaſterium grande in Inſula Nili fluminis, à S. Pachomio ædificatum, quod erat Principale reliquorum Monaſteriorum. 42.

Tabennenſiota V. millia Monachorum erant in ſumma obedientia Tabennæ viventes. 22. Suſcipiendi quomodo probabantur ? 23. Eorum vivendi ritus & Statuta deſcribuntur. 42.

Tabulâ ligneâ excitabantur & convocabantur Monachi ad Eccleſiam. 54.

Taciturnas Monachis præprimis commendanda. 210.

Tanabus Monaſterium erat in Thebaide, ubi aſperrima vita agebatur. 41.

Taxa Monaſteriorum Camaldulenſium, quomodò ſolvendæ. 294.

Templariorum Militum origo. 429. Eorum officium. ibid. Vota Religioſa coram Patriarcha Hieroſolymitano, aliisque Epiſcopis emiſerunt. ibid. Eorum primus Magiſter quis, & quando electus ? ibid. Eorum Habitus. 430. Ii non Regulam Auguſtinianam, ſed Regulam S. Benedicti tenebant. ibid. Pauperras eorum, quanta erat in principio ? ibid. Quare, & quibus Authoribus extincti ? 431. Eorum hiſtoriam ſcripſit *Nicolaus Gürtlerus* hæreticus, multis mendaciis refertam. ibid. A multis ſcriptoribus defenduntur, à multis contra accuſantur. ibid. Eorum Statuta longa ſerie exhibentur. ibid. Eorum culpæ leves & graves quomodò puniendæ. 440.

Tentationum initia cautè repellenda à Monacho. 35.

Thebaidis Monaſteria duodenarium Pſalmorum numerum in veſpertinis ac nocturnis ſolemnitatibus obſervabant. 11.

Tintinnabuli uſus, quando in Eccleſiam introductus. ? 54. Grandia unde *Campana* dicta ? ibid. Minora, unde *Nola* dicta ? ibid.

Titubatio in Pſalmodia, quomodo punita ab antiquis Monachis ? 27.

Tubâ olim ad Eccleſiam convocabantur Monachi 55. Earum frequens uſus in veteri Teſtamento ad Sacra erat. 54.

Turræ lapideæ non fiebant pro campanis apud veteres Ciſtercienſes. 397.

Typus ſuper quotidianis obſequiis Fratrum apud Monachos Orientales ordinatus. 29.

V.

VAs in ſacra Scriptura ſæpè uxorem ſignificat. 56.

Udalricus (nobilis Bavarus, Benedictinus Monachus) antiqua Statuta Cluniacenſia B. Wilelmo Abbati Hirſaugienſi communicavit. 176.

Vellus Aureum, cur ſic appellatur ejus Ordo ? 451. Quis hujus Ordinis ſcopus ? ibid. Ad quid per hoc nomen alluſerit Ordinis hujus Author ? 450. Ordo nulli Regulæ Religioſæ adſtrictus. ibid.

Venia petenda quis modus Grandimontenſium ? 308.

Venter ſuperfluo cibo nunquam explendus 74.

Veſtimenta Renunciantium, cur à Diſpenſatore antiquitùs reſervabantur ? 24. Monachorum, vilia non pretioſa ſint. 77. Templariorum, qualia ſint. 433. Cilicina pœnitentibus adhibita. 8. Aſpera & ſtupea ad carnem gerunt Grandimontenſes. 307. Camaldulenſium color, materia, & partes ſingulæ. 262. Et ſuppellex Converſorum Carthuſienſium. 328. Qualia erant primorum Melitenſium ? 446. Qualia Sempringenſium Monialium ? 522.

Viæ duæ juxta S. P. Benedictum ducunt ad Cœlum, una Laicorum, altera Monachorum. 98.

Viennenſe Concilium In Gallia Templariorum extinctionem admiſit. 431.

Vigiliæ ſolemniores dicantur ardentibus ſuper altare duabus candelis. 217. Poſt eas nocturnam Synaxin cur usque ad lucem protrahebant Patres Ægypti ? 14.

Vinum apud antiquos Monachos ſolùm ſenibus dabatur. 55. Quoties datur Carthuſianis ? 427. Quantum &

quomodò dabatur Sempringenſibus Canonicis? 494.

Virtutum ordo, quibus ad Perfectionem Evangelicam aſcenditur. 37.

Viſitatio apud Camaldulenſes, quando & quomodò fiat à P. Generali & Viſitatoribus? 300.

Viſitatores Camaldulenſes, quæ eorum poteſtas? 299.

Vita ſolitariæ inſignis commendatio. 331.

Vitia VIII. principalia, contra quæ S. Caſſianus Monachos *colluctare* docet, recenſentur. 2.

Voluntatis propriæ abnegatio, neceſſaria condicio ſuſcipiendi in Religionem. 198.

Votum ſerviendi infirmis, tribus communibus in Profeſſione ſua Melitenſes addiderunt. 448. Religioſa emiſerunt primi Templarii coram Patriarcha Hieroſolymitano, & aliis Epiſcopis. 429.

Urbanus V. Papa, antè Electionem Abbas Monaſterii Maſſilienſis, juſſit Caput S. Joannis Caſſiani thecis argenteis ornari, & cultui publico exponi. 4.

W.

B. *Wilelmus*, Abbas Hirſaugienſis, juxta antiqua Statuta Cluniacenſia à B. Udalrico accepta reformavit Monaſteria Germaniæ. 176.

Z.

ZElus bonus, quem Monachus habeat, in quo conſiſtat? 283.

Zona pellicea, ſeu Cingulum, ſignum exterius Prophetæ & Monachi. 7. Ejus geſtatione in Scriptura laudantur Elias Propheta, & S. Joannes Baptiſta. ibid.

Digitized by Google

Digitized by Google